Ex libris petri Beas doctoris med quuit.

4256

A XXIX. Mev

Emptus pariſijs die 2. Octobris 1682

55450

D. HIERON.
MERCVRIALIS
FOROLIVIENSIS,
MEDICI CELEBERRIMI,
ET PRÆTER CÆTEROS
ſui temporis elegantiſſimi,

TRACTATVS VARII

De re medica, à variis Medicis olim ex ipſius ore excepti, nunc verò, poſt eius obitum, in gratiam ſtudioſorum Medicinæ euulgati.

Horum PRIMVS *De morbis muliebribus, in quatuor libros diſtinctus.*
SECVNDVS *De puerorum morbis, cum Tralliani de lumbricis epiſtola ab eodem Auctore in Latinum verſa, & de venenoſis, ac venenis opuſculo.*
TERTIVS *De peſte, præſertim de Veneta, & Patauina.*
QVARTVS *De morbis cutaneis, in tres libros digeſtus.*
QVINTVS *demum, De excrementis, in tres libros diuiſus.*

Atque hi omnes hac nouiſſima Editione ſuis propriis vel peculiaribus INDICIBVS ſtudioſiſſimè conluſtrati.



LVGDVNI,
Sumptibus ANTONII PILLEHOTTE,
ſub ſigno Sanctiſſimæ Trinitatis.

M. DCXXIII.

PERMISSV SVPERIORVM.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ILLVSTRISS. PRINCIPIBVS AC D.D.D. ERNESTO FRIDERICO, IACOBO ET GEORGIO FRIDERICO, CAROLI F.F.F. MARCIONIBVS BADENSIBVS: Landgrauiis Suſenbergicis: ditionis Rœtelanæ & Badenvvilæ Dominis, &c. Patronis literarum clementiſſimis,

GASPARVS BAVHINVS BASIL. Medicinæ Doctor S. P. D.

ILLVSTRISSIMI & clementiſſimi Principes, quot & quàm variis morborum generibus humanum genus prematur & opprimatur, notius eſt ex quotidiana experientia, quàm vt prolixa demonſtratione opus habeat. Cæterùm de cauſis illorum aliter Theologi, ex ſacrarum literarum fontibus, aliter Medici, ex naturalibus rationibus iudicant: in primario interim ſcopo planè conſentiunt. Etſi autem multi, & quidem grauiſſimi morbi ex intemperātiæ vitio oriantur, ob quam ipſi homines crebris fluxionibus, ceu paludes imbribus (teſte Platone) implētur: tamen, neque ſola, neque vnica complurium morborum intemperantia cauſa eſt, ſed plures ſunt aliæ, quæ corpus noſtrum alterant immutántque, & ſæpe etiam vel optimè conſtitutorum valetudinem deſtruunt, ſex videlicet, res non naturales Medicis appellatæ: Aër ſiue ambiens: cibus & potus: motus & quies: ſomnus & vigilia: excretio & retentio: denique ipſius animi perturbationes. ſine quibus rebus nullo modo diu ſuperſtites eſſe viueréque poſſumus: vnde meritò Alterantia vocantur. Taceo nunc ea, quæ pro re nata hominibus foris accidunt, vt ſunt contuſiones, caſus, vulnera, & ſimilia alia: quæ quoniam euitari poſſunt, cauſæ externæ dicuntur, eædémque non neceſſariæ, quia per accidens, non neceſſariò corpora immutant. Verùm enimuerò reſtant adhuc aliæ cauſæ, quæ nobiſcum ſunt congenitæ, ideóque internæ dicuntur, quæ ineuitabiles dici poſ-

ſunt, vt ſunt ſiccitas, aſſidua ſubſtantiæ fluxio & excrementorum prouentus: aliæ item quæ ex ſemine ſanguinéque menſtruo dependent. Quibus ſæpe efficitur, vt licèt homines temperanter viuant, morbos tamen euitare non poſſint, ob eam quam ex primordiis generationis contraxêre ἐπιτηδειότητα καὶ δύναμιν φυσικὴν, vt non poſſint non in varios morbos prolabi, adeóque vt Plato alios aureis, alios argenteis, alios ferreis, alios æreis animis naſci dixerit: ſic nos ſimile quid in corporum conſtitutione deprehendimus. Vt igitur ij, qui ex ſanis parentibus nati, à primo ortu ſalubrem complexionem nacti ſunt, diu ſalui & incolumes eſſe poſſunt, ſic è contrà ij, qui ex morbidis parentibus prognati, priùs morborum paternorum quàm facultatum hæredes facti ſunt, neceſſariò valetudinarij degunt, & Medicorũ ope perpetuò opus habent; neque Platonis ſententiam amplecti poſſum, qui in Republica ſua, neque Iuriſconſultis, neque Medicis locum concedere voluit. Nam vt illud mittamus, imaginariam eſſe, quam ſummus ille philoſophiæ parens deſcribere conatus eſt, beatæ ciuitatis ideam, ipſa certè experientia diſcimus, optimos interdum, ſiue, vt illi placet, aureis ingeniis præditos, neque Platonis politia indignos, ad teſtaceorum (vt ita loquar) corporum præſeruationem, conſeruationémque, Medicorum fideli conſilio, promptóque auxilio vnicè indigere, & Amphionis illud Sicyonij ſemper in ore habere:

Υγίεια πρεσβύστε μακάρων
μετὰ σοῦ νέοιμι
τὸ λειπόμενον βιοτᾶς
σὺ δὲ μὸν πρόφρων,
σύνοικος εἴη.

Enimuerò ſecundum Satyrici ſententiam,

Orandum eſt vt ſit mens ſana in corpore ſano,

quandoquidem corporis, animíque ſanitas, ſcientiarum artiúmque omnium altrix atque nutrix eſt, vitæ humanæ fundamentum atque condimentum, cuius beneficio actiones omnes vigent, vis, corporis forma, diuitiæ, & quæcunque alia apud homines in pretio ſunt, florent valéntque, qua collapſa, collabuntur omnia: reſtituta, reſtituuntur. Quod ſi exemplis quoque vtendum eſſet, ex Hiſtoriis diſcimus, Heroas priſcos, etiam celeberrimos quoſque Reges (inter quos admirabilis ille Hermes Triſmegiſtus, apud Ægyptios primus occurrit, & poſt ſe Alexandrum Magnum, Attalum Pergamenum, Mithridatem Ponti & Aſiæ Regem; vt è multis paucos referam, trahit) Medicinæ ſeriam operam dediſſe. Quòd ſi igitur vel naturæ omniparentis ductum, vel laudatiſſimorum virorum iudicium ſequi oportet, ſanitatis quiſque

quiſque ſuæ curam habere debet eximiam, omnium verò maximè ij, qui ad Medicæ artis profeſſionem ſunt vocati. Inter quos etſi ego me vel infimum eſſe libenter agnoſco,tamen vt pro virili mea,in communem vtilitatem aliquid conferrem, hunc de Morbis muliebribus tomum ex autoribus partim nouis nec editis, partim in Germania hactenus non excuſis, concinnare volui. Quem quidem, Illuſtriſſ. Principes & Domini clementiſſ. qualemcumque laborem meum, amicis doctiſſ. ſuadentibus, ſub V. C. nomine & patrocinio in lucem prodire volui. Volui verò iſtud hoc nomine cum primis, quòd doctiſſimorum hominum ac teſtium omni exceptione maiorum præconiis C. V. non vno in loco laudes humanitatis & clementiæ erga literatos & rem literariam nomine deprædicari ſæpenumero audiiſſem: debui & eapropter quòd inſigni quadam nuper liberalitate(quin autem inſignem eam liberalitatem nominem,ſine qua in vaſtiſſimo noſtræ facultatis Oceano,labimur,impingimus,hallucinamur?) me obſecrante,Baſilienſem noſtram Academiam humani ad Anatomes adminiſtrationem corporis,conceſſione affeceritis. Cuius quidem munificētiæ (qua priſcorum Regum V. C. æquant,nedum æmulantur animos & ſtudia) Medicorum noſtrorum collegium non ſemel ſenſit fructum ampliſſimum,vtque in hac ipſa optimorum ſtudiorum ſectatores promouendi voluntate perſteteris, ſubmiſsè rogat. Quod igitur ſupereſt vt V. C. clementer & benignè hunc meum exiguum laborem (donec tempus maiora dederit) operámque meam in quibuſuis aliis occaſionibus V. C. addictiſſ. ſuſcipiant, etiam atque etiam quàm humillimè oro. Quibus me quoque omni ſtudio, obſequio, ac qua decet animi propenſa voluntate commendo, & vt me inter veſtros clientes eſſe patiamini, ſubmiſsè rogo.

PRÆFATIO AD Lectorem.

CVM nihil ſit in rerum natura tam excultum, omnibúſque partibus perfectum, quod vlteriorem culturam non admittat, cœpere poſteri, noſtri potiſſimùm temporis Viri excellentes, pro ſua quiſque virili & ingenio certatim, quas Medicinæ partes non ſatis pro ſua dignitate tractatas viderent, reducere, melioríque ordine diſponere: deſiderata ſupplere, tantáque induſtria & animi propenſione omnia retractare, vt veteribus exuuiis reiectis, noua facies arti aſſumpta eſſe videatur. Quippe nulla Medicinæ pars, quantumuis difficilis, abſtruſa & recondita latere poteſt, quæ modò in lucem non prodeat. Cœlum equidem mente conſcendere, ſydera, eorúmque motus obſeruare, elementorum naturas perſcrutari, terræ penetralia rimari, herbarum fruticúmque cùm icones, tum vires, ſummis laboribus & vigiliis inueſtigare, animalium omne genus cognoſcere, imò propria viſcera diſsecare & perſcrutari, non detrectant viri præclari, quò ſacra quadam Ægide aduerſus tot cauſarum malignarum procellas tecti, ab earum iniquitate ſe vindicent, & incolumes quantum fieri poteſt conſeruent. Hæc ratio eſt, quæ me adegit (cùm Typographus hunc tractatum de morbis muliebribus, D. Hieron. Mercurialis opera editum prælo eſſet commiſſurus) vt operas meas, & horas in communem vſum ei collocarem: & licèt vix inter tot támque varias occupationes tantum concederetur temporis, hoc tamen operis quidquid eſt, ipſi denegare nec potui, nec debui, nec volui. Quare propriis ſtudiis relictis (vt qui circa plantarum Synonymias, & earundem topographias verſarer, quæ propediem volente Deo, rei herbariæ ſtudioſis communicabo) cùm aliorum ſcripta meis longè præferrem, huic tractatui quod meum erat ſuppeditare volui. Cùm ergo Nobiliſſ. & Clariſſ. Philoſophi ac Medici, Hieronymi Mercurialis Patauini in praxi Anteceſſoris, præceptoris olim mei, Lectiones de Morbis Muliebrib. quas ante annos circiter quatuordecim extraordinariè inter plurimas occupationes habuit, Typographus edere in lucem vellet: mihíque ad manus eſſet exemplar, à me in Italia conſcriptum, & tum temporis etiam cum autographo collatum, ne fortè exemplar vitiatum daretur communicaui, ídque propter ſummam doctrinam, quæ in eo tractatu continetur, ita vt fateri me oporteat, hactenus me nullum authorem legiſſe, qui fuſius, maiori cam diligentia & ordine, morbos omnes muliebres pertractarit. Etſi autem eo inſcio editus ſit: tamen cùm ipſius erga me amorem non ſolùm in Italia (ſicut omnes Germanos

ſingu

ſingulari amore & beneuolentia excipere, complecti & promouere ſolet) cognouerim, ſed etiam ex frequentibus quas ad me dat litetis in dies colligere poßim, hoc mihi ſumpſi, ipsúmque æquiori laturum animo, mihi perſuaſi, cùm omne idquod factum eſt, in Reipublicæ literariæ vtilitatem; & ex inſtinctu plurium doctiß. virorum, & ex ſingulari amore erga præceptorem factum ſit. Memor enim fui quid diſcipulum facere conueniat, ex iuramento Hippocrateo, dum ait: Ηγήσεσθαι μὲν τὸν διδάξαντά με τὴν τέχνην ταύτην, ἴσα γενέτῃσιν ἐμοῖσιν. *Nec hæc poſtrema fuit ratio, quæ ad hoc mihi ſtimulum addidit, quòd viderim non deſſe aliquos qui de Morbis Muliebribus ſcribere conarentur, plurima ex hoc libro deſumentes; ne ergo author hic ſuis priuaretur laboribus, quidquid eſt in me ſuſcepi, quod etiam ab aliis diſcipulis, in librorum eiuſdem editione, factum antè animaduerti. Quare tractatum hunc pro iis qui mulieribus accidunt morbis, vel circa conceptum, vel circa partum, vel circa nutritionem, vel circa totius Vteri ſtatum, & conſtitutionem, in libros quatuor digeſſi, & quemlibet rurſus librum in ſua capita diuiſi. Quem ſanè librum, cùm vino laudabili ſuſpenſa non ſit opus hedera, magis laudare nõ eſt animus, cùm author per ſe ſatis tam apud Germanos quàm Italos, aliáſve nationes ſit laudatus, vt cuius libri doctißimi in omnium ſunt manibus. Spero tamen futurum, vt aliquãdo author ipſe tractatum hunc rurſus, ſi ſibi in eo non ſatiſfecerit, aut quid in eo deeſſe videatur, ſub incudem reuocet,* δεύτεραι φροντίδες γὰρ σοφώτεραι. *Hæc ergo eſt, Medice lector, noſtri inſtituti ratio, quam boni conſules, hiſque in rem tuam vteris. Quæ ſi grata fuiſſe cognouero, dabo operam, vt propemodum alia, non aliorum ſcripta, ſed noſtratia accipias, tibique hanc Galeni ſententiam perpendendam propono quæ habetur 2. de compoſ. Medicamentorum* κατὰ τόπους, *dum ait:* χαλεπὸν γὰρ ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς, τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσαντα, τὰ δὲ κακῶς κρίνοντα, τὰ δὲ ἀμελέστερον γράψαντα.

HIERO

HIERONYMI MERCVRIALIS MORBORVM MVLIEBRIVM DISPOSITIO.

LIB. I.

De Morbis qui circa Conceptum contingunt: continens IV. *capita.* *pag.* 1

LIB. II.

De Morbis qui circa Partum contingunt: continens V. *capita.* *pag.* 29

LIB. III.

De Morbis qui circa Nutritionem partus contingunt: idque vel circa Lac, vel circa Mammas: continens VII. *capita.* *pag.* 52

LIB. IV.

De Morbis qui circa conſtitutionem ſeu vniuerſum Vteri ſtatum accidunt: continens XXIIV. *capita.* *pag.* 85

PERMISSIONS.

IE conſens pour le Roy que Antoine Pillehotte imprime ou face imprimer les Traictez cy apres nommez, *De Morbis mulierum: De Morbis puerorum: De Peſte: De Morbis cutaneis, & excrementis, D. Hieronymi Mercurialis Foroliuienſis Medici celeberrimi*, auec deffences à tous autres de les imprimer ou faire imprimer, à peine d'amende arbitraire, & confiſcation des exemplaires qui ſe trouueroient auoir eſté contrefaicts: à Lyon, ce dixneufuieſme Aouſt, 1617.

BOLLIOVD, A. du Roy.

VEv ledit conſentement, nous auons permis à Antoine Pillehotte, Marchand Libraire à Lyon, d'imprimer ou faire imprimer les ſuſdicts Traictez cy apres nommez, *De Morbis mulierum: De Morbis puerorum: De Peſte: De Morbis cutaneis, & excrementis, D. Hieronymi Mercurialis Foroliuienſis Medici celeberrimi.* Et ſont faictes deffences à tous Libraires, Imprimeurs, & autres en tel cas requiſes. Faict à Lyon, le vingtvnieſme Aouſt, 1617.

SEVE, L. General.

HIERO

HIERONYMI MERCVRIALIS DE MORBIS MVLIEBRIBVS

LIBER I.

DE INSTRVMENTIS AD CONCEPTVM ET eiuſdem nutritionem neceſſariis: dein qui & quot ſint Muliebres morbi.

CAPVT I.

MVLTA quidem ſunt animalibus à natura tributa ſigna,vt ſexus inter ſe diſcerni poſſint,ſed ea potiſſimũ ſigna tradita fuerunt, quæ à Conceptu,Partu & Educatione capiuntur. Neque enim robore,aut felicitate poſſunt fœminæ & mares dignoſci, quandoquidem multa inueniuntur animalium genera,in quibus vel mas & fœmina æquè valẽt, vel fœminæ ſunt robuſtiores, vt de Vrſo dicebat Ariſtoteles, quod etiam conſtat de omnibus rapacibus auibus. Neque tantũ animi operationes ſunt efficacia,ad diſtinguendos ſexus,argumenta. Quia licet in humano genere Ariſtoteles & Peripatetici dixerint, animi operationes in viris illuſtriores eſſe. Plato tamen in 7. de Leg. & Platonici omnes exiſtimant, & rectè,ad eadem animi ſtudia & eaſdem operationes, æquè mulieres atque viros natos eſſe. Accedit autem & ratio, quoniam inſtrumẽta, quæ animi operationib.inſeruiunt,neque plura,vel pauciora in mulieribus reperiuntur,quàm in viris. Ex quo non ſatis mirari poſſum Ariſtotelem, qui mulieres & fœminas omnes,monſtra quædam eſſe dixit: quoniam ſiue fœminarum vim in propaganda ſobole,quam natura ſpectat,intueamur, ſiue vtilitatẽ mulierum, ad bene beatéque vitam gerendam ſpectemus: ſiue copiam ipſarum conſideremus, proculdubio non monſtrum,vt dicebat Ariſtoteles,ſed potiùs primò à natura ſpectatã fœminam, intelligemus. Itaque cùm nihil ſit,in quo magis fœmina à viro diſcerni poſſit,quam Conceptu,Partu & Educatione partus,non ob aliud hoc eſt,quàm quod natura mulieri dedit & largita eſt quædam inſtrumenta ad Conceptum & Partum neceſſaria, quibus vel ſolis,vel maximè omnium fœmina à mare diſtinguitur. Hæc verò inſtrumenta,cùm operationes proprias & peculiares habeant,non profectò aliundè habẽt, quàm ex temperatura particulari & particulari conſtitutione. Quæ conſtitutio, vbi

ſe ſecundum naturam habet,iam hæc inſtrumenta propria ſanitate & propria vita fruuntur. Vbi verò temperatura aut hæc conſtitutio inſtrumentorum fuerit vitiata, neceſſariò decidũt à propria ſanitate,atque ita morbi fiunt,qui morbi ab Hippocrate & recentioribus omnibus,vocabantur *Muliebres*:eo quod contigit circa ea inſtrumẽta,quæ propria ſunt mulierum , non autem communia Viris , ſed circa inſtrumenta Conceptus,Partus & Nutritionis partus.Hactenus habetis , qui ſint propriè Muliebres morbi,ſecundum veteres. Quot verò ſint horum morborum genera,iam ex arte & methodo inueniendum eſt.Duo autem ſunt hæc inſtrumẽta:Vterus & Mammæ:Vterus,vt conceptui & Partui deſeruiat:Mammæ quidem, vt nutritioni Partus: nam etſi Mammæ omnibus ſint hominibus à natura tributæ,nihilominus tamen ſunt alterius finis gratia in Mulieribus,ſic quoque videntur alterius eſſe naturæ. In viris autem ſunt factæ Mammæ,vt videl.tueantur Cor:in Fœminis verò,non ob id ſolùm, ſed potiſſimum vt debeant miniſtrare fœtui,aut partui nutrimentum.Vteri quemadmodum & Mammarum duplicia debent eſſe officia:alia quidem propria & peculiaria:alia verò communia.Propria appello tria,videlicet Conceptum,Partum,& Menſtruorum purgationes.Communia nomino officia,Nutritionem ſcilicet,quæ fit alteratrice,attractrice, retentrice & expultrice,& tãdem ſunt alia,quæ naturæ opera dicuntur.Primò ergo contingunt morbi circa vterum,ſi lædatur Conceptus : deinde ſi etiam lædatur Partus:Poſtremò ſi lædantur Menſtruæ purgationes,quæ omnia dicũtur propria vteri opera:Si Conceptus læditur,ideò eſt:vel quia nunquam cõcipitur, vel quia rariſſimè concipitur,& appellatur hic morbus *Sterilitas*:vel læditur,quia cõcipitur id quod non deberet,& eſt,quando *Mola* vocata in vtero concipitur : nam ſi multum concipiatur,non eſt morbus,ſed potius fœcunditas, quanquam vt ſuo loco dicetur,Medici interdum cogantur hanc fœcunditatem retardare.Si lædatur Partus, læditur vel quia fit celeriùs quam deberet,& dicitur *Abortus*,,ſiue aborſus:vel fit tardiùs,quam deberet , & eſt quando fœtus in vtero mortui non exeunt , quos Medici coguntur extrahere.Quo in loco notandum,interdum Medicos ſolũ extrahere fœtus mortuos,nihil præterea curare:interdum verò laborare,vt mortuum conceptum extrahant,& ſimul conceptum alium in vtero viuentem conſeruent. Licet enim rarò contingat,vt ex Gemellis vno mortuo,alter ſuperſit in vtero,tamen hoc poteſt fieri, & fit,vt habet Plin.lib.7. c. 10. eos conceptus qui altero gemello mortuo ſuperſunt ac ſeruantur,vocatos eſſe *Vopiſcos*.Vel partus non fit vt deberet,& tunc fit aut cũ dolore & labore,& dicitur *Difficilis partus*:aut fit,vt non deberet,veluti cũ fœtus exeunt pedibus,non capite,qui partus in lib.citato Plinij,dicti ſunt à veteribus Agrippæ,eo quod ægrè pariantur:aut non exit partus totus vt deberet , quemadmodum cùm ſecundina relicta eſt,in qua educenda plurimũ laborant Medici.Si impediuntur operationes Menſtruorum,eſt aut quia menſes non fluunt , & dicuntur à Medicis *Menſes ſuppreſſi*:aut nõ fluũt,vt deberent fluere,& vocãtur *Menſes diminuti:* aut nõ fluunt, quales deberẽt fluere,vt eſt *Fluxus muliebris*, ῥοῦς γυναικεῖος à Grecis vocatus:aut quemadmodum eſt *Gonorrhæa* in mulieribus,quam inter fluxiones menſtruas connumero, quia mulieres hoc genus appellant *Menſes albos*. Quod ſi opera communia lædantur,vel eſt ob ſimilares morbos,vel ob inſtrumentarios. Ob ſimilares, quando Vterus laborat aliqua intemperie,quia aut nuda eſt,aut cum aliqua materia.Inſtrumentarij morbi ſunt vel in Continui ſolutione , vel in mala conformatione : in Continui ſolutione,ſunt vlcera & vulnera omnia. In mala conformatione ſunt,vel quãdo moles vteri tota augetur:augetur autem, aut ob humores,vt in *Hydrope vteri*:aut ob flatũ,vt in *vteri diſtentione*.Vel augetur non in tota mole vteri,ſed in parte,quod contingit,cũ iuniores præter naturam afficiuntur vteri parte:aut cũ Nympha vocata excreſcit,& *Cauda* à Paullo vocata eſt;vel cum Columella aut mẽbrana illa,quæ geni-

turam

turam à vulua arcet,gignitur,de quibus Hip.in lib.de natura mulierum. Aut fiunt denique morbi in conformatione, quando videlicet ſitus vteri permutatur : permutatur autem,quando vel ſurſum inclinat,vel deorſum,vel ad latera : ſi ſurſum, dicitur *vteri aſcenſus*:ſi verò deorſum,dicitur *vteri procidentia*. Sed hoc loco notandum,tametſi diuinus Plato in Timæo ratione permutationis ſitus, dixerit vterum animal eſſe,eò quod mouetur de loco ad locum , tamen non propriè dicitur mutatio loci,ſed eſt veluti quædam extenſio & compreſſio. Præter dictos affectus eſt alter ferè communiſſimus omnium,qui *vteri præfocatio* dicitur,quem morbum non repoſui in his iam dictis generibus , quoniam videtur varia morborum genera conſequi.Sic itaque habetis omnia vteri affectuum genera,ex arte & methodo inuenta.Morbi qui contingunt circa aliud inſtrumentum,*Nutritionis* videlicet *fœtus* & circa *Mammas*,hi quoque,vel offendunt opera mammarum communia,vel propria & peculiaria:offendũt,inquam,primò & per ſe,quia ſæpè fit,vt non poſſit alterum,neque in Mammis,neque in vtero offendi,niſi ſimul & alterum offendatur. Quæ impediunt opera communia primò & per ſe,ſunt *Tumores* omnes, *Vlcera*,*Intemperies* , quæ omnes affectiones , tametſi communes ſint cum viris , frequentius tamen apparent & gignuntur in mulieribus. Qui autem morbi offendunt operationes Mammarum proprias,ſunt illi,qui nutrimentum lædunt partus , quod quia Lac eſt,eapropter vt diuerſimodè læditur lac ipſum,ita quoque diuerſi fiunt morbi.Læditur autem Lac,vel quia non fit quantum deberet, & dicitur *Lactis inopia*: vel fit,plus quam deberet,ita quòd copia vehementer lædat , & *Lactis abundantia* vocatur:vel nõ fit Lac quale deberet,quòd ſit vel nimis ſubtile,aut nimis craſſum, aut in grumos concretum : quod genus lactis craſſioris & grumoſi appellatur à Medicis *Colaſtrum*,vnde coloſtrati vocantur pueri,qui hoc lacte veſcuntur , quanquam reperietis interdum,(vt apud Plin.lib.28.)vocatos eſſe Coloſtratos, qui nutriuntur lacte mulieris prægnantis : vel Lac fit nimis acre, aut acidum. Atque tot ſunt affectus omnes muliebres,de quibus(ſi me Deus ſeruauerit)polliceor ampliſſimè tractaturum eſſe;ſi non explicitè,ſaltem implicitè, id eſt , ſi non ſeparatim ex toto,ſaltem coniunctim,quia multi ſunt ex his,qui ſimul copulantur,& vnam atque coniunctam curationem expoſtulant. In his autem tractandis non alium ſeruabo ordinem,quam mihi, & probatis auctoribus familiarem : vt primò tradam vniuſcuiuſque affectionis nomen:ſecundò , naturam & eſſentiam affectus : tertiò, cauſas:quartò ſigna:quintò & vltimò curationem, itaque diligentes eſtote.

DE STERILITATE.
CAPVT II.

PRincipium capiam à Sterilitate,tribus rationibus:vna eſt,quia Sterilitas,vt dictum eſt,mihi primò in methodo inuenta eſt:deinde,quia hic morbus omnium morborum muliebrium eſt maximè & cognitu & curatu neceſſarius:eo quod per conceptũ conſeruatur vita humana,per ſterilitatẽ propago noſtra deſtruitur.Vnde Theodorus Priſcianus dicebat,inter myſteria, quæ Medici circa mulieres faciunt, omnium maximè neceſſarium & glorioſum eſſe,illud ſtudium , quod impenditur circa Conceptum. Vocatur hic morbus ab Hippocrate , & Platone , ἀφορία , ab Ariſtotele ἀτεκνεία,ab aliis interdum ἀγονία & στήρωσις.Galenus,modò prædictis nominibus inuenitur vſus,modo Muliebrem ſterilitatem ἀτόκον appellat, & medicamentum quod Sterilitatem facit ἀτόκιον. Latini omnes & Arabes nuncupant communi nomine Sterilitatem , hanc affectionem. Quare , *Sterilitas* , nihil

 aliud

aliud eſt,quàm quædam impotentia & difficultas mulieris , viro vtentis , ad concipiendum , ſub debito tempore. Impotentia & difficultas dicitur ideò , quoniam etiamſi mulier ſemel tantùm concipiat,nihilominùs appellatur ſterilis , eò quod à natura comparatum eſt mulieri, vt ob conſeruationem & propagationem humanæ ſpeciei,non ſemel aut iterum,ſed ſæpius pariat.Et aduertendum , ad conſeruationem & propagationem ſpeciei , non tam referre vt conceptus numeroſi fiant, ita vt plures vno tempore concipiantur,quantum referre, vt vnus conceptus plùries efficiatur;& ratio eſt:quia conceptus,qui fiunt ſingulatim,ſunt magis vitales, quàm illi,qui ſunt numeroſi,& hoc declarare poſſunt plurima bruta, vt ſunt Vulpes, Canes & Lupi , quæ licet numeroſam prolem edant vno conceptu , ipſorum tamen ſpecies minimè propagantur, eo quod ratione numeri conceptuum , partus fiunt imbecilliores : ex aduerſo æquè & alia bruta vno conceptu , dum vnum edunt,vitales fœtus magis edunt.In deſcriptione Sterilitatis,inter alias partes hãc particulam poſui *Mulieris*,eò quod Sterilitas non minus contingere ſolet propter viros,quàm propter Mulieres:verùm nos ſolùm de Mulieris Sterilitate tractare inſtituimus,eò quod hæc ſola eſt morbus muliebris.Dictum eſt(*viro vtentis*) propterea quod Virgines,Viduæ,& quæ non vtuntur viro,nõ poſſunt verè Steriles nuncupari,quia non vtuntur viro:quod autem poſſit Mulier ſine viro concipere,planè præter naturam eſt,niſi ſingulari Dei omnipotentis voluntate fiat.Nam ſcriptores & Medici naturales,qui poſt Chriſtum natum de re medica tractarunt, ſi dixerint nunquam virginem cõcepiſſe,nunquam mulierem ſine viro, ducti ſolo lumine naturali id dixerunt, eò quod vel non audierant miraculum Beatæ Virginis , vel non crediderant. Vnus Auerroes 2. Collect.10. videtur crediſiſſe , quòd mulier ſine viro poſſit concipere,hoc enim refert ſibi relatum eſſe à vicina ſua,quòd in balneo conceperat ſine viri concubitu, in quod balneum viri ſperma proiectum fuerit:ſed quod magis deridendum eſt in eo Philoſopho, eò infantiæ venit, vt dixerit, ſe inueniſſe in quodam libro, quod hoc fieri poſſit per facultatem vteri , erga ſperma attractricem : imò adde & aliam inſaniam , hanc rationem ſibi mirificè placuiſſe. Sed quia multi Auerrois autoritati ſunt addicti,& ipſi vel iniurato credũt,ne poſſit hæc falſitas alicuius animo inſidere, confodiamus ipſum armis & Philoſophi, & ipſiuſmet propriis.Ariſtoteles tert. de generatione animalium 5. & 6. damnat Herodotum & alios,qui exiſtimabant piſces & Ibim, ad inuicem ore coire & concipere:damnans hos,duabus vtitur rationibus : Prima,quod ab ore ad vterum non eſt via,proptereà non poteſt ſemen ex ore deriuari in vuluam.Secunda,quod ſi ſemen à piſcibus primò ore comprehenderetur, tunc alteraretur, alteratum generationi ineptum fieret. Accipio item hanc rationem aduerſus Auerroem,ſi ſemen in ore ita primum alteretur , vt reddatur ineptum generationi , eò quod concoqueretur à calore natiuo,quanto magis ſemen proiectum in aquam alterabitur & ineptum reddetur , cùm in aqua non ſit calor naturalis ? Ergo videtur omnino abſurdum, quod poſſit ſemen in aqua ad conceptum efficax conſeruari. Sed hoc teſtimonium forſan videtur debile, illud verò multò efficacius eſt , quod ſumitur ex ipſomet Ariſtotele 2. de generat. animal.2. quo in loco ſcribit ſeminis naturam ſpumeam eſſe & ideò albicare , hoc probat : quia ſi ſemen vel tantillum ſub aëre permaneat,ſtatim liqueſcit,& conſumitur ſpuma,ſpiritus exeũt,ita vt omnino ineptum & quaſi ſemen aquoſum euadat. Si igitur ab aëre alteratum ſemen,ita inefficax euadit, quanto magis , ô Auerroes , alterabitur in aqua ? Imo ipſemet Auerroes eodem cap. in fine , quaſi ſui immemor ſcribit : quod ſi ſemen vel tantillum ab aëre tangatur, corrumpitur : ergo magis corrumpetur , ſi tangatur ab aqua.

Sed

Sed video fautores Auerrois ſtatim dicturos, quod ſemen proiectum in balneo, duo habuit: vnum, quòd non tactum ſit ab aëre, alterum, quod ſtatim attractum eſt à matrice. Sed hæ rationes nihil valent. Nam ſemen, vt ab Ariſtotele dictum eſt, natura ſpumoſum eſt: ſpuma verò ſemper ſupernat, ergo neceſſum fuit, vt tangeretur ab aëre. Præterea non eſt dubitandum, quin ingreſſa ſit Balneum, poſt aliquod tempus, vnde tantum tempus adfuit, vt debuerit neceſſariò corrumpi ſemen. Poſtremò Ariſtotel. 1. de Generatione animalium 6. ſcribit: animalia quæ habeant penem longum, eſſe infœcunda, adfert rationem, quia in longo illo ductu, ſemẽ refrigeratur, refrigeratum autem fit inefficax: quod ſi verum eſt, miror Auerroëm, quo modo potuerit eò dementiæ venire, vt crediderit, ſemen per longum aquæ ductum ingredi matricem, & adhuc eſſe aptum generationi. Quare ceſſent hæ nugæ, neque vnquam Auerroi hoc in loco fides habeatur. Dictum eſt *ad concipiendum*, quoniam Moſchio auctor Græcus & Cleopatra, qui de morbis Muliebribus ſcripſerunt, videntur ſub nomine Sterilitatis complecti & Aborſum: ſed hòc valdè improprium eſt, & Sterilitas dicitur tantum de iis, quæ non concipiunt, quoniam vt habet Hippocrates libro de Sterilibus, inueniuntur mulieres, quæ concipiunt & ſemper abortiunt, quæ tamen verè nunquam Steriles appellantur. Addidi poſtremo loco, *ſub debito tempore*, quoniam naturaliter mulieres, ante 12. annum & poſt 50. non concipiunt, ita vt ante 12. & poſt 50. annum, non appellentur Steriles, eo quod hæc tempora non ſunt debita conceptui. Dixi naturaliter, quoniam miraculo diuino factum fuit, vt Eliſabeth ſeptuagenaria conceperit. Sed quis obſtabit, producens auctoritatem Agatarchidis & Plinij lib. 7. cap. 2. qui referunt, apud Indos eſſe quoſdam populos, qui Mandri & Calingæ vocantur, quorum fœminæ, apud illos quinto anno, partim ſeptimo concipiunt & pariunt. Sauonarola auctor fide dignus, narrat ſe vidiſſe puellam 9. annorum, quæ conceperit. Reſpondeo, hoc aut fabuloſum eſſe, aut non perueniſſe ad cognitionem Philoſophorum & Medicorum.

Cauſæ Sterilitatis.

IAm cauſæ Sterilitatis aggrediendæ ſunt, circa quas multæ & variæ fuerunt ſcriptorum lites. Stoici, vt memorat Galenus in Hiſtoria Philoſophica, fuerunt huius opinionis, quòd tota cauſa & ratio Sterilitatis, ſit attribuenda diſconuenientiæ mulieris cum viro, ita quod dicantur aliquæ mulieres Steriles, propterea quòd non rectè conueniant cum hoc, vel illo viro. Quam ſententiam videtur ſecutus Lucretius 4. de natura, vbi improbans vulgi opinionem, quòd Sterilitatem Deo attribuant, poſt multas cauſas relatas Sterilitatis virorum, inquit, fieri mulieres Steriles, quòd non conueniant viris. Probat exemplo, quoniam ſi Mulier copuletur vni viro & non concipiat, ſi alteri copuletur, concipiet: cuius cauſa eſt, quia conuenit cum hoc & non cum illo. Ariſtoteles & eius ſequaces, vt habetis ex Alberto Magno, 16. de Animantibus 1. videntur ſolummodo duas cauſas agnouiſſe Sterilitatis in Muliere, ſcilicet *Qualitates vteri*, & *Situm*. Hoc dixit Ariſtoteles & Peripatetici, quia fuere in hac opinione, quòd Mulier non emittat ſemen vtile conceptui, vt videre eſt 2. de Generatione animalium 4. At nos, qui medici ſumus, per aliam viam incedamus, ad inueniendas cauſas, cum Hippocrate, lib. de Sterilibus: cum Galeno, lib. de Semine: cum Auicenna, duodecimo tertij & decim. de animantibus. Etenim ſterilitatis cauſæ, aliæ ſunt *Interna*, aliæ verò

Externæ. *Internæ* ſunt, vel ex parte vteri, vel ex parte Seminis & Menſtruorum, vel ex parte corporis. Quæ omnes cauſæ & poſſunt eſſe à natura & à Morbo. Rhaſes tertio Continentis & alij Arabes, addiderunt hic & aliam, ſcilicet proprietatem occultam. Putarunt quidem iſti, interdum mulieres nulla euidenti cauſa, ſed occulta ſolùm non concipere: quod & veteres, vt etiam multi populi hodie, Diis ipſis (nec immerito) adſcribunt. *Externæ* autem, aut ſunt ex Aëre, aut ex Motu & Quiete, aut ex Animi paſſionibus, vel ex vſu Veneris, vel ex Potu & Cibis. Hi ſunt omnes loci & fontes, à quibus per methodum, poſſunt comparari cauſæ Sterilitatis. Sed videamus cauſas *Internas*, quæ quidem ex parte vteri ſunt, vt dicit Auerroës 6. Collecta. aut mala complexio nuda, aut mala complexio cum materia, aut mala formatio, aut continui ſolutio. De intemperie habetis oraculum Hippocratis quint. Aphoriſm. ſexageſim. ſecund. Vbi diligentiſſimè Galenus omnia ferè quæ ad hanc partem pertinent, rimatus eſt, quo in loco dicebat Galenus, quòd vbi Mulier vterum temperatum habeat, fœcunda eſt: vbi verò intemperatum, vel eſt multum intemperatus, vel modicè. Si multum eſt intemperatus, numquam fit conceptio: ſi verò modicè, fit conceptio, ſed difficulter. Et exemplum adfert de Terra, quæ ſi nimis ferueat, proculdubio nihil producit, quod videre eſt in terris prope fornaces & apud Thermas, in quibus locis, ob inſignem calorem nihil producitur. Terra quoque lutoſa & nimis humida, nihil producit. Terra arida & arenoſa & ſaxa nihil producunt: ſic vterus, ſi vel nimis caleat, vel nimis frigidus ſit, vel nimis ſiccus, aut humidus, nihil concipit. Sed hoc loco notandum, quod monuit Auenzoar lib. 2. Tractat. 5. cap. 1. vbi dicebat, non omnes humidas intemperies vteri prohibere conceptionem, ſed ſolùm eam, quæ fluxa eſt, vt aqua, id eſt, non nudam intemperiem humidam, Sterilitatem facere, ſed intemperiem humidam cum materia. Obiicies, ſi verum eſt, cur ergo Galenus loco citato ſcribit, Mulierem, quæ vterum frigidum habet, ſi viro calido iungatur, fieri fœcundam? non videtur ergo, quòd ſemper intemperies vteri, producat Sterilitatem. Reſpondeo dupliciter: primò quando Galenus ſcribit, habentes vterum frigidum, ſi viro iungantur calido, fieri fœcundas, loquitur de iis, non quæ valdè frigidum habent, ſed de iis quæ modicè habent frigidum vterum, quas difficulter quidem concipere diximus, non eſſe tamen perfectè Steriles. Vel reſponderi poteſt, quòd mulieres intemperatæ, vt pote frigidiores, ſi viro calido iungantur, quod calore viri, fiant temperatæ, ita vt antequam concipiant, vterus fiat temperatus, & propterea concipit, quia diſpoſuit illam intemperiem, & poteſtis videre circa hanc rem locum Galeni ibidem, in lib. 1. variarum lectionum noſtrarum correctum. De mala conformatione vteri, clarum eſt, hanc quoque producere Sterilitatem, ſiue fit propter Morbum, ſiue propter naturam: quia, vt docet Ariſtoteles 2. de Generatione animalium, cap. 4. reperiuntur nonnullæ Mulieres, quæ à natura ita partes genitales oblæſas habeant, vt omnino concipere non poſſint: hæc verò læſio, ſiue morboſa, ſiue naturalis eſt, vel quia vterus ſit anguſtior, vt habetur apud Hippocratem lib. de Superfœtatione, præſertim anguſtior ſecundum os, vel quia omnem aſperitatem amiſit, læuior eſt, vel quia toruoſus, vel quia profundus, vt notat Auicenna, de animalibus 10. Fit verò tortuoſus, vt docet Hippocrates primo de Morbis muliebribus, non modò quando anguſtus eſt vterus, verum etiam, quando ceruix vteri poſita ſit vltra pudendum: vel quando Mulier cum viro conſuetudinem non habet: vel quando venter magis quàm opus, exinanitur. Fit etiam hæc oblæſio, vt ſcribit Aëtius lib. vltimo c. 26. quando matri ſiue foramini, obducta eſt

mem

membrana: atque hæc licet ſint à natura, ſunt tamen & interdum à mobo. Rurſus, à morbo fit læſio multipliciter, in conformatione vteri, pro Sterilitate. Exempli gratia, ſi vterus decidat à proprio loco ad ſiniſtrum, aut dextrum, ita vt naturalem non ſeruet ſitum: ſimiliter, ſi tumeat vterus, de qua re loquens Auicenna, ſcribit, aliquas mulieres eſſe, quibus ob quandam propriam conditionem, vterus facilè tumet, propter quod etiam os ſtrictiſſimè clauditur, ob conſtricturam fit ineptus vterus ad concipiendum. Sic tumores omnes vteri, vt Scirrhus, Oedema, & alij tumores, ſunt cauſæ impedientes conceptum, præſertim tumor ex Hydrope: Nam dicit Auicenna, ex ægritudinibus Matricis, quæ conceptum impediunt, potiſſimum eſſe Hydropem. Vlcera ſimiliter, Plagæ item vtero illatæ, Sterilitatem efficiunt. Sed ſummatim Hippocrates ſecundo Prorrheticorum ſcribit: vterus qui conceptui aptus futurus eſt, has habeat conditiones, vt neque retractus ſit, neque pronus, neque os etiam auerſum eſſe debere, neque contuſum, neque euerſum. Circa has cauſas eſt dubitatio, quomodo Hydrops ex Auicenna faciat Sterilitatem: cauſa dubitandi eſt, quia Hippocr. 1. de Morbis ſcribit, quòd ſi mulier in vtero habeat, & fiat Hydrops, corrumpitur fœtus. Vnde etiam in Hydropico vtero poſſe fieri conceptum, quotidiana etiam experientia probatur, mulierem videlicet non ſolùm conceptum & Hydropem ſimul habere in vtero, ſed etiam cum Hydrope, partum ad maturitatem perducere. Nam Hippocr. libro de aëre, aquis & locis, dicit: apud Scythas mulieres ſæpe decipi, eò quod exiſtimant ſe in vtero habere fœtum & Hydropicæ ſunt: Imò anno elapſo, Venetiis fuere nobiles Mulieres, quas Medici putabant ſolùm Hydropicas eſſe, & tamen inuentæ ſunt, vnà cum aqua conceptum habuiſſe. Pro dubitatione, ſciendum eſt, aliud eſſe conceptum fieri in vtero Hydrope laborante, aliud verò, quòd poſt conceptum fiat Hydrops. In vtero Hydrope laborante, impoſſibile eſt, quod fiat conceptus, quia vt in terra lutoſa & aquoſa non gignitur, neque alitur planta, ſic neque in vtero aquoſo fieri partus poteſt, poſt conceptum poteſt Hydrops gigni in vtero, & hoc eſt, quod Hippoc. dixit, & experientia comprobatur. Cauſæ internæ ex parte ſeminis & menſtruorum ſunt, ſecundum Medicos, variæ. Dico ſecundum Medicos, quia Ariſtoteles & Peripatetici non cognouerunt ſemen mulieris: ſunt verò, quia vel menſtrua nimis fluunt, vel non fluunt, qualia deberent. Si non fluunt, vt habet Ariſtot. 4. de Generatione animal. rariſſimè fit conceptus. Ratio eſt, quia cùm menſtrua ſint materia generationis, ſi non fluunt, deeſt materia generationis, & idcirco, fieri haud quaquam poteſt conceptio. Si verò nimis fluunt, eſt, quia debilis redditur vis & facultas vteri, propter quam debilitatem non attrahitur ſemen, neque ſi attrahitur, poteſt ad matricem perduci: propter quam cauſam (vt ego exiſtimo) vt & propter alias, vetitum fuiſſe Legibus antiquitus, vt non haberetur conſuetudo cum muliere laborāte menſtruis, eò quod tunc tēporis debilis eſt & perturbata vis vteri. Sed dixi, hoc quam rariſſimè contingere, vt in fluentibus menſibus fiat conceptio, quia, vt meminit Ariſtoteles, interdum etiā cōcipiunt laborantibus mēſtruis. Si fluant mēſes, ſed non quales deberent fluere, vt ſi fluant aquoſiores, ſi albi, rariſſimè fit cōceptio, Steriles eſſe ſolent, eò quod vterus ſit malè affectus, eo verò laborāte, proculdubio generatrix vis læditur. Cauſæ ex parte Seminis, ſunt eædem in muliere, quæ etiam in viro, quia ſemen ſit aut nimis calidum, frigidum, aridum, fluxum: aut quia in pauca quantitate mittitur: aut quia aliena & inimica conceptui qualitate præditum eſt. Dico hæc, quiá nullam video rationem quæ mihi ſatisfaciat, ob quam

A 4 poſſumus

poſſumus dicere mulas ſteriles: quia ſemen mularum eſt qualitate inimica præditum. Scio, Ariſtotelem & alios veteres in tradenda hac cauſa laboraſſe, ſed nullam inuenerunt quæ ſatisfaciat. Cauſæ ex parte habitus corporis, ſunt, vt docet Hippocr. lib. de Sterilitate, lib. de Superfœtat. & 5. Aphoriſm. 46. quia vel nimis craſſæ ſunt mulieres, vel nimis tenues. Cur mulieres craſſæ non concipiant, adferunt ferè omnes hanc rationem, quia præ craſſitie & pinguedine, os vteri clauditur, ita quod ineptum quodammodo reddatur ſemini trahendo. Sed eſt & altera ratio, non inferior, quam ſumo ex Ariſtotel. 1. de Generatione animal. & 2. de partibus animal. cap. 5. ſcribente, corpora pinguia & craſſa vt plurimum eſſe infœcunda, eo quòd tota facultas & ferè maior pars materiæ ſeminis abſumitur in pinguedinem & craſsitiem. Sed aduertendum, hoc etiam non eſſe perpetuum, præſertim in iis, quæſunt à primo ortu pingues & craſſæ: ſed ſolùm eſſe verum in illis, quæ præter naturam & per accidens, euaſerunt pinguiores & craſsiores. Ita namque ſcriptum eſt ab Hippocr. lib. de Aëre, aquis & locis, mulieres Scytharum ob magnam pinguedinem, ſæpè ſteriles fieri, eo quod os vteri, pinguedine repletum, ita clauditur, vt genituram non admittat. Cur verò Mulieres tenuiores ſint conceptioni inutiles, non clarè expreſsit Hippocr. Auicenna videtur commentus hanc cauſam, quòd propter tenuitatem os vteri perpetuo hiat, propter quam continuam hiationem, ſemen effluit, neque poteſt contineri in vtero, & euadere in conceptum. Sed puto aliam eſſe cauſam, quia vteri conſtitutio ſequitur conſtitutionem totius corporis; ſi corpus eſt tenue, vteri ſubſtantia tenuis eſt. Tenuitas vteri, clarum eſt, quod prohibet conceptum, duabus rationibus. Vna eſt, quia minus tenuitate fouetur & conſeruatur calor natiuus, ad hæc ſubſtantia vteri rarior eſt in tenuitate, & propter raritatem non adhæret ſemen, ſed veluti tranſſudat & perſpirat eius vis. Aëtius libro vltimo, his cauſis pertinentibus ad habitum corporis, addidit & alias quinque: ſi mulier nimis procera ſit, ſi nimis parua ſit, ſi lumbos & ſuperiorem ventrem anguſtum habeat, ſi mamillas tenues & anguſtas. Sed poſſunt addi ex Hippocrate 2. Prorrheticorum, quòd mulier parua magis apta eſt conceptui quàm procera, eò quòd in proceritate conſumitur materia generationis, in paruitate non ita, quia poteſt eſſe paruum corpus, in quo tamen ſit materia ſeminis ſufficiēs generationi. Sic quoque dicebat Hippocrates, tenues aptiores eſſe conceptui, quàm craſſas: albas, quàm rubicundas. Tot ſunt cauſæ internæ Sterilitatis. Externæ cauſæ, quæ nō ſunt inutiliores cognitu, etiam referendæ ſunt, inter quas, primò Aër ſeſe offert, ſub quo comprehendes conſtitutiones Temporum & Regiones. Nemini enim dubium eſt, quoſdam eſſe Aëres & quoſdam Cælos, ſub quibus non ita mulieres concipiunt, quemadmodum ſub aliis, id quod teſtatur Hippocrates de Scytharum populis & ferè omnibus Septemtrionalibus, quod quanquam Aſtronomi aliquando aſcripſerint ſyderibus, eſt tamen vera cauſa in Aëris conſtitutionem referenda. Conſtitutiones quoque temporum & temperaturæ multum præſtant ad conceptum: quia tametſi vnus homo quolibet tempore concipere videatur, ſecus quàm bruta, quæ certum tempus conceptionis habent, tamen etiam in humano genere nonnihil diſcriminis habetur, quia tempore frigidiſsimo, vt media hyeme, mulieres ſteriliores ſunt, quàm ſint in æſtate, de qua re habetis pręclariſsimam apud Heſiodum ſententiā, in libr. Operis & diei, relatum eſſe ab Ariſtotele in problemat. Æſtate mulieres venerem magis appetere, quàm Hyeme. Motus etiam & Quies non parum conferunt ad conceptum prohibendum, eò quod nimius motus conſumit humores & ſanguinem,

qui

quibus conſumptis,deficit materia conceptus : nam propter hanc rationem,exiſtimo Ruſticas mulieres Vrbanis eſſe ſteriliores, quia ob continuos motus, vel labores, conſumitur in eis materia apta conceptui & neceſſaria. Quod quoque dicendum de Mulieribus Barbarorum, quos dicebat Ariſtoteles in œconomicis, vti mulieribus, pro ſeruis & bobus. Quies pariter immodica Sterilitatem inducit, & ratio eſt, quia ex conſummato otio, vt habet Ariſtoteles libro primo de Generatione animalium, vteri replentur pituita & muco, quod duo facit, refrigerat vterum, & Semen attractum ſuffocat, & corrumpit prorſus. Paſſiones animi, quod mirificè Serilitatem inducant, certum eſt: Memini me legiſſe apud quendam, mulierem ſi in coitu ploret,non poſſe concipere,ſic etiam faciunt nimius Timor, Mœror, & Ira immodica. Et quanquam Ariſtoteles libr.1. de Generatione animalium ſcribit, mulierem ſæpe concipere ſine coitus voluptate, tamen hoc apud medicos non eſt receptum: quia Ariſtoteles, qui voluit Mulieres ſolùm vas & locum præſtare generationi, hoc aſſeruiſſe videtur. Medici verò nequaquam, eò quod paulo minus concurrat fœmina ad generationem, quàm vir, & hoc eſt, quod Aëtius libro vltimo, capite vigeſimo ſexto prudenter dixit: Coitus inuitos Mulierum, Steriles eſſe & inanes, amorem verò conciliare genituram & conceptus. Sed eſt & in amore menſura in concipiendo, propterea quòd Rhaſes, autor grauiſſimus, nono Continentis dicebat, quod mulieres, ſi nimis ardent amore, non concipiunt. Ratio, quia effunditur ſemen in coitu, antequam ſit opus. Coitus ſimiliter immodicus, maximè conſert ad Sterilitatem introducendam, quia ſi frequenter mulieres vtantur concubitu, fiunt Steriles, propter quod Scorta infœcunda ſunt. Cauſa verò, cur Scorta infœcunda ſint, & Mulieres etiam frequenter coitu vtentes, variæ à ſcriptoribus ſunt allatæ rationes.

Diocles medicus habuit hanc opinionem, quòd ideò ſunt ſteriles hæ mulieres, quia in coitu frequenti non effundunt ſemen, propter quod Meſſalina illa imperatrix, mulier proſtituta libidini, dicebat: etſi à viro centies in die calcaretur,ſe quidem laſſari,non autem ſatiari,eò quod ſemen non emittebat. Attulit & aliam cauſam, quia ex frequenti coitu, vulua callum contrahit & aſperitates admittit, vnde ſemen non poteſt contineri, vel etiam quia vterus ipſe reſoluitur & vteri ſubſtantia. Sic quoque raritas coitus, vt dicebat Rhaſes, facit Sterilitatem. Ratio eſt,quia ſi rarius concumbant Mulieres, os nimis ſtrictum euadit,ita vt non poſſit ſemen niſi magno labore trahi intrò. Eſt & aliud quod peto, audiatis ſine riſu, ſcilicet forma & Ratio concubitus; quia, ſi Mulieres in concubitu retractent clunes & frequenter agitent, non concipiunt. Rationem adfert Lucretius Philoſophus 4. de natura, his duobus verſibus:

Eiicit enim ſulſi media regione viaque
Venerem, atque locis auertit ſeminis ictus.

Hac ratione dicebat Lucretius, doctas meretrices frequenter clunes agitare, non vt delectentur, ſed vt non fiant grauidæ.Sic quoq; ex potu Aquarum, fit quoque ſæpe Sterilitas,quia ſi aquæ ſunt gelidæ, valdè faciunt homines ſteriles, vt dicebat Ariſtoteles 4.de Generat. animal. vnde mulieres Septemtrionales, vt dicebat Hippoc.lib.de Aëre & aquis,propter frigus aquarum, fiunt Steriles: quem locum dum interpretatur Galenus, vt recitat Rhaſes 9. Continentis, dicebat tempore ſuo Romæ fuiſſe multas mulieres Steriles, ob nimium potum. Plin. lib. 14. c.18. ſcribit, vini genus quoddam eſſe, vt Træcenium,quod ſi bibatur Sterilitatem inducit:ſed non ſolùm vinum quadam qualitate poteſt facere Sterilitatem, ſed etiã

copia,quoniam, vt dicit Ariſtoteles 3.problematum, viri ebrioſi ſemen infœcundum reddunt: ſic etiam mulieres ebrioſæ & potulentæ Steriles plerumque ſunt. Sunt etiam aliqui Cibi,qui propria natura faciunt Sterilitatem,vt ſunt,ex Ariſtotelis ſententia ,cibi multùm frigidi,multùm calidi,multùm ſicci,multùm humidi. Habetis ſententiam Hipp. lib. 2.de Diæta,relatam ab Ariſtotele lib. 2. problematum, quod ſcilicet Mentha omnino facit Sterilitatem, ſi frequenter edatur, eò quod vi veſicatoria abſumit genituram. Idem dicebat Auicenna de Cibis nimis acidis. Apium fœmineum vocatum, multa alia etiam medicamenta, quæ referre nolo, apud Medicos parata, facere Srerilitatem. Atque hæ ſunt cauſæ tum internæ, tum externæ, facientes Sterilitatem.

Signa Sterilitatis.

SIgna generica, quæ Sterilitatem declarant, multa non egent inueſtigatione, quandoquidem ſatis conſpicua ſint,ſicuti etiã quæ externas cauſas ſignificant. Comparantur partim relatione Mulieris, partim ex contemplatione indiſpoſitionis. Verbi gratia,ſi diſquiratis omnes Mulieris indiſpoſitiones, videatiſq; nullam intrinſecam eſſe, quæ poſſit Sterilitatem facere, & ſit aliqua ex externis, vel Coitus frequens, vel vſus frigidarum rerum, vel quid ſimile, argumentum eſſe poteſt, externas cauſas facere Sterilitatem. Quæ verò indicant internas cauſas, paulò maiori indigent diligentia. Et primò ſi fiat Sterilitas ab intemperie vteri frigida, aderunt hæc ſigna: menſtruorum paucitas,pallor vultus,ſenſuum torpor & frigus circa pubem, præteritus frigidorum vſus, Veneris abominatio. Sed hoc in loco non inutilis occurrit dubitatio, quoniam dicitur veneris abominationem conſequi Sterilitatem, quoniam Ariſt. lib. 1.de Generat.animal.quinto ſcribit: Mulieres, quibus retinentur menſes, eſſe libidinoſiores, affert rationem, quia mulieri menſtruum eſt pro ſemine: ſemen retentum, facit homines libidinoſos, ita quoque menſes retenti.

Addit ibidem Ariſtoteles, animalia ϛέρα, eſſe libidinoſiora. Hanc vocem ϛέρα Aſpoſius, Ioannes Grammaticus & Gaza interpretati ſunt, Solida.Nicolaus Leonicenus,Quæſtionum naturalium ſexageſimo,transferens hunc Ariſtotelis locum, dixit: fœminas Steriles eſſe libidinoſiores. Cuius viri ſententia mihi probatur, quia apud Ariſtotelem, Solida animalia, dicuntur Sterilia,& vulgus hodie appellat beluas Solidas, quoniam non concipiunt.

Reſpondeo verum eſſe, Sterilitatem ex ſe annexã habere libidinem, niſi ſi adſit quod repugnet: ſed vbi Sterilitas eſt à frigida intemperie, adeſt cauſa quæ repugnat libidini,ſcilicet frigiditas, ſiquidem Tentigo & Libido,fit à ſpiritibus in vtero, & in corpore frigido, fiunt pauci ſpiritus, & conſequenter, aufertur occaſio Tentiginis & Libidinis. Si verò fiat Sterilitas ex immodico calore, (quod tamen rariſſimè contingit) habebitis hæc ſigna: calorem videlicet & ſiccitatem totius corporis, paucitatem Menſtruorum, quæ etiam dolorifica erunt, ad hæc Salacitas muliebris maxima erit. Si fiat ex humiditate, cognoſcetis ex multitudine Menſtruorum, & humiditate atque fluxibilitate eorundem, ex humiditate muliebrium locorum. Si à ſiccitate, è conuerſo parui erunt Menſes, aridum corpus, aridi etiam loci muliebres. Signa factæ Sterilitatis ex mala conformatione, comparantur diuerſis modis. Etenim ſi fiat Sterilitas ex occluſione & anguſtia vteri, obſtructione vaſorum vteri, & locorum muliebrium, Hippocrates & Ariſtoteles docuerunt ſignum,vt ſi fiat ſuffitus Aromatum vel Peſſum, & ſupponantur locis muliebribus,atque ita conſtipentur pannis, atq; ponantur,

ponantur,vt nō poſſit fumus exire:ſi odor Suffumigij penetret ad nares,aut dolor Peſſi, Sterilitas non naſcitur ex occluſione, neq; anguſtia Vteri:ſi verò odor non penetret ad nares,ſignum eſt, inquit Hippocrates de Sterilitate, Sterilitatem oriri ex occluſione vaſorum Vteri.Si fiat Sterilitas à tumoribus, vel Vlceribus, cognoſcetis ex indiciis vlcerum & tumorum Vteri : quemadmodum, ſi ex mutatione ſitus fiat Sterilitas, cognoſcetis ex dolore & pondere:quia ſi ad latus dextrum vergat Vterus, dolor erit in coxendice dextro & grauitas.Si ad ſiniſtrum , in ſiniſtro: ſi ſurſum vergat , dolor erit prope Vmbilicum. Quando autem Sterilitas fit ex habitu corporis , oculis euidens erit , quoniam videbuntur Mulieres , modò tenuiores , modò craſſiores , modò proceriores , modò paruæ ſtaturæ : pectus erit latum & amplum , Mammæ breues , Clunes demiſſæ , Lumbi adſtricti. Hæc omnia ſunt indicia , quæ indicabunt , Sterilitatem ortum ducere à malo corporis habitu. Quòd ſi fiat Sterilitas ob vitium Menſtruorum , habebitis ſigna, partim ex Relatu , partim etiam ex Viſu : Ex relatu , quia mulieres dicent , aut non fluere Menſes , aut magis fluere , quàm deceret. Ex viſu etiam , ſi videatis Menſes pallidos , fluidos.Si vitio ſeminis, non eſt aliud argumentum cognoſcendi,niſi ex cognitione temperaturæ totius corporis : quia eſt ſententia Hippocratis,libro de Aëre , aquis & locis , libro item de Genitura , & alibi : ſemen è toto corpore ſecedere,itaque qualis eſt corporis temperatura , tale eſt ſemen : & ideò, quibus indiciis cognoſcetur intẽperies corporis , ipſis iiſdem cognoſcetur intemperies & ineptitudo ſpermatis. Dices te hactenus habuiſſe ſigna cognoſcendi ſterilitatem mulierum : ſed ſæpe continget,vt ignores an ſterilitas fiat vitio fœminæ, an vitio maris. Cupimus cognoſcere ſigna horum. Rhaſes 9. Contin. vt traderet hoc ſignum,dixit debere accipi ʒ.j.ſpermatis viri,& infundi in aquam,quòd ſi ſupernatet,ſignum eſt, fœcundum eſſe , & ſterilitatem oriri à fœmina:ſed ſi non ſupernatet , ſed ſubſideat , ſterilitatem oriri à viro. Idem ſignum tradidit Democritus libro de Antipathia:ſed hoc ſignum eſt apud me inefficaciſſimū, quia ſperma ſemper propria natura ſupernatat , & rarò fit , vt ſperma non ſupernatet. Alij verò voluerunt accipi vrinā viri ſimiliter & Mulieris, & inſpergi ſuper varias Lactucæ partes:cuius vrina Lactuca areſcit,dicunt corpus illud ſterile eſſe:cuius non areſcit , dicunt fœcundum eſſe. Alij verò voluerunt vtriuſque Vrinas accipiendas eſſe & inſpergendas granis Lentis , aut Hordei, deinde reponenda illa grana , cuius vrinæ(inquiunt) grana renaſcuntur , corpus illud fœcundum eſſe : cuius verò non pullulant , dicunt ſterile eſſe. Et hoc ſignum poſitum eſt libro de facile parabilibus,ſi tamen ſit Galeni : Auicenna autem,& iure,irridet hæc ſigna,quia quemadmodum videntur fabuloſa, ita quoq; ſunt incertiſſima.Propterea nulla via hac melior cognoſcendi , quàm vt diligenter examinetur Mulier , an in illa vlla ſit cauſa , vel interna , vel externa , quia frequentiſſimè ſterilitas oritur ex Muliere. Et duæ apud me ſunt rationes , vna eſt , quia ſterilitas in viro , vna tantum ratione euenit , videlicet ſpermatis : in Muliere verò , innumeræ ſunt cauſæ ſterilitatis , videlicet Vterus , ſperma , Menſtrua : vteri verò multæ ſunt indiſpoſitiones. Alia ratio eſt , quia mulieres ſemper frigidiores ſunt , imò quilibet Vir , quantuncumque frigidus , ſemper eſt calidior etiam calidiſſima Muliere , vt meminit Albertus de mulierum ſecretis. Ita vt his duabus rationibus verè dictum ſit , ſterilitatem ferè ſemper à Muliere oriri. Si igitur appareant aliquæ cauſæ in Muliere , iam certi eſtis : ſi verò nullæ appareant , adhuc erunt omnia experienda : ſuffitus ſcilicet ille Hippocratis & Peſſus , quandoquidem cauſæ ſterilitatis mulieris ex anguſtia

guſtia & occluſione vaſorum, ſolent eſſe ſæpe latentes, ſed hæ experimento fiunt manifeſtæ.

Prognoſtica ſterilitatis.

PRognoſtica ſunt, quod vt dicebat Hippocrates 2. Prognoſt. 3. Sterilitas ex Vlceribus difficilè curatur. Auicenna dixit, non modò difficulter curari hanc Sterilitatem, verùm etiam prorſus eſſe incurabilem. Sed conciliantur hæc dicta, quia ſi Vlcus in vtero ſit magnum & amplū, aut quod poſſideat plures vteri partes, etiamſi curetur, tamen non poteſt fieri conceptio. Ratio eſt, quòd ex cicatrice fit vterus ineptus ſemini retinendo. Si autem vlcus fuerit in ſola aliqua vteri parte, & rectè curetur, poteſt fieri conceptus, quia altera pars vteri eſt apta, licet altera ſit inepta. Sterilitas, ex defectu naturali, etiam difficulter curabilis eſt. Imò Ariſtoteles videtur innuere 2. de Generat. animal. 4. naturalem videlicet omnem Sterilitatem incurabilem eſſe. Quod tamen minimè verum eſt, quia ſæpe videbitis etiam Sterilitates naturales coërceri. Itaque conciliantur hæc ex Galeno quinto Aphoriſm. 62. vbi dicebat, cauſas naturales Sterilitatis, aut magnas eſſe, aut paruas. Si magnæ ſunt (inquit) Sterilitatis cauſæ, prorſus incurabiles ſunt, & de his loquebatur Auenzoar libro 2. tract. 5. c. 1. quando dicebat, Sterilitatem naturalem homini incurabilem, ſoli Deo eſſe curatu poſſibilem. Si verò cauſæ hæ naturales ſunt paruæ, Sterilitas poteſt curari, de qua loquebatur Ariſtoteles 4. de Generat. animal. quando dixit, foramen vteri occluſum à natura, interdum ſponte curari, interdum auxilio Medici. De hac loquebatur etiam Serenus Medicus, quando dixit naturam potente medicamine euictam, ſæpè fœtum dare. Cauſæ accidentales, ſi faciant Sterilitatem, vt plurimum ſunt curabiles, vt plurimum (inquam) quia interdum curari nequeunt, vt vlcera, quæ ſi omnes vteri partes depaſcantur, inducunt Sterilitatem prorſus incurabilem. Illud hoc loco non eſt ſilentio prætereundum, quod ſcribit Auic. Mulieres, quæ videlicet ſunt Steriles, vt plurimum morboſas viuere, verùm ad ſenectutem tardè properare, & quaſi ſemper iuuenes eſſe. Ratio, cur morboſæ ſint, eſt, quia ex puerperiis, ideſt, purgationibus Mulierum, quæ pepererunt, expurgantur multa excrementa, quæ faciunt vt Mulieres fœcundæ minus ægrotent: in Sterilibus verò hæc excrementa retenta, morbos faciunt. Atque hæc eſt cauſa, cur Steriles ſint morboſæ. Hæc etiam eſt cauſa, cur Steriles habeant carnes aſperiores, quàm fœcundæ, quia cum retinentur hæc excrementa, faciunt totius corporis aſperitates, ſicuti cùm infœcundis eiiciuntur excrementa, carnes redduntur molliores. Cur autem dixit Steriles minus ad ſenectutem properare? Cauſa eſt, quia non ſuſtinent Steriles difficultates vteri geſtati, neque difficultates Partus. Nam quæ vterum gerunt, dicit Ariſt. lib. 4. de Generat. animal. 6. quod ſi bruta ſint, tempore quo vterunt gerunt incolumia & valida eſſe, ſi verò ſunt Mulieres, magna ex parte, dum vterunt gerunt, ſunt morboſæ. Et hoc eſt, quod dicebat Vitruuius lib. 2. cap. 9. quod quando vendebantur mulieres grauidæ, non præſtabantur ſanis. Tēpore verò partus, quòd etiam magnas difficultates habeant Mulieres, clarum eſt: vt verè dixerit Medea apud Euripidem, ſe malle ter ſub clypeo in acie dimicare, quàm ſemel parere. Ex tot igitur laboribus & difficultatibus, rugæ in corpore fiunt, in facie, deteruntur carnes, ex quibus omnibus comparatur Senectus. Cùm his itaque careant Mulieres Steriles, verè dictum eſt ab Auicenna, eas ferè ſemper iuuenes eſſe, & tardiùs, quàm fœcundas ſeneſcere.

Curatio Sterilitatis.

POſtquam ea quæ ad ſpeculationem Sterilitatis pertinebant, expoſuimus, ſequitur vt curationem, cuius gratia omnia inſtituuntur, aggrediar, in qua inſtituenda, debet Medicus ſemper ante alia cogitare, numquid Sterilitas ſit curabilis, nec ne. Si incurabilis ſit, proculdubio dimittenda, quia hoc Medico dedecus parere ſolet. Quod ſi non prorſus incurabilis iudicetur, curatio conſultis Medicis & prudenter eſt aggredienda, cum prædictione & cum iis quæ à proprietate conceptum curare putantur: quemadmodum ſunt multa apud ſcriptores, vt apud Dioſcoridem paſtinacæ ſemen, Porrum: Apud alios, Rhadix Lapathi maioris, Coagulum leporinum, Teſtes omnium animalium. A Plinio, libro vigeſimo octauo, capite octauo, commendatur oculus hyenæ, & tandem multa alia apud ſcriptores. Quod ſi ſterilitas iudicetur curabilis, magno & forti animo aggredienda eſt, quia ſi quod eſt, quod Medicos poſſit glorioſos & diuites reddere, profectò eſt conceptum adiuuare, Sterilitatémque curare. Itaque primò ſtudendum eſt, auferre cauſas efficientes Sterilitatem: deinde corroborandus & viuificandus eſt vterus, cum iis Medicamentis, quæ fœcunditatem facere exiſtimantur. Vtriſque his ſcopis implendis, præ cæteris magnoperè auxiliatur victus ratio rectè inſtituta. Vnde Aër ſtatim temperatus eligendus eſt, aut efficiendus: propter quod Hippocrates libro de Superfœtatione dicebat, vernum tempus conceptui accommodatiſſimum eſſe, ſcilicet propter Aëris temperiem. Habenda quoque ratio eſt ventorum, propter quod Ariſtoteles libro ſeptimo Politicorum capite decimo ſexto, ex ſententia Phyſicorum dicebat, Aquilonares conſtitutiones conceptibus mulierum maximè eſſe aptas: Auſtrinas verò, incommodas & graues. Quod etiam confirmatum habetur experimento Empedoclis: refert enim Clemens Alexandrinus libro ſexto Stromaton, interdum ventum quendam auſtrinum per agrum Agrigentinorum peruagaſſe, qui ſterilitatem Mulieribus inferebat: quod cùm animaduertiſſet Empedocles obſtructo ductu, per quem ventus ille manabat, ſtatim reſtituta eſt fœcunditas Mulieribus Agrigentinorum: quod dixi, vt intelligatis, magnopere conferre ventos ad conceptionem. Somni & Vigiliæ moderati eſſe debent, moderatus quoque motus & quies. Omnes animi paſſiones ſunt auertendæ, præſertim hora, qua Coitus fieri debet, quoniam non modò confert animum tranquillum eſſe ad concipiendum, imò ad bonos conceptus edendos: propter quod ſpurij magna ex parte ſunt prauis moribus, quia concipiuntur à parentibus, vel timentibus, vel malè animo affectis. Itaque quoque exiſtimo, non ſine ratione adagium fuiſſe apud veteres, quod filij ſapientum vt plurimum ſunt inſani: quia viri docti & ſapientes, dum concumbunt, vt plurimum magnas curas animo gerunt, non ſunt tranquillo animo, propter quod vel non concipiunt mulieres, vel conceptus ſtolidos & prauos edunt. Modus quoque Coitus maximè huc refertur, habetis auctoritatem Hippocratis libro de Superfœtatione, qui ſcribit, Mulierem non debere Ebriam neque Saturam copulari viro: quod quoque à Moſchione animaduerſum eſt. Auicenna omnium diligentiſſimè docuit omnes conditiones neceſſarias in hoc caſu. Sed nolo prætetire quod ſcriptum eſt à Lucretio libro quarto de Natura: confirmatum ab Ægineta libro tertio capite ſeptuageſimo quarto: Scilicet quod ſi Coitus exerceatur more belluarum à tergo, magnoperè confert ad concipiendum. Circa cibum & potum non eſt minor cura gerenda, præſertim circa potum, de quo

dice

dicebat Hippocrates fugiendum eſſe vinum album, potandum autem vinum meraciſſimum & groſſum, quod ego quoque laudo, modò tamen moderatè fiat. Aqua autem potata, mirificè confert ad vtrumque. Sic habetis Aquam fabrorum, in qua extinguunt ferra ignita, quòd ſi potetur, hæc frequentiùs Sterilitatem facit, itaque vitanda. Aqua etiam frigida nimis pota Sterilitatem facit. Vnde Mulieres apud Hiſpanos, quæ plurimum temporis bibunt Niuem & Aquas gelidas, ſolent eſſe valdè infœcundæ. Sunt etiam quædam Aquæ quæ proprietate quadam dicuntur facere fœcunditatem: vt eſt Aqua Nili, quæ ſua vi nitroſa (dicebat Seneca 3. naturalium quæſtionum) ſæpe vteros perpetua Sterilitate occluſos, adaperuit & conceptum fecit. Vnde quod Mulieres Ægyptiorum (vt ſcribit Ariſtoteles pleriſque in locis de Animalibus) quinos & quaternos fœtus edunt frequenter; Ratio non alteri cauſæ attribuenda eſt, niſi aquæ Nili, quam potant. De cibis non minor ſolicitudo habenda, vt ſcilicet Mulieres vtantur cibis optimi ſucci, facilibus concoctu, minimè excrementitijs, copia mediocribus, & tandem prouidendum eſt, vt omnibus cruditatibus occaſio præripiatur. Cleopatra in lib. ſuo de morbis Muliebribus prohibuit acria omnia, omnia acida, omnia ſalſa. Sunt & quidam cibi, qui ſunt fugiendi, quòd à proprietate ſua Sterilitatem faciant. Vt eſt Faba, quam ait Clemens Alexandrinus 3. Stromaton, idcirco prohibuiſſe Pythagoricos, quoniam Sterilitatem Mulieribus faciant & Viris. Idque etiam probatum eſt auctoritate Theophraſti, libro de cauſis Plantarum, vbi dicebat putamina Fabarum, ſi ferantur prope radices arborum, ipſas arbores ſterileſcere. Itaque fugiendi ſunt omnes Cibi, qui poſſunt Sterilitatem facere. Inſtituto victu, cogitandum eſt quæ ſit cauſa faciens Sterilitatem, an ſcilicet frigida ſit, an calida. Si frigida ſit cauſa, & à frigida intemperie, ac à frigidis humoribus, qualem cauſam ſcribit Auenzoar plerunque Sterilitatem facere, quamprimum deueniendum eſt ad præparandos humores, & demum ad expurgandos. Niſi enim prius expurgetis humores, intemperiem corrigere non poteritis. Modus verò præparandi humores in his caſibus eſt:

℞. Fol. Meliſſæ,
Betonicæ,
Arthemiſiæ,
Pulegij,
Maioranæ ana M. j.
Radicis Enulæ,
Cyperi,
Fœniculi,
Calamenthi ana ℥. ij. s.

Fiat decoctio ſecundum artem: Deinde

℞. Dictæ decoctionis ℥. iiij.
Syrupi de Arthemi.
Mellis Roſati ana ℥. j.

Miſce, fiat potus. Poſtquam præparati ſunt attendendum eſt, vt expurgentur. Multa autem ſunt quæ hoc in caſu laudantur: ſed præcipuè huiuſmodi Medicamentis vti ſoleo:

℞. Electu. Ind. ℥. s.
Trochiſco. de Myrrha ℥. j. s.
Diacatholiconis ℥. j.

Miſce, fiat Bolus. Capiatur mane vt alia medicamenta. Auicenna laudabat Hieras magnas,

magnas,vt illam Archigenis,Hieram Ruffi,Logadij,Pachij:quibus omnibus, cum conſilio Auicennæ vti poteritis. Aduertendum tamen in hoc loco quantum fieri poteſt,in præparandis humoribus, cauendum eſſe Oximellitis vſum & Aceti Dicebat enim Auenzoar,ſe conſueuiſſe in medicamentis parum,aut nihil Aceti,commiſcere. Ratio accepta eſt ab auctoritate Hippocratis, qui dicebat tertio Acutorum,acetum inimicum eſſe mulieribus propter vterum, eò quòd Acetum vtero, qui valde neruoſus eſt, offenſum. Sed hic oritur non inutile dubium, quomodo Acetum vtero nocere poſſit, propter neruoſitatem. Clarum eſt, quod ventriculus eſt magis neruoſus & magis ſenſilis, quàm vterus: adhæc Acetum magis immediatè tangit Stomachum, quàm vterum:quomodo ergo ab Hippocrate & aliis dicitur, quod Acetum noceat vtero? & numquam videtur quod noceat Stomacho? Auenzoar libro 2.Tract.5.capite 1.ſcribit,videns hanc difficultatem, propter tres cauſas ventriculum non offendi ab Aceto, & offendi vterum. Vna eſt, propter aſtrictionem, eò quòd ventriculus longo tempore & longa ciborum aſſuetudine, contrahit quaſi callum quendam, propter quem non eſt mirum ſi non offendatur. Vterus autem, qui non aſſuetus eſt huiuſmodi, offenditur. Secunda, quia licet Stomachus ſit neruoſus & ſenſilis, eſt tamen magis carnoſus, quàm vterus, propter ciborum concoctionem, vnde fit, vt propter huiuſmodi carnoſitatem, magis reſiſtat acrimoniæ Aceti, quàm vterus. Tertia, quia in ventriculo ſemper adſunt humores craſſi & phlegmatici, qui retundunt valdè acrimoniam Aceti, ita vt nullam poſſit inferre noxam. Poſtquam purgati fuerint humores, deueniendum eſt ad ea medicamenta quæ exſiccent vterum, quæ calefaciant, quæ ſimul à proprietate fœcunditatem faciant. Hæc autem ſunt duorum generum: alia quidem, quæ per os aſſumuntur: alia,quæ extrinſecus adhibentur.Quæ ſumuntur per os, ſunt Confectiones multæ, Diamoſchus, Diaſaluia, Theriaca mirificè ab Auenzoar laudatur, etiam à Gal. Ego autem habeo Confectionem, qua feliciter vti ſoleo:

℞. Zedoariæ, Doronici,Galangæ ana ℥.ij.s.Ligni aloës,Cinamomi, Caryophillorum ana ℥.j.s.Spicæ, Piperis longi ana ℥.j. Satirij ℥.ij. Caſtorij ℥.j.Moſchi,Ambræ ana grana vj.Sacchari vel Mellis quantum ſatis. Fiat ſecũdum artem Mixtura. Vſus huius Mixturæ eſt, tribus vel quatuor diebus, antequam Mulier debeat concumbere viro, manè ad ℥.iij. cum vino odorato & generoſo. Medicamenta verò quæ extrinſecus adminiſtrantur in hoc caſu, ſunt quatuor generum: aut ſunt Suffumigia:aut Infuſiones:aut peſſi ſiue Collyria: aut ſunt Inunctiones. Suffumigia fiunt hoc modo:habetur vas anguſto ore,quod repletur Carbonibus; & ſuper eos inſpergantur Pulueres, & panno circumdatum vas, ſupponitur loculis muliebribus,ita vt fumus qui emanat ingrediatur loculos.Forma autem Suffumigiorum eſt.

℞. Bdelij, Myrrhæ ana ℥.j. Arthemiſiæ, Matricariæ ana ℥. s. Teſticulorum vulpis aſſatorum ℥. j. Galliæ Moſchatæ Meſues ℈. j. Contundantur omnia,& inſpergatur puluis, vt dictum eſt. Infuſiones autem fiunt potiſſimum ex Aquis medicatis,vt Thermarum, Nitroſarum, aut Sulphurearum, quales ſunt Patauinæ, Luceſes aliquæ & aliæ apud Italos, quæ putantur Mulieres grauidas reddere.Fiunt & Aquæ ex Matricaria, Arthemiſia, Meliſſa, ſed iſtæ non adeò proſunt,vt medicatæ.Modus verò adminiſtrandi eſt, quòd Mulieres nudæ ponuntur in vaſe ligneo, vſque ad vmbilicum, & deinde vas repletur aquis, ita vt corpus mulieris immergatur vſque ad vmbilicum in aquis, in quo balneo trahitur mora per horam ſaltem, quia ſic maximè corrigitur intemperies vteri, maximè ſi humores frigidi ſunt,

ſunt,qui Sterilitatem faciunt, inhibentur & exſiccantur. Peſſaria verò ſiue Collyria, ſunt quoque variorum generum, ſed fermè eundem ſcopum habent, quemadmodum Suffumigia. Sunt vero Peſſaria medicamenta, quæ inſtar caudarum mittuntur in vterum. Forma verò huiuſmodi eſt:

℞. Caſtorei, Opoponacis ana ʒ. j. Coaguli leporini ʒ. ij. Croci, Amoniaci, Nardi ana ʒ. ij. s. Foliorum citri puluerizatorum ʒ. iij. Teſticulorum vulpis pulueri. ℥. s. Terantur omnia diligentiſſimè & cum Melle ſecundum artem, fiant Collyria plura: quorum vſus eſt vt detineantur die atque etiam nocte, quoniam non eſt exercendus Coitus. Sunt poſtremo Inunctiones, quæ quoque non paruum præſtant vſum in efficienda fœcunditate, & vſus eſt circa totum pectinem, & etiam circa ipſos loculos,& fiant etiam antequam Coitus exerceatur, vt etiam iis ipſis temporibus. Forma talis eſt:

℞. Zibetti ʒ.s. Croci, Spicæ, Styracis ana ʒ. j. Folij ſeu Malabathri ℈. ij. Olei de ſpica Aromatica ℥. s. Vini optimi ʒ. iij. Ceræ parum, Miſce, fiat Linimentum. Quæ omnia, vt efficaciora ſint, debet Mulier ante omnia amare: quoniam niſi Mulier volens hæc faciat, parum omnia proficiunt: quia ſunt quædam Mulieres, quæ nolunt grauidæ fieri,etiam ſi viri optent,& propterea, quantum medicamenta proſunt, tantùm ipſarum voluntas nocet & repugnat. Quod ſi fiat Sterilitas à cauſa calida, quod non ita frequens eſt,ante alia inſtituendus victus,qui vim refrigerandi poſſideat. Aër ſit refrigerans: Quies deligatur:Somnus & tandem omnia quæ refrigerare poſſunt. Poſt inſtitutum victum, videndum eſt an ſectio venæ ſit neceſſaria, quoniam ſi corporis adſit plenitudo, proculdubio ſtatim vena eſt ſecanda, & primo ſecanda eſt Baſilica, deinde vena Saphœna, eò quod hæc vena magis vterum refrigerare ſolet. Secta vena,præparandi ſunt humores calidi. Modus erit:

℞. Foliorum Endiuiæ, Hepaticæ, Roſtri porcini, Fœniculi ana ᴍ. j. Radicis Imperatoriæ ʒ. j.s. Bugloſſæ,Nenupharis ana ᴍ.s. Fiat decoctio ſecundum artem: deinde

℞. Dictæ decoctionis ℥. iiij. Syrupi de ſucco Endiuiæ, Syrupi Capilli veneris ana ℥. j. Miſce. Quod ſi non ſolùm fuerint humores bilioſi, ſed & aduſti:ſic præparati poſſunt.

℞. Foliorum Lupuli,Cuſcutæ,Boraginis, Fumariæ ana ᴍ.j.Fiat decoctio ſecundum artem:deinde

℞. Dictæ decoctionis ℥. iiij. Syrupi de ſucco Borag. de Lupulis.ana ℥.ij.Miſce. Poſtquam præparati ſunt humores,erunt euacuandi: & ſi fuerint bilioſi,ſic poterunt expurgari:

℞. Myrobolani Citrini ʒ.j.s.Thamarindorum ℥.s.Florum Boraginis,Violarum ana P.j.Fiat decoctio in ſero caprino:deinde

℞.Dictæ decoctionis ℥.iiij. Rhabarbari electi ℈.iiij. Spicæ gran.iij. Fiat infuſio ſecundum artem. Deinde facta iterum diligenti expreſſione, adde Syrupi violati ſolutiui ℥.ij.Diaphenici ʒ.ij.s.Miſce.Quod ſi humores fuerint Melancholici, poterunt ſic expurgari.Verbi gratia:

℞. Confect.Hamech. ℥.s. Trochiſ.de Rhabarb. ʒ.j.s. Electuar. de Sena ſolutiui ʒ. iij.Miſce cum Saccharo, fiat Bolus,capiat hora matutina.

Quod dixi de modo curandi Sterilitatem in his intemperiebus, idem putate faciendum in aliis. Quod ſi oriatur Sterilitas ob Menſtruorum vitium, curatio ea inſtituenda, quam docebimus cùm de Menſtruis tractabimus. Similiter ſi ab alio morbo procedat, petenda eſt Sterilitatis curatio ex curatione illorũ morborum, quos

quos ne confundamus,ſuo loco tractabimus. Dixi in principio Medicos interdum conſulere medicamenta, vt vel Conceptum inhibeant, vel Conceptum internecent, non quod conceptum vnquam prohibendum velint, vt prohibuit Minos Cretenſis, ſed alio modo. Minos enim, vt refert Ariſtoteles 2. Polit.8. timens ne populi Cretenſes nimium excreſcerent, ſtatuit, vt quando Mulieres ad certum numerum proles habuiſſent, vterentur nefando coitu, qui quidem abominandus omnino eſt, & miror Ariſtotelem non fuiſſe hanc legem conuitiis proſecutum. Medici vero quando loquuntur de prohibendo conceptu, omnino hunc modum reiiciunt. Videndum verò hoc loco eſt, vt poſſitis artem prudenter exercere, an vnquam liceat Medico Sterilitatem facere, an liceat prohibere Conceptum aut interimere: Et ſi liceat, quando liceat, & quibus id agendum. Ex vna parte eſt autoritas religioſiſſimi Hippocratis, qui in iureiurando legem ſtatuit, ne Medicus Abortiuum medicamentum propinet. Quod ſi verum eſt, paulo minus differt Conceptum impedire, & factum auferre è medio: ſi non liceat factum conceptum interimere: ergo non licebit impedire ne fiat. Ex altera parte eſt autoritas eiuſdem Hippoc. qui lib. de natura pueri, ſcribit: ſe conſuluiſſe quandoque ſaltatrici, quæ dubitabat vterum ferre, & dedecus timebat, quod conceptum eiiceret ſaltando. Ex quo loco videtur, clarè Hipp. conceſſiſſe medicamenta, vt poſſint quandoque conceptum tollere. Hippocratis verò librum illum eſſe, eſt Galeni teſtimonium, qui libro de Fœtus formatione, & primo de Semine, citat hunc locum, tanquam Hippocraticum. Sed videndum eſt Aëtij teſtimonium, qui libro 16. cap. 16. clarè monſtrat, interdum licere Medicis impedire Conceptum & ipſum enecare. Eiuſdem mentis videtur fuiſſe Auicenna, tertia 3. tract. 2. c. 17. quo in loco monſtrat, licere Medicis partim inhibere, partim interimere Conceptum in tribus caſibus. Vnus eſt, quando mulier quæ vterum gerit, ita tenella eſt, vt timeatur quod poſſit ſub partu occumbere. Etenim refert Ariſt. 7. Polit. 16. Mulieres Trœzenorum ſæpe occubuiſſe ſub partu, quod tenellæ nimis conceperant. Alter caſus eſt, quando in vtero morbus aliquis eſt, qui parit timorem, ne in partu mulier ſupprimatur. Tertius eſt, quando debilis eſt veſica, ita vt timeatur ne ponderoſitate fœtus diſrumpatur veſica, vt ipſa diſrupta mulier intereat. Sed quia caſus iſti ab Auicenna poſiti; ſunt admodum futiles & vani, dicam ego liberè quid ſentiam nobis Chriſtianis eſſe agendum. Primùm quomodo loca Hippocratis intelligenda ſint, demonſtrabo, vt docuit Ariſtot. 7. Polit. 16. perſpectum eſſe poteſt veteres hanc legem habuiſſe, quod quoties aliquis Conceptus nondum animatus erat, licebat ipſum corrumpere. Vbi verò animatus erat, nefas erat tangere. Qua lege poſita, poſſunt conciliari loci Hippocratis, qui dum in Iureiurando prohibet dari corruptoria Medicamenta, loquitur de Fœtu animato, quaſi voluerit Hippoc. dicere, non licere Fœtum animatum vnquam interimere. Quæ verò in libro de Natura pueri ſcribit, locutus eſt de Fœtu nondum viuo & inanimato, eò quod liceret Fœtum dum nondum animatus eſſet, quandoque corrumpere. Quod autem hæc fuerit mens Hippocratis, inde intelligi poteſt, quia dixit ſe conſuluiſſe vt ſaltaret ante ſeptimum à coitu diem. Iam verò ſententia eſt Hippocr. de Genitura, libro de Natura pueri, quam mutuatus Ariſtoteles 7. de Hiſtoria animalium 3. quod videlicet Fœtus ante ſeptimum diem nunquam animatus eſt. Sed ad Aëtium, Democritum & Auicennam, quia omnes voluerunt Conceptum animalium interimere licere: dico, quod ſi verè iſti viri intellexerint de Conceptu animato, proculdubio toto cœlo errarunt, quorum dimittamus religionem. Peto ab ipſis, nunquid vnquam Medicus poſſit tantus eſſe, dum tradit corruptiua fœtus, quod etiam non interimat

mulierem?Hoc certè polliceri non poſſunt,quia corruptiua fœtus,ſunt venena & corruptiua & inimica mulieri: adhæc in Abortu clarum eſt,mulierem ſubire multa mortis pericula,ita quod non video,quomodo Medicus poſſit tutus eſſe de non corrumpenda ſimiliter Muliere. Itaque non ſunt agenda mala, vt eueniant bonà, eò quod magis ſperandum eſt,Deum qui Conceptum fecit, poſſe citra ſpem noſtram ipſum ſeruare. Quare ne vnquam Medicus cogatur pericula ſubire, néue mulieres ipſæ de vita periclitentur, duæ ſunt viæ meliores traditæ ab Auicenna. Vna monſtrata ab oraculo Trœzeno,ne puellæ videlicet immaturæ nubant. Altera,vt quæcunque videntur ineptæ conceptui,conſulatur,vt ſeſe dedant virginitati. Sed dicetis interdum contingere, vt virgines interdum nubant, quæ in partu periculum ſubeunt,quid agendum his? Scio veteres Medicos & Philoſophos,tres vias habuiſſe: vnam ante coitum:alteram,in coitu:tertiam, poſt coitum:quæ omnes viæ poterunt in his caſibus,ſi timeatur virgines concipientes ne ſubeant pericula,deſeruire,ne fiant conceptus. Ante coitum erit conſulendum, vt teneant etiam rationem vitæ contrariam illi,quæ monſtrata eſt pro Sterilitate vitanda. In coitu ſunt etiam in aliqua præſertim Linimentum, quo vtebantur veteres, demonſtratum ab Ariſtotele 7.de Hiſtor.animalium cap.8.vbi Gaza malè tranſtulit, oleum Iuniperinum,quia debet eſſe oleum Cedrinum,id eſt,Cedra ipſa,quam dicunt omnes impedire conceptum. Eſt etiam alter modus, demonſtratus ab Auicenna 4.de animalibus,qui dicebat mulieres vt non concipiant, debere ſtudere vt diuerſo tempore ſemen emittāt à viro, quia nunquam fiet conceptus,niſi vno eodémque tempore & vir & mulier ſperma emittant. Eſt & modus mōſtratus à Lucretio,quo vtuntur ſcorta, & meretrices,quando clunes retractant & concutiunt ſæpe, ne concipiant. Tertius modus poſt coitum, eſt monſtratus ab Hippocrate, ſcilicet vt Mulieres poſtquam coitum fecerunt, vel Sternutationem vehementer excitent,vel ſaltent,vt ſemen à vulua exeat. Quod ſi Conceptus iam ſit grandiuſculus & mulier lethaliter ægrotet:dico, nunquam licere Medico vt prima intentione fœtum interimat, licet ſanè curare Mulierem medicamentis neceſſariis & inimicis fœtui,ſed non licet vnquam hoc animo mederi vt interimatur fœtus:cuius ratio ſupra adducta eſt:ſed licet interdum conſulere Mulieribus, vt non concipiant. Sed aduertendum ne conſcientiæ perdantur veſtræ,quoniam nunquam licet hoc conſilium dare,niſi vbi maximum vitæ diſcrimen videatis. Etſi ſæpe mulieres inhoneſtæ huiuſmodi remedia à Medico requirant, vt ſatisfaciant libidini, & vituperia fugiant, quæ omnes refrenandæ ſunt: hæc omnia ſubiicio ſacroſanctæ fidei. Sed dubitatio eſt ex dictis,quia dictum eſt,Aëtium & Auicennam conſulere vt interimantur Fœtus,ſi ſit morbus aliquis in Matrice: Ergo videtur Mulierem poſſe concipere etiam tunc, quando morbus ſit in vtero. Contrarium tamen ſtatutum eſt,ſcilicet non fieri Conceptum,vbi vterus aliquo graui morbo laborat. Dico pro reſolutione, primò Aëtium & alios locutos eſſe de morbis vteri, qui fiunt poſt conceptum, non autem qui fiunt ante conceptum. Secundo, vterum poſſe laborare graui morbo, vel ſecundum collum, vel ſecundum corpus: primo modo, poteſt fieri Conceptus, etiamſi morbus ſit grauior:ſecundo modo nequaquam, quia vbi Vterus graui morbo laborat, impoſſibile eſt,vt fiat Conceptus.

DE

DE MOLA.

CAPVT III.

SEquitur vt de Conceptu vitioſo tractemus, qui quidem efficitur, vbi non concipitur, quod deberet concipi. Comparatum enim à natura eſt, vt concipiatur Animal & Homo: itaque quod ſi cóceptum eſt, neque Animal, neque Homo, proculdubio conceptus vitioſus vocandus eſt. Hic verò conceptus, eſt à Græcis Μύλη, à Latinis Mola, appellatus. Sed ſtatim oritur conſiderandum, cur Medici de partu vitioſo tractantes, non tractarint de Monſtris, nam perſpectum eſt & Monſtra eſſe conceptus vitioſos, de quibus lex eſt apud Platonem 5. de Legibus, eſſe ipſa monſtra clàm enutrienda. Ariſtot. autem 7. Politic. 16. voluit, neque alenda eſſe Monſtra: vt hinc clarum cuique eſſe poſſit, Monſtra verè partus vitioſos & conceptus exiſtere. Verumenimuerò puto duas ob cauſas, Medicos præteriiſſe hanc tractationem. Vna eſt, quia Monſtra in vtero non ſunt morbi, eò quòd non lædant operationes vllas. Altera eſt, quia tametſi ponamus morbos eſſe hæc Monſtra in vtero, non tamen nota ſunt, non ſunt indicia vlla, quibus cognoſcere valeamus Monſtra exiſtentia in vtero, quod quidem non eſt de Mola. Vocatus eſt hic affectus *Mola*, vt refert Moſchio & Aëtius, à grauitate & pondere, eò quod tanquam moles quædam & inſtar ponderis grauiſſimi, grauat prægnantes. Et hic affectus, vt habetur primo de morbis Muliebribus, apud Hippocratem, & libro de Sterilitate, nec non apud Ariſtot. 4. de Generat. animal. cap. 7. eſt caro quædam inutilis, informis, inarticulata, dura, in vtero mulieris genita, inſtar veri conceptus & variarum figurarum. Hæc deſcriptio colligi videtur ex deſcriptionibus Medicis, præſertim ex Hippoc. & Ariſtot. ſententia, quos ſecutus eſt Galenus 14. Metho. & 14. de Vſu Partium. Nec non Auicenna 21. lib. tertij tractat. 2. cap. 19. Circa quam deſcriptionem primò aduertendum dixiſſe *Carnem*, non autem carnes, quia plerumque eſt vna caro: tamen vt colligitur ex Hippoc. fiunt interdum & plures carnes. Albertus Magnus 18. de Animal. hiſtor. 16. narrat ſe vidiſſe duas Molas, vno partu excretas. Nicolaus autem Florentinus retulit ſe vidiſſe, quaſi carnes excretas enormis figuræ. Dixi inutilis, informis & inarticulata, ad differentiam monſtrorum, quæ ſunt formata, ſunt articulata, ſed perperam. Dices ergo, quid de partu vrſæ? Vrſa dicitur à multis, quod parit Molam, & hoc habet Ariſtot. 6. de Hiſtor. animal. 30. Item 4. de Gen. animal. 6. quem imitati ſunt Plin. Ælianus, Solinus, & multi alij, & dixerunt Vrſam quoque parere Molam informem, & tandem lingua expolire eam Molam & conformare. Nec etiam verendum, quod ita non ſit putandum: nam & Gal. lib. de Theriaca ad Piſonem cap. 11. ſcribit: Vrſam lingua tanquam manu figurare Molam quam parit. Ita quod ex Autoritate horum ſcriptorum, videtur clarum eſſe, quod etiam Vrſa pariat Molam, quæ tamen reddatur vitalis. Reſpondeo ad hoc, falſiſſimam eſſe illam ſententiam, quòd Vrſa pariat Molam informem: & quanquam hoc dixerit Ariſtoteles, dixit tamen, quod propè informem parit, non verè informem, ſed ſolummodo rudem & obſcuram. Quod verò hoc falſiſſimum ſit, clarum hinc eſſe poteſt, quia articulare & conformare fœtus dicebat Hippocrat. de natura pueri, & Gal. de fœtus formatione, quod opus eſt ſolius Naturæ, vel ſolius Dei, vel ſolius Animę, vt Platonici putarunt, eſſe opus animæ mundi. Non eſt igitur, vt quis confingat poſſe extra vterum conformari & articulari fœtum vllum. Sed dices, cur eſt ergo quod Vrſa ſola hanc

Molam parit?Dico hoc eueniſſe,quia Vrſa medio anni tempore, tota ſcilicet hyeme latet,animal eſt multa ſemper pituita impletum,ita quod cum vterus Vrſæ ſit impletus pituita,hac totus fœtus obducitur , atque ita obductus , obſcuratur , vt nulla forma appareat.Poſtquam autem in lucem editus eſt,à matre lambendo aufertur hæc pituita & hic mucus,quo ſublato,apparet deinde fœtus conformatus, & articulatus. Hanc falſitatem multorum,inter cæteros etiam agnouit Albertus Magnus 7.de Animal.16. Tract.3. cap. 3. Dixi etiam eſſe Carnem duram : quia vt eſt apud Ariſt.4. de Gene.anim.7. & apud Plin.lib.7.c.15.vſque adeò dureſcit hæc mola,vt ſæpe nec ferro poſſit frangi aut pertundi.Dixi *in Mulieris vtero* , eò quod hæc Mola ſolùm in Mulieribus concipitur:nullum aliud animal eſt,vt ſcribit Ariſt. & Plin.locis citatis,quod huic paſſioni ſit obnoxium. Cur verò ſola Mulier Molam concipiat,Albertus Magnus 14.de Anim.6.conatus eſt reddere rationem , vbi ſcribit quod in Muliere multus ſanguis abundat, qui cum concoqui & digeri non poſſit à conceptu,non poteſt conuerti in nutrimentum , & ideo ſuperabundans adeo tandem excreſcit,vt ex conceptu Molam faciat. Addit quoque matricem & vterum mulieris,eſſe contrarium vteris aliorum animalium.Sed hæc Alberti opinio mihi planè non ſatisfacit. Ratio eſt,quia ſupponitur primò fieri conceptum, deinde nutriri & ratione nutrimenti fieri Molam , quod quidem falſiſſimum eſt: quoniam à principio fit Mola,eo ſc.tempore,quo debet fieri conceptus verus.Præterea vbertas nutrimenti,minimè poteſt formationem fœtus deſtruere,eò quod ſi hoc eſſet,plerumque deſtrueretur fœtus in principio, eò quia tunc temporis plurimum abundat nutrimentum in vtero,ex qua vbertate fiunt infinita & magna in prægnantibus accidentia:quare non eſt ea ratio,quam adfert Albertus.Dicendum igitur vt dicit Ariſt.& Auerrroës commentario ſuper 4. Gen. anim.cap.6.videtur in ſola muliere fieri Mola,eò quòd ipſa ſola abundat copia Menſtruorum.Id quod habet Ariſt.6.de Hiſt. animal. 18. Quomodo verò ex abundantia ſanguinis Menſtrui in Muliere ſola,fiat Mola,poſteriùs intelligetis.Dixi inſtar conceptus veri, vt exploderem errorem Aëtij & Pauli:nam Aëtius l.16.cap.80. & Paulus lib.3.c.69. ſequuti Moſchionem & Cleopatram qui de mulieribus ſcripſerunt, habuerunt hanc opinionem,quòd Mola ſit tumor vteri, genitus vel ex inflammatione,vel ex vlcere,quæ ſententia falſiſſima eſt,& ideo addidi inſtar Conceptus vteri.Dixi poſtremò variarum figurarum,eò quod licet Mola ſit figuræ ſphæricæ,eſt tamen interdum figuræ complanatæ,non autem perfectè ſphæricæ, & poteſt habere varias figuras , ſed omnes ſphæricam æmulantes. Ex dictis hactenus patet Molam eſſe morbum in via,ſiue in numero.In numero,quia abundat res quæ non deberet: In via,quoniam vterus impeditus eſt,qui non deberet.

Cauſæ Molæ.

CIrca cauſas huius affectus,magnam inuenio ſcriptorum varietatem. Hipp.1. de Morbis Mulieb.& lib.de Sterilitate, habuit hanc ſententiam : quòd Mola fiat quotieſcunque multus ſanguis Menſtruus & paucum Semen & morboſum cōcipitur.Vel vt dicebat 2.de Morbis:quandoque Semen craſſum eſt.Hæc ſententia tametſi fuerit Hipp.tamen mihi planè non ſatisfacit,duabus rationibus. Vna eſt,quia vnumquodque ſemper operatur ſecundum gradum ſuum : ſi gradus debilis,debiliter operatur:ſi gradus vehemēs & fortis, validè operatur.Itaque ſi fieret Mola à Semine morboſo,proculdubio fieret aliqua forma , & forma eſſet morboſa,eo præſertim,quòd ipſemet Hipp.lib.de Aëre,aquis & locis,ab infirmis ſcribit fieri infirmos fœtus,eò quod Semē infirmum eſt.Ergo deberet potius ſi ſemen

eſſet

eſſet morboſum, fieri fœtus morboſus, quàm fieri Mola. Præterea non videtur, quod craſſities poteſt hoc facere, quia craſſities Seminis facit ſterilitatem, non autem facit Molam. Ergo hæc ſentẽtia non videtur vſquequaque firma eſſe. Ariſt. qui omnia ferè pertinentia ad conceptum, mutuatus eſt ab Hipp. 4. de Gen. anim. 7. quem eſt ſecutus Albertus Magnus lib. 18. c. 6. videtur habuiſſe ſententiã paulò diuerſam, vbi ſcribit fieri Molam propter caloris matricis imbecillitatem, inde fit, vt materia maneat indigeſta & incocta, & loco conceptus fiat moles rudis & indigeſta. Quoniam verò Ariſt. potuiſſet quis obiicere, quid eſt ergo quod hæc materia cruda & indigeſta ſtatim non expellatur, ſed diu retineatur in vtero? Reſpondet Ariſt. ideo id euenire, quia natura tentat ſemper hanc molem perficere, & ad aptam formam reducere, ſed cum non poſſit, permanet, quia materia non eſt prorſus inutilis, nec vis expultrix eſt adeò fortis, vt poſſit expellere. Et quia poterat aliquis Ariſt. obiicere, cur ſaltem non corrumpatur materia hæc cruda & indigeſta? dicit Albertus non corrumpi, quia eſt quidam proprius & peculiaris indigeſtionis modus: mihi etiam probari omnino non poteſt, ob tres cauſas. Vna, quia ſi debilitas caloris natiui hoc efficeret, deberet potiſsimum fieri Mola in habentibus vterum frigidũ, in habentibus calorem natiuum imbecillum: ſed hoc non contingit, quia videbitis frigidas, vel non concipere, vel concipere fœtus formatos. Altera cauſa eſt, quia vt ipſemet Ariſt. teſtatur ex Hipp. 7. de Hiſt. anim. fit conceptus intra ſeptimum diem, formatur verò conceptus ad ſummum intra quadrageſimum vel quinquageſimum diem, quod ſi verum eſt, peto ab Ariſt. Tu dicis ſemper naturam laborare circa hanc molem, vt perficiat & conformet, Ergo ſequitur, quòd natura laborabit fruſtra, quia vltra quadrageſimum vel quinquageſimum diem, non fit amplius formatio. Si hoc, cur ergo non ſemper laborat (vt dicis) circa ipſam, quo eam perficiat & conformet? Tertia aduerſum Albertum, quia non video quis ſit modus digeſtionis, qui poſsit res indigeſtas à corruptione longo tempore conſeruare, quoniam vt habet Ariſt. 4. Meteor. omnia quæ ſunt indigeſta, non poſſunt ita diu permanere, ſed corrumpuntur, eò quod à calore natiuo deſeruntur, qui calor eſt conſeruator rerum, ita quòd non poſſumus aſsignare modum, quo conſeruatur tanto tempore hæc materia cruda & indigeſta, quoniam ſæpe ad multos annos perdurat Mola. Auicenna 10. de Animalibus, & 21. tertij tract. 2. c. 19. habet ab his aliam ſententiam, vbi ſcribit fieri Molam, quando in vterum Mulieris ingreditur Semen mulieris & nõ ingreditur Semen viri: tunc enim, inquit, ſi tẽperatura vteri fuerit optima, Semen iſtud concipitur & coagulatur, ſicque deinceps inſtar glãdularum nutritur, & connutritum tandem in Molam euadit. Si verò, inquit Auicenna, fuerit vterus frigidus, Semen mulieris frigidæ coagulatur, coagulatum non in fœtum, ſed in Molam conuertitur. Verùm hæc ſententia Auicennæ etiam aliquas difficultates ſubire videtur. Primò, vt colligere eſt ex Gal. 13. de vſu partium 17. fieri non poteſt, vt cõceptus fiat in animalibus viuiparis, abſque cõcurſu & fœminæ & maſculi. Dico in animalibus viuiparis, vt excludam ouipara, quæ concipiunt abſque concurſu maris, vt ſunt oua ſubuẽtanea. Nec vos moueat autoritas Varronis, qui lib. 1. de re Ruſtica cap. 1. conatus eſt pro vero affirmare, quod in Luſitania apud Vlyſsiponem, circa montẽ quendam ſunt equæ, quæ cõcipiunt vento, quod quidem falſiſsimum eſt. Altera, quia ſi ſententia Auicennæ vera eſſet, poſſet fieri (vt dicit ipſe) quod virgines etiam non vtentes coitu concipiant Molam, quia poteſt ex pollutione nocturna ingredi ſemen muliebre in vterũ, atque ita cõformari in Molam. Quod quidem experientia falſum eſſe conſtat, nam ſolæ Mulieres Molam concipere poſſunt, quæ cum viro conſuetudinem habent. Plutarch. in præcep-

 tis-

tis connubialibus videtur habuiſſe hanc ſententiam, quòd Mola fiat à vitiatis humoribus coëuntibus ſimul in vtero. Sed hæc ſententia in facilè exploditur, nec mirum, quia non fuit Medicus, quia à corrupto nil niſi corruptum fieri poteſt: præterea ſi eſſet ex corruptis humoribus, proculdubio humores illi vitiati, antequam conformarentur in Molam, mirificè offenderent atque læderent, neque etiã poſſet ſuſtineri hic morbus tanto tempore, quanto ſuſtinetur. Auer. 3. Coll. 29. circa Molæ generationẽ, diuerſam ab aliis videtur habuiſſe ſententiã, vbi ſcribit eam fieri ob defectum formatricis facultatis: defectum verò fieri, vel propter corruptionẽ ſeminis, vel propter corruptionẽ membri. Ita quòd opinio eius fuit, ob defectũ formatricis gigni Molã, & cũ defectu naſci: vel propter Vteri aliquod vitiũ, vel propter Seminis ipſius vitium. Sed hæc ſententia primò patitur eandẽ difficultatẽ, quam patitur ſententia Plutarchi, quod ſcilicet à corrupto nil niſi corruptum fieri poteſt. Præterea ſi ex mala vteri intemperie ſola poſſet fieri Mola, proculdubio fieret ſæpe, eò quia vterus ſæpe intemperatus eſt: Poſtremò vbi Semen vitiatum eſt, vel vterus ipſe, vt dictum eſt, fit Sterilitas, non autem videtur Mola quod fiat. Itaque ſententia mea eſt, Molam cùm ſit caro, vt dictum eſt, non aliam habere generationem, quàm habeat ipſa caro. Quomodo verò gignitur caro? Conſtat gigni ex ſanguine, qui apponitur parti quæ nutritur, vel ſubſtantialiter, vel per vapores. Quod enim apponatur per vapores, clara eſt Gal. ſententia 3. de Sympt. cauſis 3. quanquam eo in loco interpres Latinus deceptus eſt, & forſan non ἀερωδῶς, id eſt, in halitus ſpecie: ſed δροσοειδῶς, id eſt, in roris ſpecie, legẽdũ eſt. Vbi ergo affluit ad vterũ ſanguis multus, neq; adeſt vis formatrix ipſius ſeminis, tunc calore ipſius vteri, ſanguis iſte conglobatur, & deinceps addito alio ſanguine pedetentim fit nutritio, fit accretio, & augmentum, & ita vt excreſcat ea mola, vt excreſcunt aliæ carnes. Sed dices, quomodo & per quas vias fit augmentum, ita quod excreſcit Mola? Fit per vaſa, & per acetabula, inſtar fœtus vteri, ita quod ſicut per vaſa nutritur fœtus, ita per vaſa demandatur ſanguis, & fit augmentum, & generatio carnis. Fit etiã per vapores, quando ſcilic. attenuatus ſanguis vertitur in vapores. Vapores autem appoſiti Molæ, ipſam accreſcere faciunt. Hanc ſententiam videtur etiam ſignificaſſe Auicen. quia 2. tert. Tract. 2. cap. 19. duas generationes Molæ tradens dixit: fieri molam, quando multum ſanguinis confluit ad vterum, vt à multo vteri calore conglobetur. Cur verò ita duretur caro, vt acie ferri non incidatur, eadem eſt ratio, quæ in aliis humoribus carnoſis, nimirum ſanguinis craſſities. Puto vos vidiſſe interdum tumores carnoſos vſque adeò duros, vt etiam malleo reſiſtant. Sed duo hic quæri poſſunt: vnum eſt, quomodo differat hæc ſententia à ſententia Hipp. & Ariſt. Alterum, cur ſi eſt caro, & ſi fiat vt caro, an ſolùm in vtentibus coitu fiat. Ad primum reſpondeo hanc ſententiam meam differre ab Hippocrate, quia putauit Hippoc. ex ſemine morboſo fieri. Ego verò nihil minus puto eam fieri ex ſanguine craſſo, ſed ex cocto, & in formam carnis redacto à calore natiuo. Differt etiam à ſententia Ariſtot. quia is putauit fieri per indigeſtionem, ex caloris ſcilicet imbecillitate. Auicenna autem & ego, ex magno calore, ex coctione, quia ſi fieri deberet caro, proculdubio neceſſe eſt vt coquatur ſanguis, & in formam carnis redigatur. Ad ſecundum verò reſpondeo, molam fieri ſolummodo in mulieribus viro vtentibus, quia ex concubitu incaleſcunt loca muliebria, quæ vbi incaluerunt, duo præſtant: efficiunt vt attrahatur ſanguis, præterea efficiunt, vt calor vteri coaugmentatus, concoquat ſanguinem, & in formam carnis redigat. Nam fieri etiam molam ex ſuperfœtatione videtur colligi poſſe ex Hiſtoria quinta libri Epidem. narrata illius vxoris Georgiæ, quæ poſt menſes quatuor annis ſuppreſſos, conceperit &

pepe-

pepererit fœmellam, deinde poſt quadraginta dies, carnem ſuperfœtatam.

Signa Molæ.

SIgna quibus dignoſcatur Mola, multa traduntur à Medicis, ſed pleraque horum quia ſunt communia verè prægnantibus & Molam gerentibus, puto nullum efficacius haberi ſignum, quàm ſi decimum menſem prætergreſſum venter adhuc tumeat, nec adſint hydropis indicia. Vbi ergo videbitur 10. vel 11. menſe tranſacto, adhuc mulierem vterum habere, corpore coloratam eſſe, & ſuſpicionem abeſſe Hydropis, tunc formidandum eſt, ne ſit Mola. Dixi 10. menſe, quia hic eſt verus terminus partus humani. Dicebat Hipp. indicium haberi Molæ, ſi poſt nonũ menſem conceptionis, non moueatur quidquam in vtero. Motus eſt Hipp. hac ratione, quia mas tertio menſe incipit moueri, fœmina verò quarto. At verò hoc argumẽtum incertum eſt, quia allocutus ſum multas Mulieres, quæ etiam ſexto menſe nõ percipiebant motum infantis. Moſchio & Cleopatra tradiderunt quædam ſigna, quibus valeamus diſtinguere verè prægnantes à geſtante Molam, & hanc ab Hydropica. Signa verò ſunt, quòd quæ gerũt Molam tempore quo ſolent fluere Mẽſes, percipiunt dolores & punctiones; neque motum vllum infantis habent. Poſt decimum mẽſem emaceratur corpus, venter augetur & interfœminia creſcũt. Ex aduerſo, in verè prægnante non adſunt hæc indicia ſecundum Cleopatram. Rurſus cognoſcuntur geſtantes Molam ab Hydropicis, quoniam ſi digito pulſetis corpus Hydropicæ, ſonat: ſi pulſetis corpus habentis Molam, nihil ſonat, eò quod ſiccus eſt venter, & vt ſaxa non reddit ſonum. Eſt hoc in loco contradictio inter Hipp. & eius ſequaces: necnon inter Auic. & Hipp. 2. de Morb. Muliebribus & lib. de Sterilibus (nam ille l. totus captus eſt & deſcriptus ex l. de Morbis Muliebribus) ſcribit, in habente Molam, nullum motum in ventre vnquam perſentiri. Auic. autem 2. tertij, Tract. 2. c. de Mola, duo dicit: vnum eſt, quod habens molam in vtero, ſentit motum ſimilem motui Embryonis. Alterum quòd in ventre habentis Molam, hora quadam ſentitur motus, & poſt horam illam nullus ſentitur. Ex quibus verbis manifeſta habetur contradictio inter Hipp. & Auic. Pro hac contradictione tollenda ſunt tres expoſitiones. Vnam elicio ex verbis Alberti Magni 10. de animalibus, Tract. 1. c. 4. & tract. 2. c. 2. ſc. Molam in vtero nunquam ex ſe moueri, ſed ſolum moueri quando comprimitur vel tractatur vterus, quemadmodum Atheromata & Steatomata, ſi cõprimantur, videntur huc atque illuc moueri: Sic ex Alberto Magno, ſi comprimatur Mola & tractetur, videtur huc atq; illuc moueri. Altera expoſitio eſt, quòd Molam moueri, poteſt intelligi dupliciter: vel quod moueatur per ſe, vel quòd moueatur ad motũ alterius: Quòd moueatur per ſe, falſum eſt, ſicq; intelligendus eſt Hipp. Quòd moueatur ad motũ matris, verum eſt ſicque intelligenda eſt ſententia Auic. Tertia eſt, quod dũplex eſt motus, videlicet Animalis & Naturalis, Mola non mouetur motu Animali ſicut fœtus: ſicque dixit Hip. non moueri. Mouetur verò motu Naturali, eo pacto ſcilicet quia vbi vertitur mulier in latus pondere ſuo decurrit mola ad id latus, & in quemcunque ſitum moueatur mulier, ſemper ad eundem mouetur mola.

Signa prognoſtica Molæ.

SIgna prognoſtica ſunt, vt docet Hippocrates; quòd Mola perduret interdum vſque ad duos aut tres annos. Ariſtoteles 4. de Generat. animalium 7. addidit ſententiæ Hippocratis, quòd etiam ad quartum annum duret; imò verò dicit quod perdurat vſque ad finem vitæ & conſeneſcit. Sed pace Ariſt. puto fieri non

poſſe, quòd Mola non acceleret mortem. Quia licet ego conceſſerim perdurare multos annos, tamē nunquā ita perdurat, quin efficiat vt mulier celeriùs intereat, quàm alioquin feciſſet. Dixi perdurare ad multos annos, quia Nicolaus Florentinus refert,ſe vidiſſe mulierem,quæ viginti annis geſtarit Molam. Antuerpiā ſcriptum eſt ad me à viris doctiſſimis, fuiſſe mulierem, quæ duodecim annos geſtarit in vtero cadauer emortui fœtus. Reſcripſi (habeo epiſtolas) quibus ego probaui, non potuiſſe eſſe cadauer fœtus emortui, ſed fuiſſe Molam figuratam, ita quia fit Mola variarum figurarum. Addidit Hippocrates vnum, quod pertinet ad prognoſtica. Quod ſi mulier pariat Molam, vnam parit: Si verò pariat plures,ſanguis multus erumpit, qui ſi immoderatè erumpit, dicit quòd moritur: Si verò non immoderatè, ſuperſtes viuit. Moſchio & Cleopatra putarunt omnem Molam eſſe curabilem, ſed decepti ſunt, quoniam exiſtimarunt Molam eſſe tumorē vteri, quod ſupra falſum eſſe diximus. Albertus libro citato ſcribit, in Aquilonaribus regionibus, mulieres, quæ patiunt Molam, perire. Solet hic morbus interdum terminari in Hydropem. Sed volo vos commonefacere erroris Auer. qui 3. Colleg. loco citato putauit, Molam ipſam conuerti in aquam & flatum,& ita fieri Hydropem. Quam ſententiam omnino falſiſſimam exiſtimo: quia non videbo vbi facta eſt Mola dura & magna, vti dictum eſt, quomodo poſſit eliquari in aquam, aut conuerti in flatum, quia ſi conuerteretur in humorem, id fieret ob immodicum feruorem, quia non aliter carnes conuertuntur in humorem, quàm per immodicum calorem eliquantem, vt apparet in febribus ardentibus, in quibus vrinarum multitudo excernitur, ob calorem eliquantem carnes. Quod ſi adeſſet tantus feruor in vtero, vt eliquaret in humores Molam, proculdubio mulier interiret ne locus eſſet generationi Hydropis. Præterea, ſi cōuertatur in flatum caro, ſcimus quod ex pauca quantitate carnis, maxima flatuum copia fieret, ita quod non poſſit contineri ab vtero. Accedit quod ex carne nunquam poteſt fieri flatus, quia flatus fit ex debili calore. Iam verò paucus & languidus calor nihil agit in carnem, eò minus in duram, qualis eſt caro Molæ.

Curatio Molæ.

QVoniam docuit Hippoc. Molæ curationem difficilem eſſe, aggredienda quidem eſt, ſed ſemper cum prædictione & proteſtatione: nec alius ſcopus habendus ſit in hac affectione depellenda,niſi vt Molam ex vtero quamprimum tollatis. Non poteſt autem tolli, niſi duo præſtentur. Vnum quod præparetur ipſa, quo poſſit expelli: Alterum vt excitetur expultrix virtus,quæ excitata tandem expellat id, quod grauat. Sed quoniam hæc etiam non poſſunt præſtari, niſi corpus vniuerſum expurgetur,ante alia neceſſarium erit corpus expurgare,atq; propterea operæ pretium erit rationem aliquam victus inſtituere. Dicebat Paulus continendam eſſe ægram in Aëre ſubobſcuro, in cubili immobili, ita vt pedes elatiores & quieti maneant: Exercitatio inhibenda eſt corpori,præſertim inferiorum partium. Aluus emollienda: Animus addendus Mulieri, quia ſub hac miſeria ſolent Mulieres deſpondere animos. Vtendum eſt vino moderato,tenui,geneſoſo: Cibus optimi ſit nutrimenti, quiq; vt emolliat & attenuet. Vſus Maluæ,Lapathi,Petroſelini, Carnium agnellorum, brodiorum pinguium, conuenit maximè in patiente Molam. Poſtea ſtatim emollienda aluus hoc modo.

℞. Florum Caſſiæ,Electua. lenitiui an.℥. vj. Miſce,fiat Bolus. Lenita aluo,præparantur humores totius corporis, vt expurgentur: ſemper habenda eſt ratio vteri, idcirco conuenit huiuſmodi Serapium, pro præparandis humoribus.

℞ Fol.

℞.Fol.Beton.Matricariæ,Arthemi,Mentaſtri,Pulegij an.M.j. Fol. Sabinæ,Men. Cyperi an.℥.j. Fiat decoctio ſecundum artem:deinde

℞.Decocti ℥. v. Syrupi de Arthem. de quinque radicibus, de Betonica an.℥.j. Miſce. Quo tempore præparantur humores, videndum an corpus plenum ſit, an ſanguis exuberet. Quod ſi ita ſit,proculdubio mittendus eſt ſanguis, & quidem à vena Saphenæ,eò quod ſtudium Medici hoc in caſu eſſe debet, vt fluxus ad inferna prouocetur. Poſtquam præparati erunt humores, deinde expurgandi. Laudant Arabes Hieras magnas,& Logodionis,Archigenis, Hieram Colocinthidis. Poteſt ita parari medicamentum.

℞.Electu.Indi.℥.s.Trochiſ.de myrrha ʒ.j.s.Specierum Hieræ,Trochiſco.Viola, Colocinthidis an.℈.s. Miſce. Cum Melle Roſato ſolutiuo fiat Bolus. Verùm corpore vacuato,ſtudendum eſt duos alios ſcopos implere,ſcil. primò, parare Molam ad expulſionem,emollire,Locos dilatare,præterea virtutem expultricem excitare. Pro primo ſcopo,ſunt medicamenta quæ potu exhibentur,ſunt & quæ extrinſecus adhibentur. Interius poterit accipi huiuſmodi potio.

℞. Sebeſten num.12.Paſſularum ℥.s.Caricas num.viij.Dactylos num.vj. Seminis Altheæ,Maluæ ana ℥.s. Contundantur omnia diligenter & bulliant in brodio parui pulli,ad conſumptionem tertij. Et capiatur dicti Brodij, ſingulo mane ℔. s. hoc etenim emollit,nec non locos lubricos,& faciles ad tranſmittendam Molam, reddit.Exterius autem adhibentur Fomenta,Balnea,Inunctiones quoque. Fomentum ſit tale:

℞.Radicum Altheæ ℥.ij.Lapathi ℥.j.Fol. Branchæ vrſinæ M. j. Sem. Fœnugræ. Lini,Seſami ana ℥.j.Fiat decoctio in aqua communi.Deinde hoc decocto foueatur pecten & loculus Muliebris.Poſt hanc fomentationem,illinantur loca ipſa,vt:

℞.Butyri ℥.ij.Adipis Gallinæ ℥.j.s.Succi Maluæ ℥.j.Myrrhæ,Galbani an.℥.Miſce ad ignem,& fiat Linimentum. Linimento hoc largè inungendæ ſunt partes illæ,& poſtquam erit emollita materia & loci hi,nihil ſupereſt,niſi vt virtus expultrix excitetur. Quomodo verò id præſtandum, ne omnia confundantur, docebo vos mox,vbi tractabo de extrahendo fœtu mortuo. Nam eadem remedia, quæ ibi conueniunt, etiam Molæ extrahendæ conueniunt, vbi præparata eſt, & loca emollita.

DE GRAVIDARVM CVRA.

CAPVT IV.

SED quia non ſat eſt vos cognoſcere,quomodo debeant Mulieres grauidæ reddi medicamentis,niſi etiam noueritis, quomodo ſint Conceptus ſeruandi: idcirco neceſſario eſt docere id ipſum hoc loco, quomodo ſcilicet debeant Mulieres grauidæ, quæ conceperunt, ſeruari. Hoc autem fit duobus modis: vno modo: Recta victus inſtitutione: altero medicamentis, quæ ſuccurrunt accidentibus ſuperuenientibus ipſis grauidis:quæ accidentia plurima ſunt: Vomitus, Inappetentia,Appetitus prauus, Saltus cordis, Flatus, Tumor pedum,& multa alia. Scriptum enim ab Ariſtotel. 4. de genet.animal.6. Animalia bruta, quo tempore gerunt vterum,ſemper ſana viuere, propter corporis exercitationes: Mulieres verò ſemper ægrotare, dum vterum gerunt. Rationem reddit, quia vitam ſolitariam

agant, otioſè degant, & hac ratione cumulantur excrementa, quæ ipſos Morbos inducunt,propter quæ dicebat Hippocrat. lib. 1. de Morb. Mulierib. grauidas ſemper palleſcere. Et Vitruuius cap.nono,lib. ſecundo, ſcribit: Mulieres grauidas nunquam perſtare ſanas & integras, neque etiam in venalibus integras exhiberi. Videndum igitur, quæ debeat eſſe victus ratio, in qua grauidæ ſunt continendæ. Aër debet eſſe temperatus, non admodum frigidus vel calidus: Auſtrinus maximè inimicus,quoniam eſt tertio Aphoriſm. ab Hippocrat. ſcriptum: ſub Auſtro ſolent frequenter Mulieres abortire. Debet locus mali odoris eſſe expers,vnde ſunt auertendæ cloacæ, ſentinæ, & tandem, quidquid tetrum mittit odorem. Inter odores graues, inimicus grauidis eſt odor extinctæ lucernæ. Dicit Ariſtotel. octauo de Hiſtoria animal. cap. 24. Mulieres grauidas, atque etiam Equas,ad odorem extinctæ lucernæ abortire. Dices cur fieri poſſit, vt ſolùm mali odores ita officiant. Dico hoc perpetuum eſſe,quòd vbi mali ſunt odores,ibi mala eſt ſubſtantia, quia fœtor perpetuam ſequitur corruptionem. Ego vbi fœtor, ibi corruptio & ſubſtantia mala. Iam verò ſcimus,etiam odores cum corpuſculis quibuſdam ingredi corpora noſtra, fœtus imbecillis eſt, patitur & à quolibet alteratur, propter quæ omnia cùm alij odores mali ingrediantur corpus grauidæ corrupti, ſpiritus inficiuntur, fœtus attrahit ſpiritus maternos, & cùm ſint infecti, inficitur ab ipſis: non patitur mater,ſed fœtus propriè, quia caro fœtus tenera eſt,flexibilis ad omnia, & ob id obnoxia omnibus & minimis paſſionibus. Prouidendum itaque vt grauidæ ſemper læto animo habeantur, omnes mœrores remoueantur, ab Ira retrahantur, & ab omni appetitu: nam nihil eſt quod æquè ipſis noceat, atque ſi aliquid optent vehementer, & ipſarum deſideria annihilentur: propterea ſcriptum eſt Phiſtum Philoſophum Pythagoricum & Trotulam Medicum antiquum cauiſſe,ne grauidæ frequentarent hortos, quia hæ optant fructus, herbas, quæ ſi concedantur nocent: ſi deſiderio fruſtrentur, exanimantur interdum. Terrores omnes etiam ablegandi, propter quod habetis apud Galenum lib. de Theriaca ad Piſonem, nonnullas grauidas ſolo tonitru fuiſſe exanimatas. Eſt hoc in loco contemplatio non inutilis, an vbi grauida vehementer appetit aliqua, conſueuerit ſignari fœtus, nam videbitis plurimos, qui habent ſigna, alij ſtigmata appetitus materni: circa quam contemplationem multi laborarunt,vt cauſas veras adinuenirent,ſed certè vt eſt res difficilis, ita difficile fuit omnino: neque meliorem rationem vllam video, quàm quæ ab Auicenna de Animalibus 5. adfertur. Quod vbi mulier aliqua vehementer appetit, illud ſemper animo voluit, quo fit, vt ſpiritus ipſos rei deſideratæ forma figuret. Spiritus verò formati figura rei deſideratæ, dum miſcentur ſanguini, quo nutritur fœtus, imprimunt ei eandem figuram, ex ſanguine verò dum caro gignatur, neceſſario, & eadem figurata remanet ipſa. Cur potius in vna parte, quàm in alia ſignum deſiderati remaneat: dicunt multi eſſe, quoniam vbi appetit, manu tangit illam partem. Sed has nugas eſſe exiſtimo, & puto hoc fieri vel caſu quodam, vel ob diſpoſitionem illius partis, quæ ſit apta magis figurari, quàm alia. Cauendum grauidis à geſtationibus in curribus: & fuit quandoque lex apud Romanos, ne Mulier curru veheretur, & propter hoc, cauendum à Curſu, Saltu, tripudiis, ab omni hominum frequentia,moderatè quidem corpora earum exercenda, in mediis præſertim menſibus. Circa Veſtitum quoque ipſarum, habendus eſt delectus, ne videlicet ſe nimis arctè induant, cognoui quæ ex hoc ſolo abortierunt. Tandem ita agendum, quod ſtatuit Plato 5. de Legibus, vt Mulieres voluptates omnes magnas, omnes dolores intenſos animi vitent, & tranquillam, quietamque vitam degant. Eſt

conſi-

conſideratione dignum,an mulier quo tempore vterum gerit, debeat habere conſuetudinem cum viro?Ex vna parte,videtur omnino ipſas eſſe continendas.Primò, quia periculum ſuperfœtationis,hæc autem periculoſa & mulieri & fœtui: præterea,etiam ex coitu prouocantur menſes,quàm autem damnoſum id ſit in grauidis, omnes vos ſcitis.Ex aduerſo, ſtatutum eſt nobis, mulieri non eſſe permittendum quidquam optare.Grauida libidinoſa eſt,imò dicebat Ariſt.7.de Hiſt. animal. & 4. de gener. animal. mulierem ſolam & equam grauidas pati maſculos, quanquam etiam ſint alia animalia,quæ videntur hoc pati;daſipodes videlicet,& lepores.Pro reſolutione huius dubij, mulier dum grauida eſt, vel appetit,vel non appetit: Si quando appetat, clarum eſt,quantum eſt ex ipſa,omnino continendam eſſe ab vſu veneris.Si verò appetat & vehementer,aut eſt in primis menſibus, vel mediis,aut poſtremis.In mediis menſibus,poteſt quidem mulier imprimè vti viro ſuo:In primis, nequaquam, quia periculum eſt; quoniam dicebat Galenus, ſunt fœtus eo tempore perinde ac fructus recentes,qui quolibet vel minimo vento decutiantur. Si verò ſit in poſtremis menſibus omnino abſtinendum eſt: & ratio eſt, quoniam vt ſcribit Ariſtot.7.de Hiſtor.animalium 4. fœtus ſolent exire muco oppleti, vbi mulier in ipſis poſtremis menſibus vtitur coitu.Sed quæres,cur ſit, quòd ſola mulier,potiſſimum dum grauida eſt,virum admittat,cætera verò bruta,aut omnia,aut plurima, nunquam patiantur dum grauida ſunt marem? Popia ſiue Populea M. Agrippæ filia interrogata fuit, cur beſtiæ non coëant, niſi quando volunt concipere, mulier verò licet conceperit,vtatur viro. Reſponſum dedit hæc bona fœmina: cauſam huius eſſe,quoniam illæ beſtiæ ſint. Lactantius libro de vero cultu cap.23. duas cauſas retulit huius euentus. Prima quam adfert, eſt Deum immortalem hoc dediſſe humano generi,vt fœminæ ſine noxa grauidæ ſuſtinerēt virum, ne ſcilicet viri alienas mulieres cogantur calcare. Altera cauſa eſt,hoc factū à Deo, vt mulier grauida renuens virū poſſit mereri nomen pudicitiæ.Etenim belluæ nō poſſunt dici pudicæ ex hoc actu,quia hoc faciūt propterea,quòd nocet ipſis coitus valde. Mulieres verò electione agunt, quæ agunt, non autem propter moleſtiam, quoniam nullam inde percipiunt. Hæ cauſæ allatæ à Lactantio, morales ſunt & Chriſtianæ. Verum cauſa naturalis,qua puto id contingere,eſt,quia matrix & vulua in brutis,dum gerunt vterum extuberant valde,& maximè ſunt propinquæ foramini exteriori:vnde bruta,quæ alioqui genitalia magna habent, facilè hinc genitalibus impellunt vterum plenum & percutiunt, quæ percuſſiones dum moleſtæ ſunt,fœminæ brutorum ſuſtinere nequeunt,ideò reſiſtunt. Vnde, ſi quæ ſunt animalia inter beſtias,quæ habent genitale breuius,laxius & paruum,fœminarum vteri dum pleni ſunt non extuberant: iſta etiam animalia plena ſuſtinent coitum, vt daſipodes.Mulier verò primo habet locos ante vterum valdè craſſos,ita vt vterus plenus ipſis non extuberet, adhuc genitale humanum non adeo longum vel durum,& idcirco dum mulier vtitur viro,non tangitur ipſius vterus à genitali viri, & ſi tangatur, non adeo percutitur vt moleſtiam vllam notabilem ſuſtineat, propter quod dicebat filia illa Auguſti, Iulia,ſe plena naue, conſueuiſſe libenter vectorem tolerare.Cibi mulieris quæ in vtero habet,debent eſſe neque multi,neque pauci: potius tamen ſi quid peccandum eſt, in multitudine peccare debet, quàm in paucitate. Aquæ frigidæ potus mirificè fugiendus eſt & aquæ crudæ: quoniam ex Hippocratis libro de aëre, aquis & locis, & Ariſtotelis quarto de Generat.animal. 2. huiuſmodi aqua valdè inutilis & noxia eſt grauidis. Fructuum vſus vitandus,quoniam ſcimus multas mulieres & fœtus interiiſſe ex eſu immodico fructuū.Res quæ flatum gignunt,aduerſiſſimæ ſunt grauidis,ſed præ cæteris, aduerſiſſimus

aduerſiſſimus eſt frequens rerum ſalſarum vſus. Ariſtoteles 7.de Hiſtor.animalium 4. ſcribit. Quòd ſi grauidæ vtantur nimio ſale, quod fœtus oriuntur ſine vnguibus. Hippocrates autem de ſuperfœta. ſcribit, quòd vbi infans oritur ſine vnguibus, minimè vitalis eſt. Dices quæ cauſa ſit, quòd vſus ſalſarum efficiat, vt fœtus exeat ſine vnguibus? Dico hanc cauſam eſſe, propterea quòd vt habet Hippocrat. libro de Carnibus, Vngues fiunt ex parte glutinoſa & viſcida: Vſus ſalſarum adimit omnem viſcoſitatem, attenuat ita, vt deficiente materia Vnguium, neceſſario fruſtretur ipſorum ortus. Iam verò contra Vomitum conueniunt conſtrictiones manuum & pedum, præſertim à cibo. Frictiones, moderatæ inunctiones, etiam quæ retinent: veluti eſſent huiuſmodi, ventriculo facta.

℞. Olei Cidonio. Maſtichini, Succi Labruſcæ ana ℥. j. Pulue. Coral. rub. Myrtillo. an. ʒ j. Ceræ parum. Miſce, fiat Linimentum. Vſus Diacydoni. ſine ſpeciebus conuenit. Conueniunt, vt docet Auicenna, Grana punica in ore retenta. Si cadat appetitus, aut ſi laborent appetitu prauo, quemadmodum ſæpe ſolent mulieres in primis menſibus, ſuccurrendum vt dictum eſt aliàs. Laudat Ægineta vſum vini vetuſti & odorati, Aquam virgæ paſtoris potatam, & præſertim poſt cibos: Anethum etiam vino maceratum. Sed aduertendum, quòd in appetitu corrupto prudenter agendum cum grauidis, quoniam, vt dictum eſt, ſi denegentur res optatæ, grauiſſimè offenduntur, offenduntur quoque ſi concedantur. Propterea inter alia in his caſibus ſtudendum, vt perſuadeatur blandè grauidis, ne velint ſumere res prauas, ne optent noxia. Trotula Medicus, quem mulierem fuiſſe putant, laudauit in his caſibus Fabas Saccharo conditas, quaſi eæ adimant omnes prauos appetitus Mulieribus. Si Flatus fuerint in ventriculo & toto grauidæ vtero, prouidendum, cum diſcutientibus flatus, cum ſacculis, inunctionibus, ne tamen exhibeantur intus, quæ Mulieri diſcutiant flatus, vt Anethum, Fœniculum, eò quod vſus horum immodicus prouocet menſes: & in grauidis, nihil pernicioſius habetur, quàm prouocare menſes. Pro ſaltu cordis, ſiue palpitatione, qua ſolent grauidæ exerceri, laudarunt Paulus & Auicenna potum aquæ calidæ, exercitium blandum, frictiones, & præſertim partium ſupernarum: quod aduertendum, vt quando in vſum veniunt frictiones, in grauidis numquam fricentur inferna, ſed ſemper ſuperna, eò quod ex partium infernarum frictione prouocentur menſes, quod periculoſiſſimum eſt. Ad tumorem pedum inter alia procuranda eſt optima coctio, pòſt in vſu habendæ lotiones pedum, ex aqua marina, vel ſalſa, vel aqua, in qua ſit coctum Chamomillum, Anethum. Oleum Chamomelinum cum ſale, fomentationes etiam ex ſale, quæ omnia blandè tollunt tumorem pedum ſine noxa, & ſummatim in grauidis, vbi conſilium occurrere ſymptomatibus, debent omnia blandiſſimè agi, nec vti illis remediis grauibus licet, quæ ſolent in aliis ſimilibus accidentibus adminiſtrari.

HIERONYMI MERCVRIALIS DE MORBIS MVLIEBRIBVS

LIBER II.

De Morbis qui circa partum contingunt.

DE ABORTV PARTVVE QVI non ſit tempore debito.

CAPVT I.

SEQVITVR, vt de vitiis quæ in Partu contingunt agamus:quæ duobus modis contingunt,vel quia partus non fit debito tempore , vel quia non fit debito modo. Primò agendum de vitiis quæ contingunt in Partu,qui non fit debito tempore : ſi enim non fit debito tempore , eſt quia antecedit,fit enim citius & maturius,quàm conueniat.Nam nunquã dicetur Abortus ſi excedatur tempus pariendi,ſicuti,ſi verum eſſet,quod dicit Auicenna, & Petrus Aponenſis, quandoque decimo quarto menſe Mulierem peperiſſe , nunquam appellatur Abortus , quia non eſt vitium. Vt verò ſciatis quænam ſint non debita partus tempora, ſciendum quodnã ſit tempus à natura Mulieri conſtitutum. Ariſt. 7.de Hiſt.animal.4.ſed ante ipſum etiam Hipp.lib.de ſeptimeſtri & octimeſtri partu,fuerunt in hac ſententia,quod tempus pariendi ſit ſeptimus Menſis,octauus,nonus & decimus.Et Ariſtoteles,qui omnia cõſiderauit,addidit ſententiæ Hippocratis vni homini data eſſe à natura pariẽdi varia tempora.Bruta verò(inquit)hoc non habent,quia quodlibet genus brutorum, conſtitutum aliquod habet tempus , nec vllum aliud præterea. Vnde Canis ſemper quarto Menſe, Equa nono aut decimo, Elephas ſemper ſecũdo anno:ſolus homo plura tempora habet.Cur verò hoc habuerit,à nullo inuenio explicatum, puto tamen naturam ſolicitam propagationis humanæ & conſeruationis fœtus humani,voluiſſe,vt non vnũ tempus haberet,vt ſcilicet,vel ſi maturius,vel ſi tardius exiret,poſſet viuere.Itaque cùm hæc tempora homini ſint conſtituta,ſequitur vt quotieſcunq; oritur infans ante ſeptimũ menſem , ortus ille ſit ante debitũ tempus , & eiuſcemodi ortus,dictus eſt ab Atticis ἀμφλίωσις ſiue ἄμφλωσις,Primo in 6. Epid.2. & alibi ex Gal.appellatus eſt, ab Hipp. ἔκθροσμος,ἀποφθορὰ,interdũ locis citatis.Latini omnes modò Aborſum appellarunt, modò Abortum. Sed hìc occurrit dubitatio,an videlicet octimeſtris partus debeat vocari Aborſus. Ex vna parte videtur quòd ſic, quià vt meminit Ariſtoteles locis citatis & Hipp. lib. de octimeſtri partu , ſiue ſuus fuerit , ſiue Polybi. nam Clemens Alexandrinus 6. Stromaton citat hunc tanquam Polybi , non Hipp.

Dixe

Dixerunt octimeſtrem partum non eſſe vitalem, imò etiam grauidæ periclitantur in hoc menſe, vt hac ratione, non videatur eſſe partus legitimus, ſed potius Abortus, ſiue Aborſus. Ex alia parte eſt autor Ariſt. locis citatis, vbi numerat octauum menſem, inter tempora conſtituta à natura, pariendi in hominibus. Accedit, quod idem ſcribit, viuere in Ægypto octimeſtres partus: Auic. item de Hiſpania affirmauit. Pro ſolutione huius ſententiæ, quòd octimeſtris nequaquam debet dici Aborſus, neque partus illegitimus. Et propterea, veteres omnes videntur quodam peculiari titulo appellaſſe hunc partum octimeſtrem: non eſt dicendus Aborſus, quia hic eſt propriè imperfectus fœtus: Iam verò octimeſtris eſt totus conſummatus: non eſt etiam legitimus partus, quia ex centum qui ita naſcuntur, vix vnus aut alter ſuperſtes viuit, præſertim in noſtris regionibus: Eſt itaque partus non legitimus. atque hoc eſt oraculum illud, ſiue Ænigma, quod Hipp. reliquit in lib. de Alim. ſub iis verbis: Eſt, & non eſt octimeſtris generatio, de quo plura in quarto variarum lectionum Mercurialis. Dices, cur eſt quod fœtus viuunt ſeptimo menſe, octauo viuere non poſſunt? Præterea, quæ eſt ratio, cur in Ægypto viuant octimeſtres partus? Aſtrologi, vt redderent huius rei rationem, dixerunt, quemlibet menſem conceptionis, gubernari à proprio quodam Plantea, octauum gubernari à Saturno: qui quoniã frigidus& ſiccus Planeta eſt. Frigiditas verò & ſiccitas, inimicæ eſt vitæ, hinc dicunt partus natos ſub hoc menſe, non eſſe vitales. Sed Picus Mirandula, tert. contra Aſtrologos, refutauit hanc opinionem, & rectè, quia imaginarium hoc eſt, quòd menſes deputati ſint ſingulo Planetæ: quia cum maximè & infinito modo varient menſes, ita quod reperiatur vna grauida in ſeptimo, altera in octauo & quarto: eſt veluti confuſio dicere, quod huiuſmodi mulieri in hoc menſe hic Planeta, & ille alter, præſideat. Polybus ſiue Hipp. lib. de Septimeſtri partu, attulit aliam rationem & meliorem, ſc. quòd partus in vtero, ſemper 8. menſe laborat, non admodum valet, vnde, ſi eo tempore quo laborat, exeat in lucem, atque experiatur hanc mutationem, proculdubio ſuccumbit & moritur, quia, cum ſit naturaliter infirmus, eo tempore vt permutetur ab aëre & loco valde diuerſo, ab eo in quo erat, proculdubio non poteſt ſuſtinere huiuſmodi perturbationes. Quomodo verò laboret in vtero, octauo menſe, explicat Auic. 21. tertij Tract. de Abortu, & Albertus Magnus 10. de Anim. tract. 2. c. vltimo, qui omnes, quaſi explicantes Hip. ſententiam, dixerunt: Idcirco laborare fœtum in vtero octauo menſe, quia ſeptimo menſe, cum fœtus ſit grandior & conſummatior, opus habet multo nutrimento & multo aëre, quæ omnia, cum ſibi deſint, quærit exitum & incipit moueri. Quod ſi exeat eo tempore, ſuperſtes viuit, quia iam conſummatus eſt. Quod ſi non exeat, ſed retineatur in vtero, ob labores quos ſuſtinet ſeptimo menſe, dum nitebatur exire, in octauo debilis eſt, languidus, infirmus, ita vt neceſſarium ſit ipſum adhuc in vtero permanere, vſque in nonum menſem, vt recreetur & reficiatur, quoniam in nono menſe, cum poſtmodum ſit refectus, & languorem omnem & infirmitatem depoſuerit, dum egreditur, egreditur valẽs quidem & incolumis, & propterea vitalis eſt. Qua de re Picus Mirandula, loco citato, maximè errauit, qui exiſtimauit ſententiam Hip. & Auic. diuerſam eſſe, tradidit tanquam diuerſas, cum tamen non ſint diuerſæ. Sed Auicen. & Albertus explicarunt ſententiam Hipp. Cur porrò in Ægypto & Hiſpania, octimeſtres partus ſint vitales, Ariſt. attulit rationem: Vnam ſcilicet, fertilitatẽ mulierũ & facilitatẽ pariendi, inquit enim, quod cũ iſtæ mulieres facilè pariant, ſint robuſtæ, robuſti quoq; ſint eo tẽpore fœtus, eò quod dum exeũt nõ ita offendũtur à loco ſibi aſſueto. Sed addatur & altera ratio, quia aër Ægypti calidus eſt, aër verò calidus magis eſt ſimilis loco vteri, in quo permanebat fœtus

Et

Et propterea, licet fœtus 8.menſe exeat imbecillis, eo in loco, nõ tamen ita offenditur, in cœlo ſibi inſueto, quia non multum eſt diſſimile à loco priſtino. Itaque Aborſus propriè dicitur partus omnis, qui exit ante ſeptimum menſem: vnde manifeſtum eſt erraſſe Conciliatorem, qui dicit, quandoque viſum eſſe fœtũ in ſexto menſe vixiſſe. Eſt enim, vt dicit Ariſt. quod ſæpe errat mulier in numerandis mẽſibus conceptus, vt accipiant ſextum pro 7. Verum quidem eſt quod interdũ exeat fœtus 10.menſe & præſertim fœminæ, quoniam ex Hipp.locis citatis, & Ariſt.fœminæ tardius in vtero perficiuntur: Viri verò celerius, ob caliditatem. Extra vterũ verò, fœminæ citius perficiuntur, non ſolùm ſecundum corpus, ſed etiam ſecundum animam: eò quod fiunt citius prudentiores, quàm viri. Quanquam Ariſtoteles, qui locum hunc Hippocratis accipit, dicat, ſolum perfici citius fœminas extra vterum, quoad corpus ſolum; quod dixit, quoniam loquitur de omnibus animalibus, nõ ſolum de homine. Eſt ergo Aborſus, fœtus imperfecti emiſſio ante debitum tempus. Quod ſymptoma eſt in genere actionis naturalis læſæ, ſcilicet facultatis contentricis vteri, quia facultas contentiua Vteri debet fœtum continere vſque ad tempus debitum, vbi verò non detinet, dicitur omnino deprauata eſſe & vitiata. Vitiatur verò multis de cauſis: nam morbi quos ſequuntur Aborſus, ſunt omnes ferè morbi & vteri & corporis, malæ intemperies, ſolutiones continui, & malæ compoſitiones. Omnia hæc morborum genera poſſunt etiam ſeparatim & coniunctim offendere virtutem contentiuam, ita vt non contineat fœtum.

Cauſæ.

CAuſarum quæ ad Abortum efficiendũ concurrũt, aliæ ſunt Internæ, aliæ ſunt Externæ. Internarum, aliæ pertinent ad Animum, aliæ ad Corpus. Quæ pertinent ad Corpus, ſunt hi morbi qui exercent corpora hominũ, ſcilicet, Malæ intemperies, ſolutiones continui, & malæ compoſitiones. Calida intemperies, clarum eſt quod Aborſum facere poſſit, hac ratione: quia calor depopulatur humorem, quo deſtitutus fœtus, neceſſario corrumpitur. Similiter, frigida intemperies Abortũ facit, duabus de cauſis, quia frigus eſt vitæ aduerſiſſimũ, ad hæc in frigida intẽperie prauum nutrimentũ ſuggeritur fœtui, & conſequenter, fœtus priuatus hoc nutrimento bono, neceſſario interimitur. Dicebat Gal.2.de Locis affectis vltimo, quod frigidæ mulieres ſunt pigræ, ſomniculoſæ & pituitoſæ, propter quod fit vitioſum alimẽtum. Hipp.lib.de veteri medicina, ſcriptum reliquit, quod temperatum accedit frigido à calido, & rurſus accedit temperatũ calido à frigido, quod ſi vtrumque ſeparetur, affligit, inquit: ſicuti enim videmus fructus hyberno tempore minimè maturare, ita cõtingit, quòd fœtus in vtero frigido minimè maturare poſſunt. Humida ſimiliter intemperies facit Abortum, eò quod primò ligamenta non conſolideſcunt: Secundò, ſemper acetabula vteri, muco ſunt plena, propter quod fœtus facilè ab hac humiditate quaſi ſuffocatur. Tertiò, ex humida intemperie retentrix vteri fit infirma; & conſequenter vſque ad tempus debitum minimè fœtum continere poteſt. De his ſcribit Hipp.5.Aph. 45. quod quæcunque mediocriter corpora habẽtes, abortiunt 2.aut 3.menſe ſine occaſione manifeſta, his acetabula vteri plena mucoris ſunt: id namque contingit quod in terra lutoſa, & aquoſa, in qua non poſſunt Plantæ coaleſcere, neque perdurare. Sicca intemperies efficit & ipſa Abortum, eò quod ligamenta, veluti cordæ exſiccatæ, diſrumpuntur. Præterea, fœtus facilè priuatur nutrimento, & facilè hac ratione corrumpitur, quemadmodũ videmus plantas citò corrumpi in terra arida & arenoſa. Hæ verò intemperies non ſolùm faciunt Abortum, quia ſunt in vtero ipſo, ſed etiam quando totum corpus malè habet:

habet: nec ſolùm ſimplices nocent, imò verò magis nocent, ſi ſint copulatæ vel humoribus, vel flatibus. Quod verò flatus vtero incluſi Abortum efficiant, clariſſimum eſt. Præter has intemperies, eſt etiam habitus corporis in cauſa ſæpè, vt fiat Aborſus, veluti ſi corpus ſit nimis gracile, vel nimis craſſum. Dicebat Hippocr. 5. Aphoriſm. 44. & lib. de Superfœ. quod mulieres craſſæ, aut tenues nimis, aut non concipiunt, aut abortiunt. Tumores, vlcera vtero ſi innaſcantur, & ipſa faciunt Abortum, quoniam, vt eſt apud Hippocratem 5. Aphoriſm. 43. in vtero grauidæ ſi fiat Eryſipelas, lethale eſt. Imo verò vt ſcriptum eſt Aphoriſm. 30. eiuſdem, grauidam mulierem quolibet acuto morbo corripi, lethale. Cauſæ *internæ* ex parte Animi, ſunt paſſiones omnes, vt Ira immodica, lætitia, & tantum poteſt lætitia in animis mulierum, vt legatur etiam mulieres non grauidas, inanimatas eſſe. Triſtitia quoque & Riſus poſſunt id efficere, præſertim quoque Horror, vt ſcriptum eſt ab Hippocrate primo de morbis mulieb. & à Galeno 2. in 3. Epide. 8. Si mulieres, videlicet grauidæ, horrendum quid conſpexerint, ſtatim ſcilicet diſperdere fœtum. Imò habetur in Coacis prænotionibus, quod ſpiritus cum ſuſpirio emiſſus, in grauida Abortum facit: poſſunt idem & Vigiliæ nimiæ. Cauſæ *externæ* Abortus & ipſæ plurimæ ſunt, imprimis Aër omnino fœtidus & corruptus, vt ſi plenus ſit prauis odoribus, præſertim odore extinctæ lucernæ: Aër inconſtans, inclemens: habetur apud Hipp. 3. Aphor. 12. (quem locum mutuatus eſt Ariſtot. 1. prob. 9.) Quòd ſi hyems fuerit Auſtralis & pluuioſa, ver autem ſiccum & Aquilonium; mulieres quibus partus imminent in vere abortiunt. Sic dicit Auicenna & Albert. Magnus 10. de Animalibus tractat. 2. cap. 2. Quod in regionibus Borealibus, in regionibus nimis frigidis & calidis, facilè mulieres abortiunt. Exercitationes corporis omnes maximè hoc poſſunt: curſus, ſaltus, percuſſiones & caſus etiam. Etenim ſcitis, quod ſicuti fructus colligantur propriis arboribus, ita etiam fœtus colligantur vtero: propter quod Stoici dixerunt, fœtum non eſſe animal, ſed partem vteri: contra quos ſcripſit Galenus libellum. Vt ergo fructus concuſſionibus, ventis, decidunt: ſic etiam fœtus, ex nimiis motibus & percuſſionibus violentis, decidunt facilè, ſi violenti ſint motus, etiam corrumpuntur. Balnea etiam, inter has referuntur cauſas, eò quod ex nimio vſu Balneorum, ita molleſcunt ligamenta, vt pondus fœtus non poſſint continere. Omnis euacuatio, ſiue ſanguinis, ſiue alterius rei, Abortus cauſa eſt. Et propterea Hipp. 5. Aphoriſ. 32. dicebat: mulieribus grauidis ſi fluxus alui ſuperueniunt, abortiunt. Hac eadem ratione medicamenta fœtum corrumpunt, tum quia aluum nimis mouent; tum etiam quia inimica ſunt vitæ, vt eſt Elaterium, Radix Cyclamini, Sabina. Sectio venæ, dicebat Hippoc. 5. Aphoriſm. 31. abortum facit, præſertim ſi fiat poſtremis menſibus, quia in aliis menſibus ſæpe contingit vt ſectio venæ, non modò non noceat, verùm etiam proſit. Coitus multus, præſertim poſt ſeptimum menſem, inter cauſas Abortus etiam annumeratur, eò quòd agitatur fœtus & conſequenter labaſcunt ligamenta & franguntur. Cibus & Potus, ſiue multi ſint, ſiue pauci ex 1. lib. de Morbis mulierum, faciunt Abortum. Refert enim de ſorore Caij Duelij, quod cũ grauida eſſet, inter epulas nimis ſaturata, ſtatim abortum fecit. Sunt etiã quædam Ciborum genera, quæ facultatem habent corrumpendi fœtum, præſertim edulia, quæ prouocant menſes, quæ nimis refrigerant; ſic potus aquæ frigidæ, potus vini frigidioris, ſæpe Abortũ facere ſolẽt. Sunt poſtmodum & quædam alia, quæ proprietate quadam dicuntur facere Abortum: cuiuſmodi Leporem marinũ eſſe refert Plinius. Galenus lib. de Theriaca ad Piſonem ſcribit, quod ſi grauida trãſeat ſuper Amphyſbenam ſerpentem, ſtatim abortit: idem dicunt ſi tranſeat ſuper radicem

Cyclamini.

Cyclamini. Dubitatio eſt, an inter cauſas Abortus, debeat adnumerari etiam anguſtia vteri. Ex vna parte,ſunt tres autoritates Hippocratis. Vna eſt lib.de Superfœt.altera, lib. de Sterilitate, in quibus ſcribit, quod ſi mulier in tertio,quarto & quinto menſe,abortum faciat, atque hoc pluribus vicibus & ſemper eodem tempore,hoc eſſe,quia vterus amplius diſtendi non poteſt. Et in his locis Hippoc. docet, quomodo medicamentis ſit vterus extendendus,eò quod facile eſt videre inde,quod anguſtia vteri ſit interdum cauſa Abortus: & in patria mea eſt nobiliſſima mulier,quæ ſemper abortum facit ſeptimo iiſdem præcisè diebus,iam quater. Tertia autoritas Hippocratis eſt primo de Morbis mulieb. vbi ſcribit, quòd ſi Vterus ſit vel nimis magnus,vel nimis paruus, quod ſit Abortus. Ex altera parte, ſunt omnes ſcriptores,Galenus, Auicenna, Albertus, qui omnes nullum fecerunt verbum inter cauſas Abortus, de Anguſtia vteri, vnde non videtur rationi conſentaneum,potuiſſe ſilentio ab iis prætermitti.Sententia mea eſt: Vteri anguſtiam non poſſe eſſe cauſam abortus, ad quod credendum impellit, non ſolùm quia Galenus & alij id ſiluerunt, verùm etiam, quia vt clariſſimè explicatum eſt à Galeno & Auenzoar, vterus fabricatus eſt à natura talis, vt ſemper poſſit extendi vſque ad conformationem partus. Præterea, anguſtia vteri poteſt quidem auferre augmentum & magnitudinem fœtus, ſed non poteſt auferre vitam. Probo, quia anguſtia nihil aliud facit, niſi quod prohibet dilatationem carnis; quod dilatetur caro, non videtur eſſe ex rebus neceſſariis vitæ, exemplis externis. Qui volunt enim facere catellos paruos, vt docet Ariſtoteles in problematibus, concludunt ipſos ſtatim vt nati ſunt,vaſis anguſtis,prohibetur inde ſanè augmentum,non autem vita. Accedit etiam aliud:ſi enim capiantur fructus, dum ſunt alligati propriæ matrici, & ita acerbi concludantur vaſe aliquo, videbitis illis auferri augmẽtum,ſed non vitam,quemadmodum Ariſt.10.probl.14. & Rhaſes 9. Continen. ex autoritate Rabi,qui omnes fœtus paruos fieri in anguſtia vteri, non autem mori, huiuſmodi exemplis docent. Sic etiam exiſtimo quod vterus anguſtus poterit efficere vt fœtus gignatur paruus,ſed quod corrumpatur,hac ſola cauſa nequaquam fieri exiſtimo. At Hippoc.vt hoc tanquam πάρεργον explicemus, libri illi duo ſunt editi à diſcipulis Hippoc.quia ferè eadem dicuntur in vtriſque libris,de Superfœtatione videlicet,& lib.de Sterilitate. Sed fuerunt diuerſi diſcipuli,qui ediderunt ſub diuerſis titulis,& propterea, multa ſunt potius digna diſcipulis, quàm Magiſtro;& idcirco non accepti ſunt à poſteris.Sed dices, Galenum non ſoluiſſe hanc cauſam, quoniam tert.natural. facul. 12. videtur reduxiſſe cauſas Abortus ad tria genera,ad Molem videlicet, ad Pondus & ad Morſum. Ad Molem, quando dicit vterus extendi non poteſt.Ad Pondus, quando ligamenta præ debilitate ſua ſuſtinere non poſſunt fœtum. Ad Morſum, quando vel fœtus corruptus eſt, vel ligamentis diſruptis, exit Ichor per vterum. Ergo videtur, hoc loco inter cauſas Abortus etiam recenſeri vitia vteri. Dico, Galenum loco illo hoc agere, vt demonſtret,quibus de cauſis vis expultrix poſſit excitari: inquit etiam quod ſemper excitatur à moleſtia,hæc verò naſcitur vel à Mole,vel à Pondere,vel à Morſu.Sed excitatur hæc vis expultrix,non ſolùm in Abortu,verùm etiam in partu, ita quod Galenus loquitur eo in loco de cauſis excitantibus facultatem expultricem, tam naturalibus, quàm violentis: perinde ac ſi loquatur ibi, tam de partu naturali, quàm de Abortu. Quod ſi ita eſt, dico, quod quando dicit Galenus excitari vim expultricem à mole,quando extendi non poteſt, tunc loquitur de Partu, non autem de Abortu,quia vis expultrix, tempore partus legitimi, excitatur à moleſtia, quam infert moles fœtus: cùm enim tunc grandiuſculus ſit, non poteſt amplius

extendi,& propterea moleſtatur vterus, vt ad expellendum inſurgat. Ad alteram Hippoc.auctoritatem,in lib. de Morbis Mulieb. dico, tametſi concedatur in vtero paruo facilè Abortum fieri, non id tamen fateri cogimur fieri ob anguſtiam, ſed potius quia in vtero paruo, parua etiam ſunt vaſa, paucum nutrimentum, quo fit facilè vt fœtus deſtitutus nutrimento, ante tempus iuguletur.

Signa.

SIgna Abortus,alia futurum portendunt,alia fœtum inſitum,iam mortuum eſſe indicant, alia cauſas Abortus oſtendunt, alia de ſalute nobis argumentum adferunt.Quod ad primum genus ſpectat,eſt ab Hippocrat. ſcriptum quinto Aphoriſm.trigeſimoſeptimo & trigeſimooctauo , quod videlicet Mulieri vterum gerẽti,ſi mamillæ gracileſcunt, abortiunt. Imò dicit : quod ſi altera duntaxat mamilla gracileſcat, vtpote dextra, maris fit abortus : ſi ſiniſtra, fœminæ. Cuius rationem dicit Galenus,quoniam eius fuit ſententiæ,vt mas in dextra parte,fœmina verò in ſiniſtra vteri parte gignatur. Dices , quî hoc fieri poteſt , quandoquidem fieri videmus quod etiam ſine abortu , Mamillæ gracileſcunt ſæpe? propterea videtur hoc admodum rationi conſentaneum, quoniam ſicuti vbi mulieres parturiunt & fœtus exit, Mammæ ſolideſcunt,magis etiam grandiores fiunt : ſic videretur potius, quod vbi extinguitur fœtus,pari ratione deberent Mammæ grandiores fieri. Dico id quod ſcriptum eſt apud Hippocrat.lib.de Natura pueri, quod vbi conceptus eſt in vtero,ex ſanguine deſtinato vtero exſugit ſibi dulciſſimam partẽ,quod reliquum eſt pinguioris, mittitur ad Mammas per communionem vaſorum, vnde collectus ibi ſanguis , efficit vt Mammæ magis tumeant & fiant grandiores. Vbi verò fit Aborſus, & fit aut ſubito,aut paulatim. Si ſubito;eſt propterea quod magna vi frangantur ligamenta, quibus fractis, ſanguis magna vi erumpit, nec modò erumpit is ſanguis qui eſt in vtero,verùm etiam ille qui eſt in Mammis : atque ita fit , vt vbi fit Aborſus , Mammæ gracileſcant. Quod ſi fiat Aborſus paulatim,eſt propterea,quod fœtus deſtitutus eſt proprio alimento,vnde cogitur etiam exhaurire id,quod eſt in Mammis,vnde mammæ gracileſcunt,fœtus verò corrumpitur: quia vbi in Mammis non eſt amplius ſanguis , ſignum eſt etiam , nec eſſe in vtero , qui poſſit fœtum nutrire & conſeruare. Sed dices Hippocratem eo in loco ſcribere , quod vbi fit partus naturalis & legitimus , fit quia fœtus non fouetur nutrimento quo deberet : vnde fruſtratus proprio numento , dicit Hippocrates, incipit calcitrare, mouere pedes & manus , ex quo motu fit vt ligamentis ruptis, exeat tandem fœtus. Ergo fit etiam partus naturalis , ob defectum alimenti, tamen in hoc ſolideſcunt & grandiores fiunt Mammæ : ergo deberent etiam in Abortu fieri grandiores , aut ſaltem ſi gracileſcunt, non gracileſcunt ob defectum nutrimenti fœtus. Reſpondeo, alimentum paucum eſſe, dupliciter intelligi poteſt,vel reſpectiuè,vel ſimpliciter: vbi partus legitimus propinquus eſt, deficit quidem nutrimentum,ſed reſpectiuè, quia licet adſit copioſum nutrimentum, eſt tamen fœtus grandior, & propterea comparatum nutrimentum magnitudine fœtus , dicitur eſſe paucum. Ex aduerſo in noſtro caſu eſt , quia vbi fit Abortus paulatim,eſt quia deficit ſimpliciter alimentum , hoc eſt , quia nec theſaurus ſanguinis in Vtero , nec etiam in Mammis reſeruatus eſt. Itaque vera eſt ſententia Hippocratis , quod ſi Mammæ gracileſcunt , fit Abortus. Addit Auicenna & Albertus, quod non ſolùm fit Aborſus, ſed eadem die. Sed vt intelligatis ſententiam Auicennæ , quia non eſt vſquequaque adeò vera , ita eſt interpretan-

pretanda. Quod vbi Mammæ derepente & vehementer gracileſcunt, eadem die fit Aborſus: rurſus, ſi pleuritis, vel morbus alius acutus exerceat grauidam,etiam hoc indicium eſt futuri Abortus. Similiter dicebat Hipp. 5. Aphor. 52. quod ſi lac multum effluat è mammis, ſignum eſt Aborſum futurum. Multitudo dolorum in vtero, in Febribus, rubor maior faciei, capitis grauitas, laſſitudines inſuetæ, ſunt argumenta futuri Abortus.Et præter hæc ſi cauſæ facientes Aborſum adſint, ſuſpicandum eſt Abortum futurum eſſe.Signa verò quæ iam mortuum fœtum eſſe demonſtrant,ſunt pallor,faciei præſertim, Labiorum,Frigiditas vteri,Motus ablatus fœtus, Animi deliquia, Conuulſiones quædam membrorum. Deinde, ſi ex vtero aquoſa & fumoſa excrementa exeant,deinde etiam ſubrubra.Hæc etiam indicia ſunt, non modò futuri Aborſus, ſed etiam propinqui. Signa cauſarum ſunt: quod ſi fiat à cauſis extrinſecis, cognoſcetur ex relatione & præſentia ipſarum cauſarum. Si verò internæ, & fuerunt Morbi,propriis indiciis cognoſcentur:vt ſi ex vlcere, ex intemperie aliqua vteri, ſimiliter ſi ob craſſitiem aut tenuitatem, intelligetis quando nullæ aliæ cauſæ aderunt. Quod ſi materia flatulenta faciat Abortum, itidem cognoſcetur, quoniam nulla alia cauſa aderit, ſolummodo tenſio ſine grauitate in vtero, copioſi flatus erumpentes ex vtero: ſic quoque iſtæ vtilitatem percipient ex rebus flatum diſcutiėtibus,maximam.Scribunt Galenus, Auicenna & Albertus, quod ſi fœtus corrumpatur à ſecundo menſe, ad ſextum, quod hoc ferè ſemper ortum ducit,vel à nimia humiditate, vel à flatu, nec eſt negligendum quod addunt Auicenna & Albertus,ſcilicet ſi fœtus corrumpatur primis diebus,id naſci ex ſubtilitate & tenuitate ſpermatis. Explicant, & rectè, quia ex materia ſpermatis, vt noſtis,fit tela illa fortis, quæ Secundina dicitur. Si ſperma fuerit denſum & craſſum, fit hæc tela valida: ſi materia ſeminalis ſubtilis eſt, efficitur hæc tela infirma admodum & laxa, quo fit vt nec etiam in principio poſſit fœtus ab ipſa ſuſtineri.

Prognoſtica.

PRognoſtica Abortus ſunt, quod in Abortu ſemper mulier periclitetur, vt dicebat Hippoc.lib.de Superfœ.& in primo de Morbis muliebribus. Sed potiſſimum periclitatur in octauo menſe mulier,ratio eſt:quia fœtus eo tempore grandiuſculus eſt,nec non niſi magna vi exire poteſt: præterea ſemper,vt aliàs dictum eſt,in octauo menſe & fœtus & grauidæ magis laborant, infirmiqueſunt. Aëtius in lib.16.cap.19. ſcribit, quod in Abortu minus lædantur illæ mulieres quæ ſunt ſaniores,quæ aluum laxam habent,quæ ſimiliter vteri partes humidas gerunt.Ratio eſt,quia ſi in ſanioribus vis expultrix robuſtior eſt, ſi vterus ſit laxior & humidior, facilè hiat, facilè cedit fœtui exeunti & mortuo. Similiter dicit Aëtius, quod quæ magnos infantes pepererunt, etiam iſtæ minus periclitantur in Abortu, ſicut & ætate prouectiores & paucum ſanguinem habentes. Aduertendum, quod vbi Aëtius ſcribit, ætate prouectiores minus laborare in Abortu, intelligendus eſt,quod non ſolùm multam ætatem habeant, ſed etiam ratione ætatis, multos pepererunt, quia ſi mulier grandior natu concipiat prima vice, & abortiat, maximè periclitatur: non ita,ſi aliàs pepererit, tum propter aſſuetudinem ferendi labores, tùm etiam propter latitudinem vaſis,per quod exit infans.

Curatio.

CVratio verò tota poſita eſt ferè in præſeruatione, quia etſi poſtquam factus eſt Abortus,indigeat puerpera curatione, non eſt tamen differens hæc curatio,à curatione eius,quæ peperit legitimè. Hæc verò præſeruatio duplex eſt: Vna quæ debetur mulieri, antequam concipiat:altera quæ debetur, poſtquam concepit & periclitatur,ne abortiat:in vtriſque eſt vna ferè victus ratio, & eadem eſt quam docuimus vbi tractaremus quomodo gerendæ & conſeruandæ ſint grauidæ.Poſt victum,antequam Mulier concipiat,conſiderandum, ex qua cauſa ſoleat mulier abortire, quòd ſi propter aliquam intemperiem abortiat, ſtudendum eſt, eam per ſua contraria corrigere, quod quomodo in vnaquaque vteri intemperie præſtandum dicemus ſuo loco,ſimiliter ſi in cauſa fuerit aliquis morbus, prouidendum illi eadem ratione quæ debetur ipſi.Si mulieres fuerint craſſæ, extenuandæ ſunt,Inedia,Frictionibus,Sudoribus,Exercitationibus, non addo Medicamenta, quia in hoc caſu non ſunt extenuandæ mulieres craſſæ medicamentis; quia periculum eſt ne dum medicamentis craſſitiem auferre ſtudemus, nouum morbum & nouam intemperiem inducamus vtero. Pariter ſi Mulieres magis extenuatæ erunt, craſſæ faciendæ,Exercitationibus moderatis,non grauibus, Somno, cibis optimi ſucci,multi nutrimenti, Vinis optimis, ea tandem ratione viuendi vtendum,quæ à Galeno & aliis vocata eſt ἀναληπτικὴ, Methodici vocarunt Recorporatricem.Si primis diebus ſoleat fieri Abortus, dictum eſt ex Auicenna & Alberto hoc eſſe propter ſpermatis tenuitatem,quocirca danda erit opera, vt ſperma craſſeſcat, quod fit vſu ciborum, qui gignunt craſſum & viſcidum ſanguinem. Quoniam cùm ſperma ſit ſanguis permutatus,proculdubio qualis efficitur ſanguis, tale efficitur ſperma.Quòd ſi fiat Abortus ſecundo,tertio, vel quarto Menſe, proculdubio illud totum contingit vel ob flatum,vel ob humores.Si ob flatus, vtendum eſt ea medendi ratione, quæ & intrinſecus & extrinſecus poteſt flatus diſſipare & vtero aptam temperiem inducere. Quòd ſi malum oriatur ex humoribus, ita procedendum eſt. Primò erunt euacuandi humores, deinde erit corrigendus vterus,ne ampliùs in ipſo huiuſmodi humores colligantur, ſed antequàm euacuentur humores,dicebat Aëtius lib. 16. cap. 21. quod neceſſum eſt vniuerſum corpus expurgare,propterea quod fruſtra tentamus depurgare puteos, niſi riuulos qui lutum ducunt exſiccemus.Sic fruſtra depurgare vterum nitemur,niſi priùs omnes riuulos corporis exſiccemus. Itaque lenita aluo, videndum an mulier ſit ſanguinolenta,quòd ſi ſit, ſtatim poſt lenitam aluum minuendus ſanguis per vas commune,à quo maximè omnium euacuatur plenitudo.Deinde præparandi humores, & præparati expurgandi.Hoc modo poſſunt præparari:

℞.Fol.Arthemiſiæ,Capil.veneris,Betonicæ ana M. I. s. Fiat decoctio ſecundum artem:deinde

℞.Dictæ decoctionis ℥.iiij. Syr. de duabus radic. Mellis Roſati ana ℥. j. Miſce. Hic erit Syrupus pro prima præparatione. Poſtea poterunt humores pedetentim expurgari,vt:

℞.Electua.Indici ℥.s.Trochi.de Myrrha,de Rhabar.ana ʒ.j.s. Diacatho.ʒ.ij.Miſce & fiat Bolus.Peracta hac prima purgatione,erũt rurſus preparãdi magis humores,& in vsũ recipiendi Syrupi magis calefaciẽtes & aperiẽtes,cuiuſmodi hic eſſet:

℞.Foliorum Fœniculi,Matricariæ,Calamint.Origani ana M.j. Fiat decoctio ſecundum artem:deinde

℞. Dictæ decoctionis ℥.iiij. Syr.de Arthemiſia,de Biſantiis ana ℥.j. Miſce. Poſtea denuo purgandi humores,& laudantur pilulæ Benedictæ,in Mulieribus, præſertim efficaces,pilulæ de Agarico:vt

℞. Pilul.de Benedic. de Agarico ana ℈. ij. Trochiſ. Viola. cum Scammon. ℈.j. Cyperi,Cinamomi ana gran.vij. & cum melle Roſato ſolutiuo,fiant pilulæ. Poſtquam verò expurgati fuerint humores totius corporis & conſequenter vteri, deueniendum eſt ad deſiccandum magis vterum & corroborandum, id quod fieri poteſt, cùm intrinſecis medicamentis, tum extrinſecis. Inter intrinſeca, maximè accommodantur Theriaca, Mythridatium, Diamoſchus,Diamargariton,quæ omnia opportunè accepta,calefaciunt vniuerſum corpus, vterum præſertim, eiúſque tenorem apprimè conſeruant. Extrinſeca, quæ exſiccant vterum,ſunt vel peſſi,vel Collyria,vel Lotiones,vel inſeſſus,vel inunctiones,& ſuffumigationes. Fiunt peſſi huiuſmodi:

℞. Seminis Fœniculi,Arrhemiſiæ ana ʒ.ij.Cinamomi,Caryophyll.Mei ana ʒ.j. Gentianæ pulueri.℈.iiij.Terantur omnia diligenter & cum Myrrha & Tragachanta quantum ſufficit,fiant peſſi.Lotiones etiam fiant ex rebus calefacientibus & exſiccantibus,verbi gratia,ſi Calamenthum, Chamomilla, Origanum, Mentha,Matricaria,bulliant in aqua:deinde in ea inſideant mulieres,ita vt totus vterus contineatur ſub aqua. Sed non ſolùm huiuſmodi Aquæ artificiales maximè accommodantur ad hanc præſeruationem,imò verò naturales vtiliores ſæpe cenſentur,præſertim Sulphureæ & Nitroſæ, non ſolùm potu acceptæ, ſed etiam extrinſecus adminiſtratæ,magnam vim poſſident abſtergendi humores à Matrice,calefaciendi & exſiccandi. Suffumigationes ex iiſdem.Inunctiones,verbi gratia:

℞. Succi Arthemiſiæ, Menthæ ana ʒ.iij. Olei Anethini, Rutacei ana ℥.j. Vini optimi ʒ.iij. Bulliant ſimul in duplici vaſe ad conſumptionem vini. Deinde adde Cinamomi,Macis,Caryophyll.Piperis albi an.℈.ij. Moſchi gran.v.Ceræ quantum ſufficit. Pulueriſentur pulueriſanda,fiat Linimentum ad ignem,quo illiniatur tota regio vteri,atque etiam loca muliebria ipſa. Hic eſt modus præſeruandi mulieres ab abortu antequam conceperint.

Scopus curatiuus ſiue præſeruatiuus grauidæ, hic vnus eſt, vt omnia ea de medio tollantur, quæ poſſunt Abortum efficere. Itaque ſi vllæ cauſæ externæ præſentes ſint, omnino ante alia hæ ſunt amputandæ. Propterea ea victus ratio præſertim eſt neceſſaria, quam conſtituimus in regimine grauidarum. Si verò cauſæ ſint intrinſecæ, hoc eſt ſi adſint aliqui morbi, qui poſſunt Abortum inducere, primum contemplandum eſt, an illi ſint Morbi mites, an verò graues & acuti. Si mites fuerint, ratio curandi erit, per ſolam victus rationem conuenientem. Si aluus adſtricta erit, per Clyſteres lenes, qui fiunt ex brodiis, Saccharo & Melle, aut per Suppoſitoria communia appellata: nam vbi morbi ſunt mites, ita quod neque immineat periculum fœtui, neque mulieri,proculdubio pernicioſum eſt cum medicamentis periclitari. Si verò grauida acuto morbo exerceatur, hic quoque conſiderandum eſt, an materia quæ morbum facit, ſit firma, an verò turgens. Si fuerit firma, dico quod in quibuſcunque menſibus reperiatur eſſe grauida, omnino abſtinendum eſt à medicamentis grauioribus, vt Scammonea, Colocynthide, eò quod materia cum ſit firma, non poteſt educi, niſi magna vi,neque etiam periculum paruum infert. Vtendum victu tenui,ſed non tenuiſſimo. Ratio eſt, quia tametſi fœtus indicet nutriendam eſſe grauidam, verumtamen morbus prohibet, propterea media quadam via incedendum eſt,vt ſcilicet,nec tenuiſſimo vtatur,nec liberali etiam. Quod ſi etiam hoc in caſu Aluus mulieris adſtricta erit,

aut neceſſarium ſit euacuare humores primarum viarum, etiam in hoc caſu vtendum erit Clyſteribus lenioribus & benignis. Et ſi quædam Pharmaca erunt neceſſaria, opportuna erunt benigna & lenia: vt Manna, Syrup. Roſaceus ſolut. Rhabarbarum,aut etiam quod leuiter Vomitum prouocet. Nec mirum illud videatur, quoniam vt habetur apud Hippocratem quinto Epidem, quod vxor Althimathi cum accepiſſet grauida Catapotia validiora, eadem die mortua eſt: addit autem Hippocrates, forſan autem vixiſſet, ſi cum aqua vomuiſſet, ex quo loco habetur, licere medicamentis leuiter in grauidis purgare per vomitum. Quod ſi prægnans acuto morbo tentetur & materia turgeat, videndum eſt an ſit in primis menſibus, ſcilicet primo, ſecundo, vel tertio: an in poſtremis, octauo & nono: an etiam in mediis. Si ſit in primis, aut poſtremis menſibus, omnino abſtinendum eſt à validis medicamentis, vt Scammoniatis, Colocynthide. Ratio eſt,quia fœtus tunc ſunt ſimiles fructibus, qui ſicuti in principio & fine quolibet vento diſcutiuntur, ſic fœtus primis & vltimis diebus, qualibet vel minima occaſione diſcutiuntur & corrumpuntur. Tentanda igitur euacuatio, ſi opus ſit, vel per vomitum leuem, aut leuia medicamenta, vt ſunt Tamarindi, Myrobalani, Sebeſten, Rhabarbarum, Syrup. Roſac. ſolutiuus. Sin materia turgente, mulier ſit in mediis menſibus, iſtam purgare licet cum medicamentis grauioribus. Hippocrates namque propinat Colocynthidem in his menſibus. Auicen. Aloën,Pilu. fœtidas: ſic poteritis aliquo Electuario purgare, vt Diaphenico, Electua. de Pſyllio, Electu. de prunis ſolutiuis. Verum duo maximè conſideranda: Vnum,vt in ſeptimo menſe, vt monet Hipp.mulier benignius & mitius tractetur, quàm in ſexto, quinto, aut quarto, eo quod magis periclitatur fœtus eo tempore, & propterea magis offenditur ab huiuſmodi medicamentis. Secundum,vt ſemper grauidæ in quocunque menſe ſint,minus purgentur,quam ſi non eſſent grauidæ,hoc eſt,vt doſis ſaltem remittatur: & quo tempore purgantur, ſemper aliqua vel Emplaſtra,vel Linimenta apponantur,quæ poſſunt fœtum continere & defendere à motibus medicamenti. De ſectione venæ eſt conſideratio habenda, quia & Hippp. ait,Mulier phlebotomata abortit:propterea etiam in hoc caſu conſiderandum in quo tempore ſit mulier. Nam ſi ſit in nono menſe, & non ſit admodum ſanguinea,nullo modo mittendus ſanguis, neque per Cucurbitulas. Sed ſi ſit in primis menſibus, ſi adhuc indicationes mittendi ſanguinis ſint, poteſt tuto mitti eo tempore per ſectionem venarum Brachiorum. Nunquam enim in grauidis licet ſanguinem mittere à Saphæna, eò quod ſua natura, illa ſectio prouocat menſes,quod quidem pernicioſiſſimum eſt in grauidis. Ergo erit mittendus ſanguis à vena Brachij: nec per Cucurbitulas conſulo mitti, quoniam agitant & à profundis trahunt. Si verò ſit intra nonum & primos menſes, conſiderandum etiam, an Sanguis exuberet,an non. Si exuberet, ita vt periculum immineat ſuffocationis fœtus à multitudine ſanguinis, proculdubio mitti debet, eò quod leuata multitudine, fœtus alacrior redditur & vegetior. Si verò non adſit tanta multitudo,& tamen aliqua ratione expediat mittere ſanguinem, poterit id effici habita hac conſideratione, vt ſcilicet, quanto propior erit mulier primis menſibus, tanto copioſior mittatur ſanguis: quanto verò propior erit poſtremis, tanto minor copia extrahatur. Eſt & alia ratio medendi grauidis, dum laborant, ne ſcilicet Abortum faciant, per medicamenta vel à proprietate occulta operãtia, vel à proprietate manifeſta,vel intrinſeca, vel extrinſeca. Inter intrinſeca laudantur ab Auicenna, Diamoſchus,Diamargariton, Zedoaria, Doronicum, Been, Mythridatium. Laudatur etiam à multis aliis puluis Cancri fluuiatilis, potus. Coagulum leporinum

pulue

pulueriſatum, & potu acceptum in vino aut aqua. Puluis etiam Corallorum rubrorum ouo acceptus mirificè prodeſt, licet ſit remedium vulgare. Inter extrinſeca quæ apponuntur dorſo & locis, eſt in primis vnguentum celebratiſſimum Comitiſſæ appellatum, quod in frequenti vſu eſt. Soleo etiam vti oleo Maſtichino, oleo Myrtillorum quarta parte Boli Armeni & pulueris Corallorum rubrorum. Medicamenta etiam tradita à Galeno, à Sexto Empirico, ab Aëtio, Scribonio, ſunt multa quæ dicuntur à proprietate fœtum ſanare, vt lapis Sardonius alligatus, Lapis in vtero Ceruæ inuentus. Os de corde Cerui. Commendantur ſuffumigationes factæ ex pilis ceruinis, & innumera alia huiuſmodi, quæ an proſint necne, dimitto experientiæ, ſaltem non poſſunt obeſſe.

DE PARTV VITIOSO.

CAPVT II.

DICEBAM ad partum naturalem multas requiri conditiones, propterea etiã eum vitiari multis de cauſis. Conditiones, quæ requiruntur ad Partum naturalem, ſunt quatuor in genere: vt fiant videlicet tempore debito, ſimiliter vt fiant figura debita, vt fiant accidentibus lenibus, & etiam cum debitis expurgationibus. Itaque vitioſus appellatur Partus, vbi videlicet erratum committitur in vna, vel pluribus conditionibus. Si erretur in tempore, dicitur Abortus, de quo dictum eſt: Si erretur in figura, etiam fit error & vitium, morboſuſque eſt Partus, de quo nunc eſt agendum, vt etiam de aliis. Vt verò ſciatis, quæ vitia contingant in his enarratis conditionibus, tria ſunt intelligenda. Vnum, quis ſit in vtero ſitus ipſius fœtus: alterum, quæ ſit figura naturalis, qua partus verus fieri debet: tertium, quomodo fiat & quo pacto efficiatur, vt per anguſtum adeo meatum exeat fœtus ita grandiuſculus. Quoad primum attinet, Hippocrates libro de natura pueri ſcribit: puerum ita in vtero collocari, vt manus habeat ad genas, caput pedibus propinquum, ita tamen vt iudicari non poſſit, an caput ſupra ſit, an verò infra, etiam inquit, quod intra vterum inſpiciatur fœtus. Circa quæ Hippocr. verba, duo ſunt conſideranda: vnum, Græcos omnes codices & manuſcriptos, habere πρὸς τοῖς γένεσιν, id eſt, ad genas. Multi tamen, vt Caluus & alij tranſtulerunt non ad genas, ſed ad genua, quaſi Græcus habuerit textus πρὸς τὰς γόνασιν. Alterum obſeruandum, quod Hippoc. libro de Octimeſtri partu ſcribit, Fœtum videlicet, in vtero habere caput ſurſum, quod videtur contrariari ſententiæ iam dictæ Ariſtot. 7. de Hiſtor. animalium 8. qui ingratiſſimus fuit erga Hippocratem, cum tamen omnia ferè bona ab Hippocrate mutuatus ſit, cuius nunquam, neque in his ſcriptis pertinentibus ad hominem, atque animalia, meminit, ita quod ferè totum librum de natura pueri, tranſtulerit in ſuos libros. Hic ergo Ariſtoteles, quaſi explicans ſententiam Hippocratis inquit, quod ſitus quadrupedum omnium in vtero extenſus eſt: animalium expedum vt piſcium obliquus eſt: bipedum verò vt auium ſitus inflexus & contractus eſt. Homo verò, vt addit, in vtero in ſemetipſo conglobatus geſtatur, ita vt naſum intra genua, oculos ſupra genua, aures extra genua habeat. De capite ait Ariſtoteles, quod primo tempore ſuperius eſt, cum verò creuit fœtus, & iam extra prodire ſatagit, quod tum deorſum producitur. Marcus Varro apud Aulum Gellium libr. 16. cap. 16. ſcribit, pueros in vtero ita

fixos eſſe, quemadmodum figuntur plantæ in terram, ita quod ſicut plantæ radicem quæ veluti caput eſt,infra habent: rami verò,qui ſunt inſtar pedum,ſunt ſupra:ſic,inquit,caput pueri inferius in vtero eſt,pedes verò ſupra. Dicam tamen duo in hac varietate Hippocratis & Ariſtotelis. Vnum, quod intellexi ab obſtetricibus. Alterum, quod pertinet ad conciliandum Hippocratem & Ariſtotelem. Quod intellexi ab obſtetricibus, eſt, Fœtum ita in vtero conglobari,quod pedes habeant ad nates,manibus genua contingunt,naſum habent inter genua & oculos ſuper genua. Quod verò pertinet ad conciliandum Hippocratem & Ariſtotelem: dico vtrumque rectè dixiſſe, quia manus in vtero neceſſariò tangunt & genua & genas, nam palma & vola contingunt genua, gena verò neceſſariò firmatur ſupra partem manus externam, vtroque igitur modo legi poteſt. De altera parte contradictionis,an videlicet caput ſupra locatum ſit:an verò inferius?Dico,verum eſſe id quod ſcribit Ariſtoteles,ſcilicet tempore propinquo partui,caput infra eſſe,primis temporibus caput eſſe in ſuperiori parte,medio tempore,eſſe in medio loco. Ergo quando Hippocrates ſcribit, non poſſe videri, etiam quod in vtero concipiatur fœtus, an caput ſit ſupra,vel infra, locutum fortaſſe de mediis menſibus, quibus fortaſſe vidit fœtum in vtero, cum edidiſſet librum de Natura pueri. Quãdo verò edidit librum de octimeſtri partu (ſi tamen ſuus eſt,quem potius Polybo aſcribit Clemens Alexandrinus) vidit fortaſſe primis menſibus. Quæres, cur ſit,quod, vt ſcribit Ariſtoteles, ſi adeò varius ſitus ſit animalium in vtero, ſcilicet, cur ſitus quadrupedum ſit extēſus,piſcium obliquus,auium contractus,hominis in ſe ipſum conglobatus? Quod ad Aues ſpectat, cùm iſtud animal oriatur in ouo, vbi materia multa eſt pro nutrimento, neceſſe fuit vt contorquerentur & contraherentur membra huius animalis, vt poſſit & ſimul habitare in loco illo anguſto & ſimul habere theſaurum ac nutrimentum ſufficiens. Piſces verò, ſunt animalia oblonga,anguſti ventris, ob id etiam habent vterum anguſtiſſimum, & ob id neceſſum fuit,vt natura inueniret figuram veluti alicuius lemmæ & vittæ contortæ,quę apta eſſet figura,vt contineretur fœtus in vtero iſto anguſto. Nam ſi vitta contorqueatur in ſe ipſam,fiet figura quæ capietur in loco anguſto, etſi materia ſit multa. Cur quadrupedia ſint extenſa, puto hanc eſſe rationem: Animalia enim hæc poſtquam exeunt vtero, coguntur deambulare, vt inueniant matres, & ſibi ipſis inueniant cibum, quod cùm ita ſit, neceſſe eſt vt habeant crura ſolidiora, ſi crura itaque quadrupedum contorquerentur in vtero, proculdubio non conſolideſcerent, vnde quando exirent,non poſſent conſiſtere pedibus. Natura ergo voluit extenſa his eſſe crura, quæ conſolideſcerent & pro ambulatione eſſent idonea. Homo verò, quia non cogitur ambulare ſtatim, ac editus eſt, vt ſit commiſſus prudentiæ humanæ & curæ matris, cúmque debeat plurimo tempore permanere in vtero, nec non excreſcere multum in loco anguſto, natura fecit membra cerea fœtus, & ratione huius conſtitutionis, fecit vt ita conuolueretur & conglobaretur, quod & excreſcere poſſent, & nequaquam offendere matrem, vel vterum. Secundum erat propoſitum,qua figura exeat fœtus in hanc lucem,de qua fuit Hippocratis ſententia,libro de natura pueri, quam omnes poſteri ſunt ſectati: videtur,quod vbi iam fœtus grandior natu eſt, nec alimentum ipſi ſufficit, incipit agitari & calcitrare, quo fit vt ligamenta frangantur, quibus fractis, iam virtus contentrix non poteſt onus ſuſtinere, quo fit, vt exurgat expultrix, ſicque fœtus exeat capite primum, deinde brachiis, ſuper coxas extenſis. Quæ figura, ex Ariſt.7. de Hiſtor. anim.8. communis eſt omnibus animalibus, dum ex vtero exeunt. Fuere,qui exiſtimarunt, nonnihil diſcriminis eſſe inter fœminam & marem quando exeunt, quod ſcilicet

mares

mares ſemper promi,fœminæ verò ſupinæ veniant.Sed obſtetrices falſum hoc eſſe probant,quoniam teſtantur ferè ſemper & mares & fœminas pronas exire. Dices, cur eſt quod animalia capite prius exeant, quam reliquis partibus?Hipp.lib.citato non aliam attulit rationem, niſi grauitatis ſeu ponderis, eò quod caput grauiſſimum ſit omnium partium,& ratione ponderis,primum mitti ad foramen,vt exeat. Ego verò exiſtimo naturam prudentiſſimam in partu ſemper id ſtuduiſſe,vt fœtus exeat,qua maiori facilitate fieri poteſt & ipſi,& mulieri. Iam verò facillimum eſt vtrique,ſi fœtus capite prius exeat.Plin.lib.7.cap.8.perhibet morem fuiſſe,vt mortui pedibus efferantur,eò quod mors ſit vitę contraria,quemadmodum in vita exit homo capite,ita etiam in morte debeat exire pedibus. Quando autem ſit facilior hæc figura partus facile eſt intelligere, quia ſi pedibus exeat, id periculum eſt grauiſſimum, quoniam fœtus maximè periclitatur,ne brachia diſrumpantur, propter quod qui ſic naſcuntur Agrippæ fuere apud veteres vocati, quaſi ægrè pariantur. Similiter,ſi in manus exeat fœtus,periclitatur valde mulier, ſicuti etiã ſi obliquus fiat partus,ita quod ſi omnes figuras quibus homo exire poteſt in lucem, contemplemur,nulla eſt facilior,quàm ea,in qua caput primum exit. Dicebat Hipp.1. de Morbis muliebribus, quod quemadmodum ſi nucleum ex vaſe anguſti oris extrahere tentemus obliquè,id laborioſum eſt, ſic ſi fœtus exeat vel obliquus, vel alia figura,quàm capite,id laborioſum eſt. Eſt itaque figura naturalis fœtus exitus, vt dicunt omnes ex Hipp.ſententia, quando videlicet,pronus capite primum & brachiis ſuper coxas extenſis exeat. Quod ſi aliter contingat,dicit Gal.15.de Vſu par. cap.7.partus ille neceſſariò vitioſus eſt,& præter naturam,propterea quod veteres illi Romani,in religione ſuperſtitioſi,vt refert Varro lib.2. Deas fecerunt,quarum vna præſit partui naturali,alia non naturali,illam vocarunt *Proſam*:hanc verò *Poſtuerdam*. Tertium erat,qua ratione fiat, vt fœtus iam grandis, per locum adeò anguſtum exeat,incolumis ipſe,incolumi etiam muliere. Gal.4. facul.natur.12.videtur hoc totum retuliſſe ad moleſtiam, qua vis expultrix perculſa, aperit oſtium illud anguſtiſſimum,ita vt fœtus exeat & non amplius torqueat. Sed hoc nihil eſt, quoniam,vt refert Gal.15. de Vſu partium cap.7. hoc excedit omnia naturæ miracula,quod ſc.tempore,quo fœtus eſt in vtero,os matricis ſit adeò anguſtum, vt ne ſpecillum poſſit penetrare, tempore verò partus ita aperiatur, ita hiet,vt corpus adeò grande exeat. Iure dicebat Gal.hoc admirari hominem poſſe,intelligere autem non poſſe. Et ipſe,qui de Religione & de Diis alioqui malè ſentiebat, in hâc tamen re coactus fuit Diuini artificis prouidentiam mirificè extollere.His itaque præſuppoſitis,licet videre quis ſit Partus vitioſus. Quod ad figuram attinet,inuenio apud ſcriptores,quatuor eſſe figuras nõ naturales,quibus fœtus exit in lucem. Vna, quando videl. fœtus pedibus exit: Altera quando manibus exit. Hoc loco etiam aduertendum, quod hæ figuræ duplicatæ ſunt,quia interdum ambobus pedibus exit, interdum verò vnico ſolo. Similiter, interdum exit ambabus manibus, interdum vna.Tertia,quando exit obliquus,id eſt,in altera. Quarta, quando exit duplicatus, & etiam hæc figura duplicata: quoniam, aut exit primo natibus, aut exit capite prius,vt plantis ſimul iunctis.

Cauſæ.

Cauſæ huiuſmodi partus ab Hipp.lib. de natura pueri videntur referri ad duo genera, ſc. ad latitudinem vteri, quando ſc.vterus ita latus eſt, & amplus,vt fœtus non conſiſtat,ſed huc atque illuc labatur. Alterum,quando in ipſa parturi-

tione, Mulier nequaquam quieſcit, ſed mouetur, modò ſurgit, modò quieſcit, modò ſedet, modò erecta manet: alteram cauſam non contemnendam, quoniam videl. fœtus debilis eſt capite. Etenim ſi contingat fœtum debilem eſſe capite, nequaquam ligamenta diſrumpere poteſt, quo fit, vt pedib. & manibus id obtinere tentet, ſc. effringere ligamenta: & ſi manibus frangat, exit manibus, ſi verò pedib. iiſdem etiam exit.

Signa.

SIgna vitioſarum figurarum habentur ex dolore parturientis, quia vbi dolores grauiſſimi ſunt, ſine vlla alia ratione, ſuſpicandum ſemper, ne fœtus exeat inuerſa figura. Habentur etiam ſigna ex motu percepto infantis, quia ſi ante parturitionem fœtus vehementer agitatus fuerit in vtero, formidandum eſt, ne exiturus ſit forma aliena. Habentur etiam Signa ex motibus mulieris, quia ſi in doloribus partus, mulier ſeſe agitet, ſi modò quieſcat, modò verò moueatur, tum item timendum erit, ne exeat non naturali figura. Hæc autem ſigna quanquam pertineant ad obſtetrices, verumtamen ſunt etiam Medico cognoſcenda, eò quod ſæpe contingat obſtetrices eſſe bardas, & ignaras, & neceſſarium ſit Medici miniſterium.

Prognoſtica.

PRognoſtica ſunt, quòd omnis figura non naturalis, ſit mala & periculoſa. Dicebat enim Hippocrates libro de natura pueri, quòd ſi fœtus exeat aliena figura quàm decet, periculum ſemper imminebit, ne aut fœtus perdatur, aut fœmina & fœtus. Auicenna tamen, inter figuras non naturales diſcrimen videtur ſtatuiſſe, & quoſdam gradus, quòd ſcilicet, illi qui in pedes naſcantur, minus periclitentur, quam alij, eò quod licet huiuſmodi figura nequaquam ſit naturalis, eſt tamen proximior cæteris figuris ſtatui naturali. Plinius libro 7. cap. 18. de illis qui in pedibus naſcuntur, quóſue Agrippas vocatos dici ſcribit, quod ſemper malum eſt omen, ſi fœtus pedibus primum exit, & non ſolùm quoad animum, verùm etiam quoad corpus: ídque probat duobus exemplis, altero Agrippæ, qui perpetuo valetudinarius fuit: altero verò Claudij Neronis, qui & ipſe pedibus exiuit, & pernicies totius orbis fuit.

Curatio.

CVratio huiuſmodi vitioſi partus pertinet quidem ad obſtetrices, ſed etiam pertinet ad Medicos, non ſolùm vt videantur gnari eſſe & docti omnium rerum, imò verò vt poſſint in caſibus etiam neceſſariis & ipſi ſuccurrere, & etiam obſtetricis munere fungi. Poſita autem curatio eſt in duobus: In vno, vt curetur, vt mulier ſemper quieta ſit, dum parturit. Moſchio, autor illuſtris, ſcribit veteres Medicos conſueuiſſe præcipere, vt paritura ambularet ſimul & lauaretur, ſed inquit hoc malè præceptum fuiſſe, & iure, quia ſi vel lauaretur vel ambularet, periculum eſt, ne dum fœtus in vtero agitatur, alienam figuram capiat, ne ſcilicet exeat ea figura, qua exire non deberet. Similiter damnat vſum veterum, qui parituras cibo alebant ſtatim, quod periculoſum eſt, & ſi fieri poteſt, conſeruandæ perpetuò ieiunæ, quia ſi ventriculus plenus ſit cibo, magis laborat vterus dum extenditur, magis etiam laborat mulier grauata cibo. Itaque ante cetera hæc duo curanda ſunt, vt ſcilicet mulier ieiuna ſit & quieſcat,

non

non ambulet, & quantum fieri poteſt, faciliter dolorem ſuſtineat. In altero verò poſita eſt curatio, vt ſcilicet obſtetrix, ſuo miniſterio, prouideat quo fœtus exeat figura naturali, & quia totum hoc opus perficitur operatione manuum, propterea præcipiunt Medici, & iure, vt Medicus, vel obſtetrix, habeant manus molles, ſi non natura, arte ſaltem, oleis, vel vnguentis. Deinde, habeant vngues detonſos & præciſos. Ratio eſt, quia corpus tenerrimum tractandum eſt, tale autem facilè vnguibus offenditur & etiam manuum duritie. Ergo, ſic præparatis manibus, debet primò curare,vt ſi fœtus exeat figura naturali, in ea conſeruetur, quod fit, ſi caput primum manibus ducatur leuiter & blandè, tum deinde verò comprehendantur brachia,& leuiter contineantur vſque quo totus fœtus exierit. Si in pedes ambos exeat, non eſt mutanda figura,ſed tentandum vt manibus apprehendantur brachia, atque illa extenſa coxis ducantur leuiter & blandè: hoc enim ſi fiat, facilè fit, vt etiam in hac figura facilè exeat ſanus & integer. Quod ſi altero pede ſolummodo exeat, non quidem comprehendendus eſt pes manu, quia periculum eſſet, ne laxaretur, vel flecteretur, vel corrumperetur, ſed apprehendenda ſunt inguina & retrahendus fœtus intra vterum, ita vt etiam pes totus redeat. Quod poſtquam obtentum erit, procurandum manibus capere ambos pedes, atque ita continere atque educere, vt dictum eſt. Si fœtus exeat obliquus,debet obſtetrix totum fœtum lateribus complecti, atque ita iterum immittere & leuiſſimè & blandè ducere, donec manu caput comprehendatur, ſicque comprehenſum, demum blandiſſimè etiam producere in lucem. Si in manus exeat, neque ſunt etiam hoc in caſu manus tractandæ, ſed ſunt complectendi humeri, atque retrahendus totus fœtus, vſque quo manus reducantur, & poſtmodum caput apprehendendum, atque educendum. Nam ſi manus ipſius fœtus comprehenderentur, periculum eſſet, ne vel ob teneritudinem, vel diuellerentur, vel laxarentur vel etiam flecterentur. Idem etiam de manu ſingulari dicendum: nam numquam prouidendum eſt, vt manu primum exeat, quia hoc fieri non poteſt, ſed ſemper ratrahenda eſt manus, vſquequo vel capite, vel pedibus etiam exire incipiat. Quod ſi duplicatus exeat, & primò ſi exeat natibus, non patiendum vnquam, vt hac figura prodeat, quia fieri non poteſt, ſed manibus complectenda ſunt latera, & circumducendus fœtus, vſque quo pectore reſpiciat orificium vteri, quod vbi obtentum eſt, etiam paulatim manibus retrahendum eſt pectus vſquequo caput reclinare incipiat ad foramen. Itidem eſt etiam, ſi capite exeat fœtus & plantis iunctis: primò quia etiam hac figura nunquam exire poteſt Fœtus, & proinde prouidendum eſt, vt manibus diſiungantur pedes à capite. Deinde, vt pedes intra retrahantur, & caput primò manibus blandè ducatur.

Hic eſt modus ſubueniendi Mulieri & Fœtui,vbi partus vitioſus eſt.

De

DE PARTV DIFFICILI.

CAPVT III.

TERTIA naturalis partus conditio erat, vt fiat leuibus accidentibus, leui ſcilicet dolore, nam quod fiat ſine dolore, nequaquam fieri poteſt, imò ſi mulier ſine dolore pariat, res plena laboris & periculi eſt. Adhæc, debet partus naturalis fieri citò & abſque offenſione matricis, aut fœtus: quapropter vitioſus eſt ille partus, quando maximis & vehementiſſimis cruciatibus efficitur: vel quando fit tardius, ita vt mulier valdè prematur, & longo tempore: præterea, quando offendetur in partu, aut mater, aut fœtus. Hic verò vitioſus partus, cõmuni à Græcis nomine δυϛοκία vocatus eſt. Latini & Arabes vocarunt difficilem partum. Eſt ſymptoma in genere excrementorum retentorum, atque etiam in genere actionis tactoriæ deprauatæ: ſequitur verò omnes morbos hoc ſymptoma. Sed dicetis, ergo fœtus eſt referendus inter excrementa? Dico reponendum eſſe quidem, nam perſpectum eſt, fœtum nequaquam eſſe partem mulieris: ſi non eſt pars, ergo eſt aliquid quod ipſi mulieri additur: veluti fructus non dicuntur partes arboris, ſed quædam additamenta: ſic etiam fœtus, eſt quoddam ſicuti additamentum, quod neceſſum eſt vt expellatur tempore opportuno. Quia ergo non expellitur id quod debet expelli, dicitur ſymptoma in genere excrementorum retentorum.

Cauſæ.

CAuſæ huius difficilis partus ab aliis reducuntur ad duo genera, ab aliis ad plura. Moſchio, quem ſequimur, ad quatuor genera reduxit, vel potius ad tria, ad cauſas videlicet, ex parte Mulieris, ex parte Fœtus, ex parte extrinſecus accidentium. Sed occurrit conſideratio, cur ſit, quod cætera animalia non laborent difficultate partus, Mulier verò hoc habeat, vt in partu maximos & ferè intolerabiles ſuſtineat dolores. Hoc præter experientiam proditum eſt ab Ariſtot. 7. de Hiſt. animalium cap. 9. vbi ſcribit, in partu hominem maximè omnium laborare: huius rei Theologi omnes & Chriſtiani cauſam referunt in peccatum primæ mulieris, eò quod Deus voluerit eum ſexum, qui fuit mortis noſtræ cauſa, huiuſmodi ærumnis ſubiici. Hæc cauſa quamquam vera ſit, tamen ex natura rei aliam depromi poſſe arbitror. Puto in primis tres eſſe cauſas, vnam debilitatem fœminarum noſtri generis. Docui aliàs, in genere brutorum fœminas vt plurimum robuſtiores eſſe maribus: in genere humano, è conuerſo res ſeſe habet. Itaque ratione debilitatis efficitur, vt huiuſmodi operatio in ipſis maiore labore efficiatur. Altera ratio eſt, quia bruta ſunt maximè animalia laborioſa: Mulier vt plurimum ſellularia eſt, & otioſa, dedita deliciis, qua ratione fit, vt magis laboret partu, quàm bruta: quod inde apparet, quia inter mulieres, illæ quæ magis laborant, facilius pariunt. Nec obiiciatur partus viperæ, & illius piſcis qui vocatur Acicula, quæ dicunt ſcriptores, dum pariunt interire ob dolorem, quoniam de vipera certè apud plurimos fabuloſum habetur. Tertia & fortè omnibus melior cauſa eſt, capitis fœtus magnitudo. Nam, vt optimè citatum eſt ab Alberto Magno decimo de Animalibus libro quarto, homo ferè in vtero habet ſolam capitis magnitudinem, propter quod dictum eſt ab Ariſtotele ſecundo de Generatione animalium quarto: & quarto de Part. animalium decimo, quod pueri omnes

omnes ſunt nani; eò quod habeant caput proportione ſui corporis valdè magnum,præſertim in vtero:extra autem vterum, aut partum, omnino parum, aut nihil creſcit,quod peculiare eſt in genere humano.Bruta verò nequaquam habent caput magnum, proportione corporis. Et quia caput illud eſt quod primò exit, quod eſt in cauſa partus,hinc fit,vt magna difficultas inſit mulieri, propter huius capitis magnitudinem. Sed dicet aliquis, num quia etiam Ariſtoteles ſecundo de Generatione animalium cap.4.ſcribit, Bruta eſſe pumiliones, id eſt, habere partes ſuperiores maiores, quam inferiores.Ergo etiam bruta,quæ in vtero ſunt, debent habere capita maiora? Dico veram eſſe ſententiam Ariſtotelis, & quod nos etiam dicimus verum eſt,quod bruta tanto vitæ tempore habeant capita maiora,& ſuperiores partes omnes reliquo corpore. Tamen, non ſequitur quod habeant caput in vtero maius, vt habet Homo. Et ratio eſt, quia augetur illis extra vterum, & caput, & partes omnes ſuperiores. Secus contingit in Homine, quia homo dum eſt extra vterum,magis augetur ſecundum partes inferiores, quam ſuperiores, & præſertim minus augetur Caput: & rationem puto eſſe, quia cum caput ſit ſedes animæ,vt dicunt Medici, & tota anima ſimul ingrediatur, & informet corpora noſtra in vtero, æquum erat, vt quemadmodum ipſa tota innititur in corpus in vtero, ſic etiam domicilium eius, vel perficeretur, vel parum abeſſet à perfectione cauſæ, itaque ex parte mulieris difficultates partus, ſunt aut ex parte Animi, aut Corporis. Ex parte Animi, quia mulier eſt timida, irata, mœſta. Nam debet mulier vbi parturit,tota intenta eſſe huic actioni, quàm Ariſtot. 7. de Gen. anim.cap. 2. dicebat: etiamſi tantum oſcitet mulier, nocere huiuſmodi actionem partui:ſic ſi mulier irata, vel mœſta ſit in partu, difficulter parit. Ex parte autem corporis, etiam cauſæ ſunt, quod mulier debilis, quoniam ipſius corpus eſt nimium pingue, vel quando nimis annoſa eſt, vt cùm exceſſit 40.annos, ex ſententia Auicen. aut quando nimis puella, ſimiliter quando paſſa eſt aliquas ægritudines corporis recenter, quando anguſta eſt matrix, præſertim circa os, vel ſit illa anguſtia ob morbum, vel etiam naturalis, quando matrix nimium exſiccatur. Addit Rhaſes, defluxionem ſanguinis etiam parere partus difficultatem. Nam quod anguſtia vteri præ omnibus aliis faciat huiuſmodi difficultatem, atque cauſæ omnes exſiccantes, atque adſtringentes, inde patere poteſt, quod cum eo tempore oſſa matricis diſſilire debeant, & quodammodo dearticulari, non autem frangi,vt putant aliqui, certè impeditur dearticulatio iſta, vbi videlicet debilitas adeſt, vel anguſtia in matrice. Similiter, ſi ſecundina vocata aut robuſtior ſit,quam conueniat,aut ſit nimis debilis,aut frangatur ante tempus,parit quoque difficultatem incredibilem. Apoſtema Matricis, Ani & Veſicæ, Hæmorroides, Rhagades, ſunt ex cauſis facientibus difficultatem partus, veluti etiam retentæ fæces. Cauſæ porrò ex parte Fœtus,ſunt vel ob ſexum, vel ob ipſius fœtus conditionem: Ob ſexum,quia fœtus femella eſt, nam fœmina ſemper maiorem dolorem infert,quam mas. Ratio eſt, vt docet Albertus, quia cum fœminæ ſint debiliores, non ita ſeſe mouent, non ita ſibi auxiliantur inter exeundum. Propter proprias conditiones, quando Fœtus toto tempore grandior eſt, vel quando debilior, propter ſcilicet ægritudinem quam paſſus eſt, aut quando habet caput grandius, quàm profit, ſiue ex natura, ſiue propter morbum. Dico ex natura, quia interdum naſcuntur Monſtra,vt dicebat Ariſtot.4.de Gen.anim. 4. interdum videl. viſos eſſe fœtus, qui habebant capita magna, vt boues: aut hæc magnitudo capitis eſt accidentaria,veluti quando caput eſt plenum aqua, ὑδροκέφαλον Medici appellant.Moſchio inter has cauſas retulit etiam capitis paruitatem, quando

ſcilicet

ſcilicet minus eſt caput quam conueniat,& refert duas rationes.Vna eſt,quia tunc non aperit vias ; adhæc non poteſt ab obſtetrice manibus ita facilè & arte apprehendi,vt deceret. Fit quoque difficilis partus, quando Fœtus plures ſunt in vtero, ſiue gemini ſint,ſiue terni, vel quia fœtus ſit mortuus:quando enim in vtero mortuus eſt,difficulter paritur,vel quia non exit debita figura,de quibus ſuprà. Cauſæ ex parte extrinſecus accidentium, ſunt omnes cauſæ quæ conſtringunt ; imprimis autem Aëris frigus,propter quod,vt notatum eſt ab Auicenna & Alberto , Hyeme difficiliùs mulieres pariunt, quàm æſtate : Similiter mulieres in Regionibus Septentrionalibus difficiliùs pariunt,quàm Auſtrinis.Ita,ſi mulier vſa ſit balneis ſtypticis ; & aſtringentibus ; hæc quoque faciunt difficultatem partus. Sic quoque ſi vſa ſit odorantibus, nam hæc adhibita naribus,faciunt vt vterus ſurſum trahatur, ob quam retractionem difficultas oboritur partus.

Signa.

SIgna difficilis partus : primum eſt conſuetudo pariendi difficulter , nam vbi mulieres ſolent difficulter parere , cognoſci poteſt ipſis futurum partum difficilem:ſi quoque cauſæ adſint potentes efficere partum difficilem : dicit Auicenna, quod ſi dolor inclinet ad partes anteriores , vel ad pectinem , anhelitúſque bonus ſit,partus facilis ſit:Si verò dolor tendat ad dorſum,partus difficilis ſit.Signa cauſarum hæc habentur:quod ſi venter magnus ſit præter ordinem,indicium eſt difficilem futurum partum, ex parte fœtus, eiúſque magnitudine ; ſi ætas tenella , aut nimis prouecta ; ſi corpus debile,ſignum eſt futurum eſſe difficilem partum, propter debilitatem. Quod ſi mater valida ſit , neque vllæ cauſæ primitiuæ acceſſerunt, argumentum eſt difficultatem partùs oriri ex Secundina.Quod ſi difficultas oritur propter Fœtum mortuum, cognoſcetur ex magno dolore circa vmbilicum, febri lenta,aderit pallor vultus, præſertim labiorum, cauitas oculorum, frigiditas ventris , non ſentietur motus infantis , anhelitus erit fœtidus , caput replebitur multis vaporibus & prauis.Rhaſes 9.Cont. memoriæ tradidit,quod ſi mulier ante partum frequenti ſpuitione tentetur,neceſſariò partus ſit difficilis.

Prognoſtica.

SIgna prognoſtica ſunt,quod omnis partus difficilis periculoſus eſt, timendum enim ne mulier,vel infans patiatur.Dicebat Auicenna,quod ſi mulier quatuor diebus laboret in partu , quod ferè neceſſariò moritur fœtus. Habetur apud Hippoc.5.Aphoriſm. Quod vbi mulieres laborant in partu , ſolent ipſis frangi venæ pectoris,item matricis,incurrunt in phthiſim, ſanguinis ſputum, tuſſim:frangitur etiam interdum peritonæum , vt inde fiant herniofæ. Auenzoar annotauit interdum ob difficultatem partus dilatari mulieribus pupillas & offendi viſum. Nec prætereundum quod Albertus Magnus in lib. de Secretis Mulier.ſcribit, ſcilicet, nonnunquam adeò laborioſum eſſe partum , vt frangantur omnia oſſa,& fiat ſciſſura continua,ab ano ad vterum,qui omnes caſus valde ſunt periculoſi:propterea, ſi mulier conſtans ſit,ſi bono animo , ſi vires validæ , nec non anhelitum bonum habeat,ſpes eſt & ipſam & fœtum ſaluos fore.Ex aduerſo,ſi mulier puſillanimis, ſi viribus infirmis , atque anhelitum malum, atque difficilem habeat,timendum ne quid mali aut ipſi,aut fœtui contingat.

Curatio.

SI quid eſt in mulieribus, quod maximam diligentiam expoſtulat, eſt profecto difficultas & labor quem in partu ſuſtinent, propter quod debet Medicus ſolicitus eſſe, vt poſſit in his opportunis caſibus ſuccurrere. Eſt verò tota ratio ſuccurrendi in hoc poſita, vt fiat partus citò, vt ſine dolore, necnon ſine offenſione. Et ideò, ante cætera laborandum eſt, vt omnes illæ cauſæ tollantur, quæ poſſent hanc difficultatem efficere. Vt autem tollantur, aliqua neceſſario agenda ſunt ante partum, aliqua verò in ipſo pariendi tempore. Ante partum ſtudendum eſt, vt omnes cauſæ & internæ & externæ remoueantur. Primum igitur cauendum eſt, ne mulier ante partum viuat in aëre frigido, ſed vel temperato, vel pauco calidiore. Vigilias, quantum poteſt, fugiat. Corpus moueat, neque torpeſcat. Et ſi quod eſt, vt alias dixi, quod poſſit mulieri efficere partum difficilem, procul-dubio eſt nimium otium & nimius torpor. Remoueantur omnia grauia Animi accidentia, timor, mœror, ira: vtatur Balneis aquæ dulcis, in quibus herbæ laxantes & emollientes coquantur: vt Lapathum, Malua, Brancha vrſina, &c. Inungantur etiã eodem tempore dorſum & pecten, ſimiliter loca muliebria, iis Linimentis, quæ poſſunt emollire & lenire, vt oleum Keirinum, oleum Amygda. dulcium, Aluus lubrica ſeruetur, Glandibus communibus. Clyſteres eo tempore multum ſunt auertendi, eò quia poſſunt multum agitare, & interdum exitũ fœtus accelerare. Sed potius ad molliendum conueniunt brodia aliqua, in quibus cocta ſunt Beta, Malua, Ficus aridæ pingues, ei etiam brodio addatur oleum commune, vel amygd. dulcium, ſi quidem non modo huiuſmodi brodia poſſunt fœtus emollire & educere, ſed etiam emolliunt loca illa, & partum facilitant. De coitu quoque habenda eſt ſolicitudo, quia tametſi Rhaſes 9. Continentis ſcriptum reliquit, & multi etiam alij, Coitum videlicet ante partum, partum facilitare, nihilominus tamen etiam aliquid nocumenti infert fœtui, & propterea, vbi ſunt alia auxilia quæ poſſunt partum facilem reddere, non eſt quod ea quærantur, quæ fœtui detrimentum adferant. Cibi omnes adſtringentes fugiendi ſunt: ſumendæ ſunt carnes pingues, vt Caponum & Gallinarum pinguium, etiam Caſtratorum pinguium, Oleum, Butyrum, Paſſulæ, Caricæ: inter herbas, Malua, Lapathum, Beta, & tandem vtendum iis cibis, qui facultatem habent, non tantum aperiendi, ſed emolliendi ſolùm. Non aperiendi, quia periculum eſt, ne ſi tempeſtiuius aperiantur loca illa, etiam maturius, quàm deceret, partus prouocaretur. Præter hæc, ſi ſit aliqua intemperies antequam partus accedat, corrigenda eſt, vt ſi vel adſit febricula, aut frigiditas, aut ſiccitas nimia, eò quod in partu obeſſe vehementer ſolent. Si adſint Hæmorrhoides, quæ ei poſſunt facere difficultatem, ſi Rhagades, debet Medicus ſolicitus eſſe in auferendis his omnibus, interrogare ſcilicet Mulierem, numquid patiatur aliquid in corpore. Et diligentes eſſe debetis, quia ſi mulier, quemadmodum decet, referat ſua mala, poterit occurri, vt dictum eſt. Dices; tu dixiſti tamen, omnia agenda eſſe ante partum, ſcire cuperem quonam tẽpore ante partum, an ſemper, an aliquo conſtituto tempore? Dico, valde vtile eſſe, vt Mulieres quando in vtero gerunt ſemper prudenter & accuratè viuãt, quo poſſint fœtus incolumes ſeruari. Sed quæ dixi potiſſimum agenda, debent obſeruari, vt notat Auic. vel menſe nono ante partum, vel ſaltem 25. diebus. In partu autem, id eſt, dũ incipiunt

piunt iam dolores apparere, debet conſeruari Mulier in Aëre vel calido, vel tepido. Et ideo prudenter faciunt obſtetrices, quæ ſtatim in cubilibus clauſis parturientes claudunt. Debet obſtetrix cum Medico animum addere, conſolari mulierem, propter quod dicebat Plato in Theocteto, obſtetrices & Medicos, hoc in caſu, debere eſſe prudentiſſimos,& obſtetricem debere ſæpius peperiſſe, vt ſcilicet exemplo ſuo,& experientia poſſit mulieri oppreſſæ animum & vires addere: debet hæc eodem tempore ambulare quoque,modò ſalire,modò deſcendere, modò ſtare;modò ſurgere,quia ſic faciens ligamenta diſrumpuntur,& ſic faciliùs exit fœtus.Nec obiiciat quis, quod alias dixerim, Mulieres non debere moueri, vt figura fœtus non permutetur, propterea quod id, quod nunc agendum erit antequam incipiat matrix aperiri,id eſt, quando ſolùm dolores agunt: quia poſtquam apertum eſt os matricis, collocanda eſt mulier in ſella, nec amplius mouenda. Debent eodem tempore clamare,ſternutare,quandoquidem dicebat Hipp. & Gal. 5. Aphor.35. quod Sternutationes maximè omnium iuuant ad expellendum infra fœtum. Quando incipit aperiri matrix, tunc ſtatim ſupponenda aliqua Suffumigia, quæ poſſint allicere Matricem, quæ poſſunt etiam ſua facultate magis aperire. Mulieres ſolent multis Suffumigiis vti, ſed ego ſoleo commendare iſtis Galliam Moſchatam,& ſi quid eſt ſuffumigij quod poſſit,hoc vnum eſt. Hoc tempore abſtinendum à potu quantum poſſibile eſt,dicebat Auicenna. Quod ſi vulua non aperiatur,vt debet,debet manibus vnctis locus ille leniter tractari. Et monet Auicenna quòd hæc tractatio non eſt facienda continuatim,ſed interpolatim, ne ſcilicet dolor parturientis augeatur. Quod ſi appareat Fœtus, & Secundina non frangatur,debet Medicus curare vt aperiatur,ſed ea diligentia,vt dum aperitur Secundina, ne etiam infans aliquid nocumenti habeat. Cibi hoc tempore debent eſſe pauca quantitate,optimi nutrimenti & faciles cócoctu. Idcirco Panis in brodio pingui confert,oua ſorbilia, Carnes auium, aqua carnis maximè commendatur. Sunt qui laudãt,vt mulieres carnes aſſatas comedant:quia hæc maſticatio agitat & concutit corpus, & hac ratione etiam auxiliatur exitui fœtus. Vinum debet eſſe odoratum,& ſi milier animo deficiat,vt ſæpe ſolent,debet ſuccurri odoribus, præſertim ciborum odoribus: nec hoc in caſu timendum, ne matrix attracta odoribus ſuperaſcendat, quandoquidem vbi iam fœtus in partu eſt (vt vocant) vel prope partum,non poteſt amplius recurrere ſurſum, eò minus poteſt odoribus attrahi.Si aluus obſtricta ſit hoc tempore,nihil aliud agendum, niſi vt Suppoſitoriis aluus leniter ducatur. Præter hanc diligentiam,ſunt aliqua medicamenta quæ in vſu ſunt ad facilitandum partum,alia à proprietate manifeſta, alia à proprietate occulta, alia intrinſeca, alia extrinſeca. Inter medicamenta quæ operantur à proprietate manifeſta, ſunt Trochiſci de Myrrha. Cinamomũ & Myrrha ab omnibus commendantur. Rhaſes mirificè laudauit Crocum. Ego autem ſoleo in vſu habere hoc medicamentum.

℞. Corticum caſſiæ fiſtulæ, Cinamomi, Croci ana ℈. ij. Boracis ℈. ſ. Aquæ Arthemi. ℥. iij. Miſce, fiat potus. Potus hic non modò ſalutaris eſt, quia nocumentum non infert, imò maximè prouocat partum. Borax quoque per ſe cum Aqua Arthemiſiæ potatus maximè iuuat. Laudant etiam alij Sabinam, & certè efficaciſſima eſt, ſed malè audit, quia vt prouocat partum, ſic etiam ſolet enecare ipſum,& propterea,aut non vtendum,aut quàm parciſſimè,& quando in vſum trahitur, ſemper miſcenda cum aliis. Ego enim ſoleo etiam vti ipſa, ſed hoc modo mixta:

℞. Sa

℞. Sabinæ, Aſſæ fœtidæ, Ammoniaci ana ʒ.j. Croci, Cinamomi, Caſtorei, ana ℈. ij. Cum aqua Athemiſiæ fiant pillulæ, & harum exhibeatur ʒ. j. Et aduertendum, quod in his caſibus non obſeruatur vllum tempus exhibendi medicamenta, quia cum res maximè vrgeat, quolibet tempore & hora, die ſimul & nocte, poteſtis & pillulas & alia medicamenta exhibere. Exterius verò, in vſu ſunt Linimenta, Suffumigia, atque etiam peſſi, Linimenta adhibentur pectini, dorſo, & interdum fœmineis: vt

℞. Succi Colocynthidis, Rutæ ana ʒ.ij. Fellis Tauri ʒ.j. Olei keiriani ℥.iij. Miſce omnia diligenter & fiat Linimentum. Suffumigia fiunt ex Ligno, Aloe, Cinamomo, Myrrha, Moſchio, ſiue hæc omnia miſceantur, ſiue etiam aliquibus ſolis per ſe vti placeat. Peſſaria ſunt quoque multa, ſed ego hoc ſummopere laudare ſoleo: vt

℞. Pulueris Arthemi. Rutæ ſylueſtris, Radic. Dauci ana ʒ. ij. Opopona. Myrrhæ ana ʒ. j. Terebinthinæ ℥. j. Terantur omnia terenda, & miſceantur, & deinceps obuoluto panno linteo ſubtiliſſimo, ſupponantur matrici. Laudat Galenus 6. de Medic. loca. Peſſum, factum ex Melle, Myrrha, & decocto Lupinorum, quod etiam conferre poteſt. Scio plura referri à ſcriptoribus, quæ videri poſſunt. Quæ verò à proprietate occulta auxiliari putantur, plurima etiam ſunt & extrinſecus adhibenda, & intrinſecus. Inter omnia, videtur primatum habuiſſe Ariſtolochia Rotunda, imò nomen adeſt huic herbæ ex operatione, quia ſignificat facilem partuiitionem. Et aduertendum, quod in componendis medicamentis, ſemper etiam poſſunt addi vel hæc, vel alia aliqua, quæ poſſunt à proprietate occulta ſuccurre. Refert Serapio, Cyclaminis radicem alligatam coxæ, partum facilitare. Moſchio verò multa & ipſe proponit, vt granum Ariſtolochiæ alligatum: Albertus Magnus & ipſe multa habet, cor videlicet Gallinæ alligatum coxæ, pumicem, Spolium Serpentis, quæ omnia alligata, dicuntur maximè facilitare partum. Pythagoras apud Plinium laudauit Aniſum alfactum, quod ſcilicet quadam facultate facilitet partum. Eſt etiam aliud medicamentum propoſitum à Trotula, & confirmatum ab Auic. vt ſi mulier tempore partus Magnetem manibus teneat. Habetur etiam de Dictammo Cretenſi, quod ſiue in potu accipiatur, ſiue Coxæ alligetur, putatur partum facilitare. Laudant etiam Arabes corrigiam ex pelle Cerui cinctam parienti. Faciunt etiam mulieres ſua incantamenta, quæ vt non ſunt curanda Medico, ita neque inueſtiganda. Et diuinus Plato in Timæo dicebat obſtetricis munus eſſe, non ſolùm Medicamentis, ſed etiam incantamentis partum iuuare. Præter auxilia, partum facilitantia, quæ in vniuerſum docuimus, ſunt quædam alia magis particularia, pro vt ſunt particulares quædam & variæ difficultates patiendi. Itaque, ſi difficultas oriatur ob anguſtiam matricis, præceptum eſt Auicennæ, vt omni diligentia, quàm frequentiſſimè inungantur dorſum, pecten, interfœminia, oleo videlicet oliuæ ſimplici, vel Seſamino: eò quod huiuſmodi Linimentis oſſa & partes illæ relaxentur, vnde poſſint magis dilatari. Sed quia ſæpe fit, vt inunctiones nihil proſint, habeāt Medici & obſtetrices, quibus in his caſibus vtantur, ad dilatandum orificium. Ad hoc etiam parantur quædam Balnea, ex herbis laxantibus, & oleo & aquis, quæ balnea non ſolùm accomodantur in difficultate partus ex anguſtia orificij vteri, imo verò in difficultate corporis, & etiā ex ſiccitate locorū muliebrium. Quod ſi propter pinguedinē, difficultas in partu oriatur, habent obſtetrices quoſdam modos, ſitus & poſitiones, quibus facilius hient iſtæ partes, quos modos vberiùs docuit Auicenna & omnes Arabes, qui in his rebus videntur cæteris fuiſſe diligentiores. Quod ſi propter Ætatem

tem oriatur partus difficultas, ſpes in hoc poſita eſt, vt verbis, perſuaſionibus, addatur animus tenellæ puellæ, vt ſcilicet poſſit ſuſtinere dolores, quoniam non eſt quod vllo auxilio poſſit euitari difficultas patiendi. At quando ob Fæces retentas partus difficulter exit, in fæcibus prouocandis ſtat omnis ſpes, quæ tamen non alio ingenio poſſunt prouocari, niſi vel glandibus,vel ſuppoſitoriis, vel brodiis laxantibus. Si verò propter debilitatem virium mulier difficulter pariat, eo tempore porrigenda ſunt odoramenta, vinum generoſum ad odorandum, vt eſt vinum Maluaticum, Panis recens,nec eſt quod timeantur odores, quia vbi partus inſtat, non eſt periculum quod matrix currat ſurſum. Si Fœtus ita magnus ſit, vt ſola magnitudo difficultatem faciat, Auicenna dat quaſdam regulas ſeruandas. Prima eſt, vt obſtetrix tentet manibus educere. Si verò manibus non poteſt, faſcia circumligetur fœtus corpus, atque ita paulatim educatur. Si verò hoc non ſuccedat, habent obſtetrices quædam tenacula quibus circumligant pannos, ne lædant, vel offendant fœtum, iiſque educant. Si verò nullo modo horum ſequatur, inciditur fœtus in lateribus vteri. Qua autem arte incidendus ſit, docuit Hippocr. lib. de Exſectione fœtus, luculentiſſimè, quo in loco, præter præcepta alia,hoc tradit, vt quando ſecandus eſt fœtus obueletur caput mulieris, ita vt eam operationem videre non poſſit, quandoquidem ſi viderit, vſque adeo conſterneretur animo, vt periculum eſſet, ne horrore cruciaretur,atque ita iugularetur. Naſcitur etiam difficultas partus ex multitudine fœtuum,quia interdum ſunt gemelli,interdum terni,aut quaterni,ſed rarò: quo in caſu debet ſagax eſſe obſtetrix, vti nimirum manibus vnumquemque ordinatim & leniter educat. Atque animaduertendum, non eſſe vnquam quieſcendum, niſi omnes ſeriatim vnus poſt alterum ſtatim exeant: quia vbi mora interponitur inter vnum & alterum, non ita expultrix exurgit,debilitatur magis: & idcirco dum vis expultrix in actu eſt,tunc ſolicitandum eſt,vt omnes exeant.Sin autem difficultas partus oriatur,propter fœtum mortuum,qui eſt in vtero, ante omnia perſcrutandum erit, nũ verè mortuus ſit fœtus,quia ſi non eſſet mortuus,mitius agendũ eſſet: ſi verò fœtus ſit mortuus,paulo fortius mulier erit tractanda. Dicet aliquis veſtrũ, Cur eſt, quod fœtus mortuus vt exeat, peculiaribus remediis egere videatur? Etenim ſcriptum eſt à Galeno 2. de Symptomatum cauſis 3. eandem facultatem quæ viuos fœtus emittit, etiam fœtus excludere mortuos. Dico hoc verum eſſe, quod opus eſt etiam facultate expultrice ad educendum fœtum mortuum, ſed in mortuo hæc facultas magis ſopita eſt. Eſt autem magis ſopita, eò quod fœtus mortuus ſua calcitratione & motu, non excitat, nec diſrumpit ligamenta niſi ſolo pondere. Propterea debet Medicus hoc in caſu excitare facultatem expultricem, ad quam excitandam eſt potiſſimum auxilium, Sternutatio, vt habetis ex Hippocr. & Gal.5.Aph.35.neque ſolum ſternutatio, ſed etiam Vomitus & Eructatio,à nonnullis laudatur. Galenus etiam addidit Singultum, eò quod huiuſmodi motibus quaſſatur corpus mulieris, eo quaſſato rumpuntur ligamenta, atque ſic facultas expultrix excitatur. Præter hæc, ſunt & alia medicamenta, quorum aliqua à proprietate manifeſta, aliqua ab occulta qualitate iuuant. Hippocrat. in lib. de Natura Mulieris commendat Violas & Portulacæ ſemen, in vino ſumpta. At in 1. de Morb. Muliebrieb. laudat veratrum nigrum & Myrrham. Vtitur etiam Cantharidibus & multis aliis,quæ poſſunt à vobis videri in fine primi illius libri.Ego autem ſoleo vti huiuſmodi medicamento ſequenti: vt

℞. Aſſæ fœtidæ ʒ.j.s. Rutæ ſiccæ ʒ. iij. Myrrhæ ʒ.ij.Terantur omnia diligenter & miſceantur. Deinde prædicti pulueris ʒ. j. cum decoct. Sabinæ ℥. ij. exhibeatur.

beatur. Theriaca diateſſaron appellata in vſu eſt apud Mulieres, Gal.lib. 7. Simpl. medic. extollit Cedrum, & iure, quia ſicut hoc medicamentum viuos enecat, ita etiam mortuos educere poteſt. Si medicamenta non ſufficiunt, duo agenda ſunt: primò tentandum,vt fœtus in vtero corrumpatur, quia corruptus, facilius exire poteſt. Si neque ſic tutum ſit operari,Medici ad ferrum veniant, vt excindant fœtum,atque ita minutim inciſum, educant. Hippoc. loco citato ad corrumpendum fœtum, vtitur hoc medicamento.

℞. Aluminis ſciſſi,Myrrhæ ana ℥.j.Ellebori nigri ℈.s.Terantur, & cum vino nigro fiat peſſarius.Habetis apud Paulum Æginetam etiam aliud peſſarium,quod & id vtile eſt: vt

℞. Ellebor.inigri,Staphiſagriæ,Ariſtolo,rotun. Gran. Meterei, Colocynthidis, Ammoniaci ana ℥.j.Terantur omnia diligenter propter Ammoniacum, quod diſſoluendum eſt,atque ita vel cum vino vel cum melle commixtum, fiat peſſarium indendum.Fuerunt ex veteribus aliqui,qui exiſtimarunt lac Caninum potum conferre ad educendum fœtum mortuum. Sed horum ſententiam exploſit Galen. 10. Simpl.cap.de Sero lactis.Præter dicta quæ à proprietate manifeſta operantur,ſunt & alia à proprietate occulta iuuantia. Suffumigia ex vngula Aſini: teritur enim & ſuper carbones ponitur,ſicque fumus intra vuluam recipitur;Similiter ex piſcibus ſalitis fiunt ſuffumigia. Moſchio laudat decoctum Foliorum Citri, Fel ouis ſuffitum.Quod ſi medicamenta non proſunt,deueniendum ad ſectionem fœtus,in qua monet Auicenna diligentiſſimè conſiderandum,vt prius conſideretur num Mulier ſeruanda,nec ne.Si ſeruari non poteſt,non eſt quod id tentetur, quia potius dedecus pareret. Si verò ſpes ſit,quod poſſit conſeruari, tunc opus aggrediendum. Sed dices,quomodò cognoſcam an mulier ſit ſeruanda? Cognoſcetur iis indiciis, quæ docuit Auicenna,quia vbi neceſſario peribit, adeſt ſyncope perpetua,cum vigiliis, cum reſolutione membrorum,diſlocatione. Si clamabitis,non reſpondebit, ſi tota ſpaſmetur & conuellatur: ad hæc ſi pulſus ſit formicans & obſcurus valde. His enim apparentibus ſignis, certè peritura eſt, & ideo non eſt aggredienda ſectio. Quod ſi nullum ex his ſignis appareat,ſperandum eſt ſeruari poſſe, & ideo aggrediendum,vt fœtus mortuus educatur.

DE SECVNDINÆ EDVCTIONE.

CAPVT IV.

SI partus debebat eſſe legitimus neceſſarium eſt, vt poſt exitum fœtus, vel partus,foras exeat & prodeat Secundina.Sed quia ſæpe fit, vt huiuſmodi Secundina non prodeat,ſed intus retineatur, propterea eſtis docendi, quomodo & quibus ingeniis ſit educenda.Expellitur etiam & ipſa,eadem vi expultrice operante:& propterea vbi fœtus non eſt in vtero,Secundina eſt impedimento naturæ, grauat enim eam. Vt verò vis expultrix expellat, eadem ferè conueniunt, quæ ad educendum fœtum mortuum dicta: imprimis, validis Sternutationibus, vomitibus, Eructationibus agendum.Quod ſi non prodeat his remediis,diligenter videndum numquid pateat oculis,nec ne: Si pateat, debet obſtetrix manibus apprehendere, atque ita diligenter educere,vt non frangatur,ſed vt integram educat.Si verò non pateat,debet obſtetrix manibus vnctis oleo Seſamino, vel dulci, quærere eam: ſi inuenerit, ſimiliter eam educere.Quod ſi adhæreat ita,vt facilè nequeat educi,de-

bet conari manibus paulatim eã euellere atque ita educere.Interim nutrienda eſt mulier cum vitellis ouorum,cum brodiis,vt poſſit medicamenta ſuſtinere & operationem.Quod ſi hac manus operatione non ſuccedat, deueniendum ad ea,quæ putantur à Medicis facultatem habere educendi Secundinam: ſunt verò accõmodata huic ea etiam quæ educunt fœtum mortuum. Laudant aliqui Arabes Lixiuium cum oleo,ſed minus graue eſt illud,licet multi teſtentur prodeſſe, ſed mihi non placet. Itaque Cinamomum, vel in brodio, vel in aqua eſt magis in vſu & maximè confert.Laudatur à Dioſcoride Suffumigium, quod etiam apud me eſt in vſu:& valde prodeſt:vt

℞.Myrrhæ ℥.s.Cinamomi,Galbani,Caſtorei ana ʒ.s.Opoponacis ℈. iiij. Hellebori nigri ℈.ij. Cum Melle conficiantur paſtilli, & deinde ponantur ſupra carbones & fiat Suffumigium.Hipp.1.de Morbis mulieb.multa alia proponit, inter alia Silphium ad fabæ magnitudinem, in vino bibitum :Dictanmum Creticum, oboli pondere in aqua ſumptum :Succum porri, cum Myrrha & vino dulci, apud Galenum in lib.de Antidotis,habentur etiam quædam antidota,quæ ipſe mirificè commendat,ad educendas Secundinas.Extracta Secundina, ſolent loca illa mirum in modum caleſcere & torqueri,ideo præcipiendum eſt,vt Oleo Roſato, Oleo vitellorum oui,Lacte eas partes foueant,quod huiuſmodi remediis facilè ſolent mitigari & feruor & dolor.Atque hic eſt finis tractatus noſtri de Morbis muliebribus, in quo habebitis omnes morbos præcipuos contingentes circa Conceptum, & ea vitia quæ contingunt circa Partum. Superſunt igitur vitia quæ contingunt circa Nutritionem fœtus & circa Conſtitutionem vteri.

HIERONYMI MERCVRIALIS DE MORBIS MVLIEBRIBVS

LIBER III.

De vitiis quæ circa nutritionem fœtus contingunt.

PRÆFATIO.

CVM tractare inſtituiſſemus, tres, imò quatuor horum morborum claſſes fecimus. Vnam eorum morborum qui circa conceptum contingunt: alteram eorum qui circa partum: tertiam eorum qui circa nutritionem partus: quartam & poſtremam eorum qui circa vteri vniuerſum ſtatum contingunt. Iam primas duas perfecimus, ſupereſt, vt duas alias etiam abſoluamus.. Et quia ita ordo poſtulat, primum tractabi-

mus de iis morbis qui fiunt circa *Nutrimenti inſtrumentum*, ſcilicet circa Lac & circa Mammas. Qui tractatus eo debet nobis eſſe gratior, quoniam à paucis veteribus eſt tractatus, à nemine, ſic dicam, abſolutus. Sed occurret ſtatim aliquis mihi: quomodo morbi circa Lac contingentes, dicuntur propriè Muliebres, quandoquidem morbi Muliebres, dicuntur illi qui ſolis contingunt Mulieribus, nunquam viris, quíque viris nullo modo ingenerari poſſunt? Cæterum non ita videtur de Lacte, eò quod æquè fit lac in viris atque fit lac in Mulieribus. Quod fiat Lac in viris, habetis luculentiſſimum Ariſtotelis teſtimonium 10. Hiſt. animal. c. 12. Auic. etiam 12. tert. Tràct. 1. cap. 3. quo in loco aſſerunt, & pueris & etiam adultioribus fieri lac quandoque in Mammillis. Imò verò Auicenna 13. de Animal. ſcribit ſe vidiſſe è viro tantum làctis emulctum, vt Caſeus ſit confectus. Reſpondeo ad hanc obiectionem dupliciter. Primo modo ex Alb. Magno 3. de Anim. 9. vbi hanc rem pertractans, dixit rariſſimum eſſe quod in viris fiat Lac, & quando id fit, paucum id eſſe & in paucis. Alio modo reſpondeo, id quod apparet in viris Lac, non eſſe verum Lac, ſed eſſe ſanguinem tantum dealbatum: quod autem hoc verum ſit, poteſt coniectura aſſequi, quoniam Lac eſt propter nutritionem. Dicebat Galenus lib. de Sectione venæ, aduerſus Eraſiſtratum cap. 5. non poſſe fieri Lac, niſi in illis animalibus, quæ vtero gerunt. Quapropter fabuloſum eſſe exiſtimo, aut oſtentum ſaltem, quod ſcriptum eſt ab Ariſtot. & ab Auicenna: inuentum eſſe corpus, ex quo quotidie magna Lactis quantitas emulgeretur. Sed poſtulabit quis, cur ſit quod viri non producant Lac, ſed tantum Mulieres. Dico vt dicit Hippocrates de Glandulis, duas eſſe cauſas, quod vir non producat Lac. Vna eſt, quoniam beneficio caloris natiui adeò concoquunt & abſumunt nutrimentum, vt parum excrementi ſuperſit, & quod ſuperfluum eſt, totum ferè ex laboribus corporis exinanitur. Altera cauſa eſt, quia viri non habent Mammas adeo ſpongioſas & vaſtas, vt poſſint attrahere & recipere ſanguinem ad fabricam Lactis.

De vitiis quæ contingunt circa ipſum Lac.

IAM verò quæ contingunt vitia circa Lac, ſunt vel quia non fit Lac, vel ſaltem non fit tantum, quantum fieri debet, & dicitur Defectus Lactis: aut fit plus quam deberet, & dicitur Lactis redundantia: aut fit tale quale non deberet, & in hoc genere eſt Caſeatio, Coagulatio & Corruptio, & reliqua quæ pedetentim intelligetis. Inter hæc vitia primum agam de Defectu Lactis, eò quod hoc humano generi maximè commodum videtur.

DE DEFECTV LACTIS.

CAPVT I.

ANTEQVAM hanc tractationem aggrediar, operæ pretium puto eſſe, vt vos doceam integram Lactis naturam, quod iucundiſſimum & vtiliſſimum erit. Hæc materia à me exponetur quinque capitibus. Primum eſt, quid ſit Lac ipſum. Secundum, quomodo generetur Lac. Tertium, quando fiat. Quartum, in quibus Lac generetur. Quintum & vltimum erit, vbi videlicet Lac generetur. Quod ad primum caput attinet, Empedocles (vir maximus & à quo multa bona habet Hipp.) dicebat, Lac nihil aliud eſſe quam pus: quam ſententiam Ariſt. 4. de Gener.

animal.cap.8. refutare conatus fuit, & ad refellendam ipſam vſus eſt hac ratione. Quod nomen tranſlatiuum non debet eſſe contrarium,ſed pus eſt contrariū, quia Lac eſt concoctum, pus autem corruptum. Sed ſi placet tueri magnum hunc Empedoclem à calumniis Ariſtotelis, dicetis apud veteres in more poſitum fuiſſe, vt pro corruptione intelligerēt concoctionem. Videbitis in libro ſub nomine Hipp. de Anatome,quod venter vbi fit coctio,vocatur venter putrefactorius. Sic in lib. de Nutrim. Hippoc. videbitis quæ ſunt moderatè cocta , dici ἀκροσαπεῖς, id eſt, in ſuperficie putrefacta,ita quod clarum eſt apud veteres coctum dici putrefactū. Id quod etiam ſeruauit Plutarchus 2.de Cauſis naturalibus: Imò verò Ariſtoteles ipſe 4.Topic.5.refert, hunc Empedoclem vocaſſe vinum aquam in ligno putrefactam , ſcilicet concoctam. Atque hæc fuit ſententia Empedoclis de Lacte , Ariſt. verò quem ſequuntur omnes Medici,4.de Generat.animal.8.Item 3.Hiſtor.animal. 20.ſcribit:Lac nihil aliud eſſe niſi ſanguinem ſuperfluum,mutatum & dealbatum: Alexander 2. problem.80. dixit, eſſe ſolummodo ſanguinem dealbatum. Etenim dicitur Lac ſanguis, quia vt habetis apud Hipp.lib.de ſtructura hominis, & à Galeno in multis locis, ex eadem materia fit lac & ſemen ipſum.Imo Hippoc.2. Epidemi.Sectio.3.circa finem,dicebat: Lac eſſe germanum ipſius ſanguinis menſtrui. Itaque clarūm eſt apud ſcriptores , Lác nihil aliud eſſe niſi ſanguinem. Sed hoc loco duo occurrunt magna ſpeculatione digna:vnum eſt,ſi Lac fit ex ſanguine,an fit ex puro : Alterum eſt, an Lac fiat per concoctionem , an verò per ſolam coloris mutationem, vt ſæpe videmus vina ex vaſe in aliud vas tranſlata , mutare qui-dem colorem , ſubſtantiam autem nequaquam.Circa primum, varias reperio eſſe ſcriptorum ſententias.Hip.lib.de natura fœtus,& 1.de Morbis Muliebrib. ſcripſit Lac fieri ex ſanguine pinguiſſimo & dulciſſimo, quam ſententiam videtur confirmare Ariſt.4.de Generatione animal.8.Quo in loco narrans Ariſtoteles, Cur ſit, quod Lac ante ſeptimum menſem ſit malum,poſt verò ſeptimum eſt vtile: Inquit ideo eſſe , quia magnam partem ſanguinis dulcis & pinguis abſumit fœtus ante ſeptimum menſem , poſt verò ſeptimum , non tantam copiam abſumit , propter quod pinguis magis & dulcis ſanguinis pars, demandata ad mammas , conuertitur in vtile Lac. Ita quod ex hoc Ariſtotelis diſcurſu colligi poteſt , Lac fieri ex ſanguine dulciſſimo & pinguiſſimo. Sed notandum eſt vobis , Ariſtotelem eo in loco diſceſſiſſe à placitis Medicorum , quia Hippocrates libro de natura fœtus, & Gal. quinto Aphoriſm. trigeſimoſeptimo manifeſtè dicunt : in extremis conceptus menſibus, laborare fœtum penuria nutrimenti. Ex altera parte eſt Galeni auctoritas decimoquarto de Vſu partium octauo. Et lib. de Venæ ſectione aduerſus Eraſiſtra.cap quinto,quo in loco abſolutè dicit,Lac fieri ex ſanguine mēſtruo: ſi ita ſit,clarum euadit,ſanguinem menſtruum impurum eſſe,vt videbitis, cùm de eo tractabimus.Ergo videtur lac fieri ex impuro ſanguine. Adeò quod Alexander dicat 2. problem. 78. quod fiat ex ſanguine lento & viſcido. Pro hac dubitatione dicendum eſt,Lac quidem fieri ex ſanguine menſtruo ſemper,verùm in ſanguine menſtruali duas partes reperiri : alteram coctam & puriorem , alteram verò craſſiorē & magis impuram. Ex parte puriore fit Lac vtile, atque ſic intelligenda eſt auctoritas Hipp. & Galeni.Ex parte quidem crudiore fit quidem Lac, ſed inutile, & hæc eſt cauſa, vt eæ , quæ habent menſtrualem ſanguinem fœdum ſemper Lac prauum producant. Circa alterum, an videlicet Lac fiat per concoctionem vel per ſimplicem mutationem ? Inuenio varios inter ſe eſſe Medicinæ ſcriptores. Primum eſt auctoritas Hipp. qui loco citato ſcribit Lac ipſum eſſe ſanguinem coctum:ſi eſt ſanguis coctus, ergo fit per concoctionem. Præterea Gal.7.de Vſu partium

tium 22.reddit rationem,cur Mammæ ſint poſitæ in pectore,quia in mammis debeat Lac fieri.Lac verò eſt cibus valdè coctus, in pectore autem viget calor.Ergo commodus eſt locus Lactis generationi: quæ ſentētia ſi vera eſt,ſequitur Lac fieri per concoctionem. Ex aduerſo ſunt auctoritates & rationes. Prima eſt,quia ſi fieret Lac per concoctionem,ſequeretur,quod Mammæ eſſent calidiores venis, quia in venis aliis corporis non fit lac, quia ibi non coquitur, ſed coquitur in Mām͡is. Sed falſum eſt Māmas eſſe calidiores venis, quia vt ſcriptum eſt à Galeno, Mammæ ſunt corpora carnoſa & valdè frigida. Addimus etiam ſententiam Ariſt.4.Meteororum, quod illud quod ſemel eſt coctum,nō poteſt amplius recrudeſcere,ſed ſi lac fieret per coctionem,ſequeretur quod coctum recrudeſceret. Probo auctoritatibus & experientia:auctoritatibus, quia Alexander 2.probl.8. inquit, quod Lac facilè mutatur in ſanguinem,quia factum eſt ex ſanguine.Si hoc eſt,ſi lac eſſet sāguis coctus, ergo dum lac fit,ſanguis recrudeſcit. Probo etiā experientia, quia videmus,quod mulieres vbi renuunt lactare infantes proprios, perdunt Lac. Et ſic, per diſſipationem Lactis regurgitat in venis,& fit Sanguis: prætereà, ea quæ fiunt coctione,ſemper fiunt calidiora.Ergo ſi lac fieret per concoctionem ſanguinis,lac eſſet ſanguine calidius,ſed hoc falſum eſt.Ergo Lac non fit per cōcoctionē.Probo experientia & auctoritate Galeni:experientia,quia videmus inflammationes lacte demulceri,ſanguine magis exaſperari.Probo auctoritate Galeni,qui 5.de Simp.21. ſcribit, Lac quod pertinet ad caliditatem,medium eſſe inter pituitam & ſanguinē, quia pituita calidius eſt,ſanguine verò frigidius.Eſt altera auctoritas 5.Aph. quadrag.quo in loco ſcribit:quod ſicuti Iecur eſt calidius corporibus glanduloſis māmarū,ita ſanguis eſt calidior Lacte.Si ergo per experientiam & Galenum,ſanguis eſt calidior Lacte,ſequitur quod Lac nō fiat per coctionem,'quia eſſet calidius sāguine. Accedit & altera Galeni auctoritas prim. de Tuenda Valetud.ſept.vbi ſcribit à natura pueros ſtatim ac nati ſunt, ideò delectari lacte, quia eſt ſimillimū nutrimentū ei,quod in vtero ſumebat fœtus,& addit,Lac eſſe pauciſſimā mutationē adeptum.Quo in loco duo debetis aduertere:vnum eſt,quod in cōtextu Græco legitur,eſſe ſanguinem pauciſſimam mutationem adeptum:in contextu Latino,exiguam mutationē:ita fefellit nos ille interpres,dum non reddit totam ſententiam. Alterum eſt,quod auctoritas l.1.de Tuenda Val.videtur contraria alteri auctoritati Gal.26.de Vſu part.12.& 7.de Vſu part.22. vbi ſcribit, fieri Lac ex ſanguine, non quidem exiguè mutato,ſed ἀκριβῶς πεπεμμένως,ideſt,exactè mutato.In hac grauiſſima ſpeculatione puto reſolutè dicendum:Lac fieri ex ſanguine mēſtruo cocto,nō quidē ſummè concocto,ſed mediocriter,ita tamen vt nihil deſit coctioni,atq;hoc notat vox illa Gal.ἀκριβῶς,ſcilicet exactè,ſed quomodo fit hæc coctio ſanguinis in mammis? Dico fieri per adæquationem,hoc modo, quia in ſanguine menſtruo, ſi adſunt partes igneæ & acriores, beneficio teporis mammarum iſtæ partes, aut diſſipantur,aut attenuantur. Si verò adſint partes crudiores attenuantur,coquuntur, ita quod tota illa ſanguinis maſſa adæquatur: Apud Ariſtotelem 4. Meteor. dicitur bella concoctio, quando ea quæ coquuntur, rediguntur ad æqualitatem. Ad rationes in contrariam partem, & primo cum dicebatur, quæ coquuntur fieri calidiora:dico hoc non eſſe ſemper verum,eſt quidem verum, vbi res ſummè coquuntur,falſum vbi mediocriter.Exemplum adfero vobis de Melle:Mel;ſi intensè coquatur fit calidius, quia amareſcit: ſi coquatur mediocriter, non fit calidius, quia mel crudum acrius eſt,quia inteſtina ſtimulat,cum vero mediocriter coctum eſt, non ſtimulat. Ratione, quia per moderatam coctionem partes acriores diſſipantur,itaque hoc modo videtur fieri tepidius.Idem poſſumus dicere de vino:

D 4 vinum

vinum ſi coquatur mediocriter, vt in multis Italiæ locis ſolitum eſt, tantum abeſt vt fiat calidius, vt etiam remittatur caliditas: hoc probatum eſt, quia coctum, minus inebriat, quod teſtatur Athenæus, ex libro Ariſtotelis de Ebrietate. Ita clarum eſt, quæ coquuntur non fieri ſemper calidiora: Lac verò, non per ſummam, ſed mediocrem fit coctionem: Ergo non debet eſſe ſanguine calidius. Ad alteram rationem, quod coctum non poſſit recrudeſcere: dico recrudeſcere poſſe intelligi dupliciter: vel per ſe ſolum, vel per admixtionem. Per ſe ſolum, coctum nunquam recrudeſcit: per admixtionem recrudeſcit. Probo experientia manifeſta: Illi qui cōdiunt fructus melle & ſaccharo, clarū eſt quod coquāt. Sed quid fit ſæpe progreſſu temporis? Saccharum vel Mel iterum recrudeſcit, vt iterum cogātur coquere Mel & Saccharum, quia vel per aërem, vel per corporum cruditatem, Saccharū vel Mel recrudeſcunt: ita euenit vt Lac commixtum ſanguini, iterum fiat ſanguis, quemadmodum experientia & rationibus conſtat. Poſſum etiam alio modo reſpondere, cū ex Lacte iterum fit ſanguis, non dicitur recrudeſcere, ſed magis coqui, & ratio eſt, quia etiam in Mammis dixi fieri exiguam coctionem, non repugnat in venis fieri coctionem, vel maiorem, vel æqualem. Inter alias rationes quibus probaui nō fieri Lac per coctionem, hæc vna erat, quod neceſſariò Māmæ eſſent calidiores venis: ad quam rationem reſpondendum eſt, mammas ſua natura eſſe quidem frigidiores venis, vt luculentiſſimè ſcriptū eſt à Galeno quint. Aphoriſm. quadrag. & ab Alexandro 2. problemat. octuageſimo: veruntamen ob viciniam cordis ita incaleſcūt mammæ, vt poſſint ſufficere coctioni: nec videatur vobis hæc reſponſio noua, quia Ariſt. l. 2. de Generatione animalium 9. dicebat, ſemē ſua natura frigidū quidem eſſe, & fieri calidum ob locū. Ita quod incōuenit mammas ſua natura frigidas eſſe, aduentitio tamen calore eſſe præditas, ob quem poſſunt coquere ſanguinē. Id quod poteritis etiā reſpondere ad alteram rationem, qua dicebatur Lac eſſe frigidius ſanguine: & propterea, non poſſe fieri per coctionem. Lac equidem, beneficio Mammarum, frigus acquirit, ſed ratione materiæ, cum ſit ſanguis, etiam calidū eſt. Ad auctoritatem Galeni, ex 1. de Tuen. Valetu. vbi ſcribit, Lac fieri per minimam ſanguinis mutationem, debetis reſpondere, poſſe conſiderari Lactis mutationem dupliciter: vel ſecundum ſubſtantiam & qualitates primas, vel ſecundum qualitates ſecundas. Et ſi conſideremus ſubſtantiam & primas qualitates, valde mutatum eſt à ſanguine: quia quantum ad caliditatem & ſubſtantiā, facta eſt magna mutatio, ſed quantum ad dulcedinem & pinguedinem, nimia facta eſt mutatio, & ita quoad ſecundas qualitates, facta eſt parua mutatio, ideò delectantur pueri Lacte, quia eſt ſimile sāguini quo alebātur, ſcilicet dulcedine & pinguedine. Habetis Lac nihil aliud eſſe, niſi ſanguinem menſtruū concoctum, in Mammis dealbatū: quam definitionem attulit Meletius in lib. de natura hominis. Erat ſecundum propoſitū quomodo Lac generaretur. Circa quod Hipp. in lib. de Generatione fœtus videtur habere nouam ſententiam & ferè incredibilem, ſentit fieri Lac, quia ab vtero comprimantur vaſa corporis interna, quæ compreſſa emittunt humorem quendā pinguem ac dulcem, perinde ac imbuamus corium oleo & deinde comprimamus, ex corio emittitur humor pinguis & dulcis, ita à mole vteri emittitur humor pinguis, qui alteratur à corporibus mammarum ſpongioſis. Quæ ſententia aut valde obſcura eſt, aut omnino fabuloſa, imò contra Hipp. dogmata, qui ſentit Lac fieri ex ſanguine menſtruo. Dicebat enim 5. Aphoriſm. 39. Quod ſi mulier neque pepererit, neque vtero habet, Lac habeat, ſignum eſt menſtrua defeciſſe. Igitur illa generationis Lactis ratio eſt, quam Ariſt. & Medici memoriæ prodiderunt, ſcilicet quod ſuperfluus ſanguis, qui & menſtruus eſt, à natura, vel tēpore partus, vel alia

aliqua

aliqua occaſione,trahitur in mammas, quæ cum plenæ ſint cauernis & meatibus, in ea parte recipiunt ſanguinem, vbi poſtmodum tepore à corde communicato, ſanguis ille leuigatur,coquitur & tandem dealbatur: dealbatur autem, vt ſemen in vaſis ſpermaticis,ſcilicet à calore & natura vaſis. Scimus enim comparatum eſſe à natura,vt quodcunque aliud tranſmutat,ſemper ſibi ſimile eſſe.Sed quęret aliquis, cur natura ita fuerit ſolicita in fabricando lacte, eò magis quod poterat natura efficere, & forſitan debebat facere, vt eodem ſanguine quo nutritur fœtus in vtero, nutriretur etiam extra vterum, poterat efficere vt ſine vlla alteratione, idem ſanguis emanaret ad nutriendum fœtum. Tres puto fuiſſe cauſas, quibus mota eſt natura ad faciendam hanc ſanguinis in Lac tranſmutationem: vna, quia horrendum eſſet & ferinum, videre ſanguinem viuum exſugi ex mamillis, horrendum enim eſſet matri,infanti & aliis:natura autem,quantum fieri poteſt,conata eſt ſemper coniungere iucunditatem cum vtilitate. Altera cauſa eſt, quoniam puer extra vterum debebat nutriri per os, & per os debebat cibus meare in ventriculum, in quo coqueretur:deinde in iecore ſanguis fieri,ſi ſanguis exſugeretur à puero, non alteraretur,neque in ventriculo,neque in iecore fieret ſanguis. Ita quod ſagaciſſima natura, dum videret ſanguine debere partum nutriri, & alterum fieri ſanguinem,adinuenit fœliciſſimum hoc medium,quod tale eſt,vt poſſit ex ſanguine fieri Lac,& iterum in ſanguinem conuerti, myſterium omnibus admirandum. Tertia cauſa fuit;quoniam cum videret natura,in ſanguine locatum eſſe totius vitæ theſaurum,coacta fuit ſanguinis vaſa ita fabricare,vt non poſſint facilè reſerari,neque rurſum facilè claudi .Si igitur debuiſſet fœtus nutriri ſanguine exſucto ex Mamillis,neceſſarium fuiſſet,vt venæ facilè clauderentur & aperirentur : his imminebat periculum,ne quandoque venæ non poſſent amplius occludi,atque ita vita finiretur.Ex his igitur habes locum Lactis eſſe Mamillas,quas idcirco dicebat Gal.7. de Vſu part.22. eſſe poſitas in pectore,aut in locis calidioribus, in omnibus animalibus,tum vt frigiditas Mamillarum remittatur à calore vicini cordis:tum etiam,vt calor cordis poſſit generationi Lactis inſeruire : tum etiam, vt cor poſſit tutelam accipere ab ipſis Mammis.Plutarchus in libro de amore prolis,reddit rationem & ipſe non inuenuſtam,cur videlicet natura in pectore hominibus Mamillas fecerit, vt poſſit,inquit,mater fouere filium,amplecti,oſculari,& ita amorem erga prolem fouere & augere. Tertium,circa Lactis generationem,proprium erat, de Tempore generationis Lactis, quod tempus dicebat Ariſtoteles idcirco incertum eſſe in hominibus,quemadmodum & pariendi tempus incertum eſſet in homine. Cæterum,in tempore etiam in hominibus,quemadmodum in aliis videtur, eſt quidam ordo:quia aut tempus conſideramus vniuerſale,aut particulare.Si tempus vniuerſale conſideremus generationis Lactis, tempus eſt à duodecimo ætatis anno, vſque ad annum quinquageſimum : & ratio eſt, quia hoc tempore intermedio educitur ſanguis menſtruus, qui eſt materia & ſubſtantia Lactis. Animaduertendum tamen vobis eſt,aliquas reperiri quæ in Mamillis poſt quinquageſimum ætatis annum Lac generant,quod tamen rariſſimum eſt.Tempus autem particulare eſt, vel quando defecerunt menſtrua,vel quãdo habent in vtero, vel quando partus in lucem eſt editus : & ratio eſt,quia hoc tempore, aut natura opus habet lacte, aut ſi non opus habet,impeditur excernere ſanguinem per vias conſuetas. Quapropter ne officeret corpori, potius conuertit ipſum ſanguinem in Lac. Dicebat Ariſtot. aliquando ſolitum eſſe Lac fieri, quando fricantur Mamillæ vrtica ; & deinde manibus contrectentur, quod fateor me numquam vidiſſe. Albertus Magnus tamen libro tertio de Animalibus nono, ſcriptum reliquit, ſe vidiſſe virgines,

mulieres & viduas quæ hac arte ſibi ipſis Lac copioſiſſimum pararent. Verùm vtcunque ſit, verum & proprium Tempus Lactis eſt quando partus in lucem eſt editus. Atque hæc ſunt quæ de natura Lactis erant dicenda. Lac item dicitur deficere, quando vel non fit eo tempore, quando fieri deberet, ſcilicet poſt partum: vel ſi generetur, minus tamen quam ſufficiat nutritioni fœtus, atque hunc lactis defectum dicebat Iulius Pollux nuncupari à nonnullis Medicinæ ſcriptoribus ἀγαλακτίαν. Eſt verò hic defectus Lactis, Symptoma in genere excretorum mutatorum, quandoquidem non adeſt excrementum illud vtile, quod eſſe deberet. Defectum lactis, Symptoma eſſe in genere excretorum dixi, quod vt aſſequi melius poſſitis, debetis breuiter ſcire, cibum qui in corpus ſumitur, nunquam poſſe totum in ſanguinem conuerti, quare neceſſario contingit, vt fiant excrementa, quæ aut prorſus ſunt inutilia & extra corpus à natura reiiciuntur: aut ſunt vtilia, & retinentur, pro reficiendis membris, vel pro conſeruanda ſpecie. Inter hæc eſt ſemen & ſanguis menſtruus, qui inſeruit conceptioni & nutritioni in vtero, vel poſt exitum ab vtero fœtus: ita quod nutrimentum, quod ſumit extra vterum fœtus, ſit excrementum vtile. Et dixi, vbi Mammæ carent hoc excremento, dicuntur laborare hoc Symptomate, quod eſt excrementi vtilis defectus. Eſt igitur Symptoma, defectus Lactis, & quia Symptomata omnia ſequuntur morbum, ſic defectus Lactis ſequitur morbum proprium, ſcilicet aut malam formationem Mammarum, tum aliorum vaſorum, aut malam temperiem, aut continui ſolutionem, ita quod iſti morbi poſſunt in mulieribus efficere defectum Lactis.

Cauſæ.

IAm verò cauſarum defectus lactis aliæ ſunt internæ, aliæ autem externæ. Internæ, aliæ ſunt naturales, aliæ verò aduentitiæ. Naturales cauſæ ſunt, paruitas Mammarum, anguſtia vaſorum mammarum & totius corporis. Etenim Hippocrates 1. de Morbis muliebribus ſcribit, aliquas inueniri mulieres, quæ à natura Lac non producunt, rurſum inueniri alias, quibus ante tempus Lac deficit: & cauſam horum dicit eſſe denſitatem & anguſtiam vaſorum, propter quod ſanguis ab vtero ad mammas non poteſt deriuari. Aduentitiæ cauſæ ſunt, vt obſtructiones vaſorum, factæ ab humoribus viſcidis & craſſis. Addit Auicenna ſecundo primi, debilitatem virtutis attractricis mammarum. Additur etiam inter cauſas aduentitias internas, ſanguis videlicet aut vitiatus, aut imminutus. Vitiatus eſt vel corruptus & venenatus, vt eſt in morbis peſtiferis: vel exſiccatus, vt in febribus magnis & ardentibus, vel pituitoſus, vel bilioſus, vel melancholicus: neque miremini me dixiſſe, quod ſanguis bilioſus, pituitoſus & melancholicus inducat defectum Lactis, eò quod ſcribit Galenus 5. Simp. 20. & Auicenna, Lac videlicet generari ex ſanguine meliori menſtruo. Vbi igitur nihil ſanguinis homini eſt, neceſſariò defecit Lac. Diminuitur etiam ſanguis à cauſa interna, quando vel deeſt materia ſanguinis, vel quando ſanguis per alias partes exit à corpore, vt puta, per os, per Hæmorrhoides, per venas menſtruorum. Cauſæ porrò externæ ſunt, quæ poſſunt coarctare vaſa, per quæ defertur ſanguis, vt immodicum frigus, Aëris aut Regionis: vſus adſtringentium. Similiter inter cauſas externas numerantur etiam quæ minuunt ſanguinem & vitiant, vt cibi praui, quia vitiatus fit ſanguis, & tunc Lac non fit. Sic ieiunia, abſtinentia cibi & potus, nimius labor, mœror, & alij vehementes animi motus, ſunt inter cauſas quæ extrinſecè inducunt Lactis defectum. Sunt etiam nonnulli cibi, qui proprietate quadam Lac deſtruunt, vt dicit Plinius

de

de Semine Cyrcæ. Albertus Magnus tert. de Animalibus 9. de Tritico illo, quod Patauij dicitur Sorgo,facere lactis defectum ait.Sed an hoc verum ſit, dicent vobis ruſticæ Patauinæ. Galenus quinto Simp. Medicam. ſecundo dicit, omnia illa quæ nimis calefaciunt,exſiccant & refrigerant, omnia inquam Lac minuere. Sed hæc Galeni ſantentia dubia multa parit: primò,quia videmus multa quæ impensè ſunt calida & ſicca,Lac etiam facere,vt eſt Fœniculum, Apium, & hæc licet calefaciant & exſiccent, tamen ad lac producendum & augendum exhibentur. Similiter Lactuca valde refrigerat,tamen à Dioſcoride, & Auicenna dicitur Lac generare. Et Auicenna libro ſecundo loquens de Agno caſto ſcribit minuere ſperma, & Lac augere. Tamen mihi non videtur rationi conſentaneum eſſe, quia ex eadem materia fit lac & ſemen, ex ſanguine ſcilicet ſuperfluo. Dicendum eſt, vt Galeni veritatem aſſequamur,ea videlicet quæ generant Lac,dupliciter generare, vel per ſe, vel per accidens:per ſe dicuntur generare Lac, quæ producunt ſubſtantiam Lactis, vt ſunt cibi calidi,& humidi & optimi ſucci, dicuntur generare Lac, quia producunt multum ſanguinis. Per accidens autem dicuntur generare Lac, quæ aperiendo prouocant ſanguinem ad mammas, vel remouendo cauſas imminuentes Lac, atque hoc modo quæcunque aperiunt, adhibenda ad generandum lac. Itaque Galenus quando dicit, calefacientia ſeu refrigerantia non generare Lac, loquitur de iis quæ per ſe generant Lac:quando verò adhibentur aperientia,adhibentur,non vt Lac generent,ſed vt aperiendo, Lac ad mammas ducant. Idem de Lactuca dicendum, Lac generare, corrigendo ſcilicet intemperiem calidam, vel remouendo cauſas minuentes lac. Igitur vera eſt ſententia Galeni, quæ impensè refrigerant aut calefaciunt, Lac non generare. Inter has cauſas numeratur à quibuſdam debilitas infantis in ſugendo,ſed hoc rarum eſt; & ſuctio quidem infantis prouocat Lac,ſed ſi non adſit materia propria, non prouocabit, ideo inter cauſas valde remotas ſtatuit.

Signa.

Signa lactis deficientis ex puero lactante colliguntur: quia ſi puerum videatis clamantem ſemper, emaciatum & non proficientem, & non videatis pannos madidos,quibus inuoluitur,ſignum eſt Lactis defectus. Item, ſi quæ nutrit, menſtruas purgationes habeat,colligere poteſtis Lac deeſſe, quod tradit Gal. 5. Simp. 22. Aduertere circa hoc debetis,Mulieres aliquas purgari & Lac non deficere, ſed iſtæ non ſingulis menſibus purgantur,ſed quinto vel ſexto ſaltem menſe. Quod ſi quæ ſingulis menſibus purgantur & Lac habeant, rarum eſt, & prouenit ex ſanguinis multitudine. Signa cauſarum particularium, ſi cauſæ ſint externæ, comparabuntur à vobis ex relatione Nutricis, vel infantis: ideò diligentes eſſe debemus de Aëre,Cibo,potu & Venere, quæ facere ſolent Lactis defectum, & interrogare debemus de animi affectibus: ſunt enim quæ mœrore lactis defectum patiuntur: aliæ amore & libidine efferuntur & conſumunt Lac ipſum. Item contingit vt nutrices grauidæ fiant, & Lac deficiat, ideò diligentes ſitis neceſſe eſt. Signa internarum cauſarum, ſi ſint naturales, videbitis ex aſpectu mammarum paruarum & anguſtarum, quia vaſa habent arcta & breuia. Quod ſi ex obſtructione malum eueniat, videbitis obſtructum totum corpus, examinabitis vitam anteactam, vt ſi ſit vſa cibis craſſis. Quod ſi malum fiat à paucitate ſanguinis, intelligetur, vel quia mulier pauco vtetur cibo, vel quia ſanguis euacuatur per nares,hæmorrhoides,vel per vterum. Intemperiei ſigna habetis ex propriis ſignis in-

temperiei

temperiei calidæ,frigidæ, ſiccæ. Si ſanguis ſit vitioſus,aut corruptus, cognoſcetis ex morbis,quia ſanguis corruptus alios morbos parit.Quod ſi ſanguis ſit bilioſus, cognoſcetis ex aſpectu & guſtu,quia Lac vergit ad pallorem, erit ſubamarum, ad hæc cognoſcetis ex habitu bilioſo,ex vitæ exercitationibus,ex cibo, quo vſa fuit: vt ſi ſit vſa cibis bilioſis. Hoc autem loco annotare debetis,lac omne cum bonum eſt,duas habere conditiones.Primò vt ſit dulce,vel ſubdulce:etenim capræ tametſi veſcantur amaris frondibus ſalicum, carduis, tamen Lac euadit dulce. Quare miratus ſum Plinium & ſequaces,qui libro 15.de nat.Hiſtor.27.fecit proprium quendam Lactis ſaporem,quem noluit appellari dúlcem & pinguem,ſed lacteum, quaſi alius ſit ab his ſaporibus.Sed falſum eſt,quia Lac dulce eſt, tamen diuerſa eſt dulcedo à dulcedine Mellis & Sacchari.Alia proprietas lactis boni eſt,vt ſit album & candidum:& ratio eſt,quia vt intellexiſtis, ſit Lac in Mammis, quæ ſunt corpora glanduloſa & candida,quare neceſſariò inducitur albedo lacti. An verò verum ſit quod ſcribit Plin.lib.2.cap. 13. ſcilicet in Ponto eſſe quaſdam oues, quæ faciunt Lac nigrum, ipſe viderit, certè mihi videtur improbabile eſſe. Animaduertere tamen debetis,candorem qui ineſt lacti,diuerſum eſſe à candore aliorum corporum, quia alia corpora liquida alba,reddunt imagines, vt Aqua, vinum, ſed lac nequaquam reddit.Ratio accipitur ab Ariſtot.4.Meteor.& à Plutarcho 6.Sympoſ.cap.8. qui ſcribunt,in lacte multum adeſſe terreum, & ideò fieri non poſſe vt ex parte terrea reddantur imagines. Si ſanguis pituitoſus ſit,& hac ratione Lac minus fiet. Auicenna tria tradit ſigna noſcenda ex ipſo Lacte, poſtquam pauciſſimum ſit. Primum eſt albedo maxima.Sed miror Auicen.qui in hac re ita determinauit,& ratio eſt, quia ipſemet vbique fatetur,Lac eſſe corpus albiſſimum: adhæc pituita minus alba eſt quam Lac, quomodo ergo Lac ex miſtione pituitæ poterit fieri albiſſimum? Si vos miſceatis Gypſo albiſſimo calcem, videbitis albedinem Gypſi remitti, ſic etiam deberet Lactis albedo remitti,potius quàm augeri.Secundum ſignum eſt,ſi Lac pituitoſum ſit poſitum ſupra vnguem ſtatim defluit,vt neque horam,neque momentum tenere poſſit,quia à pituita ſit aqueum & fluidum, & ratio bona eſt. Alterum eſt,quod odor & ſapor vergunt ad acetoſitatem.Quod ſi lac Melãcholicum ſit,cognoſcetis,quia Lac erit terreum & craſſiſſimum, adhæc color erit liuidiuſculus,ſubniger. Sed dicetis,ſi Lac ſubnigrum eſt Melancholicum & prauum, cur igitur Ariſtoteles tertio de Hiſtoria animalium 12.circa finem,dixit: lac liuidum eſſe melius, quam album: ſimiliter, dixit nutrices quæ ſunt liuidæ, eſſe ſaniores quàm nutrices albas?Ego fateor ingenuè me ſæpe cogitaſſe, ſi qua ratione poſſem Ariſtotel.defendere,ſed hactenus nihil inueni.Verum vt habeatis à Galen. 1.de Tuen. valetud. 9. ab Auicenna, Moſchione & omnibus qui de hac re tractarunt,Lac videlicet omnium optimum eſſe, quod eſt albiſſimum:& ſi nutrices eligendæ ſint, debeant eligi quæ viuidum & floridum colorem habeant. Igitur, aut Ariſt.errauit,aut error in ſcriptis eſt.

Prognoſtica.

Signum prognoſticum eſt,quod vbi Lac deficit, malum ſæpiſſimè eſt non modò fœtui,ſed etiam nutrici:dixi ſæpiſſimè,quia ſi mulieri Lac deficiat, quia grauida eſt,non eſt ſemper malum. Vbi autem Lac deficit, ſolet in communi eſſe conſuetudine, vt nutrix ſtatim mutetur, quod certè remedium ſaluberrimum ſemper eſt, verumtamen ſæpe fit vt hoc remedium non poſſit adhiberi, vel non ſit vtile, ideò maximè erit vtile,intelligere qua ratione Lactis defectus poſſit reſtitui.

Curatio

Curatio.

IN eo agendo duplicices ſunt ſcopi : vnus eſt , vt cauſæ omnes Lac diminuentes aboleantur: alter verò eſt ,vt ſanguis ad mammas,vbi fit Lac,trahatur. Hi duo ſcopi adimplentur potiſſimum victus ratione , adimplentur etiam pharmacis , ita quod primo diligentes eſſe debetis,vt victum nutrici inſtituatis.Et primo,erit Aër temperatus,vel eligendus,vel efficiendus,quod autem aër maximè conferat, teſtis eſt Ariſtot.3. Hiſtor.animal. 31. & Albertus Magnus 3. de Animal.9. Qui omnes dixerunt , eſſe Regiones quaſdam in quibus etiam pecora maximum Lactis prouentum habent, vt dicit Ariſt.de Epiro,Albertus de Friſia & Holandia. Hoc enim tametſi in primis acceptum eſſe debet paſcuis , paſcua tamen hoc habent propter aërem. *De ſomno* quoque maxima eſt habenda ſolicitudo , quia ſicut vigilia Lac conſumit, ſic ſomnus Lac prouocat & facit. Exercitationes moderatæ ſunt adhibendæ,immoderatæ fugiendæ, quia corpus colliquant & ſanguiné minuunt. Venus quoq;, ſi quid aliud nutrici inhibenda eſt , quia vel grauida fit,vel ipſi prouocantur méſes,vtrumque enim horum maximè Lac conſumunt. Dicebat Ariſt.loco citato, ſi bruta abſtineant à coitu , diutius Lac conſeruant. Circa *Cibum & potum* debetis eſſe diligentes, & primò circa potum , vt abſtineant à vino craſſo & geneſo, quia vt habet Ariſt. l. de Sommo & vigilia c. 4. vinum generoſum & nigrum, maximè inimicum eſt nutrici. Debet etiam potus eſſe moderatus, vini pauciferi, albi & tenuis. Neque exiſtimetis, quod putant vulgo, ex vino videlicet fieri Lac, quia hoc,eſt falſiſſimum.Si quidem vt habet Galenus 5.Simp.& Ariſtot.4.Meteo. naturam videlicet Lactis eſſe aqueam & terream , naturam verò vini aqueam ſolùm. Si quid autem confert potus vini confert, quia eſt vehiculum ſanguinis ad Mammas. Cibus, qui conuenit nutrici, vt habet Galenus 5. Simpl.21. & Auicen. 12.tertij Tractatu primo,capite 21.eſt inquam cibus accommmodatus nutrici,calidus & humidus , qui optimos ſuccos gignunt. Ideò panis optimè fermentatus conuenit, panis tam ex tritico quàm ex farre. Dicet aliquis veſtrum, an panis fabaceus poſſit conuenire ad generandum lac , quia Ariſtoteles loco citato ſcribit, pecora ex vſu Fabarum implere vbera: dicit in brutis hoc quidem poſſe prodeſſe, quia mammas habent pendulas , inde à fabis facilè inflantur & attrahitur Lac , id autem nequaquam in Mulieribus conuenit. Carnes caponum,vituli, oua ſorbilia, carnes omnium auium : carnes autem ſylueſtrium non ita accommodantur , quia nimis exſiccant,& omnia exſiccantia ſunt fugienda. Laudat Rhaſes lac caprarum: Lac etiam vaccæ & ouium maximè conuenit , præſertim ſi fiant pultes. Et ſi quid eſt quod facit vbertatem lactis,eſt puls ex lacte & aliqua farina : exempli gratia, ex farina orizæ, aut Seſami, huiuſmodi farina enim in lacte coquitur, & fit puls, quæ maximè conuenit lactis vbertati. Butyrum maximè commendatur , ſed præſertim vbera cocta omnium animalium & manducata.Et ratio accipitur ab Auer. 5. Collec.19.de Conferentibus ad membra, quo in loco ſcribit comparatum eſſe à natura,vt propter ſimilitudinem membra membris languentibus conferant.Exépli gratia, in ſtomacho languido maximè commendantur ventriculi animalium & præſertim gallinarum: in pulmone lauguente,pulmones. Sic quoque dicunt ſcriptores Medici, ad Mammas ſeu generationem Lactis, conuenire eſum mammarũ. Auic. laudat & ſemina papaueris,ſed notate quod alià s vos docui, ea quæ impéſè refrigerant, nequaquam conuenire, & præſertim ſi ſola adminiſtrentur. Si autem conuenit ſemen papaueris , conuenit vbi propter cauſam calidam defectus Lactis eſt.Arabes omnes & etiã Aëtius,Moſchio,Alb.Mag.laudãt capita piſcium ſalitorũ,

rationem

rationem certè me fateor ignorare, tamen putandum eſt hos grauiſſimos auctores non temerè id dixiſſe, ideò ſi conueniunt, aliqua proprietate conuenire poſſunt. Sed eſt quæſtione dignum, an pro lactis generatione, conueniat cibis ſalitis vti? Ex vna parte, videtur quod non, quia Gal. & omnes Græci, item Auic. iubent, vt mulieres abſtineant à rebus acribus, exſiccantibus & ſalſis, id quod præceptum etiam fuit Hipp. 1. de Morb. mulieb. Eſt & ratio quod non conueniant, quia vt videmus ſalem conſumere carnes, ita quoque putandum eſt, Lac conſumi eſu ſalitorum. Ex parte altera, Moſchio qui quandoque ſalſam aquam adhibet, & Alb. Mag. dicunt, eſſe Regionem quandam Bardanuam vocatam, in qua pecora magnam lactis copiam habent, non alia ratione, quam propter paſcua ſalſa: ita quod videatur hac ratione etiam conuenire poſſe vſum ſalſorum. Dicerem ego & conſulerem, ſalem tum adhibendum eſſe, vt potius condiantur dapes, quam ſecus, id eſt, vt abſtineant nutrices & à frequenti & multo ſalis vſu, & non adhiberem, niſi tantummodo cum aliis, quæ temperant ſalſuginem. Et ratio eſt, quia moderatè ſalſa adhibita, præter iucunditatem maiorem, iuuant etiam ad penerationem ciborum. Sic legimus Apollonium, Herophili Medici diſcipulum, emaciatos homines impinguare ſolitum fuiſſe ſale, id eſt, ſalitis cibis, quia ſalita ſi modicè adhibeantur, ſunt veluti vehiculum ciborum. Atque hæc de victu. Deinceps videndum, quæ ſit cauſa, quæ defectum lactis inducit: quia ſi ſit cauſa natiua, eſt abſtinendum à pharmacis, quia fruſtra laboraret Medicus, & nullum eſt conſilium, niſi vt mutetur nutrix. Si verò cauſa ſit aduentitia, non naturalis, examinandum eſt quæ ſit cauſa. Quod ſi in cauſa ſit obſtructio vaſorum, conãdum eſt omnino deobſtruere. Idcirco purgandum eſt primo moderatè corpus: deinde adhibenda ſunt quæ ſanguinem ad mammas attrahunt, quæ aperiunt. Et notate, me dixiſſe moderatè purgandum eſſe corpus, quia in nullo caſu debet medicus vti valdè purgantibus, quia valida medicamenta, vt purgant corpus, ita quoque ſanguinem colliquant & imminuũt Lac: idcircò nunquam vtendum eſt medicamentis validis. Itaque licebit purgare corpus hunc in modum:

℞. Mellis roſ. ſolut. ℥. iiij. vel v. pro captu mulieris: quod quidem capiat horis quatuor ante cibum. Poſtea erit vtendum ſyrupis, quibus poſſitis deobſtruere: vt

℞. Folio. Fœniculi, Smirnij, Pulegij ana p. s. Sem. Rapæ ʒ. ij. Fiat decoctio ſecundum artem: deinde

℞. Dictæ decoctionis ℥. iiij. Oximel. ſimp. Syr. de Eupato. ana ℥. j. Miſce. Et notandum eſt, quod vbicunque nutrices purgare vultis, ſemper miſceatis cum aliis medicamenta ea, quæ facultatem Lactis generatricem augent. Poſtquam humores erunt præparati, erunt expurgandi, & ſufficiet hæc expurgatio: vt

℞. Electuarij leniti ʒ. vj. Mel. Roſati ſolut. ℥. iij. Decoctio. cordial. q. ſ. Fiat potus. Poſtquam autem apertæ erunt obſtructiones, ſupereſt vt & intrinſecus & extrinſecus adhibeantur ea quæ poſſunt ſanguinem ad mammas prouocare. Inter cætera, Paulus Ægineta lib. 1. cap. 4. commendat, neque immeritò, vt Mammæ ipſæ fricentur, vt ipſis etiam apponatur cucurbitula citra ſcarificationem; quia talia auxilia aperiunt vaſa mammarum, & etiam prouocant & inducunt Lac ad mammillas. Præter hæc, ſunt alia quæ in vſu habentur medicamenta, vt ſi brodium fiat, de quo capiat nutrix 6. vel 8. vncias, & eodem etiam abluat mammas: vt exempli gratia:

℞. Sem. Fœniculi, Porri, Erucæ ana ʒ. ij. Macis ʒ. j. Folio. Maluæ p. s. Bulliant in brodio parui pulli. Cum hoc brodio abluantur Mammæ, & etiam de hoc brodio ſumat. Sed hic non contemnenda eſt difficultas, an verè conueniant ea quæ

dixi,

dixi,vt Fœniculum, Apium, Macis, & alia quæ numerantur inter generantia Lac à Galeno: & ratio dubitationis eſt,quia vt habet quint. Simp.22. & Ariſtot.4. de Generatione animalium, ea videlicet quæ prouocant menſtrua, deſtruere Lac: quod autem hæc prouocent Menſtrua, teſtatur Galenus. Eſt etiam auctoritas Auerrois ſeptim. Collect. capite quarto,quo in loco ſcribit, omnia ea quæ prouocant vrinam, prouocare etiam menſtrua. Sed Apium, Fœniculum,&c. prouocant vrinam: Ergo & menſtrua, & per conſequens non conueniunt, quia deſtruunt Lac. Dico ea quæ prouocant Menſtrua eſſe duplicia: vel enim vehementiora ſunt, vel mediocria. Si ſunt vehementiora, vt calida & ſicca in tertio gradu, dico quod omnia hæc deſtruunt Lac, quia impensè exſiccant ſanguinem, & conſequenter Lac conſumunt. Si autem accipiantur ea, quæ moderatè calefaciunt & ſiccant, quod hæc non deſtruant lac, ſed promoueant, vt ſunt præſcripta. Ratio eſt, quia quæ ſunt debilia, tametſi modicè aperiant, tamen modica aperiendi facultas confert ad Lac producendum, quia ſanguinem menſtruum attrahunt ad mammas. Idcirco parua apertio ſufficit, cum attractione mammarum, ad deducendum ſanguinem ad mammas. Modica autem apertio aut parum, aut nihil facit ad prouocationem menſtruorum, quia vterus non trahit ſanguinem menſtruum, ſed ſanguis detruditur à facultate expultrice ad vterum. Et tamen vnum eſt aduertendum,quod ſolus Paulus videtur animaduertiſſe,ſcilicet vt hæc medicamenta quæ iuuant & Lac generant, parcè adhibeantur, propterea quod licet non adeò exſiccent, exſiccant tamen, & ratione exſiccationis, valde inimica ſunt Lactis generationi. Atque hic eſt modus prouocandi lac in Mulieribus, in quibus obſtructa ſunt vaſa. Quod ſi qua alia ratione Lac deficit, tum diligenter examinandum eſt,quæ ſit illa cauſa, nam ſi ſit febris ardens,vel peſtifera, vnus eſt ſcopus, vt primò illa febris è medio tollatur: deinde ſublata febre, ea adhibeantur quæ generent Lac, & id perducant ad Mammas. Ego in his caſibus, qui ſæpiſſimè contingunt, vt nutrices egeant lacte, vtor poſt ſublatam febrim brodiis caponum, in quibus coquo ſemen Raparum,& ſemen porri,& præter hoc brodium vtor hac confectione: vt

℞. Nucleorum pini, Amygd. dulci. ana ℥. j. Sem. Petroſelini, Fœniculi, Raparum ana ʒ. j. Pulueris Vermium terræ vino abluti ʒ. ij. Sacchari quantum ſufficit. Fiant Rotulæ.Et notate, omnes ferè Medicos commendare vermes terræ,& Græcos & Arabes, eò quod ſit medicamentum experientia cognitum, ad generandum Lac. Exhibendum ſummo mane, ad quantitatẽ vnius aut alterius drachmæ,& poſt potetur vinum mediocre,vel brodium prædictum. Sic etiam in his caſibus maximè conueniunt Balnea,adminiſtrata ipſis mammis,quæ fiũt ex Cytiſo, Malua, Lactuca, vel in brodiis coctis, vel in vino modico, vel in aqua ſalſa, modò non ſit valdè ſalſa. Quia,vt eſt ſententia Moſchionis, aqua ſi non ſit valdè ſalſa, aperit citra exſiccationem, ideò ipſe incoquit mollientia, vt eſt Malua, Cytiſus. Si aliqua intemperies in cauſa ſit, vt in corpore Lac non fiat, eſt primò vigilandum,vt ea intemperies tollatur: deinde ſtudendum eſt, vt ſanguis ad mammas trahatur, vt Lac gignatur. Tollitur intemperies per contraria, vt ſi intẽperies calida fuerit, conueniunt brodia frequenter exhibita, in quibus Lactuca, Acetoſa, Endiuia coquantur:ſimiliter Lactuca ſaccharo condita,& tandem omnia illa, quæ intemperiem calidam corrigunt. Conueniunt etiam Balnea aquæ dulcis, & ea quæ mammis impoſita, intemperiem ipſam corrigunt. Quod dixi de intemperie calida,idem quoque dicendum eſt de frigida, vt ſcilicet per ea tollatur, quæ calefaciunt. Adhibenda intrinſecus & extrinſecus, quæ calida ſunt, & ſanguinem

ad

ad Mammas trahunt,vt eſt decoctum ex Aniſo,Fœniculo,ſemine Rapæ & Erucæ: hæc omnia conueniunt in intemperie frigida, & maximè Lac ad mammas trahere poſſunt. Quod ſi præter intemperiem, cauſa defectus Lactis fuerit vitium ſanguinis,omni ſtudio enitendum eſt, vt ſanguinis vitium remoueatur, quo facto, adminiſtranda ſunt ea,quæ ſanguinem ad mammas trahunt. Et vt exemplum habeatis,ſi cognoſcatis ſanguinem bilioſum eſſe, primum inſtituta recta victus ratione, lenietis aluum hoc modo:

℞.Florum Caſſiæ ℥.j.Elec.de Sebeſten,ſiue Scammonio ʒ.iij.Miſce cum Sacchato quantum ſufficit,fiat Bolus,& capiat hora vna ante cibum. Lenita aluo humores ſunt præparandi hunc in modum:

℞.Folio.Maluæ.Lactucæ ana M.j.Hordei P.s.Sem.Cucume.ʒ,iij. Fiat decoctum ſecundum artem:deinde

℞.Decoction.℥.iiij.Syr.de Endiuiæ,de Suc.Boragi.ana ℥.j.Miſce.Sic præparabitis humores ſex aut ſeptem diebus,nulla ſectione venæ habita ratione, quia nunquam in defectu Lactis curando,mittendus eſt ſanguis. Poſtquam humores erunt præparati, deinde purgandi erunt, non quidem medicamentis validioribus, quæ ſemper nocent,ſed mitioribus, quemadmodum:

℞. Rhabar. infuſi & expreſſi ſecundum artem ℈.iiij. Syr. Roſati ſoluti, Mannæ electæ ana ℥.j.s.Decoctio.Cordial.q.ſ.Miſce & fiat potio:capiatur hora conſueta. Poſtquam ita purgatum fuerit corpus,deinde ſatagendum eſt, vt Lac ad Mammas trahatur: hoc fit tum brodiis quibuſdam intra & extra adminiſtratis: tum Inunctionibus.Brodium autem tale erit:vt

℞.Cicerum Rubro.P.j.Semi.Aniſi ℥.s.Lactu.Citrulli, Cucumeris ana ʒ. ij. Bulliant in brodio:deinde:

℞.Dicti brodij ℥.vij.vel viij.Ego vtor & cum ſucceſſu,brodio ſimplici,cum ſucco Sem.Melonum & Sem. Citrulli. Brodio prædicto poteritis continuo mammas fouere cum ſpongiis, nam illo fotu aperiuntur cauernæ mammarum & trahitur ſanguis ad ipſas.Si ſanguis fuerit pituitoſus,eadem ratione erit conandum, vt primum leniatur aluus,hoc modo:vt

℞.Specierum Hieræ ʒ.j.Diacatho.Electua.lenitiui ana ℥.s.Miſce,cum Saccharo fiat Bolus.Lenita aluo, ſic deinde præparantur humores:

℞. Semin. Aniſi ℥. s. Erucæ, Porri, Rapæ ana ʒ. j. s. Bulliant in aqua communi: &

℞. Dictæ decoctionis ℥. iiij. Mellis Roſati ſimpl. Syr. de Betoni.an.℥.j. Miſce. Poſtquam humores fuerint præparati, purgabuntur leni medicamento, quale eſt iſtud:

℞. Mellis Roſati ſolut. ℥. iij. Diacatholi. ʒ. vj. Decoct. cordial. q. ſ. Fiat potus, & capiatur hora ſolita. Poſtquam expurgati fuerint humores, ſimiliter erit prouidendum aliquibus decoctis, aut aliis rebus extrinſecis, vt ſanguis prouocetur ad mammas. Hæc confectio probatur in affectibus pituitoſis: vt

℞. Seſami ℥. j. Amygd. Nucleo. pini an.ʒ.vj.ſem. Rapæ, Erucæ an. ʒ. j.s. Contundantur & cum melle optimo deſpumato, fiat mixtura. Huius mixturæ capiat ʒ. j.vel alteram duabus horis cùm ante prandium,tum ante cœnam.Deinde ſuperpotetur vinum album, vel brodium: & hoc experiemini Lac ipſum maximè prouocare. Vtor quoque Mentha in Lacte decocta, & mammis ipſis in formam Emplaſtri appoſita.Sed aduertendum eſt,quod dixit Galenus, ne in hoc caſu decipiamini,ne ſcilicet videntes pituitam redundare, adhibeatis remedia calida & ſicca,

quia

quia,vt monet Galenus, in omni caſu hæc ſunt vitanda, quia vt exſiccant humores, ita & ſanguinem & Lac conſumunt. Hæc eſt ratio vniuerſa, qua poteris vti, vbi Lac deficit, ad ipſum prouocandum.

DE LACTIS ABVNDANTIA.

CAPVT II.

SEquitur aliud vitium non contemnendum, & eſt de Lactis abundantia: nam vt Lactis defectus mirificè incommodat, ita dicebat Auicenna, Lac vbi ſuperfluum eſt, valde nocet & ægritudines facit. Vitium hoc apud Dioſcoridem lib. 2. c.121. vocatur σπαργάνωσις, ſicut & mammæ quæ hoc vitio laborant, ab eodem dicuntur σπαργάνωνες. Sunt qui credant mammas à Lacte diſtentas valde, à Plinio l. 31. cap. 6. vocatas eſſe mammas Sororientes. Sed placet mihi, vt placuit Cornario doctiſſimo, vt legatur ibi ingentes mammas. Σπαργάνωσις, ſeu lactis abundantia, eſt vitium quod quidem non modo lædit infantes, verùm etiam & mulieres & Mãmas. Quod lædat nutrices, clarum eſt, quia ex multitudine Lactis valde diſtenduntur mammæ, & interdum non modo dolent, verùm etiam inflammantur. Id quod etiam Serenus Medicus antiquiſſimus annotauit cùm ſcribit, vbera ob nimiam lactis copiam ſibi ipſis valde nocere. Quod autem hæc copia lactis pueris obſit, habetis locupletiſſimum Ariſtotelis teſtimonium ſeptimo de Hiſtor. animalium in fine, vbi ſcribit, pueros ſæpè conuulſiones pati ob nimiam lactis boni & pinguis copiam. Quod Rabbi Moyſes nono Aphoriſm. in fine, miratur non obſeruatum fuiſſe à Galeno: eſt & hic locus tactus à Lucretio in primo de natura, vbi ſcribit lac merum ſæpè etiam teneras capellas dementare. Sed dicetis, qua ratione fit vt lac bonũ & pingue poſſit propter multitudinem puero nocere? Duæ cauſæ concurrunt, vt offendantur pueri: vna eſt, quia vbi lac pingue, iucundum & copioſum eſt, magno impetu trahitur à puero, vnde fit vt facilè corpora tenera repleantur, repleta deinde conuellantur. Alia cauſa eſt, quia nerui puerorum debiles ſunt & infirmi, vnde à magna illa lactis vi facile percelluntur, ita quod non eſt dubitãdum, verum eſſe quod ſcribit Ariſtoteles, ex lactis videlicet boni abundantia ſæpè affici pueros maximè. Sed dicetis. Cùm lac & ſemen ferè ſint ſoboles eiuſdem molis, ſcilicet ſanguinis, cumque ſemen, vt lac etiam, ob nimiam copiam noceat, vellemus ſcire, an eadem ratione Lac copioſum & ſemen copioſum noceant. Dico, diuerſa ratione id fieri, quia Lac præ ſua copia detentum in mammillis, craſſeſcit, craſſefactum corrumpitur, corruptum exulcerat, & morbos varios (vt dicit Auicenna) parit. At ſemen, quanquam ſua copia noceat, alia tamen ratione, quia vt docet Galenus ſexto de Locis Affectis quinto, retentum ſemen, non modò corrumpitur, verùm etiam inimicam & venenatam qualitatem contrahit. Dico hæc ex ſententia Galeni, quoniam ſum alterius opinionis, ſcilicet, nequaquam fieri, vt poſſit ſemen adeò venenoſum euadere. Nam ſcimus traditum eſſe à veteribus Medicis, ab Hippocrate, & aliis, tria maximè conducere ad ſanitatem tuendam, ſcilicet, exercitationem corporis, moderantiam in cibo atque potu, nec non etiam conſeruationem ſeminis. Quod ſanè non præcepiſſent veteres Medici, ſi potuiſſet ſemen retentum tot mala facere. Sed alias de his copioſius. Igitur redundantia Lactis, eſt vitium, quod quidem mulieribus proprium eſt.

Dico proprium mulieribus, quia licet Auicenna videatur ſentire, quod etiam in viros hoc vitium cadat,tamen proprium eſt ipſis mulieribus, & præſertim quando pepererunt,& quando menſtrua ſunt ſuppreſſa, quo tempore interdum vbera præ lactis copia adeò diſtenduntur, vt non poſſint Lac ſuſtinere, & incredibilia tormenta patiantur. Dicit Ariſtoteles ſeptimo Hiſtoriæ animalium capite 11. interdum adeò creſcere Lac poſt partum,vt non tantum per papillas,verùm etiam per tota vbera & alas defluat. Itaque ſi lac ſpontè diffluat præ copia,Symptoma eſt in genere excretorum immodicè fluentium.Si verò lac non fluat, ſed retineatur, eſt cauſa morbi in magnitudine ſcilicet humorum, inflammationum,& aliorum malorum.

Cauſæ.

ABundātiæ lactis cauſa, nulla eſt alia,quàm copia ſanguinis:fit verò ſanguinis copia in mammis,aut quia in toto corpore copioſus gignitur, aut quia non demandatur ſanguis à natura quo deberet mitti. Cùm verò ſanguis copioſus gignatur, nulla eſt potior,quàm copia ciborum & potuum,præſertim eorum qui calidi ſunt & humidi,& qui optimum ſuccum habent.Adhæc copia ſanguinis naſcitur ex multo otio,ex Balneis,& tandem ex omnibus iis quæ ſanguinem multiplicare poſſunt.Sunt præter hæc aliæ cauſæ ſanguinis abundantiæ, & inter alias ſunt herbæ quædam, quas dicit Albertus comeſtas copioſum lac generare. Sunt etiam quædam naturales proprietates,propter quas ſicut in brutis, ita etiam in humano genere fit lactis abundantia, vt dicit Hippocrat. Lactis inopiam interdum ex hac eadem proprietate oriri.

Signa.

SIgna lactis abundantiæ per ſe manifeſta ſunt, & viſu & relatu Mulierum ſatis apertè cognoſcuntur.

Prognoſtica.

PRognoſtica ſigna,quod ſi Lac abundat & ſpontè effluat, nihil mali portendit. Si verò lactis copia retineatur,multa mala minatur,& præſertim tumores, inflammationes,& vt ait Aëtius,vlcera praua.Habetis apud Hippoc. 1.Epid.2.exemplum illius mulieris,quæ vbi lactabat, ſemper vlceribus plena erat, quod potiſſimum tribuendum eſt ipſius lactis copiæ,ob quam corrumpebatur.

Curatio.

CVm itaque non pauca ſint mala, quæ propter lactis naſcuntur abundantiam, ſtudendum eſt omnino,vt tempeſtiuè hiſce malis occurratis : pro quo duo ſunt ſcopi. Vnus eſt,vt id Lac quod excedit diſſipetur, exſiccetur. Alter ſcopus eſt,vt luxuries naturæ in gignendo lacte compeſcatur. Primus ſcopus adimpletur medicamentis exſiccantibus & diſcutientibus. Secundus adimpletur iis medicamentis, quæ impetum ſanguinis ad mammas repellunt, vel alio deflectunt : hi ſunt ſcopi Medicis inſtrumentis adimplendi. Et primò Diæta, propter quam ante alia eligendus venit Aër frigidus & ſiccus, aut potius calidus & ſiccus. Sic enim experimento comprobatur, Æſtate & Autumno lac minus abundare : ſic etiam cognitum eſt apud Æthiopes lactationem citius finiri. Vigiliæ conueniunt

potius,

potius, quàm ſomnus. Corpus valde exercendum, currendum & fricandum,& omnibus laboribus conterendum, Inedia omnis vtilis & euacuatio,modò tamen prudenter efficiatur. Potus exiguus eſſe debet,quantum fieri poteſt,ſi aqua ſit potus, vel ſimplex cocta tantum, vel aqua cui incoctum ſit, vel ſemen Rutæ, aut Agni caſti, quæ & Lac & ſemen conſumere putantur, poſtea etiam conuenit pro potu, qua ſcimus veteres interdum pro potu vſos fuiſſe. Cibi ſimiliter conueniunt pauci, & qui vel pauciſſimum, vel nullum exhibent alimentum, vt primo panis furfuraceus,panis ex Zea, panis ex Melga, quem intellexiſtis Alber. dixiſſe Lac in brutis minuere: Herbæ omnes conueniunt: piſces, carnes auium ſiccæ & aridæ conueniunt,& intinctus ex Aceto,Cumino,Croco.Nam mulieres noſtrates doctæ longa quadam experientia, vbi volunt Lac exſiccare, appendunt ſibi Crocum,aut Cuminum,quæ licet id facere exiſtimentur propria quadam virtute, tamen efficiunt etiam quia exſiccant. Et Cuminum à natura hac facultate donatum eſt,vt à ſeſe ſanguinem repellat, propter quod legimus apud Plinium lib.26. cap. 14.veteres vſos eſſe cumino,ad conciliandum vultus pallorem.Quod ad aliud ſpectat Medicum inſtrumentum chirurgiam, hoc etiam in huiuſmodi curatione accommodatiſſimum eſt,quia ſi Lactis copia ſit ob ſanguinis redundantiam,procul-dubio miſſo ſãguine,minuitur generatio Lactis:Et ego in multis Mulieribus,quæ maximè luxuriant in gignendo Lacte, nullum aliud præſentaneum remedium inuenio, quàm crebrò ſanguinem mittere. Eſt locus aptiſſimus miſſioni ſanguinis, vena communis, per quam plenitudo exinanitur, poſt quam ſectio Saphænæ eſt vtilis, non ſolùm quia ſanguinem euacuat, verùm etiam quia prouocat menſes, quibus prouocatis deflectitur curſus ſanguinis,à mammis ad vterum, idem quoque præſtant Cucurbitulæ ſcarificatæ,& non ſcarificatæ,appoſitæ cruribus & coxis. De tertio inſtrumento, videlicet Pharmacia,id ſtatuo,medicamenta euacuantia ſeu purgantia, aut nullum,aut exiguum adferre adiumentum. Ratio eſt, quia hoc quidquid eſt mali,ortum ducit à ſanguinis redundantia. Purgatio quidem malos humores tollit,ſed ſanguinis copiam minimè minuit,aut ſi minuit, id facit corporis maximo detrimento. Propterea potius conueniunt ea medicamenta quę exſiccant, vel quadam vi propria dicuntur Lac ipſum conſumere. Vtor ego intrinſecus huiuſmodi decocto: vt

℞. Sem. Cymini ℈. j. Agni caſti ℈. ij. Granorum Melgæ ʒ. j.Miſce, contundantur, & in brodio bulliant. Huius brodij mane & veſperi potentur hora vna aut altera ante cibum ʒ. vij. vel viij. Vtor etiam medicamento quodam, quod ab Arabibus commendatum eſt,factum ex Lacte, Croco & Muria.Exempli gratia:

℞. Lactis vaccini ʒ. iij.Muriæ ʒ. j. Croci ſubtil. puluer. ℈. j. Miſce,& ſummo mane potentur. Intrinſecus medicamenta frigida minimè conueniunt, præſertim ſi immodicè refrigerent, quia vt Auerroës dicit, prudenter cauendum eſt, ne dum mala tollere cupimus, etiam calorem natiuum euertamus. Extrinſecus ſimiliter conueniunt multa remedia, fomentationes,ablutiones, fumi ſeu ſuffumigationes & inunctiones: Serenus Medicus laudauit acetum acerrimum, quod quidem conuenit ſuffumigatum: nam accipiuntur lateres igniti, ſuper quos ſpargitur acetum,& mammis ſupponũtur,vt fumum recipiant. Similiter ſi abluamus aceto, nec tantum acetum, verùm etiam fæx aceti maximè prodeſt, ſi in forma Emplaſtri ſuperponatur mammis.Hoc enim remedium præterquam quod commendatur à Medicis antiquis,à me etiã vſu efficaciſſimum probatum eſt. Si mammæ præ lactis copia inflãmentur,aut doleant,modus curandi erit,vt à principio adhibeantur illa,quæ à virtute frigerifica repellunt & inflammationem ſedant:vt ſi folia Lactu-

cæ, Semperuiui, Nymphex, Papaueris, ponantur ſuper mammas & frequenter mutentur: aut etiam ſi Nymphea aut Semperuiuum incoquantur lacti,& ad formam Emplaſtri redacta, mammis applicentur. Auicenna commendauit cancros fluuiatiles exſiccatos & aceto maceratos,quos tametſi dicat proprietate cõuenire, conueniunt tamen & vi & facultate exſiccatoria. Sed quando non adeſt dolor, aut mitiſſimus,ſedato dolore & inflammatione,conueniunt ea medicamenta,quæ magis exſiccare & diſſipare poſſunt. Hoc medicamentum ſeu Emplaſtrum erit accommodatiſſimum.

℞. Far.Lentis, lupinorum ana ℔.s. Sem. Cymini, Rutæ ſubtil. puluerif. ana ℥. ij. Aceti acerrimi q. ſ. Fiat Emplaſtrum. Theodorus Priſcianus Medicus antiquiſſimus & grauiſſimus, commendauit in his caſibus Alumen ſciſſum, Coriandrum: addit Aëtius & Pſyllium. Sed in hoc loco duo ſunt vobis animaduertenda: vnum eſt, ſæpè alioqui Mulieres benè valentes, nec etiam multo lacte abundantes requirere, vt lac ipſis deſiccetur, eò quod ob laſciuiam velint lactationis moleſtias euitare, quo in caſu cogemini interdum inuiti huiuſmodi mulieribus inſeruire, propter quod neceſſarium erit, vt habeatis parata aliquot medicamenta quæ hoc facere poſſunt, citra detrimentum corporis. Dixi vobis Cyminum & Crocum ſi appendatur collo, hoc efficere:idem quoque ſemen Agni caſti præſtat, propter quod in primis debetis huiuſmodi medicamenta experiri, vnà cum Inedia. Quod ſi vobis non ſuccedat optata conſequi, habetis aliquot remedia à veteribus & recentioribus comprobata. Et ego ſoleo vti hoc brodio extrinſecus:

℞. Sem. Pſyllij, Agni caſti ana ℥. ij. Cumini ℥. j.s. Aluminis ſciſſi ℈. ij. Brodij ℔.j. Bulliant ad conſumptionem quartæ partis, ſemper miſcendo cum ſpatula. Deinde cum ſpongiis abluantur Mammæ,nec ſolùm confert abluere,imò maximè hoc præſentaneum eſt, ſpongias hoc brodio imbibitas ſuper mammas detinere, quæ etiam ſpongiæ aceto acerrimo imbutæ detentæ ſuper mammas, mirificè profunt.Et vobis volo præparare medicamentum, quo ſtatim diſſipabitis lac, & nihil aliud eſt, niſi vt capiantur ſpongiæ recentes, & acetum cui incoctum ſit Cuminum, deinde madefaciatis ſpongias iſtas in aceto, & detineatis arctè ligatas ſuper mammas, videbitis vna nocte ſtatim lac diſſipari, modò tamen per biduum aut triduum victus ſaltem tenuiſſimus ſeruetur. Aduertendum vnum eſt, quod vbi hæc medicamenta adminiſtrantur,aut alia, ſi non ſuccedat lac ſtatim diſſipari,debetis curare, vt per longa ſpatia lac exſugatur è Mammis. Dico per longa ſpatia, quia ſi frequenter exſugantur mammæ, nihil profuerit medicamentum, quia quantum per medicamentum exſiccatur, tantumdem per exſuctionem attrahetur, quod ſi etiam nihil exſugeretur, periculum eſſet interdum ne lac ipſum corruptum euaderet. Confert etiam ad hoc vnguentem diapopuleon cum Cumino illitum ipſis mammis, propter quod poteſtis intelligere,Medicos interdum neceſſariò cogi, vt lac ipſum conſumant & nutriant.Vnde miratus ſum Cornarium,virum alioqui doctiſſimum,in 7.Commen.(ni fallor)cap.5.vt ſuo ſpiritu loca quædam Galeni immutaret,dicebat Medicos numquam lac minuere. Alterum hoc in loco aduertendum eſt,an vbi mammæ dolent, ſit exſugendum lac.Etenim ex vna parte eſt Aëtius, qui clarè præcepit, nequaquam exſugendum eſſe, quia quantò magis exſugetur, tantò ſit maior lactis & ſanguinis detractio, conſequēter augetur dolor & inflammatio. Ex altera parte ſunt Medici multi recentiores, qui ſcribunt, omnino per interualla dolentibus mammis lac eſſe exſugendum, adducti hac ratione,quod ſcilicet dolor ſponte trahat ſanguinem,& lac multiplicetur:

cetur:vnde niſi minuatur, periculum imminet ne vſque adeò creſcat Lac, vt malum augeatur. Vos autem, vt ex iſtis difficultatibus voſmetipſos liberare poſſitis, debetis primò attendere,an Mulier, quæ abundat Lacte, ſit aſſueta lactare, an inſueta. Si ſit inſueta, omnino dolentibus mammis eſt abſtinendum ab exſuctione, & ratio eſt, quia præter dolorem mammarum, additur & alter, qui neceſſario fit inaſſuetis. Quod ſi mulier ſit aſſueta lactare,debetis iterum conſiderare,an copia lactis ſit moderata, ita vt excedat moderatè, aut ſi excedat immoderatè. Nam ſi moderatus ſit exceſſus,ita quod extendantur quidem mammæ, ſed nō immodicè, abſtinendum eſt ab exſuctione,& vtendum eſt ſolis medicamentis, quia ſperandum eſt,ſolis medicamentis eam extenſionem poſſe curari. Quod ſi immodica ſit illa extenſio,tum proculdubio etiam quod doleant mammæ aliquantiſper, etiam exſugendum eſt Lac. Et quia ſolet fieri exſuctio duobus modis, vel inſtrumento quodam ad id fabricato à mulieribus,vel à paruulis,aut mulieribus. Probo ego,vt non hoc inſtrumento fiat exſuctio, ſed potius à muliere cordata, vt prudenter & leuiter exſugatur,ita vt etiam dolorem non augeat. Atque hæc de vitiis in quantitate.

DE MVTATIONE LACTIS *ſecundum Qualitatem.*

CAPVT III.

SEquitur vt de Lactis mutatione ſecundum Qualitatem tractemus,quod vt facilius conſequi poſſitis, ad memoriam ſunt vobis reuocandæ Lactis optimi conditiones:quæ,vt docuit Galenus 1.de Tuenda Valet.& Paulus, omnes ſummatim quatuor ſunt. Vna eſt dulcedo, alia eſt Candor,tertia odor, quarta & poſtrema,media quædam conſiſtentia inter fluidum & craſſum.Quare, vbi Lac his qualitatibus priuatum eſt, neceſſariò vitioſum fit:nam ſiue fiat acre,aut acidum, aut amarum:ſiue fiat craſſius aut fluidius:ſiue malum odorem ſuſcipiat,ſiue etiam nigrum aut rubrum euadat, proculdubio Lac à ſua integritate deficit. Vnde quod antea dixi, facilè patere poteſt Ariſtotelem erraſſe, qui Lac liuidum præ cæteris commendare viſus eſt. Primò de mutatione Lactis ſecundum odorem, ſaporem & colorem tractabo breuiter: longior autem nobis erit ſermo de mutatione ſecundum craſſitiem.Neque dicat aliquis veſtrum, huiuſmodi Lactis mutationem non eſſe Muliebres affectus,eò quod Mulieres ipſæ nequaquam videntur lædi,quia licet corpora ipſarum Mulierum non lædantur, tamen hæc operatio læditur, ſcilicet optima nutritio infantis:nam vt dicebat Aëtius,& prudenter, infantes vitioſo ſanguine nutriti,ſæpè veniunt in extremam perniciem.Sunt iſti affectus, Symptomata in genere mutatorum excrementorum, quia excrementum illud vtile, Lac ſcilicet,non eſt tale,quale eſſe deberet.

Cauſæ.

SVnt cauſæ horum Symptomatum aliæ Internæ, aliæ Externæ.Internæ naturales ſunt omnes intemperies,à natura datæ,& præſertim eſt inter has cauſas,Intemperies Iecoris calida & ſicca (nec immeritò) quia cùm Lac gignatur ex ſanguine, in Iecore autem fiat ſanguis, proculdubio cùm temperies Iecoris, à qua

naſcitur facultas ſanguifica,eſt vitiata,neceſſario vitiatur ſanguis,& conſequenter Lac efficitur vitiatum.Itaque Hip. 4.de Morbis dicebat, Lac fieri impurum, tùm ex mala corporis nutricis temperatura biliofa, melancholica, pituitoſa, ſanguinea: tum ex prauis cibis, quo deinde Lacte nutritos pueros Veſicæ lapide tentari. Cauſæ aduentitiæ internæ ſunt pariter intemperies, non modò intemperies Iecoris,verùm etiam Apoſtemata Mammarum:& tandem omnes illæ internæ affectiones,quæ Mammarum temperiem deſtruunt. Cauſæ externæ ſunt omnes illæ quæ ſanguinem vitiare natæ ſunt, vt ſunt animi omnes vehementes motus, nimiæ corporis exercitationes, nimia libido potus, aquarum prauarum: Cibi praui, vt ſunt Carnes putridæ, ſalitæ: Porrum, Allium, Cæpe: Aromata etiam ſi nimis adhibeantur,vitiare Lac ſolent:ſed præſertim Lac vitiant Cibi praui,vt dixi, herbæ prauæ. Scribit Galenus lib.3.de Alim.facult.15.hiſtoriam illam de infante,qui cùm mutaſſet priorem nutricem,& alteram veſcentem malis herbis ſuxiſſet,totus prauis vlceribus repletus eſt.

Signa.

COgnoſcuntur hæc vitia tribus, ipſo Lacte, Infante & Nutrice. Indicia quæ capiuntur à Lacte,vt docuit Aëtius lib.16.cap.36.ſumuntur vel à viſu,vel ab odoratu,vel à guſtu. A viſu capiuntur indicia hoc modo: Lintea candidiſſima immergantur Lacti & ſiccentur in vmbra, poſtquam ſiccata ſunt, referunt colorem Lactis qualem habet: Si Lac ſit biliofum, videbitis lintea illa flaueſcere, ſi ſit melancholicum, nigreſcere: ſi pituitoſum videbitis maculari veluti ſanie illa lintea. Ex odore comparantur ſigna, ſi Lac calidum naribus apponatur; vbi namque vitiarum erit,ſtatim aliquem odorem prauum,aut virus percipietis.Ex guſtu ſimiliter habentur indicia, quia ſentietis Lac amareſcere, vel acidum ſaporem habere, vel aliquem alium diuerſum à dulci. Porrò ex Infante cognoſcuntur vitia Lactis: ſi quidem vbi videritis Infantem vberrimè ſugere, nequaquam tamen quidquam proficere,ſed emaciari,carnes flaccidas habere:plorare multum, parum dormire, vbi inquam videbitis hæc, argumenta erunt vobis, infantem vitioſo lacte nutriri. Ex Muliere denique ſigna habentur, quia vbi videbitis mulierem vel pituitoſam,vel melancholicam, vel biliofam,ebrioſam, libidinoſam,iracundam, ſtatim intelligere poteritis,fieri non poſſe,quin Lac eius ſit vitiatum.

Curatio.

CVratio horum vitiorum tota poſita eſt in Sanguinis correctione, & in ſanguinis optimi generatione. Sanguis potiſſimum emendatur & bonus euadit ex optimo victu: vt iure dictum ſit ab Aëtio,vitia Lactis ferè ſolo victu curari debere. Vnde ante cætera ſtudere debetis, vt à Muliere auferantur omnes vehementes animi motus,omnes paſſiones, nimiæ corporis exercitationes, à venere erit arcenda omnino:aluus lubrica eſt omnino ſeruanda,quia fæces ſi nimium detinentur, vapores emittunt & Lac contaminant. Vinum bibendum eſt, neque admodum debile,neque etiam generoſum,ſed odoratum. Sic Paulus libro 1. cap. 4. & Aëtius loco citato fœtorem Lactis maximè omnium à vino moderato emendari dicebant. Abſtinendū eſt ab omnibus cibis acribus,ſalitis,mali ſucci, ab omni genere calidorum eduliorum. Optimo pane vtendum, optimis carnibus, & præ cæteris curandum eſt,vt fiat in Muliere optima coctio, quia ſi cibus malè coquatur, vix fieri poteſt,quin Lac omnino vitiatum gignatur. Poſt victum inſtitutum,

videndum

videndum quæ ſint intemperies, atque illæ corrigendæ ſunt ſuis contrariis, tum medicamentis internis, tum externis. Si pituitoſa fuerit Mulier, atque intemperies frigida & humida, iam ſcitis, quibus debeatis medicamentis vti, quia docui vos, quid agendum in vnaquaque intemperie, vt ſcilicet per accommodata remedia tollatur. Sed dicetis, num ſemper conueniunt hoc in caſu medicamenta purgantia? Dico, quod ſi humores praui præter intemperiem lac ipſum vitiant, omnino purgandi ſunt per medicamenta accommodata, ſed parcè. Si verò humores vitiati in corpore non fuerint multi, abſtinendum eſt à purgatione, hoc eſt quòd dicebat Aëtius, recuſandas eſſe purgationes, præſertim vbi Mulieres, dum lactant, eo vitio laborent. Ratio cur purgantia non conueniant eſt, quia medicamenta quæ purgant, auocant ſanguinis impetum à Mammis, & conſequenter Lactis generationem non parum minuunt.

DE LACTIS FLVIDITATE.

CAPVT IV.

QVod ſi Lac fluidius ſit quàm conueniat, proculdubio non parum infantes offenduntur.

Cauſæ.

ET huius affectus nulla eſt ferè alia cauſa, quàm intemperies humida & frigida, cuius cauſa ſanguis efficitur ichoroſus & ſubtilis, & ex ſanguine ichoroſo neceſſariò fit Lac aqueum & fluidum valde.

Signa.

COgnoſcitur Lactis fluiditas (vt docet Aëtius) tribus. Vno, ſi Lac ipſum ſuper vnguem ponatur, vbi namque ſtatim diffluet, colligendum eſt, Lac eſſe aquoſum & fluidum nimis. Vbi Lac conſiſtit & manet, colligendum eſt fluiditate Lac carere. Alterum quo intelligitur Lactis fluiditas, eſt. Si pilum immergatis Lacti, deinde attollatis, ſi Lac fluidum eſt, ſtatim à pilo excurrit, ſi ſit mediocre, videbitis Lac pilo adhærere. Tertium, quo cognoſcitur, eſt coagulatio: curatur enim vt Lac per coagulum craſſeſcat, deinde exprimenda pars caſeoſa & ſeroſa. Si pars ſeroſa multa ſit, & caſeoſa pauca, proculdubio ſignum eſt Lac eſſe nimis fluidum: poteſtis addere & aliud ſignum quod eſt ex Infantibus, quando plurimum mingunt, & lintea valde madefaciunt, quod non aliunde proficiſcitur, quàm ex nimia Lactis aquoſitate.

Curatio.

VBi igitur occurrit vobis huiuſmodi Lactis vitium, corrigendum, & ſtatim recurrendum ad Victum inſtituendum. Inſtituatis autem Victum eum, qui poteſt calefacere & incraſſare. Vnde dicebat Moſchio eas, quarum Lac aquoſum eſt, debere Vinum potare: ſolidum cibum accipere, oua frixa, carnes aſſas, ſuillas, bubulas, pultes duras, & tandem quidquid Lac incraſſare poteſt, vt ſunt Laganorum omnium genus & paſtitiorum. Præter victum, corrigenda eſt intemperies frigida & humida, cum calefacientibus, cùm intrinſecus, tum etiam extrinſecus.

DE GRVMEFACTIONE ET CAſeatione Lactis.

CAPVT V.

QVOD ſi Lac ſit craſſius quàm conueniat, innumera naſcuntur mala, non modò ipſis Infantibus, verùm etiam ipſis Mulieribus, propter quod hæc tractatio magis expoſtulat diligentiam veſtram: vbi namque Lac craſſius fit quàm conueniat, duobus modis hoc fit, vel quia omnes Lactis partes craſſeſcunt, ſcilicet caſeoſa, butyroſa & ſeroſa: vel quia ſolummodo duæ partes craſſeſcunt, ſcilicet caſeoſa & butyroſa, ſeroſa nequaquam. Vbi primo modo lac craſſeſcit, dicitur hic affectus à Paulo θρόμβωσις: Latinis dicitur Grumefactio: Arabes appellant Congelationem. Vbi verò ſecundo modo fit craſſius, dicitur hæc affectio à Græcis τύρωσις: Latini appellant Caſeationem, item Arabes. Sed notate, non defuiſſe antiquos, qui huiuſmodi duos affectus exiſtimarunt vnum & eundem eſſe, quod tamen falſum eſt. Dubitare poſſit aliquis, an in θρομβώσει, ſeu in congelatione verè pars ſeroſa poſſit craſſeſcere: & ratio dubitationis eſt, quia vbi videmus ſanguinem extra vaſa grumeſcere, aut congelari, videmus partem ſeroſam ſeparari, ita quod non appareat quod ipſa craſſetur. Dico dupliciter: vno modo, quod Grumefactio lactis aut ſanguinis in corpore, nequaquam aſſimilatur congelationi ſanguinis extra vaſa: & ratio eſt, quia ſanguis extra vaſa, priuatur & ſpiritibus & calore, in corpore viuente, qualiſcunque fiat congelatio, nunquam materia congelabilis poteſt priuari ex toto calore & ſpiritu, vt hinc pateat, non eſſe veram ſimilitudinem. Altero modo poteſt reſponderi, quod tametſi pars ſeroſa in ſanguine extra vaſa non craſſeſcat, eo modo quo craſſeſcit altera ſubſtantia, tamen & illa aliquantiſper craſſior euadet. Et cognoſcetis hoc, ſi conferatis Vrinam mox mictam ſero illi, quod ſeparatum eſt à ſanguine, ſiquidem proculdubiò videbitis ſerum illud ſanguinis craſſius eſſe, quàm ſit Vrina, cùm tamen ſit vna eadémque ſubſtantia. Qui affectus ſint præter naturam Lactis, Grumefactio, Caſeatio, conatus eſt Altimarus explicare, dicens: hoſce eſſe morbos in magnitudine & numero. Sed cum hic nihil ſit præter naturam, quod adeſſe non debeat, non poſſumus iure fateri, morbum eſſe in numero, quemadmodum etiam non ſemper Lac grumefactum magnitudinem auget, non video cur cogamur aſſerere, eſſe morbum in magnitudine: ſed hoc perpetuum eſt, eſſe excrementa mutata, quia ſiue Lac congeletur, ſiue grumeſcat, ſemper mutatum eſt hoc excrementum vtile. Vnde magis æquum videtur, appellari Symptomata in genere excrementorum mutatorum, quàm Morbos, aut magnitudinis, aut numeri. Morbi, à quibus dependent hæc ſymptomata, ſunt vel intemperies Mammarum, vel ipſius etiam Lactis: quæ intemperies fouetur, & quaſi perficitur, modò à copia Lactis, modò à craſſitie.

Cauſæ.

GRumefactionis Lactis clarum eſt eſſe cauſam frigus, intemperiem nimirum frigidam, quæ intemperies congregans ſubſtantiam Lactis, ſimilem propè facit atque gelu, ſiue frigus externum, condenſans lutum, & alios liquores. Sed dubium eſt an etiam poſſit Lac grumefieri à cauſa calida. Fuchſius fuit omnino huius

ǯus ſententiæ, quòd poſſit à cauſa calida fieri. Altimarus, ex aduerſo, duobus argumentis probare conatus eſt, non poſſe fieri à cauſa calida. Argumentum primum fuit ex ſanguine extra vaſa congelato, qui cum ſolùm cógeleſcat ob frigus, videtur, inquit, debere etiam congelari in corpore Lac ipſum. Aliud argumentum Altimari erat ex verbis Gal. quãdo dicebat ex grumefacto ſanguine oriri morbos frigidos, vt defectus animi, exſolutiones, pulſus paruos & debiles. Quod ſi à ſanguine congelato fiunt morbi frigidi, videtur rationi conſentaneum (dicebat ille) quod congelatio ſanguinis & Lactis fiat à frigido. Sed prorſus ſum ego cótrariæ ſententiæ, & ad ſentiendum contrarium, impellor partim autoritate Auic. qui de lactis congelatione ſermonem habens, docuit omninò etiam fieri à calido. Præter Auic. autoritatem, impellit me etiam Ariſt. ratio in 4. Meteo. vbi dicit, quod quæcunque ſunt aquea, concreſcunt à frigido, quæcunque ſunt terrea, concreſcũt à calido: quę ſimul terrea & aquea ſunt, vti lac, concreſcunt à calido & frigido. Ex quo diſcurſu omnino elicio, Lac non ſolùm à frigido, ſed etiam à calido congelari. Ad rationes Altimari reſpondeo, exemplum ſanguinis extra corpus poſiti, nó ſufficere ad probandã ſuam ſentẽtiam, eò quod videmus etiam in vẽtriculo & in pectore ſanguinẽ grumefieri, vt in vulneratis apparet, nunquam tamen aſſerendum eſt, in hiſce locis poſſe ſanguinẽ propter frigus grumeſcere. Neque etiam aliud valet argumentum, quia morbi illi enumerati à Gal. poſſunt cóſequi alias etiam cauſas calidas, nã pulſus paruus & debilis fit in febri Hectica, in qua tamẽ calor eſt perpetuus: ſimiliter ſyncope & exſolutiones animi conſequuntur interdum Febres ardẽtes, ita quod clariſſimè apparet, hos affectus etiã poſſe à cauſa calida fieri, & proinde nihil valere eius argumentũ. Sit igitur hoc vobis conſtitutum, Grumefactionẽ Lactis poſſe fieri in Mammis, tam ab intemperie calida, quàm frigida. Non minus dubium eſt de Caſeatione Lactis, an ſcilicet ſicut fit Caſeatio Lactis in mammis à calido, ſimiliter poſſit fieri à frigido. Ex vna parte eſt autoritas Hipp. 4. de Morb. vbi ſcribit, Lac congelari ſucco propter frigiditatem. Et vt ſciatis quid ſit Succus apud Hipp. non eſt vobis ignorandum, veteres conſueuiſſe Lac coagulare lacte ficulneo, quod lac ficulneum, appellabant ſuccum per excellentiam. Cum igitur Hipp. in externa coagulatione videatur cauſam aſcribere frigido: ita etiam poſſumus iudicare, coagulari & caſeari poſſe Lac in Mammis propter frigiditatem. Accedit etiam & alia ratio, quia vt docet Alexan. 2. Probl. 80. multa ſunt quibus Lac coagulatur, vt ſunt Cnycum, Cinara, Guttur gallinæ, inter quæ ſunt aliqua quæ potius refrigerant, quã calefaciunt. Quod ſi verum eſt, videtur Caſeationem æquè fieri poſſe à frigido, ac à calido. Ex aduerſo eſt ratio & autoritas. Ratio, quia vbi Lac à coagulo caſeatur, id ſolùm fit opera caliditatis: quod ſi caſeatio interna eſt ſimilis veræ caſeationi externæ, proculdubiò videtur fieri à calido. Altimarus qui hanc opinionem tutatus eſt, ad eam confirmandam, adduxit autoritatem Gal. 5. Simpl. 13. vbi dicebat Gal. prouocantia Vrinam, idem facere quod facit coagulum in Lacte. Nã primò fundunt ipſum ſanguinem, fuſo ſanguine partes craſſæ & ſeroſæ ſegregantur, craſſa manet, ſeroſa verò & tenuis excernitur, quod fit à prouocantibus Vrinã in ſanguine, idem fit in Lacte à coagulo, quia caliditas coaguli primò ſeparat caſeum à ſero, deinde craſſefacit. Ex quo Gal. diſcurſu probat Altimarus, aut probare ſe putabat, quod Caſeatio Lactis ſolum poſſet fieri à calido. Sed præter hãc Gal. autoritatẽ ſunt & aliæ: nam 3. de Alim. facult. c. 16. ſcribit Gal. Coagulum habere igneam facultatem: quam Galeni ſententiam habet Ariſt. 3. de Hiſt. animal. 21. & confirmat Auerroës 3. de Partibus animal. 15. ſcilic. quod Coagulum ſit facultatis calidæ & ſiccæ, atque igneæ. In hac difficultate, vt poſſitis eſſe certiores, nonnulla vos

docebo,non vulgaria de Coagulatione Lactis,quæ,ne ſitis vulgares Medici,debetis diligenter aduertere;quia non ita facilè ab aliis audietis. Coagulũ Lactis,quod à Græcis dicitur πητύα,aliud quidem eſt externum,aliud internum ſic ipſimet Lacti à natura inſitum. Coagulum externum illud appello,quod extrinſecus appoſitum lacti ipſum cogit & caſeari facit. Iſtud verò nihil aliud eſt, quàm vt habet Ariſtoteles tert. de Hiſtor.animalium 21. & 3. de Partibus animalium 15. Albertus Magnus lib.de Animalibus,& Auerroës in Comment.ſuper 3. de Part. animalium 15.nihil inquam aliud eſt,quàm Lac fermentatum,ſeu congelatum:vel nihil aliud eſt,quam ſubſtantia quædam alba quæ reperitur in ventriculis eorum animalium, quæ ſolum altera parte dentata ſunt, & quæ non vſa ſunt alio cibo, quam lacte. Hæc eſt deſcriptio coaguli externi. Dixi in altera parte tantum dentatorum, quia Lepus,vt dicit Ariſtot. loco citato,& Vrſus,vt docet Ariſtot.4.de Hiſt.animalium 3.habent quidem Coagulum,& ſunt vtraque parte dentata animalia, veruntamen coagulum illud inefficax eſt. Dixi etiam, quòd non ſunt alio cibo vſa, quàm Lacte, quia vbi incipiunt animalia cibum ſumere, herbas depaſcere, corrumpitur Coagulum illud. Et vt omnia hæc diligentiſſimè intelligere poſſitis, animalia ruminantia,quæ ex altera parte ſunt tantum dentata, habuiſſe à natura quatuor Vẽtres,vt habet Ariſtotel. 3. de Part.anim. 14. Galenus ſecundo de natura humana 6.& 6.de Anato. adminiſt. 3. qui Ventres idcirco ipſis fuere dati, quia cum propter carentiam dentium ſuperiorum, non poſſent cibos optimè conficere, coacta eſt natura hoc machinari, vt poſſit cibus confici in pluribus ventribus. Et certè miror Gal.qui 6.de Anatom. adminiſtr.3.dixit: hæc animalia non habuiſſe dentes ſuperiores,quia debebant nutriri cibo ſolido & ſpinoſo,nam hac ipſa ratione debebat potius natura facere, non ſolùm duos ordines dentium, imò tres & quatuor. Sed ſpero ab excellentiſſimo Anatomico me præſente vobis demonſtranda eſſe in ruminantibus. In horum quatuor ventrium vno, qui dicitur Omaſus, reperitur hæc materia, id eſt, Lac iſtud fermentatum, quod Coagulum dicitur. Nam quemadmodum Mulieres, vbi volunt panem fermentatum conficere, conſeruant paſtam crudam,quæ acorem & caliditatem quandam contrahit,vnde poſtmodum melior panis efficitur, ſic Lac in hoc ventriculo conſeruatum, acorem quendam contrahit & quandam caliditatem igneam,vnde commixtum deinceps Lacti, Caſeationem facit. Atque hoc dictum ſit de Coagulo externo. Coagulum verò internum nihil aliud eſt, quàm ſubſtantia quædam calida & ſpirituoſa, ipſi Lacti à natura inſita,vt ſcilicet Lac alioqui fluidum,poſſit in ventre ſeu ſtomacho animalium concreſcere:quandoquidem ſi Lac ita fluidum in corpore maneret,ſtatim excurreret,non firmaretur,neque nutriret. Itaque vt poſſit firmari,indita eſt hæc vis coagulatoria & caſeatoria:atque hoc poteſtis clariſſimè intelligere ex pueris ipſis, quos videbitis ſępè Lac ab ore mittere caſeatũ,quod nõ ob aliud eſt,niſi quia hac facultate,in ſtomacho coagulatum eſt. Sed dicet aliquis,ſi caſeatur Lac in ventriculis infantium,cur igitur Medici cum præbent lac, valde cauent ne in ventriculo coaguletur,imò verò reputatur inter ſpeciem hepatis veneni, ſi lac in ventriculo coaguletur? Dico, aliam eſſe hanc Caſeationem, quæ fit propria facultate Lactis: aliam verò eſſe eam coagulationem, quam cauent Medici,quæ ſcilicet fit à frigore,vel à nimio calore & ſicco nimis indurante ipſum Lac. Cum igitur iam habeatis,quæ ſit natura coagulationis vtriuſque, iam danda eſt vobis reſolutio quæſtionis, An ſcilicet Caſeatio Lactis in Mammis poſſit fieri à cauſa frigida,vt à calida. Pro qua reſolutione, ſciendum eſt vobis, eſſe duplicem Caſeationem. Aliam propriam & veram,aliam impropriam. Propria Caſeatio eſt illa quæ fit vel à coagulo

interno

interno ipſius lactis,vel etiam à vero coagulo externo:hæc sẽper fit à calido,quia vt intellexiſtis,natura ipſius coagulationis nulla eſt alia,quam calida,& ſicca.Nam Ariſtot.lib. 3. de Hiſtor.animalium 6.dicebat, ſanguinem Ceruorum & leporum non coire coitu firmo,ſed potus fluido,vt lac ſine coagulo. Ex quo loco intelligo, propriam eſſe coagulationem, quæ facta eſt à coagulo:aliam eſſe impropriam. Et notate errorem Theodori Gazæ,qui dum interpretaretur locũ Ariſt.citatum, tranſtulit hanc coagulationem propriam, nomine colloſtrationis ſeu colloſtrij, in qua quidem interpetatione,valde decepit vos, quia pueri dicuntur propriè colloſtrati quando nutriuntur lacte materno, biduo vel triduo poſt partum: ita quod colloſtrum eſt propriè lac illud poſt partum ſtatim: quanquam inuenio pueros vocatos fuiſſe colloſtratos, qui vtuntur lacte nutricis prægnantis, vt docet Plinius lib.11. cap. quarto, & lib. 28. cap. nono. Sed vtcunque ſit hæc Coagulatio lactis, non eſt colloſtratio ſeu colloſtrum. Secunda ſpecies coagulationis, id eſt, impropria, dicitur illa, quæ fit ab omnibus rebus prærerquam coagulo: & hæc caſeatio poteſt æquè fieri à cauſa frigida, atque à cauſa calida. Nam vt ſcriptum eſt ab Ariſtot. quarto de Hiſtor. animalium tertio, frigidum non propriè lac ad caſei formam reddit, ſed potius calor eſt, qui coagulat verè & propriè. Et hoc eſt quod dicit Galenus.3.de Alim.facult.c.4. de Oxygalacte,vbi ſcribit,ſpiſſari lac interdum vſu vaſis aqua frigida pleni.Sed vt dixi, hæc omnis coagulatio eſt impropria.Dicendum eſt igitur, cùm caſeatio lactis, quæ in mammis fit, non ſit propria & naturalis,ſed ſit præter naturam, plerumq; quod fieri poteſt, æquè à cauſa calida atque à cauſa frigida. Sed dicetis, potéſtne in Mammis propria fieri caſeatio vnquam? Dico quod poteſt, quia vt in Ventriculo ob propriam facultatem lac craſſeſcit, pariter poteſt in Mammis lac facultate craſſeſcere. Sed vſquequo hæc craſſefactio non excedit, parum aut nihil offendit: vbi autem excedit, cùm calor præter naturam magis augeatur,fit etiam caſeatio præter naturam, vnde maximè læduntur Mulieres. Cauſæ externæ tam coagulationis, quam Caſeationis lactis, ſunt omnes illæ quæ ſanguinem copioſum & craſſum gignunt: vt ſunt ea eduliorum genera, quæ copioſè nutriunt, ea quæ viſcidum & craſſum gignunt ſanguinem. Inter hæc quoque enumerantur ea omnia, quæ vi quadam naturali ſanguinem cogere & Lac condenſare putantur,vt eſt omne coaguli animantium genus, cnycus, cynara, Guttur Gallinæ,& tandem omnia quæ adhibentur ad Lac cogendum.

Signa.

Signa horum affectuum communia ſunt, quod Mammæ dolent, extenduntur, tument. Quod ſi Lac caſeatum eſt, videbitis durities quaſdam latas. Sin autem grumefactum ſit Lac,appatebunt tunc inde quidam grumi, & varia tubercula. Particularia ſigna ſunt,quod ſi malum à cauſa frigida ſit effectum, tumor grauis erit, dolor, ſed obtuſus, ſenſus frigoris in Mammis. Atteſtabuntur huic, præcedens Victus ratio, complexio, tempus anni, & ſimilia. Sin à cauſa calida ſit effectum malum,Febris aderit,inflammatio quædam,dolor maior,tumor latior, feruor quidam papillarum, & partium circumſtantium. Franciſcus ille Pedemontanus,qui vbi Meſues defecit, ſupplere conatus eſt, hanc affectionẽ vocatã eſſe ſcribit Malum pili,dixitque apparere ſenſu, quod hoc malum curatur ſolùm, quando pilus è mammis vel manu educitur, vel ab infante exſugitur. Et quoniam bonus hic vir vidit difficultatem huius generationis Pili in Mammis, dixit, hoc non eſſe difficile, quia Ariſtoteles etiam ſcribit in libr. de Generatione animalium, in ſanguine

ſanguine reperiri pilum quendam, quo ablato, ſanguis non amplius congelatur, quod ſi (dicit ille) hoc nos Ariſtot. docuit, neque etiam videtur rationi diſſentaneum, poſſe in Lacte fieri huiuſmodi Pilum, cùm lac nihil aliud ſit, quam ſanguis mutatus. Sed Pedemontanus multos errores commiſit in hac re. Primus eſt, quia Ariſtoteles (quod ego meminerim) nunquam dixit Pilum ineſſe ſanguini: bene verum eſt, & fortaſſe hinc deceptus eſt, quod 3. de Hiſtor. anim. 6. & 2. de part. anim. 4. ſcribit, ſanguini ineſſe fibras quaſdam, quæ ſunt corpora ſubtilia & terrea; quæ fibræ ſunt in cauſa, vt ſanguis congeletur, & quibus ablatis, ſanguis congelari non poteſt. Quod videntes Coqui, dicit Ariſtoteles, cùm volunt ſanguinem fluidum edendum dare, auferunt has fibras, & propria vota ſua conſequuntur. Alius error ab eo commiſſus eſt, quia ſi malum pili oriretur hac ratione, ſequeretur, poſſe quidem ablato eo, prouideri ne ſanguis congeletur, at cum iam cogelatus eſt, vel lac grumefactum, vt per illius ablationem curaretur, fieri non poſſe, veruntamen experientia apparet hoc fieri. Tertius error commiſſus eſt, quia Ariſtoteles, cuius autoritati innixus videtur, alio modo nobis declarat malum Pilare, ſeu malum Pili, quia 7. de Hiſt. animalium cap. 11. ſcribit, interdum mulieres potu haurire pilum, qui vbi ad Mammas pertingit, dolores, & cruciatus maximos parit, deinde educto hoc pilo, malum finitur: ita quod omnibus perſpicuum eſt Ariſt. docuiſſe aliud mali genus, malum pilare eſſe, quam illud quod dixit Pedemontanus. Rhaſes magnus Arabum medicus 6. ſui Cont. hoc malum appellat malum Fili. Sed an verum ſit quod dicit Ariſt. pilum hauſtum poſſe hoc malum parere, ſanè mihi probatu admodum difficile videtur, & ratio eſt, quia cùm tot fiant mutationes antequam cibus vel potus conuertatur in Lac, difficile admodum videtur, quod pilus hauſtus, ita remaneat integer, vt poſſit huiuſmodi malum parere, propter quod mihi veriſilius videtur, ſi quid vnquam educitur Mammis ſimile pilo, eſſe huiuſmodi fibras ſanguini à natura impoſitas, eò magis quòd noſtrates Mulieres, niſi me deceperint, ſolent vocare malum pili, quando propter Lactis abundantiam puerperæ recentes febres & dolores ſubeunt. Cur autem Ariſtoteles in hunc modum deceptus ſit pueriliter, fortaſſe in cauſa fuit, vt dicit Veſalius, alicuius mulierculæ, quæ id perperam Ariſtoteli perſuaſit, narratio.

Prognoſtica.

PRognoſtica ſigna hæc ſunt: quod vbi vel caſeatur, vel grumeſcit lac in Mammillis, inflammationes fiunt, tumores & vlcera. Hippoc. 5. Aphoriſ. 40. ſcribit, quòd ſi ſanguis colligatur in Mammis, inſaniam ſignificat: quam ſententiam ſcribit Gal. ſeſe nunquam expertum veram fuiſſe, ait tamen hoc non eſſe rationi diſſentaneum. Et quia vbi ſanguis colligitur in Mammis, & non conuertitur in Lac, neceſſarium eſt vt primo incaleſcat, deinde putredinem concipiat, putrefacto ſanguine in Mammis, alterantur vapores, & fiunt praui, qui partim cerebrum lędunt, partim Cor & ſeptum tranſuerſum offendunt: vnde non eſt nimirum, ſi inſaniæ, phrenitides, & alia mala oriantur.

Curatio.

CVrario horū affectuum duplex eſt, alia quæ tota inhæret tollendis cauſis, alia quæ ſtudet affectus amputare. Prima tribus ſcopis impletur: primus eſt, vt ſanguis nō gignatur, neq; multus, neq; craſſus. Alter eſt, vt ſanguinis curſus auocetur à

Mam-

Mammis ad alias partes. Tertius eſt, vt intemperies Mammarum & ſanguinis corrigatur. Vt vos ſcopos exſequi poſſitis, omnium maximè neceſſaria eſt Victus ratio, quæ nulla alia eſſe debet, quàm quæ præſcripta eſt à nobis in Lactis abundantiæ curatione. Scilicet vt Aër ſit ſiccus, ſi non ſit, attamen paretur. Vigilet mulier, & ſi ſit ſine febri, exerceatur: aluus mollis ſit. In potum exiguum ſumat, & à vino prorſus abſtineat. Cibi ſint pauci extenuantes, & qui paucum præbent alimentum: & tandem is ſit Victus, qui minuere ſanguinem & ſimul attenuare poſſit. Pro ſecundo ſcopo, ante omnia conuenit Venæ ſectio, modò nihil prohibeat. Locus venæ ſectioni nullus mihi accommodatior videtur, quàm inferior, ſiue ſit Poplitis vena tundenda, ſiue Saphæna: & ratio eſt, quia per hanc non modo euacuantur humores, vt habet Gal. libro de curatione per ſanguinis miſſionem, aufertur plenitudo, ſed quod optandum eſt in hoc caſu, deflectitur curſus ſanguinis ad inferiora. Ad hoc idem non paruum emolumentum adferunt ſcarificationes crurum & Cucurbitulæ appoſitæ: Frictiones & Ligaturæ, quæ efficaciſſima ſunt ad retrahendum ſanguinis fluxum ad inferiora. Pro tertio ſcopo, ſcilicet pro intemperie corrigenda, quid agendum ſit, clarum eſt vobis. Docui iam pluries, cõtrarias intemperies contrariis remediis eſſe curandas, non modò medicamentis externis, ſed etiá internis. Pro affectu ipſo amputando, quæ ſecunda pars curationis eſt, eſt vobis ante alia cogitandũ; quis ſit iſte affectus, & cuius naturæ affectus eſt. Naturæ affectus eſt, quod lac eſt quædam concreta materia in Mammis, itaque indicatur, hanc materiam eſſe diſſoluendam. Modus diſſolutionis habetur ab intellecto modo concretionis. Eſt enim perpetua & Galeni & Ariſtotel. Regula, quòd quæ concreſcant frigido, ſoluantur calido, & quæ calido concreſcunt, diſſoluuntur frigido. Ideò vbi notum fuerit vobis, lac conueniſſe propter frigus, debebit vobis parata eſſe medicamentorum ſylua, quæ poſſunt attenuare, calefacere, exſiccare: vbi autem ex calido concreta fuerit materia, econuerſo agendum erit, vt ſcilicet rebus ſi non refrigerantibus, ſaltem tepidiuſculis, incidentibus & attenuantibus vtamini. In cauſa frigida conueniunt Mel, Sal, Oxymel, Crocus, Cyminum, Semen fœniculi, Semen Apij, Radix Apij, Eryngij, Raphanus, Myrrha, Fœnugræcum, Althea, & multa alia medicamenta, relata à Paulo & Aëtio. Et quia non ſit ſatis, vniuerſaliter hæc medicamenta intelligere, dabo formas medicamentorum, quibus vti poteritis. Intrinſecus maximè commendo hanc potionem:

℞. Rad. Eryngij, Fœniculi an. ℥. ij. Semi. Apij ʒ.j. Folio. Maluæ, Fœniculi, an. M.s. Fiat decoctio ſecundum artem, in brodio: deinde.

℞. Dicti brodij ℥. v. vel vj. Syr. de quinq. rad. Oxymel. ſimpl. ana ℥.j. Miſce. Hac potione mulier poterit vti & mane & veſperi, cum libuerit. Sic quoque poteſtis parare aliquas confectiones, vnà cum iſtis ſeminibus quibus vtatur. Extrinſecus poteſtis etiam vti Fomentationibus, cum ſpongiis atque Emplaſmatibus. Fomentationes ita fient:

℞. Folio. Fœnugræci, Meliloti ana M.j. Rad. Altheæ ℥.j. Raphani ℥.s. Sem. Apij, Rutæ ana ʒ.ij. Contundantur omnia diligenter, deinde bulliant in aqua communi, ad conſumptionem tertiæ partis. Demum facta expreſſione, adde Aceti partem ſextam vel octauam: poſtea cum ſpongiis foueantur Mammæ, & poteſtis non modò fouere, verùm etiam ſpongias madefactas hac decoctione, continere ſupra Mammas. Muria quoque & Acetum maximè commendantur. Soleo ego vti muria, Aceto, Croco, hoc modo, præſertim quando febris abeſt:

℞. Muriæ ℔.j. Aceti ℥.ij. Cymini, Croci ana ʒ.j.s. Miſce ad ignem, deinde foueantur.

ueantur. Atque hic eſt modus, quem poteſtis obſeruare in curandis affectibus, à cauſa frigida obortis. Si autem malum à cauſa calida duxerit originem, poteſtis iiſdem Medicamentis vti, id eſt, eadem facultate pollentibus, ſed tepidiuſculis & infrigidantibus. Exempli gratia:

℞. Sem. Altheæ, Lactucæ ana ʒ.j. Melon. ʒ.ij. Rad. Petroſeli. Cichorei ana ʒ.j.s. Fol. Cicho. Endiuiæ ana M. j. Contundantur, & fiat decoctio ſecundum artem: deinde

℞. Dictæ decoctionis ℥.v. Oxymel. ſimp. ℥. s. Syr. de ſucco Endi. ℥. j. Miſce. Extrinſecus poteſtis huiuſmodi medicamentis vti:

℞. Succi Limonij ℥.ij. Aceti ℥.iij. Aquæ communis ℔.j. Croci ʒ.s. Sem. Cichor. Apij ana ℈.iiij. Contundantur & fiat decoctio, & cum ſpongia, vt dictum eſt, foueatur locus. Soleo vti in materia calida, Emplaſtro ex Malua, Lentibus in aceto decoctis. Exempli gratia:

℞. Lentium P.j. Foliorum Maluæ M.j. Bulliant, deinde cōtundantur diligenter, & per cribrum tranſmiſſa, redigantur ad formam Emplaſtri, & Mammis apponantur. Circa vſum horum medicamentorum tria eſtis vtiliter docendi. Vnum eſt, quod ſi fieri poteſt, vno & eodem tempore debebitis ſimul & cauſis delendis ſtudere, & affectúi ſuperando. Quod ſi affectus maximè cruciet, proculdubio debebitis nō prorſus neglectis cauſis, ſtatim ſtudium conuertere ad affectum tollendum, id eſt, ad diſſoluendam materiam: & ratio eſt, quia niſi tumor & extenſio minuātur, niſi dolorem minuatis, continuo fit nouæ materiæ attractio, & ideò augetur incredibiliter morbus. Alterum quod eſtis docendi, eſt, quòd tametſi à Galeno & Ariſtotel. proditum ſit, quæ concreſcunt frigore, debere calido reſolui, veruntamen non omnia calida conueniunt, ſed quæ calida quidem ſunt & remiſſiora. Et ratio eſt, quia periculum eſt, ne ſi nimis calida adhibeatis, fiat maior materiæ attractio. Nec moueat vos ratio quorundam, dicētium ſolummodo calida vehementer diſſoluere, quia videbitis glaciem diſſolui ab aqua tepida. Tertium quod eſtis docendi, eſt Auerrois quinto Collec. cap. quadrageſimoſeptimo dictum: Coaguli videlicet omne genus facultatem adſtrictoriam poſſidere, atque id perſpectum eſt fieri, quia fluxus alui compeſcitur. adminiſtratione Coagulorum: quæ ſententia Auer. vera quidem eſt & vſu probata, veruntamen propter hoc nihil prohibet, quin Coagula ipſa maximè diſſoluant & attenuent. Sed quomodo dicetis, Coagula contrarios hos effectus edere? Dico id quod dicit Auerroës, facultatem aſtrictoriam coagulorum eſſe ſolum propter quandam occultam proprietatem, & facultatem extenuandi & diſſoluendi Coagulis ineſſe, ob manifeſtas qualitates. Audiuiſtis Coaguli omne genus eſſe calidum, & habere propè eaſdem facultates quas fermentum, quod ſicut tubercula & materiam crudam coquit, attenuat & diſſoluit, ſic Coaguli genus omne coquit, attenuat & diſſoluit. Ideo à Galeno commendatur Coagulum Leporinum, aceto dilutum & potatum, in diſſoluendo etiam ſanguine grumefacto. Ego etiam ſoleo vti huiuſmodi Coagulo vnà cum Cymino & vino, & expertus ſum ſæpius, ſubitaneum & maximè præſentaneum remedium attuliſſe.

DE

DE MAMMARVM INFLAMMATIONE.

CAPVT VI.

POST Coagulationem & Grumefactionem, ſolent multi alij affectus ſuboriri: & præcipuè inflammatio Mammarum, quæ nihil aliud eſt, niſi tumor quidam durus, calidus, cum dolore pulſatili & cum renitentia: ita quod multum differat ab ea Mammarum craſſities, quæ naſcitur ob lactis abundantiam, in qua ſcilicet etſi tumor appareat, non eſt tamen dolor, non calor magnus, ſed extenſio duntaxat quædam.

Cauſæ.

CAuſæ huius tumoris immediatæ & materiales nullæ aliæ ſunt, quam copia Lactis aut ſanguinis. Sanguis multiplicatur in Mammis, vel quia mittitur ab aliis corporis partibus, vel quia attrahitur. Attrahitur autem, vel propter dolorem ipſius partis, vel propter calorem. Cauſæ autem immediatæ & externæ, ſunt omnes illæ, quæ occaſionem præbent, vt vel Lac, vel ſanguis mittatur ad Mammas, vel trahatur: vt ſunt ſuppreſſiones menſium & Hæmorroidum, propter quas membra ſanguinis copia onerata, eum ad Mammas, tanquam ad cloacas mittunt. Sic quoque percuſſiones factæ Mammarum, in cauſa ſunt harum inflammationum, ſicuti nimiæ ſtricturæ. Continget interdum vobis mulieres videre in maxima diſcrimina duci, & inflammationum, & aliorum tumorum, non ob alias, quàm magnas Mammarum ſtricturas.

Signa.

SIgna vniuerſalia huius inflammationis ſunt ferè omnia illa, quæ reperiuntur in aliis inflammationibus, quia apparet tumor tactui durus, rubor, calor igneus, febris plerumque copulata. Sed quia dixi, hanc inflammationem & à Lacte oriri, & à ſanguine, ſunt propria quædam ſigna, quibus diſtinguitur facta à Lacte, ab ea quæ fit à ſanguine. Quæ fit à Lacte, vt plurimum contingit, vel in prægnantibus, vel in puerperis. Dico, vt plurimum, quia ſicut Lac interdum fit propter ſuppreſſa menſtrua, ita fit etiam inflammatio à Lacte, propter menſes ſuppreſſos, præterea vbi fit inflammatio ex Lacte, rarum eſt, imò nunquã, quin præceſſerit magna Lactis abundantia. Si magna facta ſit inflammatio à ſanguine, cognoſcetis, quia vel aderit aliqua ſanguinis ſuppreſſio, euacuari conſueta: mulier non erit puerpera, nõ erit prægnans. Sed percunctabitur aliquis veſtrum à me, quomodo poteſt fieri inflammatio à Lacte, quandoquidem eſt Galeni ſententia & omnium, in libro de tumore præter naturam: & 2. ad Glauconem, inflammationem ſcilicet eſſe ſolius ſanguinis ſobolem? Præterea interrogabit quipiam, cur ſit quod cum dixerim inter alia ſigna vniuerſalia tumoris eſſe ruborem, quomodo ſcilicet in inflammatione à Lacte poſſit rubor apparere? Dupliciter ad primum reſpondeo: quod inflammatio interdum eſt nomen commune, ad omnia apoſtemata calida, interdum eſt peculiare nomen tumoris ſanguinei. Igitur quando dicitur inflammatio eſſe, capitur inflammatio pro nomine communi, ad omne apoſtema calidum. Alio modo poteſt reſpõderi, Inflammationem ex lacte eſſe veram inflammationem ſanguineam, quia, vt aliàs declaraui, Lac nihil aliud eſt quam ſanguis dealbatus. Ad aliud dico, non eſſe mirum in tumore, quod in tumore ex lacte alioqui candidiſſimo, conſequatur

rubor,

rubor,quandoquidem propter dolorem partis,fit continua ſanguinis attractio,qui diſperſus per ſuperficiem Mammarum,neceſſariò illas colorat colore rubro.

Prognoſtica.

PRognoſtica ſigna huius affectus ſunt,quod vt plurimum inflammationes bene terminantur:dico,vt plurimum,quia interdum etiam contingit,vt malè termi-nentur in praua vlcera, in cancros,& interdum etiam in mortem. Optabit aliquis ingenioſus ex me intelligere,an ſententia Hipp.6. Epid.Com.5.Text.18.poſſit ve-rificari in inflammatione Mammarum ipſarum. Eſt enim ſententia Hippoc. Quod ſi papillæ Mammarum & rubrum ipſarum , ad pallidum , ſeu liuidum conuer-ſum fuerit,ſignum eſt, Vterum laborare. Galenus in explicatione huius ſenten-tiæ, præter conſuetudinem ſuam , valde ieiunus fuit. Itaque dico ego Hipp. ſen-tentiam intelligendam eſſe,vbi Mammillarum papillæ mutauerunt colorem,citra aliquam manifeſtam cauſam : nam vbi color pallidus vel liuidus apparet in hac parte, citra inflammationem, vel aliud accidens malum,non ob aliud contingere poteſt, niſi quia vterus ſit malè affectus , & propter venarum communicantiam, ipſis papillis malum communicetur. Vbi autem malum aliquod manifeſtum eſt, non eſt vt quæramus malum aliunde , propterea oraculum Hippocrat.vt dixi, ve-rum eſt,quando citra vllam cauſam manifeſtam hoc in Mammis apparuerit.Et no-tate hunc locum,quia nullus alius explicauit.

Curatio.

CVratio huius affectionis eadem ferè eſt quæ omnium aliarum inflammatio-num,quæ duos ſcopos habet: vnus,vt prouideatur,ne creſcat:Alter,vt quid-quid factum eſt inflammationis, tollatur. Primus ſcopus adimpletur ante cætera, certa viuendi ratione inſtituta,quando ſcilicet primùm Aër frigidus humidus, aut paratur, aut eligitur: omnes animi affectus vitandi, ſomnus conciliandus: Frictio-nes & ligaturæ adhibendæ, præſertim coxis & Cruribus. Aluus lubrica reddenda & ſeruanda , vel Clyſtere , vel lenientibus medicamentis. A vino abſtinendum eſt omnino,niſi placeat vinum Granatorum propinare, cum Aqua ſimplici cocta, vel cum aqua hordei. Poſca etiam bene temperata concedi poteſt. Cibi pauci eſ-ſe debent , atque illi refrigerantes & humectantes : vt Ptiſana lota , vel eius ſuc-cus. Panis ſimplex totus,vel herbæ refrigerantes, in brodio pulli coctæ , vt ſunt Lactuca,Borrago, Endiuia, portulaca. Inſtituto victu , conſiderandum ſtatim an inflammatio ſit ex lacte,an verò ex ſanguine. Si ſit ex ſanguine,modò nihil prohi-beat, quamprimum veniendum eſt ad venæ ſectionem. Si menſes , vel Hæmor-rhoides fuerint ſuppreſſi , aut ſcarificanda erunt crura, aut Coxæ, aut pertunden-da Saphænæ vena. Si nihil horum adſit,conſiderãdum eſt,quæ pars ſit magis affe-cta:& ab eo latere,à Baſilica mittendus eſt ſanguis, nec ſolùm ſemel,ſed iterum at-que iterum:& ratio eſt,quia repetita ſanguinis miſſio non ſolùm euacuat & retra-hit fluxum ſanguinis , ſed maximè refrigerat,quod in inflammationibus expoſtu-landum eſt. Et hoc eſt quod Auicenna dicebat:ſi caput Mammarum doleat, phle-botomandum eſſe. Quod ſi à Lacte ortum duxerit inflammatio , videndum eſt, an adſit ſanguinis abundantia in corpore,nec ne.Si adſit,etiam hic mittendus ſan-guis eſt,modò nihil aduerſetur : & ratio eſt, quia vbi ſanguis abundat , periculum eſt,ne fluxiones, vbicunque ſint,augeantur magis. Itaque lenita primum aluo,vel Clyſtere , vel Manna , vel Syrupo roſa.ſolut . erit ſtatim deueniendum ad ſan-guinis miſſionem. Vbi ſanguis , vel per venæ ſectionem, vel per ſcarificationem

fuerit

fuerit miſſus,ſtatim deueniendum eſt ad alia remedia. Primum & præcipuum cuiuſque inflammationis remedium ſolet eſſe vſus medicamentorum repercutientium, propter quod, in hoc caſu ſtatim ad repercutientia veniendum eſt. Sed hîc inſurgit grauis dubitatio,an ſcilicet inflammatis Mammis ſint ſtatim repercutientia medicamenta adhibenda. Ratio dubitationis eſt, quia Galenus 3. de Medicam.local. cap.de Parotide, ſcribit: In Parotidibus curandis non eſſe eam curationem adhibendam, quæ debetur aliis inflammationibus, id eſt, non repercutientia medicamenta adhibenda, ſed potius attrahentia & euocantia. Ratio qua Galen. impulſus hoc nos docuit, fuit hæc: quia locus Aurium proximus eſt Cerebro, vnde maximum periculum immineret ne ſi materia repelleretur, in Cerebrum mitteretur & hominem iugularet. Si enim hæc ratio potuit Galen. inducere, vt dixerit, non vtendum eſſe repercutientibus, etiam in caſu noſtro videtur efficaciſſima, quia Mammæ, vt noſtis,ſunt proximæ Cordi, imò factæ ſunt Mammæ propter Cordis tutelam, vt dicebat Galenus. Itaque ſi inflammatis Mammis repercutientia adhibemus, periculum eſt ne materia repercuſſa, Cor petat, & necem inferat. Tamen ex altera parte eſt ferè omnium Medicorum Græcorum & Arabum communis ſententia, vt ſcilicet ſemper in inflammatione Mammarum, in principio adhibeantur repercutientia. In hac difficultate, vt diſſoluere ſciatis, dicendum eſt,repercutientia alia valida talia eſſe, alia verò leuia. Valida ſunt,quæ & multum refrigerant, & multum adſtringunt, quæ verò minus refrigerant & adſtringunt, minus etiam repellunt. Præterea medicamenta repellentia, vel poſſunt ſola adminiſtrari, vel cum diſcutientibus & incidentibus. His conſtitutis, dico in inflammationibus Mammarum curandis, eſſe fugienda omnia, quæ validè & profundè repercutiunt: & ratio eſt, quia cum locus ſit Cordi proximus, facile eſt vt non modo materia pellatur ad Cor, imò verò vt qualitas frigida per Mammas ſtatim Cordi communicetur, nam quod facilè per hanc viam qualitas Cordi communicetur, non ſolùm Medici nouerunt, verùm etiam Cleopatra Ægyptiorum regina, quæ vt ſtatim concideret, venenum Mammis appoſuit. Præterea, dico repercutientia ſola numquam adhibenda eſſe, ſed permixta aliis, & hoc eſt quod dicit Auicenna, in hac curatione ſubtiliatiua eſſe adhibenda, & permiſcenda repercutientibus. Quid autem dicemus ad Galenum? Dico, Galenum iure in Parotidibus curandis hoc præceptum dixiſſe, quia cum locus ille ſit emunctorium, & factus à natura vt recipiat ſordes Cerebri, iure debent Medici has materias ad eam partem potius attrahere, quàm repellere. Secus autem eſt in Mammis, quia licet ſint corpora ſpongioſa & cauernoſa, & ad materiam recipiendam idonea, verumtamen non ſunt facta à natura, vt recipiant ſordes, ideò curare debemus, ne materia figatur illis in partibus,ex quibus non ſolùm non poteſt expelli,verùm etiam ſi putrefiat, in immenſum putredo propagatur. Igitur vtendum erit repercutientibus, non ſolùm externis, ſed etiam internis. Internis, quia repercutientia & refrigerantia intus adhibita duo præſtant. Vnum eſt,quod ſanguinem refrigerent, & alterum, quod fluxum retardent, torpidum reddant ſanguinem. Poteritis igitur interius hoc potionis genere vti:

℞. Fol. Lactucæ, Plantaginis, Portulacæ, Sonch.ana.M.j. Polygani M.s.Fiat decoctio ſecundum artem: deinde

℞. Dictæ decoctionis ℥. v. Oxyſacchari, Syr. de portulaca ana ℥. j. miſce. Extrinſecus autem ſunt multa, quæ in vſu habentur: Sed ego laudo vt accipiatur poſca cum oleo Roſato, & ſæpius Mammæ irrorentur: vel ita componatis:

F ℞. Flo.

℞. Flo. Camomil. M. j. Fol. Roſæ, Lactucæ, Endiuiæ ana M. j. s. Fiat decoctio ſecundum artem: deinde.

℞. Dictæ decoctionis ℔. j. Aceti ℥. ij. Miſce. Cum ſpongia apponantur Mammæ inflammatæ. Soleo ego ſumere Folia Lactucæ ampla & madefacta tum in ſimili decocto, tum in aceto Roſato, atque oleo Roſarum, & imponere Mammis dolentibus atque inflammatis. Hæc eſt ratio curationis in principio. Tranſacto principio, conſiderandum eſt, quo vergat inflammatio, an videlicet velit digeri, an ſuppurari, an potius finiri in aliquam duritiem. Quod ſi neutrum horum vobis ſit manifeſtum, proculdubiò ſemper debetis ea via incedere, qua ſolet incedere natura; vt ſcilicet diſſipetis iis medicamentis, quæ diſcutiunt & diſſipant. Exempli gratia, ſi velitis inunctionem, hæc erit commoda.

℞. Olei Vitel. Ouorum ℥. iij. Camomil. ℥. ij. Panis triti ℥. j. Miſce omnia ſimul, & imponatur parti inflammatæ.

Si velitis Emplaſmata, poteritis hoc modo facere:

℞. Farinam Lupino. Fabarum ana ℔. j. Olei Camomil. ℥. iij. Seſami. Semitini ana ℥. j. s. Aceti ℥. iiij. Aquæ communis q. ſ. Miſce omnia ad ignem, & fiat Emplaſtrum ſecundum artem. Emplaſma hoc poteritis plurimis diebus continuare, quia mirificè diſcutit. Quod ſi tumor vergat ad ſuppurationem, debetis auxiliari naturæ ſuppuranti. Habetis apud Pharmacopæos Vnguentum Diachylon vocatum. Ego magis laudo Emplaſmata ſuppurantia, quale eſt hoc:

℞. Rad. Altheæ ℥. iij. Fol. Maluæ M. j. Coquantur omnia diligenter, piſtentur & per cribrum mittantur: deinde adde Fermenti ℥. j. Butyri recen. ℥. ij. Miſce, fiat Emplaſtrum. Eſt & aliud quod ſuppurat & lenit dolorem:

℞. Lactis vaccin. ℔. j. Panis triti ℔. s. Medullæ pomorum coctorum ℥. j. s. Fermenti ℥. j. Miſce, fiat Emplaſma. Poſtquam ſuppurauerit inflammatio, erit deinde incidenda. Et quia Mulieres ſæpè abhorrent inciſiones, poteritis vbi pus videritis in ſummo, curare vt ſponte aperiatur, quod facietis, ſi Cochleas vſtas & in cinerē redactas Emplaſmatis ſupponatis, ita vt cinis ei parti iungatur, quæ videtur magis acuminata. Si inflammatio Mammarum duritiem minetur, totum ſtudium conuertendum eſt, vt partim emollientibus, partim attenuantibus, durities illa coërceatur: nam Aëtius multa, eaque vſu probata, proponit remedia, inter alia hoc vnum ſatis eſt efficax, Stercus videlicet Caninum, cum Therebinthina. Semen lini, aceto maceratum. Inteſtina terræ, in oleo amygd. dulcium macerata. Vtor ego hoc medicamento:

℞. Medullæ cruris vitulini ℥. ij. Hyſſopi ℥. j. Croci ℈. iiij. Cumini ℈. ij. Miſce, fiat Linimentum. Sæpe vſu venit, vt medicamenta emollientia nihil efficiāt, propter quod, vt docet Leonidas apud Aëtium, interdum neceſſe eſſe ad opus Chirurgicum deſcendere, id eſt, duritiem illam totam amputare, quod tamen faciendum, quando nullum vitæ periculum imminet. Oriuntur in Mammis multi alij tumores, vlcera praua & præ cæteris, ſolent oriri Cancri: quinimò nulla eſt pars in corpore Mulieris, quæ magis ſit obnoxia Cancro, ipſis Mammis: Ratio ea eſt, quia caro Mammarum ſpongioſa & cauernoſa eſt, humor multus, craſſus & terreſtris, ita quod nullibi poteſt magis figi humor Melancholicus, quàm in hac parte. Sed de huiuſmodi morbis non eſt vt hoc tempore tractem, tùm quia potius ad Chirurgum ſpectant, tùm quia properandum eſt ad vtiliora, ſeu quæ magis ad nos pertinent.

DE MAGNITVDINE MAMMARVM.

CAPVT VII.

PRo coronide huius tractatus, nolo vnum omittere, ſcilicet Magnitudinem mammarum, quæ magnitudo, tametſi morbus non ſit, attamen multam turpitudinem parit: propter quod Auicenna inductus fuit, vt inter alia Mammarum vitia, & de magnitudine ipſarum tractaret. Eſt hæc affectio, de qua tractaturus sũ, immoderata quædam & indecora mammarum magnitudo, quæ in mulieribus reperitur, & interdum operationes impedit, ſemper autem turpitudinem inducit. Dico autem eſſe immoderatam magnitudinem, & indecentem, quandoquidem ſunt quædam mulieres, quæ adeò magnas has partes habent, vt videantur in ſinu culcitras ferre: Sunt rurſus, quæ habent mammas adeò pendulas, vt parum differant à Capris, & has appellant Latini, mulieres mammoſas, Paulus vocauit mammeales. Et poſtquam nunc iocosè agere debemus, volo quædam venuſtè dicta de quadam Muliere obiter recitare. Eſt quidam poëta, qui ſcribens ad huiuſmodi mulierem, ita dicit:

Taurino poteris pectus conſtringere tergo,
Nam pellis Mammas non capit iſta tuas.

Eſt igitur hic affectus, magnitudo indecora & indecens mammarum. Dixi eſſe mulierum, quia in viris etiam quandoque reperitur, vt dicit Ariſtot. 7. Hiſtor. animalium 1. vbi dicebat, mammas fieri magnas in illis viris, qui leuore quodam præditi ſunt, humidius habent temperamentum, paruas venas & colore ſunt fuſco. Dixi interdum impedire operationes, quia mammæ, ſi nimis excreſcant, impediunt operationes brachiorum, & manuum, generationem Lactis. Quod impediant operationes brachiorum, ſatis nouerant Amazones illæ celebratæ, quæ reſecabant ſibi Mammas dextras, vt habet Strabo lib. 21. ne impediretur brachiorum & manuum motus, & magis aptæ eſſent armis gerendis. Quanquam Gal. 7. Aphoriſ. 43. ex ſententia Hipp. dixit, has mulieres id feciſſe, vt manus dextra robuſtior euaderet, vt ſcilicet nutrimentum illud, quod in mammarum dextram deſtribui debebat, totum in manum diſtribueretur.

Cauſæ.

CAuſæ internæ huius magnitudinis, ſunt Calor magnus, & vbertas & copia materiæ: quæ enim cauſæ in omnibus augmentum faciunt, eædem quoque faciunt in mammis ipſis. Cauſæ externæ, ſunt in primis crebra tractatio mammarum, quæ occaſionem augendi ipſis præbet: præterea etiam retentio menſium & retardatio. Dicebat Ariſt. 7. Hiſtor. anim. 1. quod virginibus quibus tardant menſes, materia attollitur ad pectus redundans vbi augmentum mammarum facit. Quod ſi erumpant menſes propter hoc, dicit Ariſtoteles, non diminuuntur mammæ.

Signa.

SIgna affectus huius non eſt quod vos doceam, quia & viſui & manibus ſatis patent.

Prognoſtica.

PRognoſticum ſignum eſt, quod ſemper hæc magnitudo turpitudinem inducit. Dicebat Aëtius lib. 16. c. 43. has mulieres non carere aliquo periculo, quia mammæ quæ maiores ſunt, magis expoſitæ ſunt ſuſcipiendis Cancris, & eiuſmodi. Atamantius in lib. Phyſiognomiæ ſcribit, eas quæ habent mammas grandes, vinoſas & libidinoſas eſſe. Et ratio huius eſt, quia magnitudo proficiſcitur à caliditate, & vbi eſt magnitudo, ibi caliditas eſt, præſertim Vteri, propter quod ſunt libidinoſæ: & hæc eſt ratio, quando vultis ad libidinem incitare, tangitis mammas, quia ex caliditate quæ ingeneratur mammis, tractando incaleſcit vterus, & ita excitatur libido. Eſt dubium, an magnitudo mammarum, etiam præter turpitudinem, aliud etiam malum pariat, quod ad Lactis generationem pertinet. Ratio dubitandi eſt, quia inuenio inter medicos diuerſitatem. Paulus Ægineta lib. 1. cap. 2. quem ſecutus eſt Auicenna lib. 1. Fen. 3. doct. 1. cap. 2. fuit huius ſententiæ, quod ad optimam nutritionem debent eſſe mammæ magnæ. Altera ex parte fuit Moſchio, Aëtius lib. 4. cap. 4. Alzeranus 1. Prac. tract. 26. cap. 3. qui omnes dicunt Mammas debere eſſe mediocres, id eſt, neque paruas, neque magnas. Addebat Lac retentum, dicebat ille, putreſcit, atque etiam moleſtiam mulieribus affert. Paruæ minus Lactis producunt, quàm neceſſarium ſit id. Pro reſolutione huius, mihi dicendum occurrit, quod ſcribit P. Aponenſis in Concil. differentia 79. & 30. part. Problematum in eo Problemate, vbi dicit Ariſtot. Cur habentes caput paruum, ſint prudentiores. Hic auctor, vt tolleret contradictionem inter Ariſtotelem & Gal. de Capite paruo & magno, dixit duplicem eſſe paruitatem & duplicẽ magnitudinem. Alia eſt paruitas quoad vas, alia quoad oſſa & carnem. Exempli gratia, belluæ habent capita magna, quia capita eorum habent multa oſſa, non quia capita ſint magna quoad vas: homo dicitur habere caput magnum & paruum; magnum quoad vas, quia multum cerebri continet, paruum quoad oſſa, quia parua habet oſſa, reſpectu brutorum. Habita hac ſententia, dico ego mammarum magnitudinem duplicem eſſe, ſimiliter paruitatem: aliam ſecundum carnem, aliam ſecundum cauernas & capacitatem. Mammæ magnæ ſecundum capacitatem, non autem ſecundum carnem, ſemper, mea ſententia, ſunt meliores: mammæ autem paruæ ſecundum carnem, & non ſecundum capacitatem, ſunt meliores magnis & ſecundum capacitatem & ſecundum carnem: & ratio huius eſt, quia mammæ paruæ ſecundum carnem, quæ mediocres dicuntur ab Aëtio & Moſchione, multum Lactis producunt, & nullam turpitudinem, & nullam incommoditatem inferunt.

Curatio.

CVratio huius Affectionis, vel reſpicit factum malum, vel reſpicit futurum. Curatio quæ malo facto innititur, in hoc caſu exigua eſt admodum: quia, vt dicebat Ariſt. vix fieri poteſt, vt vnquam mammarum magnitudo iam facta aboleatur, niſi velis totum corpus labefacere & emaciare, quod quia non fit abſque periculo, idcircò non eſt ita facilè tentandum. Eſt tamen aliquod in hoc generẽ remedium, quod interdum proponere poteſtis, ſi mulieres à vobis remedium flagitent, & eſt, vt fiat forma mammarum plumbea, & illiniatur interior pars oleo ſeminis Hyoſciami, atque detineantur mammæ inter has formas, ſimilitérque coanguſtetur illa forma: ſic enim ſperari poteſt, longo huius remedij vſu tandem

compri

comprimendam eſſe Mammarum magnitudinem. Alia verò curatio, quæ potius præſeruatio dici debet, tota poſita eſt in medicamentis adſtringentibus & refrigerantibus. Refrigerantia medicamenta, cùm calorem augentem compeſcant, efficiunt vt malum non creſcat, Aſtringentia ſimiliter cum coanguſtent locum, & impediant aduentum materiæ, neceſſariò intercipiunt auctionem ipſam. Sic videbitis apud Auicennam 12. tertij tract. 1. cap. 10. multa vobis proponi remedia, quæ ad Mammas ipſas caſtigandas coërcendaſque hac facultate prædita, proponuntur. Serenus Medicus antiquiſſimus, omnia remedia, ad caſtigandas Mammas, nobis proponit. Vnum eſt ſuperſtitioſum, vt ſcilicet Mammis circumponatur Hedera, atque ea deinceps concremetur, & fumus capiatur ſuper ipſas Mammas. Alterum remedium ab ipſo propoſitum, eſt pinguedo Anſeris cum Lacte. Tertium remediũ eſt, quòd apud multos reperitur, ouum Perdicis illitum: hoc namque ſcribunt Democritus & multi alij, facultate quadam præditum eſſe, qua magnitudinem Mammarum tollit atque impedit. Aëtius etiam multa nobis remedia propoſuit, vt eſt ærugo ferri, cum oleo Omphacino, aut vino appoſita: Cicutæ ſemen, cum foliis tritum & appoſitum. Multa etiam alia apud Rhaſim, & alios Arabes inueniuntur remedia, ſed non eſt vt vos diutius detineam. Hic erit finis de vitiis in nutritione. Supereſt vt deueniamus ad ea vitia quæ vniuerſi vteri ſtatum reſpiciunt.

HIERONYMI MERCVRIALIS DE MORBIS MVLIEBRIBVS

LIBER IV.

De vitiis quæ ſtatum vniuerſi vteri reſpiciunt.

PRÆFATIO.

HACTENVS de illis morbis tractauimus, qui conceptum & Partus nutritionem reſpiciunt, ordini noſtro conſentaneum eſt, vt de aliis morbis tractemus, qui ſtatum vniuerſi Vteri reſpiciunt, nec ad vnum ex prædictis referuntur: qui ſtatus vteri in duobus à nobis fuit propoſitus, ſcilicet in humiditatibus quæ per vterum excurrunt, nec non in ſolidorum vteri, tum Complexione tum Conſtitutione. Appello humiditates, non humores omnes quatuor, ſed Menſtrua, Semen, & alias humiditates ab vtero excurrentes. Itaque Morbi, qui fiunt in his humiditatibus vteri, aut ſunt circa Menſtrua, vel exuberantia, vel deficientia: aut ſunt in Semine, qualis eſt morbus Gonorrhæa dictus, aut

in aliis humiditatibus,qualis eſt Fluxus muliebris appellatus.In complexione ſolidorum vteri,fiunt Morbi,quando aliqua ex intemperiebus patitur, ſiue ea intemperies ſit ſimplex, ſiue cum aliis humoribus copulata. Quæ autem fiunt circa aliã conſtructionem vteri, aut ſunt in vnionis ſolutione, qualia ſunt omnia Matricis Vlcera, aut ſunt circa vias vteri, quales ſunt oppilationes vteri, aut in via & magnitudine, vt tumores omnes vteri, Nympha (de qua Paulus) Hydrops vteri, Cauda appellata, quam Moſchio cap.18.appellat ſymptoma turpitudinis:aut ſunt morbi in ſitu vteri,vt cùm ſurſum vel deorſum vterus relabitur:aut in latera inclinatur. Præter hos affectus, eſt & alter, qui videtur hos omnes conſequi, ſcilicet præfocatio vteri, de quibus omnibus ordine tractabimus.

DE VITIIS MENSTRVORVM *in defectu.*

CAPVT I.

INCIPIAM autem à Menſtruis,quæ peccant,vel quia deficiunt,vel quia abũdant, vel quia talia non fluunt qualia deberent. Tractabimus primum de deficientibus Menſtruis,eò quod hic morbus frequentiſſimus eſt, qui vt rectè à vobis agnoſci poſſit,operæ pretium eſt, vt cognoſcatis exactè quænam ſit Menſtruorum natura, id quod ſeptem docebo capitibus, ea qua fieri poterit breuitate. Primum erit, quid ſit Menſtruum: ſecundum, quomodo generetur: tertium, in quibus generetur: quartum, quando gignatur: quintum,cuius gratia fiant Menſtruorum fluxus: ſextum, quæ ſit quantitas Menſtruorum: ſeptimum & vltimum, quænam ſit qualitas. His omnibus à vobis intellectis, non vereor quin omnis natura Mẽſtruorum cognoſcatur. Menſtruum communiter vocatur à Græcis καταμήνιον, Latini appellant materiam Menſtruam, modò Menſes:quod quidem Menſtruum, vt colligitur ex Ariſtot. 1. de Generatione animalium cap. 20. & 4. de Part. animal. cap. 10. & à Galeno multis in locis, præſertim 14. de Vſu part. cap. 8. nihil aliud eſt, niſi profluuium naturale ordinatum ſanguinis excrementitij, vtilis, ſed crudi. Dicitur naturale profluuium, eò quòd omnis ſanguinis fluxus, vt docet Galenus 4. de Sympt. cauſis cap. 2. eſt ex toto genere præter naturam, ſolus Menſtruus fluxus non eſt præter naturam.Atque hoc non ſolùm à Galeno dictum eſt, ſed etiam confirmatum ab Auicenna 21. tertij, vbi tractat de Menſtruis.Dicitur ordinatum profluuium, quia ſunt multi è matrice ſanguinis curſus, ſed niſi ſint Menſtruorum, nullum ordinem ſeruant:qui ordo poſitus eſt, tum in Quantitate,vt videbitis,tum etiam eſt in Tempore. Dicitur ſanguis excrementitius, quia tametſi ſanguis Menſtruus ſit eiuſdem naturæ cum eo qui in venis mulierum reperitur, veruntamen eſt quoddam ſuperfluum, ſuperans naturam. Vnde errauit Florus ille Medicus apud Plutarchum in Sympoſiis, quoniam dicebat ſanguinem Menſtruum eſſe vitioſum & corruptum. Dicitur vtilis, eò quòd ſunt & alij fluxus vteri, in quibus ſanguis excluditur, ſed excluditur tanquam inutilis. Dicitur poſtremò crudus, ad differentiam Seminis, quod quidem & ipſum eſt ſanguis ſuperfluus & vtilis,ſed concoctus, non autem crudus, vt ſanguis Menſtruus: nam ſcio ſanguinem Menſtruum etiam quodammodo poſſe appellari Semen. Verùm, vt docet Ariſtot. 1. de Generatione animalium cap. 20. & 2. eiuſdem cap. 3. differt ſanguis Menſtruus à Semine, tanquam purum ab impuro, & tanquam crudum

dum à cocto. Quo in loco Auerroës ſcribit,Semen eſſe veluti butyrum quoddam multis ſpiritibus plenum, & propterea delaſſari magis Mulieres in emiſſione ſeminis, quam in emiſſione ſanguinis Menſtrui, quia cum ſemine multi ſpiritus exeunt, cum ſanguine Menſtruo pauciſſimi, quia materia eſt cruda: propter quod etiam Auicenna 3. de animal. 3. ſcriptum reliquit, emiſſum Semen multò plus inferre damni, quàm ſi quadragies tantum ſanguinis mitteretur. Sed dicet aliquis veſtrum: ſi ſanguis Menſtruus eſt materia vtilis, cur ergo à natura ſingulis Menſibus expellitur? Dico expelli à natura, non propter vllam qualitatem, ſed tantummodo propter copiam, quia copia huius materiæ adeò excreſcit, vt naturam ad ſe expellendam ſingulis Menſibus ſuſcitet. Non igitur mirum vobis videatur, idem enim contingit in emiſſione Seminis,quemadmodum Galen. 6.de locis affect. cap. 5. ſcribit, animalia bruta concitari ad coitum, non alia ratione, quàm quòd copia Seminis grauata,ſtimulatur natura ad ipſum expellendum.Hæc igitur,vt audiuiſtis,eſt natura & deſcriptio ſanguinis Menſtrui.De Modo Generationis Menſtruorum,inuenio apud Veteres nonnihil diſſenſionis: Democritus & Parmenides habuerunt hanc ſententiam,quòd cùm Mulieres ſint valde calidæ,gignant ſanguinem acrem & feruidum,qui vbi nimium excreſcit, ſua acrimonia irritat & ſtimulat naturam ad ſeſe excernendum. Quæ opinio quoniam abundè exploſa eſt ab Ariſtotele præſertim 4. de Generat.Animal.cap.1.non eſt,quod in hac diutius refutanda hæream:Id ſolum notare placet,hanc opinionem ſupponere rẽ falſiſſimam,ſcil. quod Mulieres ſint calidiores Viris. Hippoc. ſeu potius Polybus lib.de morbis Mulieb. nouam quandam opinionem de generatione Menſtrorum, habet: quòd ſcilicet corpora Mulierum, cùm ſint rara & poroſa, vt raritates impleantur,magno impetu attrahitur ſanguis ad ipſos poros,ita vt cùm nimis trahatur quàm par ſit,atque ob id multum ſanguinis ſuperſit, id quod ſuperuacuum eſt & nimium,continuò excernitur ad Vterum,& inde per ſingulos Mẽſes foras prodit. In viris autem,dicebat iſte autor,non fit ſanguinis Menſtrui fluxus, quia corpora virorũ denſa ſunt, & non opus habent attractione, & propterea non excreſcit ſanguis vltra menſuram debitam. Hæc ſentẽtia etiam multis abſurdis referta eſt, vnde fit vt illum librum minimè Hippocratis eſſe ſentiam, ſed potius alterius ſectatoris Democriti & Parmenidis,cùm in eo libro ſcribat mulieres eſſe calidiores Viris,quod contra Hipp.eſt.Abſurda quæ conſequuntur hanc ſententiam plurima ſunt,ſed potiſſimum duo:Vnum,quod licet demus fieri attractionem ſanguinis ad corpus vt repleantur vacua, non ſequitur quod attrahitur ſanguis nimius, quia repleto vacuo,ceſſat ſemper omnis attractio,quę fit gratia ipſius.Aliud abſurdum eſt,quod Mulieres nequaquam,vt ſupponit hæc opinio,ſint corpore rariore, imò verò cùm ſint frigidæ, cùm ſint pinguiores Viris, cùm ſint glabræ, neceſſariò concluditur,corpora ipſarum eſſe denſiora.In libro illo de Spermate,Galeno attributo,legitur quod in Viris non fiant Menſtruę purgationes,propterea quòd ob raritatem corporis virorum, omnia excrementa exſpirant,& in pilos conuertuntur, vt hinc pateat cõtrariam potius eſſe rationem,quàm eam quæ in hoc libro ſcripta eſt. Quapropter verus Menſtruorum generationis modus eſt ille, qui traditur ab Hippocrate, ab Ariſtotele,à Galeno & omnibus Medicis, ſcil.quòd cùm corpora mulierum ſint frigida, non poſſunt vltimum alimentum totum conficere, neque in ſubſtantiam corporum nutriendorum conuertere.Vnde,quod ſupereſt, & confici & conuerti non poteſt, paulatim & in dies mittitur ad venas Vteri, vbi colligitur,vſquequo tandẽ in eam molẽ excreſcit,quę vnà ſuſtineri à natura non poteſt, ea ad expellendam irritatur.Ex quo poteſtis verum intelligere,non eſſe Qualitatẽ

F 4 quæ

quæ natura ſtimulat, ſed ſolùm quantitatem. An verò huiuſmodi ſanguis excludatur in Vterum, par refudationem, vt voluit Ariſtot. 2.de Gener.animal.cap.4. an verò per vaſorum reſerationem. Sum huius ſententiæ, ſanguinem excludi in Vteri capacitatem, per reſerationem vaſorum, atque ad hoc credendum impellor, tùm quantitate ſanguinis quæ exit, quia per reſudationem tantus exire non poſſet,tùm etiam craſſitie.Propterea ſanguis qui emanat è vaſis per reſudationem, ſemper ſubtiliſſimus eſt ſanguis,Menſtruus craſſus eſt,vt non poſſit intelligi,quomodo ſanguis ille ex venis non apertis exire poſſit. Circa hanc de generatione Menſtruorum ſpeculationem tria occurrunt pulcherrima Problemata. Vnum eſt,cur ſit, quod ſi ſanguis Menſtruus exit, quia non poteſt confici & in membra conuerti,tamen videntur Mulieres pinguiores Viris ſemper? Etenim videtur potius contrarium euenire debere,quia ſi totum nutrimentum vtile,non poteſt conuerti in ſubſtantiam membrorum nutriendorum: Ergo deberent corpora priuata nutrimento debito, emaciari: ſecus autem videtur, vt dixi, quia ſemper Mulieres pinguiores ſunt viris, id quod intelligentes priſci noſtri, volentes vrere corpora virorum, ſemper decem corporibus Virilibus, adiungebant vnum corpus Muliebre, vt præ pinguedine eſſet veluti tæda & fax ad accelerandam corporum combuſtionem. Secundum Problema eſt: Cur natura non potius quotidie excernit paulatim hunc ſanguinem,eò magis,quòd hoc naturæ facilius eſſe videtur, & etiam minus moleſtum Mulieribus. Facilius naturæ, quia facilius eſt expellere paruam quantitatem, quàm magnam. Minus verò moleſtum Mulieribus, quia videbitis ferè omnes Mulieres, quo tempore inſtant Menſtrua, magis perturbari, non ob aliud, niſi ob impetum ſanguinis copioſè excurrentis.Tertium eſt, quod ſi Menſtruum eſt eiuſdem naturæ cuius eſt ſanguis ille, qui continetur in venis, non videtur infinita mala facere, quæ referuntur à Columella, Plinio & Ariſtot. ſcil. corrumpere arbores & flores, rubiginem ferro dare, Canes in rabiem concitare, homines dementare, ſpecula corrumpere,& alia innumera damna inferre. Imò experientia compertum eſt, quod ſi quis cum Menſtruoſa concumbat, morbos ſæuiſſimos contrahit, vt interdum vidi experientia. Auer. 3. Collec. cap. 7. dicebat, coitum cum Menſtruata lepram inducere, atque hoc ſe experientia cognouiſſe, vt non ſolum à Legiſlatoribus prohibitus ſit huiuſmodi concubitus, ſed etiam ab Heſiodo vetitus, ne in balneis verſetur quis, vbi lauatæ ſunt Mulieres Menſtruatæ. Erat primum problema, cur ſi Menſtruus ſanguis eiuſdem naturæ eſt cum reliquo ſanguine,nec poteſt totus confici à Mulieribus, corpora tamen ipſarum ſemper pinguiora ſint virilibus. Pro cuius reſolutione dicendum, quod tametſi Mulieres totum alimentum vltimum non perficiant, tamen tantum perficiunt,quantum ſat eſt, tùm vel ad reſtaurandum quod eſt deperditum, tùm vel ad augendam pinguedinem. Cur autem potius in pinguedinem conuertatur, ratio eſt, quia humiditas Mulierum adipoſa eſt & pinguis, propter quod facilè frigiditate ipſarum concreſcit hæc humiditas, & pinguedo euadit. Sic etiam videmus Vrſos & Sues pingueſcere, non tam propter frigiditatem, quàm propter humiditatem adipoſam. Et aduertite, cum dico corpora Mulierum frigidiora eſſe, non intelligendum eſt, quod ratione frigiditatis poſitiuè fiat pinguedo, ſed ratione moderati caloris, qui reſpectu caloris viri,quoquo pacto poteſt dici frigidus. Sed optabitis forſan intelligere,quare à natura comparatum ſit, vt Mulieres viris ſint frigidiores:Cuius rei nulla poteſt potior aſſignari ratio, quàm hæc,quod propter Conceptionem, tùm propter Conceptus nutritionem, neceſſarium eſſet vt Mulieres frigidæ eſſent, aut ſaltem frigidiores Viris: nemini dubium eſt, quod ad

Conce

Conceptum,& ad eius nutritionem, neceſſaria eſt magna materiæ copia; magna autem copia non poteſt eſſe in Muliere, niſi multum ſuperfluum extitiſſet. Quoniam ſi fœmina quod ſibi neceſſarium erat, tradere debuiſſet fœtui, proculdubiò ipſa magnopere offenſa fuiſſet, ideò neceſſarium fuit, vt in ipſa materia ſuperflua, inueniretur: iam verò inueniri nō poterat hæc materia, niſi calor debilis extitiſſet, eo quia calor magnus conficit & diſſipat valde, vnde paucum omnino poteſt ſupereſſe, quod non conficeretur. Ergo neceſſe fuit, vt calor eſſet debilis, quo poſſet multa materia ſupereſſe, quæ non conficeretur. Vnde videtis quam neceſſariū fuerit Mulierem frigidam eſſe. Erat ſecundum propoſitum Problema, qua ratione natura non fecit, vt quotidie mulieres non potius expurgarentur, cur autē ſingulo mēſe? Cuius rei multæ rationes haberi poſſunt, vna ratio fuit, quia valde turpe & fœdum fuiſſet, Mulieres ſi quotidie fluore Menſtruorum inquinarentur. Altera ratio eſt, propter Conceptum, quia vt ſcriptum reliquit Hipp. lib. de Genitura, in libro de natura Mulieb. Mulieres concipiunt, vel quando Menſes iam incipiunt erumpere, vel quando deſierunt. Concipiunt quidem incipientibus Menſibus, quia eſt magna materiæ vbertas: concipiunt deficientibus Menſibus, quia vterus iam depuratus eſt. Sed & huius rei à Galeno de Vuluæ ſectione cap. 10. adfertur alia ratio, cur ſcilicet incipientibus & deſinentibus Menſibus, fiat Conceptus: quia hiſce temporibus cùm aperta ſunt ora vaſorum Vteri, interna eius ſuperficies tota aſpera facta eſt, propter quam aſperitatem, dicit Galenus, fit vt Semen facilè adhæreat, & in conceptum tranſeat: reliquis temporibus, quando ſcilicet fluunt Menſes, Semen excurrit cum ſanguine extra Vterū, vel materiæ copia nulla adeſt. Dicebat Diocles & iure, idem contingere in his caſibus quod contingit cœmentariis, cum volunt lapides conglutinare, quia ſi lapides politi ſint, nequaquam ferruminari poſſunt, propterea prudenter Cœmentarij aſperant eos: ſic ſi debet Semen adhærere, operæ pretium eſt, vt Vterus ſit aſper, non læuis & politus. Tertia cauſa huius rei eſt, ſcilicet, quod ſingulo menſe exeant Menſtrua, quia ſanguis Menſtruus ſuapte natura benignus eſt, nec ab vtero trahitur, vt docet Galenus 14. de vſu part. 8. ſed ſolùm tranſmittitur ab vniuerſo corpore ad vterum, à facultate expultrice, propter quod cum ſanguis ſua qualitate non irritet naturam ad expulſionem, neceſſarium eſt, vt ſi debet excitari facultas, cum copia id fiat: & ideò natura, vt excitetur facultas expultrix vteri, coacta eſt machinari hanc excitationem ſola ſanguinis copia, quæ non poteſt congregari, niſi ſpatio longo dierum. Erat tertium Problema: Cur ſanguis Menſtruus alioquin benignus, tot prauos affectus edat, quos audiuiſtis. Nonnulli pro diſſolutione huius problematis dixerunt, ſanguinem Menſtruum, licet ſua natura ſit benignus, tamen ob diuturnam in vtero moram, malam quandam naturam contrahere, & idcircò tot prauos affectus parere. Sed hæc ſolutio non videtur mihi accommodata: Ratio eſt, quia ſanguis Menſtruus, ſi ſua natura eſt benignus, vbi eſt in venis, eſt in proprio ſuo loco: ſi eſt in proprio loco, non debet corrumpi, ſed conſeruari, quia locus ſeruat locatum. Alij vt melius ſoluerent hoc problema, dixerunt, in ſanguine Menſtruo duas partes reperiri: vnam puram & vtilem, aliam impuram & fœculentam. Ex pura, dicunt iſti, fit Conceptus & nutritur: impuram eam eſſe, quæ tot malos affectus pariat. Sed neque mihi ſatisfacit hæc ſolutio: ratio eſt, quia hoc omnis ſanguis habet, vt in eo ſit pars purior, pars impurior. Si ergo hoc habet ſanguis omnis, & ſanguis Menſtruus nón differt ab eo, qui eſt in venis, cur ergo ſanguis totius corporis non hæc eadem mala facit, quæ Menſtruus? Ergo mea eſt ſententia, ſanguinem illum non ſemper ita prauum eſſe, vt referunt ſcriptores, eò quia

F 5 vbi

vbi corpora Mulierum temperata ſunt, neceſſarium eſt, vt ſanguis Menſtruus ſit temperatus, & propterea tunc nullos prauos affectus edere poteſt. Vbi corpus vitioſum eſt, dico quod eo in caſu ſanguis Menſtruus vitioſus redditur. Modus, quo hic ſanguis redditur vitioſus, hic eſt. Conſtat apud omnes Medicos, vterum eſſe veluti ſentinam & cloacam, in qua natura ſolet corporis ſordes deponere: quod cum ita ſit, omni quidem tempore natura ad venas vteri mittit humores vitioſos & prauos, ſed potiſſimum mittit eo tempore, quo Menſes incipiunt fluere. Et ratio eſt, quia tum tēporis vis expultrix magis excitata eſt, & viæ magis ſunt apertæ. Vnde ſi hoc tempore, maiori impetu praui humores mittantur ab vniuerſo corpore ad Vterum, iſti humores in vtero commixti ſanguini Menſtruo, mixtionem quandam deterrimam efficiunt, propter quam mixtionem deinde non eſt mirum, ſi innumera mala oriantur. Tertium caput erat, in quibus corporibus fiant Menſtrua. Ariſtot. 6. de Hiſtor. animal. 8. & 3. de Generat. anim. ſcribit, Menſtrua videlicet non fieri, neque in piſcibus, neque in auibus, ſed ſolummodo in iis animalibus, quæ ſunt prædita ſanguine, & quæ ſunt viuipara. Inter animalia, maximè omnnium menſtruas purgationes habet mulier, deinde Vacca, poſtea Equa & Canis. Cur autem omnium animalium maximè mulieres menſtruas purgationes habeant, duę ſubſunt cauſæ potiſſimum. Vna eſt, quia in Brutis excremētitia hæc materia in Pilos vertitur, in Cornua, in excrementa varia, in vrinas craſſas. In muliere autem, materia hæc non vertitur in quidquam horum, propter quod omnium maximè neceſſariò etiam purgatur. Altera cauſa eſt, quia bruta vno victus genere vtuntur, maximè laborant & exercentur. Mulier verò largè viuit & variis cibis vtitur: adhæc otioſa & ſedentaria eſt, vt ob has rationes iure maximos fluores ſanguinis menſtrui habeat. Quartum caput erat de tempore menſtruorum, quod quidem duplex eſt: aliud vniuerſale, aliud verò particulare. De tempore particulari ſic conſtituendum eſt apud nos, quod vt plurimū menſtrua incipiunt fluere à decimoquarto ætatis anno, deſinunt autem menſtrua ferè ſemper circa quinquageſimum. Dicebat Ariſtot. 7. de Hiſtor. animalium 1. tunc incipere menſtruorum curſus, quando vbera prominent ad duos digitos, & quando viro Semen mouetur, quo quidem tempore dicebat maximas fieri mutationes, & in viris, & in mulieribus, tum vocis, tum etiam aliarum rerum. Dixi, vt plurimum incipere à decimoquarto ætatis anno: quia reperiuntur mulieres, quibus etiam incipiunt duodecimo anno. Sed, vt docet Paulus Ægineta lib. tertio, cap. 60. hæc ſunt admodum rara, vt rariſſimum ſit quod ſcribit Sauanarola, ſcilicet fuiſſe quandam quæ cœpit nono anno purgari, & facta eſt prægnans. Sed optabit aliquis veſtrum intelligere: Cur potius decimoquarto anno & non ante: Cur quinquageſimo deſinant & non poſt. Dico non ante decimum quartum annum incipere, quia in ſecundo ſeptenario corpora noſtra ſunt valde calida, ita vt calor magnopere conſumat, nec ſinat quidquam ſuperfluum eſſe. Poſt ſecundum ſeptenarium, cùm incipit remitti, incipit materia ſupereſſe, & propterea incipit materia excludi, quanquam in minori quantitate quàm antea, vel alio tempore. Poſt quinquageſimum annum deſinunt menſes, duabus de cauſis: Vna eſt, quia calor non poteſt id quod reſiduum eſt, conuertere in ſanguinem, ſed conuertit in pituitam. Altera cauſa eſt, quia propter caloris natiui imbecillitatem vis expultrix valde tarda eſt & debilis, ita vt non ſufficiat expellere hanc materiam. De tempore particulari ſcribit idem Ariſtot. 2. de Gener. animal. 4. & 7. de Hiſtoria animal. 2. quod videlicet menſtrua nullo certo termino currunt, ſed vt plurimum mouentur decreſcente Luna, propter quod inquit non-

nullos

nullos appellaſſe Lunam,fœminam. Dixit iure, nullo certó termino currere,quia, vt ſcribit Aëtius & Auicenna,vt plurimum,ad minus currunt 22. dies inter vnam & alteram purgationem,ad ſummum triginta dies : inter hos terminos , inuenietis aliquas quibus tunc intercedunt vigintiquinque dies,aliis 27.aliis 24.ita vt iure dictum ſit, nullum eſſe certum terminum. Cuius varietatis ratio nulla poteſt melior aſſignari,quam varietas temperaturarum, Regionum,cibi & potus,quibus omnibus de cauſis fit varia humorum aggregatio ,ad quam magnus Auerroës reducebat cauſas omnis inordinationis. Cur verò decreſcente Luna fiant potiſſimum Menſtruæ purgationes ,ſcribit Ariſtoteles & Auerroës 2. de Gener. animalium cap. 2. & 4. quia tunc corpora hominum & animalium frigidiora & humidiora ſunt. Vt intellexiſtis , fuit Auerrois & Ariſtotelis ſententia , Menſtruas purgationes fieri potiſſimum Luna decreſcente , eò quod tunc temporis corpora hominum & animalium omnium ſunt frigidiora & humidiora. Circa quam ſententiam duo occurrunt dubia diſcuſſione digna. Vnum eſt,quoniam Ariſtoteles 7. de Hiſtor. animalium cap. 2.ſcribit : paucas Mulieres ſingulo Menſe purgari,plurimas verò tertio quoque menſe : nam Aëtius libr. 16. cap. 4. ſcribit, omnes mulieres ſingulo mēſe purgari. Sed quid quærimus autoritates?quotidiana experientia ſatis teſtatur, omnes mulieres ſingulo menſe purgari, ratiſſimas verò eſſe, quæ tertio tandem menſe , ita quod ſatis apertum ſit , Ariſtotelis ſententiam falſam eſſe. Alterum dubium eſt , quomodo Ariſtoteles dixerit , Luna decreſcente corpora noſtra frigidiora & humidiora eſſe: Etenim Galenus 3. de Diebus decretoriis cap. 2. & 3. Aſtrologorum omnium ſententia confirmatus , dicit : Luna plena exiſtente , corpora omnia augeri , animantia pingueſcere; id quod clariſſimè teſtatur humiditatem potius exuberare in plenilunio , quàm Luna decreſcente. Hoc quoque abundè teſtantur agricolæ omnes, qui iubent cædendas eſſe arbores Luna decreſcente, eò quod tunc corpora ſunt aridiora & humore priuata. Apparet idem in Conchyliis , quæ Luna decreſcente inania ſunt , in plenitudine verò prægnantia & plena. Pro prima dubitatione, Alb. Magnus libr. 4.de Animal.cap. 2.videns Ariſtotelis ſententiam falſam eſſe, vt autem ipſum tueretur, permutauit literam Ariſtotelis, quaſi dicat Ariſtoteles ſcilicet id ipſum, ſingulo videlicet mēſe purgari mulieres plurimas , paucas verò purgari tertio quoque menſe. Sed hæc Alberti ſententia duo contra ſe parit : Vnum , quod contextus Ariſtotelis contra omnes manuſcriptos & antiquos peruertitur. Alterum eſt , quod licet concedamus Alberto , literam illam corrigendam eſſe , veruntamen Ariſtoteles veritatem non dicit , eò quod non ſolùm plurimæ purgantur ſingulo menſe , ſed omnes ; & nullam inuenietis quæ tertio quoque menſe purgetur. Auguſtinus Sueſſa in Commen.ſuper lib.de Hiſtor.anim.videns & ipſe hanc difficultatē, dixit hoc fortaſſe verum fuiſſe in Regionibus Ariſtotelis , vt ſcilicet paucæ purgentur ſingulo menſe:ſed nugæ ſunt,quoniam id quod naturale eſt,vbicunque idem eſt.Sed à natura comparatum fuit , vt mulieres ſingulis menſibus purgentur , & ideò etiā in Regionibus Ariſtotelis , & vbicunque locorum hoc perpetuum eſſe debet. Fuerunt aliqui, qui dixerunt & non ſine ratione, Ariſtotelis libros de Animalibus ex aliorum relatione conſcriptos eſſe,& ideò multos errores commiſiſſe,& quod deceptus fuerit à referentibus. Sed iniquum eſt , vt ita tractemus ſummum Philoſophum, quod permiſerit ſe decipi in re apertiſſima. Ideò ſum ego huius ſententiæ, Ariſt.ſententiam poſſe defendi,modò ne credamus Gazæ,qui hunc locum & alios multos deprauauit , & equidem ex omiſſione vnius vocis ; vox autem eſt συνεχῶς, quid importet hæc vox,animaduertite:Ariſtotelis verba hoc ſonant, quod paucæ

ſunt

ſunt quæ ſingulis Menſibus συνεχῶς, id eſt, aceruatim purgentur: plurimæ ſunt quæ acertim purgantur tertio Menſe: quaſi dicat Ariſtot. purgari quidem omnes Mulieres ſingulo Menſe,ſed paucas purgari aceruatim. Adſtipulatur huic ſententiæ Plinius, qui libro 7.cap. 15. verba Ariſtot. ferè transferens, dixit: omnes Mulieres tricenis diebus purgari, ſed largius tertio quoque Menſe, quaſi hæc ferè ſit Ariſt. ſententia, vt dixi. Ad ſecundam dubitationem Auerroes in Commen.ſupra 2. de Generatione animal. cap. 4. exponens Ariſtot. ſententiam, ait: magna luminaria tempore coniunctionis & oppoſitionis, diuerſa eſſe inter ſe, quia quo tempore coniunguntur, tempus frigidius eſt, eò quod hoc tempus aſſimilatur Hyemi, tempus verò quo opponuntur calidum eſſe, atque hoc tempus Æſtati aſſimilari,quaſi voluerit Auerroës totum hoc tribuendum eſſe frigiditati aëris. Sed neque hæc Auerrois reſponſio tollit dubium, eò quod addubitari poſſit, qua ratione his temporibus frigiditas dominetur, adhæc, poteſt eſſe frigidum cum ſicco, propterea dicendum iudico, quod declarat Picus iucundiſſimis verbis contra Ariſtotelem cap. 6. qui ſcribit, Lunam minimè ex ſe frigidum aut calidum poſſe facere poſitiuè: ſed ſi frigidum faciat,id facere priuatiuè, eò quod aëre nocturno exiſtente ex ſeſe ſemper frigido, vbi Luna lumine plena eſt, reſiſtit frigiditati nocturnæ: vbi verò lumine ſpoliatur cùm non poſſit reſiſtere, dimittit aërem in ſuo frigore, atque dimittit corpora animalium omnibus aëris iniuriis. Quæ ſententia confirmata eſt à Galeno 3.de diebus decretoriis cap. 2. Sed quid dicemus de humiditate,vt tueamur Ariſtotelem & Galenum?hæc habenda eſt vobis in hac re ſolutio, quod in noſtro hoc orbe & in omnibus corporibus, duplex eſt humiditas: alia quidem viuifica, & intrinſeca: alia verò extrinſeca, ab elementis huius mundi communicata. Poſterior humiditas,ſcilicet excrementitia, augetur in corporibus decreſcente Luna. Ratio eſt, quia Luna ſpoliata lumine, non reſiſtit frigori externo. Proculdubio corpora animalium Elementorum iniuriis expoſita, quoquo pacto humiditate excrementitia imprægnantur. Hinc fiunt pluuiæ, Luna decreſcente, & alia plurima: ſic etiam dicimus fieri Menſtrua, propterea quod corpora Mulierum hoc tempore humiditate externa veluti intumeſcant,præſertim vteri vaſa, quò fit, vt ora ipſorum aperiantur, id eſt, naturæ expellenti diligentiſſimè famulentur. Atque hoc voluit intelligere Gal. loco citato, quando dicebat ex-crementa, ſeu Menſtruas purgationes, ſecundum proprios circicuitus conſeruari à Luna, pro vt vel magis, vel minus plena eſt lumine. Prior humiditas, id eſt,intrinſeca & viuifica, augetur potius plenilunio quàm ſecus: & ratio eſt, quia tum corpora animantium & plantarum vigorata, magis concoquunt,& conſequenter magis humiditas viuifica augetur: propter quod iure dictum eſt à Galeno in plenilunio corpora augeri & pingueſcere, hac ſcilicet humiditate. Accedit his & aliud, quod tempore plenilunij, humiditates corporum hominum, alioqui congelatæ, eliqueſcunt: eliquatæ,diffunduntur,diffuſæ,maiorem copiam humiditatis apparere faciunt. Erat quintum caput à nobis propoſitum de fine, ob quem Mulieres & alia animalia habeant Menſes. Ariſtoteles 2.de Gener.anim.4. ſcribit, Menſtruas purgationes fieri in Muliebribus,tùm propter neceſſitatem, tùm etiam propter vtilitatem, ſeu vt ipſe dicit, nobilitatis alicuius gratia. Fiunt propter neceſſitatem, eò quod cùm Mulier ſit frigida, neceſſariò multa materia ſupereſt poſtremæ concoctioni, quare neceſſarium eſt, vt ſtato quodam tempore expurgetur. Propter vtilitatem autem ſit purgatio Menſium, quia ad propagationem humanæ ſpeciei conueniunt, & cauſæ efficientes & materiales. Cauſa efficiens in viro eſt: cauſa verò materialis ſubminiſtratur à muliere, Menſtruis iſtis

purga

purgationibus. Sed aduertite, hanc eſſe Ariſtotelis ſententiam contra medicos, qui putant mulieres tantum materiam præbere in generatione, de quo nunc non eſt nobis diſputandum. Galenus de ſectione venæ contra Eraſiſtratum cap. 5. videtur voluiſſe, quòd Menſtruæ purgationes tantum fiant ex neceſſitate, eò quod Mulier frigida eſt, otioſa, propter quæ omnia neceſſariò multa excrementa in ipſis colliguntur. Sed videtur Galeno in libro de Semine, & 14. de Vſu partium, non propter neceſſitatem ſolùm fieri Menſtruas purgationes, verùm etiam propter duos fines nobiliſſimos,quorum alter eſt, vt fiat Conceptus: alter vt Conceptus nutriatur, tum in Vtero, tum extra Vterum, in vtero quidem, quando fœtus ſanguine Menſtruo nutritur: extra Vterum, quando Lacte, quia Lac eſt ſanguis Menſtruus dealbatus. An verò natura etiam vtatur ſanguine Menſtruo ad nutriẽdum Vterum:dico id quod probauit Auerroës 3.Col.3. item 29. Vterum videlicet nequaquam nutriri ſanguine Menſtruo, & hæc ratio maxima eſt, quia natura ad nutriendas partes ſemper vtitur eodem nutrimenti genere: quod ſi verum eſt, ergo deberet Vterus ſemper nutriri ſanguine Menſtruo. Si ergo & hoc verum eſt, quod nutritur ſanguine Menſtruo, quomodo nutrietur Vterus poſt quinquageſimum annum,cum deſierunt Menſes, & ante decimumquartum, cum nondum inceperunt:quomodo item nutrietur Vterus animalium, quæ carent Menſtruis? Itaque hoc conſtantiſſimum ſit apud vos, naturam non vti ſanguine menſtruo ad nutriendum Vterum, ſed ſolùm ad nutriendum Fœtum. Quantitas Menſtruorum, quod erat ſextum caput, alia eſt diſcreta, alia continua. De diſcreta Quantitate inuenio nonnihil diuerſitatis inter autores. Hippocr.ſiue alius author in lib. de Morbis muliebribus ſcribit:Purgationes videlicet muliebres menſtruorum fieri duobus vel tribus diebus. Aëtius, loco citato,ſcribit has purgationes fieri quatuor diebus. Paulus Ægineta lib. 3. ſcribit, multis mulieribus fieri has purgationes duobus vel tribus diebus, plurimis fieri quinque, nonnullis quoque ſeptem diebus. Auerroës 3. Collecta. loco citato ſcribit minimum purgationis tempus eſſe vnius diei: ſummum, ſeptem. In hac controuerſia illud cupio vobis conſtitutum eſſe, non poſſe certam quantitatem dierum definiri, eò quod mira varietas ineſſe poteſt, & propter laxitatem & ſtructuram vaſorum, propter ætatem, regionem,& alia, quæ conſueuerunt ſtatum noſtrum euariare. Præterea etiam vobis hoc aliud notandum, quod colligitur ex Ariſtotele 7. de Hiſtor. anim. 2. ſcil. purgationes primo conſiderari in ſanis mulieribus, & ſecundum facilitatem: vel poſſunt conſiderari indifferenter. Si primo modo conſideremus, dico quod mulier ſana & ea quæ facilè purgatur, nunquam purgatur minus ſecundo die, neque plus tertio. Et hoc eſt, quod ſcribit Ariſtoteles, ſi purgatio hos terminos tranſeat, difficilè fieri & cum labore: hoc idem innuit author lib.1.de Morbis muliebr. dicens non fieri purgationes, niſi duobus aut tribus diebus, quod ſi aliter fiat, vel mulier morboſa eſt, vel ſterilis fit. Quod ſi ſecundo modo conſideremus, vt dixi, non poteſt certa quantitas aſſignari, quia Virgines alio modo, alio adultæ, alio modo carnoſæ, & alio non carnoſæ,purgantur, ita quod apparet mira varietas. De quantitate Continua ſcribit idem author, quantitatem moderatam debere eſſe duarum Cotylarum Atticarum. Hoc idem confirmauit Aëtius libro 16. cap. 3. Eſt verò menſura Cotylæ, nouem vel decem vnciarum, paulo plus, minúſve: Ita quod quantitas menſtrui debet eſſe triginta vnciarum. Sed ſum huius ſententiæ, quod non poſſit hæc certa quantitas aſſeri, quia Virgines à principio minus purgantur, adultæ copioſè, ſeneſcentes minus, macilentæ plus, pingues minus, quia in pinguedine abſumuntur hæc excrementa: Sic quoque ſanguineæ magis

magis quàm Bilioſæ, Pituitoſæ magis quàm melancholicæ, debiles plus quàm robuſtæ. Regio quoque & victus ratio, Exercitationes vitæ, & alia, poſſunt miram varietatem parere: Et hæc eſt Quantitas menſtruorum. Sunt quædam aliæ purgationes muliebres, quæ dicuntur λοχεῖα, Latini appellant Puerperium, & ſunt iſtæ purgationes, quas omnes mulieres patiuntur, quando pepererunt, vel quando Aborſum fecerunt, quarum purgationum Quantitas diuerſa eſt à dictarum. Nam vt habetur in lib. de Morb. muliebr. à principio exeunt hæ purgationes ad menſurum Heminæ vnius & ſemis, plus minúve, & hoc ſi ſana ſit, quæ quantitas deinde in dies minuitur, vſquequo perfectæ iſtæ purgationes deſierint. Si fœmellam mulier peperetit, durat huiuſmodi purgatio ad ſummum quadraginta duos dies, ad minus verò, per triginta dies. Si verò marem pepererit, ad ſummum durat per triginta dies, ad minus verò, per viginti. Quanquam & in hac re nonnihil eſt diuerſitatis, quia quæ abortiunt, prout fœtus aborſus eſt vel grandiuſculus, vel minor, ita & magis & minus durat huiuſmodi purgatio. Eſt verò Qualitas harum purgationum, quod erat poſtremum caput, in tribus collocata. In craſſitie & tenuitate, in colore, & odore, poſſumus addere & modum exitus. Quod ad primam conditionem ſpectat, debent Menſtrua neque eſſe ſubtilia, neque tenuia, neque admodum craſſa & viſcida, ſed mediocria, quanquam videbitis ſemper Virginibus Menſes exire ſubtiliores, vetulis & adultis craſſiores, vt & Melancholicis: Bilioſis contra tenuiores. Odor nullus certè eſſe debet, quia ſanguis dum optimè conſtitutus eſt, expers eſt omnis odoris. Vbi adeſt odor, ſignum eſt adeſſe alterationem & corruptionem. Color, vt habetis apud Ariſtot. 7. de Hiſtor animal. 2. & Auicénam lib. 9. de animal. debet eſſe, qualis eſt ſanguinis exeuntis è venis animantis, recenter mactati, id eſt, vt ſit floridus & viuus. At hic quoque alia diſcrimina intercedunt, quia videbitis mulieres Bilioſas habere Menſes flauiores: Pituitoſas, albicantes: Melancholicas, ſubnigras: qui omnes colores deprehenduntur, vt docet Rhaſes, ex ſententia Galeni, ex pannis. Modus autem exitus bonus eſt, ſi ſine vllo ſymptomate exeant. Videbitis interdum Mulieres dum purgantur, mirificè torqueri, aliis dorſi dolor adeſt, aliis dolor capitis, aliis debilitas viſus, & alia multa accidunt Symptomata. Ex iis quæ hactenus de natura Menſtruorum diximus, colligere licet, Menſtrua ea eſſe naturalia, quæ, vt ſcribit Hippocrat. 2. Prorhet. ſingulis Menſibus fluunt, in moderata copia, quæ colorem naturalem habent, ſine vllo Symptomate, ſine etiam dolore, quæ neque pluribus, neque paucioribus fluunt diebus, quàm par ſit. Quod ſi aliqua ex his conditionibus deſit, proculdubio vitioſas illas eſſe purgationes, cenſendum eſt. Itaque ſi vel fiant nunquam, vel raro, aut vnica ſolummodo die, & pauca quantitate, dicuntur Menſtrua deficientia à Medicis. Rurſus ſi fiant bis in Menſe, pluribus diebus, exempli gratia, octo vel nouem diebus, ſi in multa copia, dicuntur Menſes exuberantes. At ſi Sanguis non eſt qualis eſſe deberet, ſi alieno colore, ſi odore infectus, ſi cum dolore, dicuntur ſimpliciter Menſes vitiati. Iam verò Menſes deficientes, quia primò de his agere debemus, clarum eſt quod Symptomata ſunt in genere excrementorum retentorum, quæ ſymptomata referuntur ad morbos proprios, ſcilicet aut ad prauas intemperies, aut ad morbos ex mala conformatione. Locus affectus nullus alius eſt, quàm Vterus.

Cauſa

Cauſæ.

POrrò cauſæ quæ hoc malum pariunt, aut ſunt Externæ primitiuæ, aut Internæ. Inter externas primum locum obtinet Aër ſiccus,ſiue calidius ſit,ſiue frigidus.Similiter etiam nimius corporis motus,de quo loquens Rufus apud Aëtiũ, dicebat Saltatrices Mulieres & Cantatrices non purgari.Vigiliæ quoque immodicæ ſolent Menſes ſupprimere,de quibus loquens Albertus Magnus libro nono de Animalibus,ſcripſit ſe vidiſſe multas Virgines, quæ cum macerarent corpus vigiliis, nunquam purgabantur. Vehementes animi motus inter has cauſas referendi, præſertim Mœror & Timor. Videbitis ſæpè Viduis & aliis Mulieribus, ob tot continuos Mœrores, deficere has ſuas purgationes, vt ego vidi atque curaui, quibus ex ipſo timore ſuppreſſi erant Mẽſes.Adhæc Cibi & Potus magnoperè cõferunt ad retinendos Menſes, præſertim cibi & potus exſiccantes, & adſtringentes, & refrigerantes, vt Aquæ potus, quemadmodum dicebat Auicenna ſæpè Menſes tollere. Paucitas cibi & potus inter has cauſas quoque referuntur ab Aëtio. Internæ cauſæ, vel ſunt propriæ & eſſentiales, vel ſunt per communionem. Internas cauſas magnus Auenzoar videtur reduxiſſe libr. 2. Tract. 1. cap. 5. ad duo ſolùm genera, ſcilicet ad viſciditatem & craſſitiem humorum, nec non ad facultatis expultricis imbecillitatem, quod etiam interdum factitauit Galenus, vt etiam teſtatur Rabbi Moyſes lib. 10. Aphoriſm. Sed præter has cauſas, à Galeno & Auicenna aliæ multæ in medium ſunt propoſitæ: à Galeno 5. Aphoriſm. 28. & 6. de locis affect. 5. Vt autem habeatis has omnes cauſas ſub certis generibus diſtinctas, dicendum eſt: Cauſas internas alias eſſe naturales, & has omnes pertinere, vel ad inſtrumentum, ſcilicet Vterum, vel pertinere ad facultatem expultricem, vel materiam ipſam. Quæ pertinent ad inſtrumentum, primò ſunt intemperies, præſertim tres, Calida videlicet, frigida, atque ſicca. Sed dicetis, qui fieri poteſt vt à cauſa calida ſupprimantur Menſes, quia ſatis compertum, calidi proprium eſſe aperire & rarefacere? Auicenna tres proponit cauſas, propter quas intemperies calida ſupprimit Menſes: prima eſt communiſſima, quia ſcilicet vbicunque partis alicuius temperatura vitiatur, conſequenter vitiantur etiam partis illius actiones, quod ſæpiſſimè teſtatur Galenus, præſertim in libro de inæquali intemperie. Iam verò, vbi adeſt calida intemperies Vteri, vitiatur eius temperies, & conſequenter vitiatur eius actio. Altera cauſa eſt, quia vbi Vterus laborat calida intemperie, humores ſubtiles & acres, qui aperiunt, diſſipantur & exſiccantur: vnde remanent terreſtres duntaxat, & conſequenter retinentur iſtæ purgationes. Tertia cauſa eſt, quia calidus Vterus, tametſi ratione caliditatis attrahat, veruntamen plus eſt id, quod conſumit ſanguinem Menſtruum, quàm quod attrahit. Cur intemperies frigida retentionem Menſtruorum faciat, aperta eſt ratio, quia ſcitis proprium frigiditatis eſſe condenſare & adſtringere. Præterea perſpicuum eſt, cur hoc faciat, vtpote à qua Venæ conniuent atque ſimul concidunt, vt non pateat excurſus ſanguini fluenti: atque hæ ſunt intemperies ſimplices. Intemperies verò coniunctæ ſunt, quando his intemperiebus coniunguntur humores frigidi, viſcidi & craſſi. Neque eſt credendum nonnullis, qui putant, quoſlibet humores aſſociatos intemperiei, poſſe facere hanc retentionem, quia vbi ſunt humores ſubtiles & tenues, nequaquam retentionem Menſium poſſunt efficere. Cauſæ ex mala formatione, omnes videntur ab Auicenna reduci ad anguſtiam & ſtricturam vaſorum, quæ anguſtia interdum naturalis eſt; vt docet Ga-

lenus

lenus 3. de Sympt.cauſ.4. quod experientia comprobatur in illis Mulieribus, quæ Ilia,& anchas vocatas, ſtrictas habent & pectus latum, de quibus dicit Aëtius & Auicenna,quod neceſſario habeant vaſa Iliorum & Vteri anguſta. Poteſt eſſe hæc anguſtia non naturalis, atque tunc ſequitur, vel prædictas intemperies, vel ſequitur alias ægritudines.Quæ ſint autem illæ indiſpoſitiones,quas conſequuntur anguſtiæ vaſorum,ſatis copioſè docuit Auicenna, quas omnes ſub ſeptem generibus comprehendere poſſumus. Primum genus eſt, multitudo pinguedinis, propter quam vaſa ita compinguntur & coarctantur, vt nequeat ſanguis exire. Secundum genus eſt, Apoſtema & tumor,à quibus compreſſa vaſa, coanguſtantur. Tertium eſt,clauſura vaſorum,facta ab ipſa carne; vel aliqua membrana,vt cùm membrana quædam oritur in vtero,quæ prohibet ſanguinis Menſtrui purgationes,de qua loquitur Hippoc.& Paulus,& nos loquemur ſuo loco.Quartum eſt,cicatrix: etenim vlcera Matricis ſæpè conſequuntur Cicatrices, ob quas ita corrugantur interni Vteri parietes, vt facilè omnia vaſa ipſius coarctentur. Quintum eſt, tortuoſitas colli Vteri,quæ affectio naſcitur, vel quando nimis deſcendit vterus,vel aſcendit, vel ad latera conuertitur. De quo affectu loquens Galen.5. Aphor.28.ſcribit, ſupprimi menſes ob peruerſionem Vteri. Sextum eſt, condenſatio ſubſtantiæ totius Vteri, quæ,vt idem teſtatur 3. de Sympt.cauſis, modo naturalis eſt, modo præter naturam. Sed dicetis, quid poteſt efficere huiuſmodi denſitas? Dico,quod ſi ſit naturalis,neceſſariò adiunctam habet vaſorum anguſtiam: Si ſit præter naturam, non ſolum vaſa ſunt anguſta, imò verò quod notat Auic. ſit breue Vteri collum. Septimum genus eſt, Aborſus,poſt quem venæ illæ quæ colligabantur Secundinæ, ita coaleſcunt,vt poſtea reſerari amplius non poſſint. Dicebat Paulus lib. 3. c.59. quod ferè ſemper poſt Aborſum ſequitur menſtruorum retentio: quæ ſententia niſi ſano modo intelligatur, falſiſſima eſt; quia videbitis Mulieres abortientes etiam exactiſſimè purgari. Eſt autem Pauli ſententia intelligenda: quod vbi frequentes fiant Aborſus, tùm ſolent conſequi menſtruorum retentiones, ea ratione quam vobis antea explicui. Cauſæ menſtruorum retentionis pertinentes ad ipſam materiam, vel ſunt ob qualitatem materiæ,vel ob eius quantitatem,vel ob vtrumque: ob quantitatem,vt ſi ſanguis paucus ſit, neceſſariò ſunt diminutæ purgationes. Fit verò paucus ſanguis multis de cauſis,vel ob paucitatem ciborum,vel quia alio auertitur ſanguis, vt in euacuatione ſanguinis per nares, è hæmorrhoidibus. An autem ſanguis multus poteſt efficere retentionem? Dico ex ſe non poſſe multitudinem efficere retentionem: ratio eſt, quia, vt noſtis, vbi multus ſanguis eſt in Venis, ſponte ſolent ipſarum ora hiare, & ideò ſanguis exire: ſed fit bene, vbi ſanguis multus eſt, vt poſſit craſſeſcere,& ſic retineri. Verum retentio non eſt adſcribenda copiæ, ſed craſſitiei. Cauſæ per communicationem, vel ſunt per communicationem à toto, vel ab aliqua parte. A toto, vt cum totum corpus conſtipatum eſt, aut obſtructum, vnde fit, vt à toto corpore non mittatur ſanguis ad vterum. A parte, quando iecur obſtructum eſt valde, quo in caſu ſanguis ad Vterum non poteſt fluere, vel quando inteſtina & panniculus adeò ſunt pinguia, vt comprimant vterum & vaſa coarctent.

Signa.

Signa menſtruorum vt plurimum habentur ex relatione ægrotantis, propter quod ſemper diligentes eſſe debetis, vt primum, quod petitis ab ægra, ſit, an Menſtrua ſint retenta, necne. Dicit Hippocr. 1. de Morbis Muliebribus, Mulieres

liebres morbos ideò difficiles eſſe curatu,quia ſæpè latent Medicum veræ morborum cauſæ, eò quod Mulieres verecundentur vitia ſua confiteri. Sed præter relationem ægri,aut miniſtræ, ſunt alia Signa tradita ab Hippocrate & Gal. Hippoc. 5.Aphoriſm.39.ſcribit: quod ſi Mulier neque grauida ſit,neque peperit,& Lac habeat in mammillis, ſignum eſt Menſtrua defeciſſe. Galenus 6. de locis affectis 5. multa alia adiicit ſigna,quorum hæc ſunt præcipua. Corporis totius grauitas, faſtidium ciborum,horrores inæquales,lumborum, colli, & capitis dolores, febres graues atque ardentes,Vrinæ nigricantes,tumores,præſertim vbi durat diutius retentio.Addit Aëtius Febres continuo comitari ſuppreſſos Menſes. Sed falſiſſima eſt hæc ſententia,& puto errorem eſſe in Aëtio,quia multum abeſt, vt ſemper retentos Menſes comitetur Febris, imò videbitis plurimas laborare retentione & nō febre. Signa autem particularia ſunt,quod ſi retineantur Menſes propter communicationē alterius partis,intelligetis per ſigna quæ declarant partē illam affectam, & præſertim ſi nulla alia ſigna adſint, proprium affectum oſtendentia. Quæ verò ſunt retenta per eſſentiam,ſi à cauſa frigida, ſomni adſunt longi & profundi, torpor totius corporis, pulſus valde rarus, color albus, ſudor frigidus, vrina copioſa, egeſtiones pituitoſæ. Dicit vnum Auicenna notatu dignum, quod in hoc caſu venæ virorem quendam contrahunt, quæ res tametſi non ita frequens ſit, tamen poteſt euenire, non quod ſanguis in venis retentus putreſcat, alioqui Mulieres iſta peſte maxima laborarent, ſi ob putredinem viriditas naſceretur, ſed eſt, quia ſanguis alteratur tunc quadam alteratione ſibi propria, eo pacto, quo videmus aquas quæ non percutiuntur à Sole, propter frigiditatem & torporem vireſcere, abſque quo inſigniter putredinem contrahant.Si verò Menſes ob cauſam calidam ſupprimantur,hæc erunt vobis ſigna.Vteri videlicet quædam inflammatio, quidā feruor,ſiccitas Vteri, Color corporis rubeus,pulſus velox, vrina feruida. Quod ſi fiat ſuppreſſio à ſiccitate, cognoſcetis ex totius corporis ariditate, ex iis quæ præceſſerunt,ſcilicet immodicis exercitiis,vigiliis,euacuationibus, & aliis quæ ſolent corpora noſtra exſiccare. Addit Rhaſes, coloris quoque citrinitatem adeſſe. Vbi fiet ſuppreſſio à craſſitie ſanguinis, erunt talia ſigna: inflammatio & magnitudo venarum;præſertim in partibus inferioribus,coloris nigredo,palpebrarum & oculorum color obſcurus, vrina craſſa, rubea, & interdum ſubnigra. Quod ſi fiat ex clauſura oris Vteri,ab oppilatione, vel alio modo inſtrumentali, per propria indicia horum morborum cognoſcetis.

Prognoſtica.

Signa prognoſtica hæc ſunt: quod ſicut fluentibus Menſibus naturaliter, Mulieres ſanæ degunt, & vt dicit Auicenna, caſtæ ſunt, & pauco coitus deſiderio tentantur: ſic ſi non fluant, fiunt morbi,dicebat Hippoc.5. Aphoriſm̃. 57. quam ſententiam confirmat Ariſtot. 2.de Generat. animal. quarto, vbi dicebat,quod ſi menſes vel non fluant, vel immodicè fluant, morbi varij exoriuntur, corpus Mulieris emaciatur, etiam ſterileſcit: addatis etiam, interdum ex retentis Menſibus Mulieres habitum virilem contrahere & deformari, ita vt pili varij & barba oriantur, quod teſtatum habemus non modo ab Auicenna, ſed etiam ab Hippocr. ſexto Epid. circa finem, vbi exemplum affert Phæluſæ & Nameſiæ, quæ ob retentos Menſes barbam acquiſierunt. Qui verò ſint morbi illi qui ſolent oriri ob retentionem Menſium,docet Hipp.1.de Morbis Mulieb.& alibi,& in Coacis prænotionibus. Necnon Gal.6.loc. affec. 5. & lib.de Venæ ſectione aduerſus Eraſiſt.

ſcilicet Morbus comitialis, Paralyſis, Tabes,Fluxus alui,Hæmorrhoïdes,præfocationes Vteri,Vrinæ difficultates,Hydrops, Melancholia, Febres ardentes, Apoſtemata varia: & præſertim hæc fiunt,quando retentio diu permanet, ita vt breuiter dicam,pauci ſunt omnino morbi, qui ob menſtruorum retentiones Mulieres non infeſtent.Scriptum eſt 1.de Morb.muliebrib.'quod ſi Menſes ſupprimantur ſex mēſibus, malum incurabile euadit, quæ ſententia à nonnullis malè accepta eſt, & idcirco hoc modo intelligenda, quod ſcilicet vbi Menſes ſupprimantur ob colli Vteri peruerſionem,tum mala vehementia ſuboriuntur, ita quod ſi perdurarit ſpatio ſex menſium,omnino iugulatur Mulier, atque ita malum fit incurabile. Quod autem ita intelligendus ille autor ſit, ſatis demonſtrant eius verba, præterquam quod habetis exēplum vxoris Gorgiæ 5. Epid.4. quæ cum per quatuor annos ſuppreſſos habuiſſet Menſes,tandem peperit,& poſt multos labores tandē curata fuit.

Curatio.

CVm igitur ſuppreſſio tot mala adferat, ſumma cura adhibenda, vt Mulieres ab hoc morbo curentur. Pro qua curatione communiſſimus ſcopus eſt, vt ſanguis reddatur fluxilis & curſus eius reuocetur, ſed quia id obtineri non poteſt, niſi prius cauſæ omnes tollantur omnino: propterea ſtudendum eſt vt cauſæ auferantur. Et quia multæ (vt audiuiſtis) ſunt oppreſſionis cauſæ, multa quoque ſint curationis genera neceſſe eſt. Si ab externis cauſis efficitur, id eſt, ab Aëre, à motibus corporis vel animi,vel à Cibo,& potu,quia aut pariant malum, aut foueant, ante cætera ſtudendum eſt has cauſas amputare. Sic etiam, ſi malum fiat non per eſſentiam, ſed per communicationem totius corporis, aut alicuius partis, erit ſedulò incumbendum, vt totum corpus curetur, aut curetur ea pars, quæ communicat morbum:poſt quod,vt docet Paulus, & rectè, erit prouidendum Vtero. Similiter ſi retentio orta ſit ob aliquas cauſas naturales, ſc.ob membranam occludētem, & ſimiles, curatio in hoc poſita eſt, vt id quod impedit, ea ratione qua fieri poteſt amputetur. Vbi autem fiat à cicatrice malum,eſt res ſine vlla ſpe, de Auic.ſentētia. Sed dicet aliquis veſtrū,vbi nulla arte poteſt reuocari Menſium fluxus,quid agendum?nam ſi Mulieres ita dimittantur, fieri non poteſt vt ſanæ fiant & vitam perferant.Dico, in his deſperatis caſibus omnia eſſe tentanda, vt ex ratione reuocentur, etiamſi naturalia ſint vitia:dicit Gal.3.de Sympt. cauſis 4.etiam naturalia impedimenta poſſe corrigi.Quod ſi remediis malum non cedat, conuertendū eſt ſtudium ad euacuandum ſanguinem per alias vias.Et in his caſibus, conſueui ſæpè Mulieribus venas Saphænæ incidere,aut etiam venas Cubiti:ſed melius eſt incidere venas inferiores, quia vt habet Oribaſius 7. Coll. feliciſſimè ſemper purgantur Mulieres per illas venas, per quas conſueuit natura eas purgare. Loco miſſionis ſanguinis, ſunt vehementes corporis exercitationes,frictiones, purgationes corporis frequētes, quæ omnia poſſunt ſanguinis exuberantiam tollere ſine detrimento.In aliis Menſium retentionibus, tria illa medica inſtrumenta in vſum veniunt. Et primo quòd ad Diætam attinet,Aër conuenit temperatus, vel qui contrarias habet cauſæ morbificæ conditiones: vt in cauſa calida & ſicca,aër frigidus & humidus, motus omnes corporis, niſi nimij, maximè conueniunt, motus vehementes animi ſunt reiiciendi. Balnea aquarum dulcium,ſomnus moderatus. In potu, niſi quid obſtiterit,conuenit vinum album tenue,non admodum vetuſtum,vbi Febris prohibeat, conuenit aqua decocta cum Aromatibus, præſertim Cinamomo & Coriandro. Scitis ex Hipp. aromata Menſes prouocare. Cibus, dicit Gal. in libr. de Curandi

Ratione per Venæ ſectionem 18. debet eſſe attenuans, vt panis optimè fermentatus,ex bona farina, Cymino,vel Aniſo conditus: iure commendatur ab Alzerano medico carnes paruarum auicularum,vel quadrupedum lactantium,piſces omnes ſi ſint modicè ſaliti & petrei.Inter herbas, conueniunt quæ vim aperiendi habent,vt Petroſelinum,Pulegium,Satureia,Serpillum,Nepeta,Aſparagi. Allia quoque & porri in aſſuetis. Inter fructus,Caricæ, Piſtaria,Brodium Cicerũ rubrorum, magnopere commendantur. Circa Chirurgiam videtur eſſe communis omnium medicorum ſententia, quod ſectio venæ ſit omnium remediorum maximum ad prouocandos menſes:Et quia hoc genus remedij maximam optat diligentiã,quinque vos docebo: vnũ eſt,quibus videl. conueniat venæ ſectio:ſecundũ,à quo loco conueniat fieri:tertiũ,quantũ ſanguinis mittendum: quartũ,quo tempore ſit mittendus:quintũ & vltimũ,quomodo ſit mittẽdus. His omnibus à vobis intellectis, nihil amplius deſiderabitis circa hanc materiam. Circa primũ,eſt ſententia Pauli, quam etiam Galenus videtur habuiſſe lib.de Curatione per ſanguinis miſſionem, ſcil.quòd omnibus indifferenter conuenit ſanguinis miſſio ad prouocandos menſes.Sed dicetis,ſi hoc verum eſt, cur ergo Aëtius lib. 16. vbi longam curationem huius affectus inſtituit,ſolùm facit mentionem Phlebotomiæ,vbi cum plenitudine ſuppreſſi ſunt menſes? Vt tuear Aëtium,dicere ſoleo,in aliis omnibus ſuppreſſionibus propoſuiſſe hoc remedium,tanquam potiſſimum:nominaſſe autẽ in plenitudine, quia maximè opus eſt ſectione, vnde vt admoneat nos, voluit huius meminiſſe. Sum ego etiam huius ſententiæ, niſi quid impediat, in omnibus ſuppreſſionibus Menſium conuenire Venæ ſectionem,etiam in cauſa frigida,ad quod impellor,quia ſcopus in hac curatione eſt,vt ſanguis fiat fluxilis,& in motu ponatur: propter quod ſi ſanguis mittatur, in quocunque caſu, hoc ſemper obtinetur, quia natura,vt repleat locum inanitum, vndecunque mouet ſanguinem, atque ſic ſanguis qui torpeſcebat in motu ponitur & fluxilis fit. Locus miſſionis ſanguinis apud omnes, eſt infra Vterum, ſiue ſit ex Poplite, ſiue ſit ex Talo ſanguis mittendus. Sed circa hanc rem eſt difficultas non leuis:ratio dubij eſt, quia videtur manifeſta contradictio inter Aëtium(ex Ruffo)& Galenum. Aëtius libro 16.cap. 51. fuit huius ſententiæ, quod ſanguis mittendus ſit & à Cubito & à Talo; Galenus lib. de Curatione per venæ ſectionem cap. 11. & 18. explicatiſſimis verbis dixit: ſectam videlicet venam in Cubito hoc habere mali,quod ſupprimat Menſes Mulierum: neque vnquam apparet Galenum in hoc caſu meminiſſe alterius venæ ſectionis, quam loci inferioris vtero. Altimarus, vt conciliaret hos duos ſcriptores dixit Aëtium duo ibi dicere.Vnum, quod mittendus eſt ſanguis à Cubito,in magna plenitudine. Alterum, quod poſt ſectionem in Cubito, ſecanda ſit vena tali: Galenum autem non reſpexiſſe ad plenitudinem magnam, neque etiam ſuppoſuiſſe poſt ſectionem in Cubito, ſectionem in talo, & ideò iure improbatam fuiſſe ſectionem in Cubito. Hanc ſententiam ſunt multi qui ſequuntur, & qui quotidie id inculcant: ſed ſum ego alterius ſententiæ,quod ſcilicet in nullo caſu vnquam liceat ſecare venam in Cubito, ad prouocandos Menſes. Neque me mouet autoritas Ruffi, quia magis æſtimanda eſt autoritas Galeni & aliorum, qui nunquam vſi ſunt hac ſectione. Et ne videar gratis damnare hanc ſententiam, dico quod etiamſi ſumma adſit plenitudo, tamen nocet venæ ſectio in Cubito, quia ſectio huiuſmodi,dicit Galenus,reprimit inclinationẽ & impetum naturæ ad inferiores partes: ſi retrahit,& ſcopus ſit naturã iuuare,cõſequitur quod ſemper noxia hæc venæ ſectio. Neque valet, quod ſtatim fiat ſectio venæ tali,quia eſt iſtud perinde ac ſi dicamus habenas trahere, ac deinde calcaribus ſtimulare, quia nemini

dubium eſt,& ſi concedamus venam ſectam in Talo,hoc tempore auxiliari,tamen minus auxiliabitur ſecta prius vena in Cúbito. Quod verò ſemper ſola ſectio inferiorum partium conueniat, ſunt duæ potiſſimum rationes: vna eſt, quia cum ſcopus ſit præcipuus trahere ad Vterum, ſola hæc ſectio trahit ad Vterum: Altera ratio eſt, quia etiamſi diminuenda ſit plenitudo, hæc ſectio diminuit plenitudinem,ita quod vno & eodem tempore diminuamus plenitudinem, atque etiam attrahimus & prouocamus Menſes, quæ omnia cum conſideraret Galenus, & alij, ſolùm hanc ſectionem commendant. Quod autem hæc ſectio minuit plenitudinem,habetis teſtimonium Gal.4.de Tuen.valet.4.vbi ſcribit: Scarificationem crurum, ſoluere plenitudinem. Et libro de curatione per Venæ ſectionem ſcribit, ſectam Venam Saphænam, ſoluere plenitudinem, natam ex retentione Menſium. Hanc eandem ſententiam habuit Apollonius apud Oribaſium,lib.ſeptimo collect. vbi ſcribit, Scarificationem crurum ſoluere plenitudinem. Item ſcribit Auicenna lib.1.Fen.4.doct.5.cap.25.ſectionem ſiue ſcarificationem Crurum, eſſe propinquã imminutioni. Si ergo per ſcarificationem Crurum diminuitur plenitudo, cur ergo etiam non poteſt minui plenitudo per ſectionem Tali, ita vt ſimul habeatur Curatio plenitudinis & prouocatio Menſium? Sed dicet aliquis, Galen.decimo de Medic.local. ſecundo ſermonem habens de Iſchiade, commendat vt primo mittatur ſanguis à Cubito, deinde à partibus inferioribus. Ergo videtur idem Galenus concedere à ſimili,quia Vterus parum diſtat ab Iſchia:ergo poteſt etiam in noſtro caſu id fieri. Dico valde diſſimilem eſſe rationem: probo, quia in Iſchiade habetur ſectio in inferioribus partibus,vt deriuetur ſolùm materia in ea parte,non impedit deriuationem ſectio Cubiti. Verùm in Menſtruis prouocandis quid quærimus? pótius vt attrahatur ſanguis,vt aperiantur Venæ. Sed attractionem & apertionem maximè impedit ſectio Cubiti, ita quod diſſimilis ſit ratio. Itaque hæc eſt ſententia,quam debetis habere incócuſſam,etiam in plenitudine ſumma eſſe mittendum ſanguinem à partibus inferioribus. Copia ſanguinis quæ ad Menſes prouocandos mitti debet, à Paulo ita definita fuit, vt neque plus duabus libris cum dimidia mittatur, neque minus vna libra. Sed hæc eſt veritas, non poſſe hac in re ſanguinis menſuram definiri, eò quod aliæ ſunt quæ maiorem poſtulant euacuationem, aliæ quæ minorem. Habetis exemplum apud Galenum ſexto Epid. com. 3.tex.29.vbi memorat,ſe Mulieri emaciatæ extraxiſſe tribus vicibus,tres ſanguinis libras, atque huius auxilij beneficio eam liberaſſe à diuturna Menſium ſuppreſſione. Hoc inter omnes conſtat, melius eſſe, vt quæ ſanguinis copia debeat mitti,non vna vice, ſed pluribus mittatur, duabus rationibus: vna eſt, quia hoc modo minus detrimenti adfertur viribus. Altera eſt, quia hoc pacto ſanguis redditur fluxibilior,quia cum ſanguis fiat fluxilis,vbi ponitur in motum,proculdubiò quantò plures machinantur motiones ſanguinis tantò magis fluxilem reddimus. Circa tempus mittendi ſanguinem in ſuppreſſione Menſium, inuenio magnam contradictionem inter Galenum & Paulum, quod non vidi hactenus ab aliquo tractatum. Galenus libro de Curatione per venæ ſectionem cap. decimo octauo ſcribit,tempus idoneum mittendi ſanguinis in hac affectione, eſſe tribus vel quatuor diebus ante conſuetum purgationis tempus:& ratio qua impulſus fuit Galenus, eſt quia tunc temporis magis fluxilis redditur ſanguis, & promouetur hoc remedio impetus naturæ.Paulus lib.tertio cap. 61.ſcribit,nullo modo mittendum eſſe ſanguinem ante tempus naturæ conſuetum,ſed mittendum eſſe decem diebus poſt purgationes præteritas.In hac contradictione,quæ,vt dixi,illuſtris eſt,duobus modis reſpõderi poteſt:vno modo, quòd Paulus reſpexit ad ſectionẽ Venæ cubiti,

aut indifferenter. Galenus verò reſpexit ad venæ ſectionem partium inferiorum: etenim clarum eſt,ſi ſanguis vnquam mittendus eſt à Cubito, præſtat mittere quo tempore natura non vult mouere, quàm quo tempore inceperit mouere, quia ſic minus imminet periculi, ne impetus naturæ aut impediatur, aut tardetur. Alio modo reſponderi poteſt,quod ſectio venæ partium inferiorum duo præſtat,vnum per ſe,alterum autem per accidens. Per ſe ſectio venæ inferiorum partium deriuat ab Vtero, & hoc teſtatur luculenter Galen. 2. ad Glauc.2. & 13. Method. meden. cap. de inflammatione Vteri: quod autem huiuſmodi ſectio facit per accidens,eſt quod attrahit ad Vterum,propterea quòd cùm deriuet & euacuet ab Vtero, natura vt repleat loca inanita,à corpore toto mittit ſanguinẽ ad Vterum, atque ita fit attractio. Accedit etiam, quòd cùm tollat obſtructionem, relaxatis vaſis, ſanguis facilius ad ipſa defluit. Quando ergo Galenus docet mittendum eſſe ſanguinem, quatuor aut quinque diebus ante tempus conſuetum & debitum purgationis,reſpexit potius ad deriuationem quàm ad attractionem, eò quòd tũ conſentaneũ eſt, deriuandum eſſe cùm iam materia fluxa eſt,vt paulò ante debitum tempus. Attrahendi verò tempus eſt,non quando naturæ conſuetum eſt tempus,ſed ante hæc tẽpora. Quocirca Paulus reſpiciens hanc attractionem, voluit mittendum eſſe ſanguinem decem diebus poſt purgationis tempus. Poſſumus alio modo, & forſan melius reſpondere,Galenum locutum eſſe in ſuppreſſione Menſium, at Paulum in defectu: nam diminutos fluentibus præſtat euacuare poſt euacuationem naturæ, quam ante: ſicut vbi natura imperfectè criſim facit, Medicus purgat relicta à natura.Modus mittendi ſanguinis,quod erat poſtremum caput,duplex eſt:vel per ſectam venam,vel per ſcarificationem crurum,& propterea Galen.lib.de Curat. per Venæ ſect. cap.18.(quod etiam confirmatum eſt ab Auicen.)ſcripſit:Mulieres quę ſunt albidæ,quæ congregant tenuem ſanguinem,quæ ſunt carnoſæ & pingues,fœlicius & vtilius euacuari per crurum ſcarificationem,quæ verò ſunt nigricantes & habent ſanguinem craſſum, & ſunt emaciatæ, facilius & fœlicius purgantur per Venæ ſectionem,quam per ſcarificationẽ,ratio eſt,quia ſicuti illæ minus ſanguine abundant quã iſtæ,ita pauciore habent opus eius extractione. Modus ſecandi Venam à partib. inferioribus, diuerſus eſt hodie ab eo quẽ veteres in vſu habuere. Hodie nãque, vt noſtis,nihil aliud agunt,niſi quod fricatis cruribus ponũt Pedem in aquam, ſupra Talum ligant, atque deinde venam ſecant, & iterum pedem in aquam ponunt. Oribaſius ex ſententia Antilli Medici 7. Collect. cap. 9. docet alium modum,& eſt,quod ſi fieri poteſt præſtat ſemper ſanguinem mittere in balneo:& ratio eſt,quia venæ inferiores ſunt admodum tenues & obſcuræ, in balneo tumeſcunt & fiunt clariores: quod ſi id in balneo non concedatur, primò fricanda ſunt crura, deinde madefacienda cum ſpongia aquæ calidæ, ligandum eſt Crus ſupra genu, quo ligato inambulandum eſt, inquit Oribaſius, & quando incidenda eſt vena, ſuper altero Crure manendum eſt erectum, ita vt altero pede terra tangatur, Pes verò, à quo mittendus eſt ſanguis,in ſcamno, vel alio loco altiori maneat. Hic modus veteribus accommodatiſſimus erat, ita vt raro contingeret vt Chirurgi fruſtrarentur ſuo fine. Sed ſæpè contingit, vt Mulieres cogantur iacere, quo in caſu hodiernus modus accommodatiſſimus eſt, modò habeatis commodum miniſtrum, quia ſæpè fruſtra tundunt Chirurgi venas, id quod ſæpius vidi. Modus autem ſcarificandi à Veteribus traditus eſt, præſertim ab Oribaſio ſeptimo Col. cap. decimooctauo & decimonono, vbi ſcribit, quod ſi coxæ vel crura ſint ſcarificanda, primò fricandæ ſunt partes, deinde vel aqua tepida, vel ſpongia calida, vſquequò calefiat, vel etiam ad ignem ſcarificanda pars:

deinde pars rubefacta,non punctiua,id eſt,ea quam iſti vocant Moſchetta,ſed nouacula tractim eſt incidenda pars,ita vt à partibus inferioribus incipiatur & aſcẽdatur ad ſuperiora, ne ſanguis fluens impediat. Quo in loco debetis obſeruare, quod etiam admonet Auicenna,videlicet iſtas ſcarificationes, apud veteres factas eſſe profundas, ita vt ſanguis ſponte multus flueret, & hoc apparet, quia volunt vt incipiatur ab inferioribus partibus, ne ſi incipiatur à ſuperioribus, ſanguis multus fluens impediret & alias ſectiones. Quocirca multum ignari ſunt illi miniſtri, qui putantes hodie ſeſe ſcarificationes veterum adminiſtrare, apponunt Cucurbitulas ſuas,ex quibus minimum ſanguinis trahunt,valde remoti à ſententia omnium Medicorum, imò non inuenietis, quod Veteres ad ſuas ſcarificationes adhibuerint Cucurbitulas: tamen verum eſt quod vtebantur interdum Cucurbitulis cum ſcarificatione & ſine ea,ſed ſcarificationes ſimpliciter dictæ, aliæ erant.Contingit ſæpè vt neque ſcarificationes adhiberi poſſint, neque Cucurbitulæ ſcarificatæ,neque venæ ſectio,quo in caſu Hirudines erunt applicandæ, quæ loco horum omnium poterunt ſupplere neceſſitatem. Secta vena,ſequitur alia remedia adhibenda eſſe neceſſariò,quod vt prudenter faciatis, debetis conſiderare, an ſupreſſio fiat vel à cauſa calida, vel frigida. Si à cauſa frigida, primo leniatis aluum aut Clyſtere, aut huiuſmodi Bolo.

℞. Specierum hieræ Gale. ʒ.ij.Elect. Leni.℥.j. Miſce,fiat Bolus.Sed antequam veniatis ad leniendam aluum, & præparandos humores, duo debetis intelligere: vnum eſt,quod nunquam debeatis adminiſtrare ea, quæ præparant humores hos, & prouocant Menſes,niſi vel ſanguis ſit miſſus,ſi mittendus, vel aliquo pacto lenita aluo. Alterum eſt obſeruandum, quod non ſemper debeatis vti prouocantibus Menſes in hac curatione, quia in principio vbi venæ adhuc ſunt obſtructæ valde, & ſanguis compactus,ſi quæ prouocant egregiè menſes exhibeatis,augebitis magis obſtructiones,quia ſecum hæc producent humores quotquot inuenerint in corpore.Præterea,vt docet Gal.quinto Simpl.Medica.cap.22.medicamenta ſcil. quæ prouocant menſes,eſſe admodum calida, propterea non conueniunt in principio, etiam in materia frigida, & eò minus cùm materia & cauſa calida eſt, quãquam eſt quidam gradus inter ea,quæ prouocant menſes,vt dicit Gal.de Cura per ſang.miſ.cap.decimooctauo,quia alia mitia ſunt: vt Pulegium,Nepeta: alia vehementiora,vt Sabina,Dictamnus.Nã vt docet Gal.lib.Simp.iam citato ea,quæ prouocant Lac,menſes,Vrinam,partim conueniunt,partim diuerſa ſunt.Conueniunt omnia quæ calefaciunt: diuerſa ſunt in exſiccando & caloris menſura, eò quia quæ prouocant Lac, ſunt calida quidem moderatè, ſed nihil deſiccant: quæ prouocant menſes, ſunt multum calida, ſed parum ſiccant: quæ prouocant Vrinas, ſunt valde calida & ſicca,ita quod prima, ſecunda & tertia prouocent omnia Vrinas, dicit Galenus. Prima autem & ſecunda ſolùm prouocant menſes: tertia verò propriè dicuntur diuretica, quoniam non ſolùm mouent Vrinas, ſed mouent ſolas Vrinas, non autem menſes & Lac. Circa quam Galeni ſententiam eſt contradictio non obſcura, quia vt intellexiſtis hoc in loco 5. Symp.22. ſcribit clariſſimè, prouocantia Vrinas non mouere menſes. Veruntamen eodem lib. 5.cap. 13.inter vera diuretica adnumerat etiam Meum & Aſarum,quæ duo ſcribit etiam menſes ciere: Præterea videbitis etiam Galenum multis in locis ſcribere, Fœniculum, Apium, & multa alia,quæ ſunt vere diuretica, etiam prouocare menſes,ideo non videtur verum quod antea ſcripſit, diuretica vera mẽſes non mouere.Apud me hæc difficultas noua eſt & difficilis:pro ſolutione huius,duo occurrũt reſpondendi modi: Vnus eſt,quod eadem medicamenta poſſunt adminiſtrari, vel

in ſemine & radicibus,vel in herba.Si adminiſtrentur in herba, poſſunt prouocare Menſes & Vrinam mouere, ſed non ſunt vera diuretica. Si adminiſtrentur in ſemine & radice,erunt vera diuretica,neque Menſes & Lac mouebunt. Sed hæc reſponſio mihi non ſatisfacit, quia obſeruaui eadem ſemina facere ad prouocandos Menſes & Vrinam.Ergo alter reſpondendi modus eſt,quod prouocare Menſes,dupliciter contingere poteſt,per ſe,vel per accidens.Diuretica verò quæ ſunt multum calida & ſicca,dico quod per ſe ſolùm prouocãt Vrinam:per accidens etiam Menſes,hoc modo:quia,vt intellexiſtis,quæ prouocant Vrinam, id faciunt quia colliquant ſanguinem & partem craſſiorem à tenuiori ſegregant, quæ quidem operatio,licet per ſe prouocet Vrinam, tamen conſequenter etiam per accidens poteſt prouocare Menſes, quia ex caliditate horum, cum ſanguis agitatur, intumeſcunt venæ,& ad eam intumeſcentiam conſequitur apertio venarum. Sed obſeruabitis etiam hanc contradictionem. Vbi igitur cauſa quæ hunc morbum facit, frigida fuerit, vt intellexiſtis, principio erit aluus lenienda, Medicamento leniente, aut Clyſtere,quo facto,quamprimum veniendum eſt ad præparandos frigidos humores,in quibus præparandis ſemper debetis eam rationem habere, vt medicamentis miſceatis ea,quæ facultate propria Menſes ciere nata ſunt.Exemplum erit hòc:

℞.Fol.Nepetæ,Pulegij,Capilli Veneris,Cichorei,Ceterach.an.M.j.Fiat decoctio ſecundum artem:deinde,℞.Decoctionis dictæ ℥.iiij.Syr.Capill.Ven.℥.j.de Arthemiſ.de Cichoreo an.℥.s.Miſce.Si expendatis hanc potionem, videbitis mixturam eſſe ex rebus quæ humores frigidos præparant, moderatè aperiunt, atque etiam Menſes prouocant,cuiuſmodi miſcenda docuimus ſemper in principio. Poſtquam humores fuerunt præparati, ſupereſt eos expurgare. Præclariſſimum omnium medicamentum iudicatum eſt à Galeno Hiera: eò quòd præterquam quod expurgat humores,facultatem quandam habet ratione Aromatũ, expurgandi Vterum,quapropter in hunc modum poteſt fieri medicamentum: ℞. Specierum Hieræ ʒ. ij. Trochiſ.de Myrrha ʒ.j.s.Electuar.Indi.℥. s. Miſce, & cum melle Roſato ſolutiuo, fiat Bolus qui capiatur hora Pharmacorum conſueta.

Si potionem vultis,poteritis hoc modo componere.℞.Myrrhæ ʒ.j.Cinamo.℈. ij. Aquæ Arthem.℥.viij.Paſſular.℥.s.Fiat decoctio ſecundum artem:deinde,℞.Decoctionis dictæ ℥.iiij.Agarici Troch.ʒ.j.Fol.ſenæ ʒ.j.s. Infundantur ſecundũ artẽ: Deinde,facta diligenti expreſſione, adde: elect.roſ. ſolut.ʒ.iij. Mellis roſa.ſo.℥.ij. Miſce,& fiat potus. Pilulæ Hieræ cum Colocinthide etiam commendantur, quia Colocinthis maximè valet ad prouocandos menſes. Poſt humores purgatos, debetis ſtatim ad validiora præſidia, & ea quæ facultatem maiorem habent menſes prouocandi,progredi, quæ duum ſunt generum, alia quæ intrinſecus adminiſtrantur,alia quæ extinſecus. Quæ intrinſecus, aut potu accipiuntur, aut in Confectionibus, aut Trochiſcis: quæ extrinſecus, aut ſunt peſſi, aut ſuffumigia, aut Inunctiones, aut emplaſtra, aut fomenta,ſiue balnea. Quæ accipiuntur per os, ſolent poſt purgatum corpus, accipi in aliquibus brodiis decocta. Circa quorum vſum quatuor eſtis docendi: vnum eſt, quænam ſint medicamenta hæc prouocantia menſes: multa enim reperiuntur apud Medicos quæ dicuntur hoc facere. Sed potiſſimum à Galeno & aliis celebrata,hæc ſunt: Sabina,Dictamnum, meliſſa,arthemiſia, meum, iris, calamentha, pulegium, coſtus, caſſia, cinamomum, ariſtolochia, bunium. Valentiſſima habentur, radix cyclamini, elleborus, colocinthis: inter quæ alia ſunt mitiora, alia valentiora. Mitiora ſunt, vt intellexiſtis, Nepeta, Meliſſa, ciceres rubri: alia verò ſunt vehementiora. Alterum non ignorandum eſt, quod huiuſmodi medicamenta debeant accipi in maiori copia, quàm ſoleant

aliæ potiones. Exempli gratia, ad viij. vel x. vncias. Et ratio eſt, quia longum eſt iter quod tranſire debent, vnde neceſſe eſt, vt vis eorum in multa debeat ſeruari quantitate, quò magis prouocent vt Vrinas, ita etiam & menſes. Tertium ſciendum eſt, tempus accommodatum horum medicamentorum vſurpandorũ vniuerſale eſſe,vt vſurpentur eo tempore, quo ſolent menſes moueri: tempus particulare eſt,vt adhibeantur poſt inunctiones, aut fomenta, aut balnea: & ratio eſt, quia ſi medicamento extrinſeco prius vaſa Vteri fuerint diſpoſita & emollita, certum eſt facilius hæc eſſe penetratura. Poſt acceptum deinde huiuſmodi Medicamentum,pedes in aqua calida detināetur pauliſper,& deinde inambulet ſi poteſt,& ratio eſt huius admodum conſona, quia ex huiuſmodi pedum lotione fit attractio ad eas partes, ita vt medicamentum veluti manu ducatur. His omnibus prænotatis,ſupereſt,vt habeatis Exempla eorum medicamentorum, quæ ſunt vobis vſurpanda. In potione ſic parari poterunt:

♃. Fol. Pulegij, Arthemiſiæ ana м.s. Rad. Altheæ, Petroſelini ana ℥.j:s. Cicerum rubro. P. j. Terantur omnia diligenter, deinde in brodio bulliant quantum ſufficit, & facta colatura:

♃. Brodij dicti ℥.viij.vel x. Exemplũ confectionis ad prouocandos Menſes eſt:

♃. Cinamomi, Coſti,Dictamni an.℈.j.s. Sem.Arthemi. Meliſſæ an.℈.j. Terantur omnia diligenter, & cum Saccharo quantum ſufficit, fiant Rotulæ: vel cum Melle deſpumato q. ſ. fiat Electuarium. Inter medicamenta quæ per os aſſumuntur, poteſtis etiam apponere aquas Thermales, quarum multæ reperiuntur quæ prouocant menſes, vt ſunt aquæ Patauinæ calidæ,aquæ Lucenſes, non ſemel ego expertus ſum mirificè prouocare retentos menſes: quod ad extrinſeca remedia, primum locum obtinent peſſi,vt docet abundè Paulus, ni fallor, lib.6. Et notate quod huiuſmodi medicamentum vario modo nuncupatur, Græci enim vocant modò peſſos,modò priapiſcos,modò Balanos: Cælius Aurelianus vocat etiam Balanos: Medici communiter vocant Suppoſitoria: Barbari Naſſalia. Celſus vocabulo Latino notare voluit & non potuit. Dicit Paulus hos peſſos nihil aliud eſſe, niſi lanam carminatam rotundam ad formã magni digiti,quæ medicamentis Strigmentitiis oblita, inditur in vuluam. Et videbitis per iocum hæc medicamenta vocata eſſe peſſulos, quia inferuntur tanquam peſſuli in oſtium. Forma peſſi eſt.

♃. Pulpæ Colocinthidis,Nigellæ ana ʒ.s. Gentianæ, Pulegij, Dictam.ana ʒ.ij. Myrrhæ ʒ.j. Terantur diligenter, & cum ſucco Radicis Ariſtolochiæ conficiatur medicamentum ad conſiſtentiam Strigmentitiam. Nam poteſtis cum puluere varios liquores miſcere, vinum, ſuccos, & interdum Mel, Theriacam, Diateſſaron, quæ in hunc vſum conueniunt: exempli gratia.

♃. Theriacæ diateſſa. ʒ. ij. Nigellæ, Myrrhæ ana ʒ.j. Cum Vino fiat mixtura, & obliniatur prædicto peſſario. Vnctio autem hoc modo fieri poteſt.

♃. Ol.Amigd.dul.℥.j.s. Cinamomi,Coſti,Mei,an.ʒ.s.Sem.Arthem.℈.j.Zibetti ℈.s. Miſce omnia diligenter,& hoc medicamento vngatur pecten & loci Muliebres. Forma emplaſtri quod etiam pectini adhiberi poteſt, erit huiuſmodi:

♃. Fari. Lupinorum,Cicer.rub.ana lib.s. Herb.abſinthij, pulegij,dictamni ana м.s. nigellæ,ellebori,myrrhæ ana ʒ. j. Omnia terantur diligenter,& in vino albo ad ignem fiat emplaſtrum. Inſeſſus autem & Balnea parantur ex eadem materia,& in aqua decoquuntur:

♃.Arthemiſiæ,pulegij,meliſſæ,dictamni ana iij.Rad. Cyclam.℔.s. Contundantur,& in Maſtello aquæ communis bulliant:deinde detineatur Mulier in hac aqua calida vſque ad vmbilicum. Suffumigia docui vos ſæpè quomodo debeant parari, quomodo

quomodo adminiſtrari, propterea ſat erit hoc tempore docere materiam,quæ erit huiuſmodi :

℞.Pulpæ Colocinth.ʒ.j. Cinamomi, aſari, coſti, calami odorati ana ʒ. ij. Myrrhæ ℈.iiij. Contundantur, fiant ſecundum artem ſuffumigia, quæ capiat locis debitis. Hæ ferè ſunt formæ omnium medicamentorum, quibus Medici vtuntur in cauſa frigida. Vbi cauſa erit calida inſtituendus eſt Victus qui vergat ad facultatem refrigerandi, ſimiliter erit ſanguis mittendus, vt docui: & poſtea deuenien-dum eſt ad præparandos humores, & antea lenienda aluus, in hunc modum :

℞.Sem.Bubulli vel caprini ℥.v.Syr. roſ. ſolut.℥. iij.s. Miſce, fiat potus. Lenita aluo, deinde præparandi humores hoc medicamento, & cum aliis medicamentis, quæ non admodum, vel nullo pacto calefaciunt :

℞.Fol. Scauolæ, endiuiæ,nepetæ, hyſſopi,capill. veneris ana ᴍ.j. Radic. Tapſi barbari, Altheæ ana ʒ. ij. Fiat decoctio ſecundum artem : deinde

℞.Dictæ decoctionis ℥.iiij.Syr.de End.compoſ.de Cichor.ſimp.ana.℥.j. Miſce, & fiat potus.Poſt præparatos humores,erit expurgandum cum medicamentis, ad humores calidos accommodatis : vt

℞.Pulpæ Tamarin.℥.s.Sebeſten.num.x.Folio.Senæ ʒ.j. Fol.Meliſſæ Violari.ana p.s.Fiat decoctio in ſero caprino vel bubulo: deinde

℞.Dictæ decoctionis ℥.s.Rhabarb.electi ℈.iiij.Cinamomi,Coſti an.gran.iiij.Vini Aromatici ʒ.iij. Fiat infuſio ſecundum artem. Deinde facta diligenti expreſſione,adde Diaphenici ʒ.iij.Syr.Roſ.ſolut.℥.ij.s.Miſce, & fiat potus. Poſtquam erunt expurgati humores calidi,eadem ratio,quam demonſtraui in cauſa frigida,erit ineunda, vt ſtudeatis prouocandis Menſibus,remiſſioribus quam in cauſa frigida, & propterea non poteſtis intermittere in brodiis Nepetam, Pulegium, Arthemiſiam & Cinamomum.Idem etiam erit obſeruandum, in aliis medicamentis extrinſecis & intrinſecis,vt quidem vtamini eadem forma & eodem modo, iis quæ dixi prouocare Menſes,ſed minus calidis, ſc. caſtigatis per mixtionem rerum frigidarum. Sed dubitare quis poteſt, an in cauſa calida expediat vti Suffumigiis, quia cum fiant igne,atque etiam medicamentis calidiſſimis,ita vt propter caliditatem maximè aperiant & attenuent,non videtur conuenire,quibus tamen Hipp. in differenter vſus fuit? Dico quod quanquam cauſa fuerit calida, ſi tamen ſanguis craſſus fuerit ob caliditatem,poteſtis vti ſuffumigiis,modò tamen vtamini eis,vt dixi,mitioribus atque tepidioribus,eò quia tametſi aliquantiſper poterunt calefacere vterum,tamen maiorem operam præſtabunt in attenuando craſſo ſanguine. Quod ſi propter cauſam calidam non eſſet craſſus, aut habitus corporis admodum bilioſus eſſet,ita vt bilis in vtero eſſet,ſum eius ſententiæ, vt abſtineatur ab his, & potius vtendum eſſet Balneis, Inunctionibus & inſeſſibus. Atque hæc eſt abſoluta tractatio de Menſibus prouocandis.

DE FLVXV MENSTRVORVM immodico.

CAPVT II.

Retentioni Menſium eſt alter planè contrarius affectus, qui dicitur à Græcis ὑπερκάθαρσις, Latini immodicum Menſtruorum fluxum dicunt. Apud Matthæum & Lucam legitur quædam mulier,quæ per duodecim annos paſſa eſt hunc

morbum, & vocatur ἁιμοῤῥόοσις. interpretes tranſtulerunt hæmorrhoiſin. Sed antequam procedamus,debetis illud non ignorare,duas eſſe vias, per quas huiuſmodi ſanguinis fluxus fit.Vna eſt per venas internas corporis Vteri,& fluxus ille,propriè menſtruus dicitur. Altera via eſt per eas vias, quæ terminantur in ceruice & collo Vteri,quæ venæ, vbi euomunt multum ſanguinis,vocantur à Græcis & Arabibus Hæmorrhoides vteri. Ariſtot. 2. de Generatione animalium quart. dixit affectum hunc ſimilem eſſe Mariſcis, aut alteri ſanguinis profuſioni. De vtroque fluxu agam,& primum de immodico Menſtruorum fluxu, qui fluxus efficitur, vbi quantitate tùm cõtinua,tùm diſcreta exuberat.Sed dicetis,quis eſt terminus huius exceſſus? Dico quemadmodum aliàs, nõ eſſe determinatã Menſtruorum menſurã, quia aliæ magis, aliæ minus purgantur. Sed verus character immodici ſanguinis fluxus eſt,quando in maiori quantitate,& pluribus diebus ſanguis exit,quàm conueniat, ita vt naturales actiones ob id lædantur. Appello actiones omnes naturales,quæ fiunt à natura.Iure additur Actionum læſio, quia ſi multũ ſanguinis fluat, vt contingit in nimio otio,in partu, in Abortu, & non lædantur actiones, non dicuntur Menſtruæ purgationes excedere, ſed tùm ſolùm, quando cum exceſſu ſanguinis, læduntur operationes. Eſt hic affectus Symptoma in genere excretorum immodicè fluentium. Locus affectus, propriè Vterus eſt.

Cauſæ.

CAuſarum huius affectus quædam ſunt internæ, quædam externæ: rurſus Internæ,aut ſunt ex parte ſanguinis,aut vaſorum, aut ex parte Facultatis. Cauſæ internæ ex parte ſanguinis ſunt: vel quia ſanguis multus eſt, ita vt non contineatur. Sed aduertite, niſi lædat operationes, propter quantitatem nunquam dicetur morbus.Vel ſanguis eſt prauus,ſcilicet acris,ſubtilis,aut aqueus.Fic acris ſanguis dupliciter, vel propter admixtionem multæ bilis genitæ ex feruore Iecoris, vel propter aliquam corruptionem contractam: Fit verò aqueus & ſubtilis, propter inconcoctionẽ,vt contingit in corpore Cachectico & Hydropico. Quo in caſu docet Hippocrates in 2.de Morbis muliebr. fieri plurimas purgationes, quod ſcilicet ſanguis aqueus nimis & ſubtilis ſit.Ex parte vaſorum,cauſæ ſunt omnes illæ, in quibus os venarum apertum eſt & hiat. Aperiuntur vero vaſa multis de cauſis, vel quia rarefiunt, propter calidam & ſiccam intemperiem, ex qua rarefactione, cum ſanguis non retineatur, exit, & dicitur hæc affectio διαπήδησις: vel hiant vaſa, quia corroduntur, & fit vbi ſanguis vel humores alij putridi ſunt, & acres,& ſalſi,propter quod vaſa corroduntur, & ſanguini permittitur exitus, dicitur Græcis ἀνάβρωσις: vel quia ora vaſorum aperiuntur, & hoc contingit, quando ſanguis magno impetu mouetur per venas, ita vt ora ipſarũ faciat aperiri,& vocacatur à Græcis ἀναστόμωσις:vel quia vaſa frãguntur:frangũtur autẽ aut nimis extenſa & compreſſa,& dicitur ῥῆξις, aut diuiſa & vulnerata, & dicitur διαίρεσις. Atq; tot ſunt modi,propter quos ſanguinis Menſtrui immodici fluxus propter vaſa, ſolent Mulieribus contingere. Cauſæ ex parte facultatis complectuntur ſolummodo duobus generibus,aut cum expultrix nimis concitatur, propter aliquam intemperiem,& præcipuè calidam, aut contentrix nimis languida, aut imbecillis fit,quod contingit, vel propter humidam, vel ſimul humidam & frigidam intemperiem. Atque hæc affectio comprehenditur ab Aëtio libro 16.capite 73. ſub nomine imbecillitatis Vteri. Hic eſt Catalogus omnium cauſarum internarum nimiæ Menſtruorum muliebrium purgationis. Circa quod eſt vna dubitatio, cur ſcilicet Galenus 5. Aphoriſm. 57. cum profiteatur ſe omnes cauſas nimij fluxus inueſtigare,

tamen

tamen dimittit cauſas ex parte facultatis, ſolummodo meminit cauſarum ex parte ſanguinis,& ex parte vaſorum. Augetur dubitandi ratio ex dictis Auer. 2. Col. lec.29.vbi ſcribit hic autor grauis, ſanguini menſtruo eadem accidere.quæ ſolent contingere digeſtioni venarum, & propterea ſuperfluitatem fluxus menſtrui ſanguinis eſſe, vel quia nimis robuſta eſt vis expultrix,vel quia retentrix eſt nimis lãguida: ita quod videtur Auerroës omnes cauſas huius immoderati fluxus retuliſſe ad facultatem; Galenus verò hoc prorſus ſiluiſſe. Reſpondendum eſt dupliciter: vno modo,quod rariſſimè contingat,vt fluxus hic contingat propter ſola hæc facultatis vitia, & propterea ſecundum hoc ſiluiſſe, tanquam aliquod rarum. Vel potius reſpondendum eſt, Galenum hoc ſiluiſſe, quia in omni fluxu immodico ſanguinis ſemper oblæſa eſt aliqua ex his facultatibus,idque cum Auerroës recordatus eſſet, iure videtur ſola vitia facultatis memoraſſe, quaſi ſemper in quolibet immodico fluxu facultas ſit vitiata. Nam ſi sãguis ſit nimis acris,aut mordax,clarum eſt,quod ratione acredinis ſtimulata expultrix nimis quàm par ſit, concitetur. Similiter ſi ſanguis ſit nimis acris & ſubtilis, facultas retentrix vitiata eſt:pariter vbi vaſa ſunt corrupta,fracta, aut alioquin aperta, ſemper facultas retentrix vitiatur,ita quod non licet vllum genus fluxionis proponere, in qua aliqua ex his facultatibus non ſit læſa. Cauſæ externæ immodici fluxus menſtrui, ſunt omnes illæ,quæ internis cauſis præbent occaſionem. Primùm eſt Aër nimis calidus & ſiccus,vehemens animi motus,vt Ira,timor,nimium otium,& dimiſſio conſuetarum exercitationum,potus vini generoſi,vſus rerum ſalitarum, rerum acrium, vt Cæparum, Alliorum. Vſus quoq; herbarũ & fructuum, ſcilicet qui ſanguinem nimis fluidum & aqueum producunt.Inter has cauſas ſunt quæcunque vaſa ipſa aperiũt, caſus,percuſſiones,vulnera,partus difficiles, Abortus, coitus factus cum viro valdè mentulato, baſura,nimius cibus & potus, tandem vſus omnium rerum, quæ prouocant menſes:frigidus quoque potus inter has cauſas recenſendus:dicit Hippoc. frigidum venas frangere. Rhaſes ſcribit ex Gal. in Com. ſuper librum de Aëre,aquis & locis,ſæpe Romanas Mulieres ob nimium vſum niuis & aquæ frigidæ, Menſes corrupiſſe, & Steriles euaſiſſe.

Signa.

Signa vniuerſalia quibus cognoſcuntur immodici fluxus, vt plurimum ex relatione Mulieris comparantur, & etiam ex aliis accidentibus,quæ à Galeno 5. Aphoriſmo. 3.& 6.de locis affectis, & Auicenna, vbi tradit de immmodico fluxu menſium,proponuntur.Sunt verò accidentia,defridatio coloris,cutis & corporis, tumores pedum laxi,virium debilitas,inappetentia ciborum, digeſtiones vitiatæ, Conuulſio, Hydrops. Addit Auicenna & Rabbi Moyſes 16.Aphoriſm.dolores lacertorum, & aliorum ſpinæ membrorum. Et certè hoc accidens eſt frequentiſſimum,vbi mulieres nimis purgantur. Signa quæ cauſas indicant plura ſunt atque varia. Nam externæ cauſæ cognoſcuntur, tùm relatione, tùm obſeruatione in indagandis morbis. Ex relatione, debetis ſemper eſſe ſoliciti & diligentes, vt omnes cauſas externas percunctemini.Internarum cauſarum indicia ſunt,quòd ſi fiat immoderatus fluxus ex multitudine ſanguinis, dicunt Galenus & Auicenna hoc cognoſci ex repletione faucis & totius corporis, & extuberantia venarum, ex tolerantia & iuuamento fluxus. Si verò oriatur malum ex debilitate vteri, cognoſcetur,vt dicit Aëtius, his argumentis, quia Mulier abhorret vſum veneris, repleta eſt flatibus, Menſes nigri ſunt & aquoſi, bis térue in menſe fluunt, Semen viri nõ continetur,ſed defluit,& Mulier non concipit,vel facilè abortit,vel fœtus

imbecil

imbecillos & ægros parit: adhæc vbi inſtant Menſtruorum tempora, dolent lumbi, pecten, crura videntur grauescere, ſtomachus malè concoquit, ex multitudine Mulieres ſæpè delirant, atque veluti ab humore melancholico agitatæ furunt. Quod ſi malum contingit propter qualitatem ipſius ſanguinis, Hipp. 1. de morbis Muliebribus, & etiam poſteriores ſcriptores docent modum cognoſcendi, ſcilicet vt ſanguis fluens colligatur ſuper arenam, qui deinde ponatur ſub Sole, quando fuerit exſiccata, demonſtrabit color qualis ſit ſanguis; qui ſi bilioſus, flaua erit: ſi melancholicus, nigreſcit: ſi pituitoſus, erit arena ſubalbida: hoc idem cognoſcere poteſtis ex pannis, qui vbi exſiccati à vobis fuerint in vmbra, ſimiliter coloribus produnt qualitatem ſanguinis, quia erunt flaui, ſi Bilioſus: nigreſcent, ſi Melancholicus: ſin Pituitoſus, color ipſorum ſolum albidus erit. Præter hæc poteſtis etiam cognoſcere alias qualitates ſanguinis, quia ſi bilioſus, acris & calidus erit ſanguis, aderit ſitis, & vt docuit Galenus & Auic. ſanguis velociter & aceruatim, & non guttatim fluit, aderit ſenſus mordacitatis & caliditatis. Præterea ratio Victus anteacta, tempus anni, & habitus corporis: idem quoque cognoſcetur, ſi ſanguis corruptus ſit, quia mordebit, aderit fœtor. Hip. 1. de Morb. Mulieb. habet, ſi ſanguis ſanioſus fuerit, rodit terram ſuper quam fluit: quod ſi aqueus erit, aut pituitoſus, apparebit viſu aqueus: ſed vt dicit Hipp. veluti pelliculoſus & tanquam aranearum tela, nullus color, nulla mordacitas: ait Auicenna quod color & habitus ſunt velut in Hydrope. Idem dicendum de ſanguine Melancholico. Quod ſi exit ſanguis vena fracta, habetis ſigna, quæ locupletiſſimè indicant apud Galenum 6. de locis affect. Quod ſi eroſa vena erit, exibit ſanguis paulatim, dolor aderit ex corroſione, vt docet Aëtius. Si verò per exſudationem, ſanguis erit paucus & tenuiſſimus. Si vero exit vel eò quod ex compreſſione, aut diuiſione venæ ſint apertæ, ea quæ præceſſerunt erunt conſideranda, quia ex iis inuenietis cauſam.

Prognoſtica.

SIgna prognoſtica ſunt primum ea, quæ vno quodam oraculo tradita ſunt ab Hippoc. 5. Aphoriſm. 57. quo in loco dicebat Hippocrat. vbi fiunt immodici Menſtruorũ fluxus, & vbi diminuti ſunt, quod fiunt ex vtero morbi: in 19. Aphor. explicatione laborat Galenus ad quid referenda ſit particula illa (fiunt ex vtero morbi) num ſcilicet ad immodicum fluxum, an verò ad retentionem, & tandem concludit referẽdam eſſe ad retentionem, eò quod tetentis Menſtruis, fiunt Eryſipelata, Tumores, Inflammationes, vnde poſtmodum innumera mala toti corpori innaſcuntur. Circa quam Galeni interpretationem poſſet aliquis, & meritò dubitare, particulam illam etiam referendam eſſe ad immodicum fluxum: & ratio eſt, quia videmus ex immodico fluxu oriri plurimos morbos in Mulieribus, & non modò morbos, ſed etiam iugulari interdum videbitis ſub immodico fluxu. Sed huic dubitationi aliquis reſpondere poſſet, mala quæ eueniunt Mulieribus, hoc fluxu laborantibus, eſſe quidem quamplurima: veruntamen non propter vterum oriri, ſed propter fluxum & exitum ſanguinis, ita quod verum ſit in nimio fluxu, morbos non fieri ab vtero, ſed ab immodico fluxu. Verùm aduerſus hanc reſponſionem eſt & alia inſtantia: quia ex immodico fluxu poſſunt Vlcera varia oriri in vtero, quoniam ſi ſanguis qui fluit, fluat propter acredinem & mordacitatẽ, proculdubio fient vlcera in Matrice, & vlcera quidem praua: ab his deinde vlceribus poſſunt innumera mala oriri, propter quod dicimus aduerſus Gal. propter immodicũ fluxũ morbos quoq; oriri ex Vtero. At vt tueamur Galenum, dicendum mihi videtur, in fluxu ipſo duo poſſe conſiderari, vel ſolummodo immodicam

modicam fluxionem, vel cauſam illius immodici fluxus. Si conſideremus immodicum illum ſolum fluxum, dico quod ex illo non fiunt morbi illi in Vtero, propter quos deinde redundent in vniuerſum corpus, & aliæ malæ affectiones. Si autem conſideremus in fluxione cauſas, dico quod ratione cauſarum, poſſunt fieri Vlcera in vtero, & ab Vlceribus communicari corpori innumera mala. Sed iſti morbi non fient ex fluxu, ſed ex cauſis fluxus. Itaque quando Galenus dicit, propter hunc immodicum fluxu n Menſtruorum non oriri morbos in Vtero, conſiderat tantum quantitatem fluxus, non autem cauſas fluxus, & iure, igitur interpretatur Hippoc. ſententiam hoc modo. Igitur ſigna prognoſtica ſunt hæc, quod vbi ſãguis immodicus fluit, poſſunt oriri multi morbi, vel propter fluxum ſolum, vel propter morbos Vteri. Signum prognoſticum & maximum eſt, quod vbi nimij fluxus Menſtruorum diu prorogantur, aut incurabiles euadunt, aut difficulter curantur. Et notate, ægritudines omnes quæ curatæ ſunt à CHRISTO Saluatore noſtro, incurabiles fuiſſe: hoc dico, quia fluxus ille mulieris omninò erat incurabilis, vt ibi debeamus timere vbi prorogantur fluxus, malum euadere incurabile. Adhæc vbi fluxus immodici diutius durant, timendum eſt, ne mulier fiat Hydropica, Cachectica, aut alia propria mala incurrat, ideò eſſe ſolliciti debetis in curatione.

Curatio.

CVrationis fluxus immoderati menſtruorum communiſſimus ſcopus eſt, vt ſiſtatur, eò quòd licet non ſint toto genere præter naturam, ſunt tamen ſecũdum qualitatem præter naturam. Ratio verò ſiſtendi hunc fluxum, varia eſt, ſecundum quod variæ ſunt cauſæ immoderati fluxus. In omnibus ferè eſt vna victus ratio, propter quod Aër primum eligendus eſt natura frigidus, aut ſiccus, non tamen multum. Theodorus Priſcianus commendauit, & iure, vt ægra decumbat in cubiculo obſcuro, paruo. Sunt qui Vigilias potius laudant, quàm Somnum, adducti hac ratione, quòd in ſomno calor natiuus retrahitur, propter quod maior fit expulſio. Sed ego potius Somnum laudo, eò quod tametſi humores intrò trahantur cum calore, veruntamen non expelluntur, ſed potius retinentur, quoniam ſcimus omnes excretiones in ſomno retineri. Monet Theodorus & rectè, monent & alij, vt Somnus fiat cruribus elarioribus, atque ad inuicem complicatis. Omnis motus & animi & corporis fugiendus, ſolæ conueniunt frictiones, præſertim ſuperiorum partium, & ligaturæ: & inter ligaturas alias Serenus & Democritus medici antiqui, commendant, vt mammæ ſtrictè ligentur. Balnea & Venus omnino fugienda. Circa cibum & potum magnus adhibendus delectus, vinum ſit pauciferum, ſubadſtringens, potius rubeum, quàm nigrum, & in modica quantitate, propter quod non poſſum laudare Auicen. qui videtur commendaſſe Vinum craſſum & dulce. Loco Vini, conuenit Aqua pluuialis & chalybeata: Succus Tamarindorum, Cydoneorum: commendant aliqui Poſcam. Sed ego iuxta Hipp. maximè abhorreo ab Aceto in omnibus affectibus vteri. Edulia omnia melius eſt vt ſint aſſata, quàm elixa, & ſi elixanda ſint, conuenit vt elixentur in aqua pluuiali, vel chalybeata, vel admiſceantur aliqui ex prædictis ſuccis, carnes auium & quadrupedum, præſertim ſylueſtrium: & ex animalibus quadrupedibus, Cerebrum, pedes, viſcera omnia conueniunt, quia ſua viſciditate adimunt ſanguini fluxibilitatem. Ex cerealibus conueniunt, pro pulte Far, Panicum, Milium, Oryza, Lentes, coctæ in aceto, conueniunt præ cęteris oua ſorbilia, Caſeus recens, Lac acetoſum, piſces ſquamoſi. Inter herbas laudantur plantago, portulaca, Acetoſa, vtraq; Conſolida,

ſolida,Radix cardui ſylueſtris. Ex fructibus,conueniunt Cydonia, Granata, Corna, Meſpila,Mora immatura,fructus Rubi,pyra,Mala omnia adſtringentia. Atque hic ferè victus communis eſt in omni immoderato Menſtruorum fluxu. Hanc ſolam rationem ſemper habere debetis, vt ſi cauſa ſit calida, Victus inclinet ad frigidius: ſi frigida eligantur calidiora.Inſtituto Victu,erit vobis cogitandũ, an fluxus Mẽſtruorum oriatur ex multitudine ſanguinis, an ex motu critico naturæ,quo in caſu nihil vobis erit moliendum,vt fluxum conſtringatis, niſi tamen ex fluxu ægra ad immoderatam deuenerit imbecillitatem,quo in caſu, proculdubio conãdum eſt ſiſtere.Si ſanguis alia de cauſa fluat immodicè, tres ſcopi vobis erunt implendi,vt communiſſimum aſſequamini.Primus eſt,vt repellatur ille impetus: ſecundus eſt,vt ſanguinis fluxibilitas auferatur:tertius,vt vaſa corroborentur & cõſtringantur. Ad primum ſcopum implendum,multa ſunt remedia,ligaturæ ſuperiorum partium, Frictiones, & præſertim ſanguinis miſſio, qui, ſi nihil impediat, mittendus eſt à vena brachij, atque id agendum non ſemel, ſed pluribus vicibus, & in pauca quantitate, eò quòd, vt docet Galenus in lib. de curatione per venæ ſectionem decimo octauo, efficaciſſimè coërcet ſanguis miſſus à brachio Menſtruorum fluxum,& præſertim ſi repetatur. Quod ſi ſanguinem mittere impediamini, erunt & Cucurbitulæ ſcarificatæ,& non ſcarificatæ ſub Mammis ponendæ. Itaque lenita aluo Clyſtere, vel lenitiuo,erit veniendum ad ſanguinis miſſionem: deinde contemplandum erit an ſanguis ſit bilioſus,id eſt, an fluxibilis propter bilem & acrimoniam, an verò propter aquoſitatem & pituitam. Si ſanguis erit Bilioſus & acris, erit expurgandus & depurgandus, & antequam purgetur, præparandus erit hoc Syrupo:

℞. Rad.Symphiti ℥. ij.Fol.Plantag.Portulacæ,Acetoſæ,Conſolidæ maioris ana м. j. Fiat decoctio ſecundum artem: deinde

℞. Decoctionis huius ℥.iiij. Syr.de Ribes,de Cydon.de Myrthil.an.℥.v. Miſce, & fiat potus. Quo tempore adhibebitis Syrupum, poteſtis curare vt habeat aliquam Confectionem, qua vtatur veſperi & ante cœnam: vt

℞. Sacchari roſat. antiqui ℥. ij. Pulue. vtriuſque conſolidæ ℥. ij. Maſticis ℥. j. Miſce. Capiat huius Confectionis ſingulis vicibus ℥. s. Poſtquam præparati fuerint humores, erunt expurgandi hoc Bolo:

℞. Myrobol. citrinorum & chebulorum pulueris an.℥.s. Rhabarb. toſti ℈. iiij. Sacchari roſ. ℥. s. Miſce, fiat Bolus. Quod ſi magis placet exhibere Potionem. ℞. Myrobol.prædictarum an.℥.j.Pulpæ Tamarin.℥.s.Bulliant in aqua Plantaginis, ſecundum artem:deinde ℞.Dictæ decoctionis ℥.iiij. Rhabarb.toſti ℈.v.Infundantur ſecundum artem. Deinde facta diligenti expreſſione, adde Elect. de ſebeſten ſine ſcamo.℥.iij. Syr. violati ſolut. ℥.ij. Miſce, vel loco Syrupi viol. ſolut. poteſtis vti,tantundem mannæ.

Quod ſi contingat, vt ob huiuſmodi auxilium non ſuccedat Sanguinis fluxum hunc compeſci, deueniendum erit ad alia & intrinſeca & extrinſeca. Intrinſecus enim ſi accipiamus Brodium pedum Vituli,in quo incoquatis huiuſmodi folia & cortices, ad conſumptionem quartæ partis, & facta colatura, accipiantur eius vnciæ octo. Extrinſecus conueniunt Balnea, Inſeſſiones. Exempli gratia:

℞. Fol. & cortic. quercus,Corticis glandium an.P.iij.Fol.Myrthi, Plantaginis, Rubi, Balauſt. an. м. iij. Bulliant in aqua pluuiali, & fiat inſeſſus. Poteſtis autem linire, præſertim vmbilicum. Et notate quod in his affectibus Linimenta debent applicari vmbilico, quia ibi eſt magnus Venarum confluxus.

℞. Ol. ompha.℥.ij.Thuris,Boli Armeni,Sanguinis Drac. an. ℥. j. Cymini toſti ℈.ij.

℈.ij. Miſce omnia ad ignem,& illiniatur Vmbilicus. Circa adminiſtrationem horum remediorum, debetis tria ſemper obſeruare: Vnum eſt,vt in fluxu ex bilioſo ſanguine,non deſcendatis ad valida adſtringentia,præſertim extrinſeca, niſi magna neceſſitate. Cur hæc? Ratio eſt maxima,quia experientia comprobabitis quod ſi ſanguinem hunc ſiſtatis antequam probè depuratus ſit, cohibetur quidem fluxus, ſed fiunt dolores maximi, & ſæpè ſanguis retentus, maiorem acquirit acrimoniam, vnde magis poſtea fluit: ideò non debetis ſtatim venire ad aſtringentia extrinſeca: Intrinſeca autem licet adſtringant, contemperant. Alterum eſt ex Auicenna, vt huiuſmodi adſtringentibus ſemper miſceatis aliquid Aromaticum quod corroboret, & conſoletur, & habeat etiam facultatem ſiſtendi ſanguinem: vt eſt Roſa,Myrthus,Maſtix, Thus,Cyminum toſtum, Coriandrum toſtum, Santali omnes. Tertiò obſeruandum eſt, quod in extremis caſibus poteſtis vti Opiatis, propterea Athanaſia laudatur ad quantitatem ʒ. s.liquefacta cum ſucco Plantaginis, vel etiam cum aliquo Syrupo, vt de Myrtho. Promethus Medicus antiquus laudauit etiam in hoc genere, vt capiantur ſingulo mane tria grana ſeminis Hyoſciami. Ego ſoleo in huiuſmodi caſibus tales facere pillulas:

℞. Calchanti, Opij, Thuris, Maſticis, Coriandri toſti an.gr.j. s. Terantur diligenter, & cum Syrupo de Ribes fiant Pillulæ,quæ accipiantur noctu quatuor aut quinque horis poſt cœnam, nam huiuſmodi pillulæ congelant quaſi ſanguinem: ſed vt dixi, huiuſmodi remedia non ſunt adminiſtranda, niſi cùm videbitis vires corruere ex immodico fluxu. Si fluxilis ſit ſanguis ob aquoſitatem, ob pituitam, erit ſtatim purgandus, & primò præparandus hoc modo:

℞. Fol.Roſ.r. s.Cort. granato.ʒ.ij.Balauſtij ℥.s. Fol. Plantag M. s.(Et aduertite Plantaginem, quia hæc & à Galeno & Serapione maximè commendatur in his caſibus.) Fiat decoctio ſecundum artem: deinde,

℞. Dictæ decoct.℥.iiij. Syr. Roſ.de roſ. ſiccis,de Portul. de Ribes an.ʒ.v. Mellis Roſati ʒ.iij. Miſce. Hoc etiam tempore, quo capiet Syrupos,poterit etiam aliquam Confectionem capere veſperi, vt dictum eſt.

℞. Diacydon.ſimp. Sacchari viol. an. ℥.j. Coriandri toſti ſubtil. puluerif. ʒ. j. Sumach. Spodij,Trochiſ. de Carabe an.℈.j.Terantur omnia diligenter,miſce:Poſtea erunt humores expurgandi, hoc modo:

℞. Agarici præparati ʒ. j. Turbith ℈.s.Diacathol.ʒ.j. Miſce. In potu hoc medicamentum commodiſſimum erit.

℞. Agarici infuſi & expreſſi,ſecundum artem in aqua Plant. ℈. iiij.Elect. Ind. ℥.s.Syr.Roſ.ſolut.℥.j.s.Miſce. Cum decocto cordiali fiat potio,& capiatur mane. Si huic medicationi non ceſſerit,erit deueniendum ad validiora,propterea intrinſecus huiuſmodi Confectio efficaciſſima erit:

℞. Diacyd.ſimp.℥.ij. Lapidis Hæmatit. Boli Armeni an. ʒ. s. Pulueris vtriuſque conſolidæ ʒ.j.Acaciæ,Spodij an.℈.j. Succi plantag.℥.s.Pulueriſentur pulueriſanda, fiat mixtura, cuius poterit capere drachmas duas vel tres mane ſtomacho ieiuno.Similiter conuenit in hoc caſu Linimentum pectini & vmbilico. Exempli gratia:

℞. Olei Myrtill. Cydon. an. ℥. j. Thuris,Boli Armeni, Maſticis an. ʒ. j. Succi Myrthi ʒ.ij.Aceti parum. Miſce, fiat Linimentum. Præter Linimenta conueniunt Infuſiones in matricem, peſſi. Infuſiones, vt ſi in vino rubro adſtringente coquatur Sumach, Carabe, Cortex glandium ad quantitatem ʒ. ij. Deinde huiuſmodi Vinum infundatur pro Clyſtere in Vterum. Poteſt quoque fieri Peſſus huiuſmodi:

℞.Alu

℞. Aluminis, Spodij, Lapid. Hæmat. an. ʒ. j. Cumini toſti ℈. j. Flo. roſ. rub. Nucum, Myrthi an. ʒ. j. s. Terantur omnia diligenter, & ponantur in pannum ad formam digiti, atque ita illiniatur oleo roſ. Omphacino, & indatur. Huiuſmodi remedia poſſunt à vobis plurima excogitari, ſatis ſit habuiſſe formas. Si fiat propter vaſorum apertionem, nihil aliud erit vobis agendum, niſi vt glutinetis vaſa aperta, quæ agglutinabitis, vel extrinſecis, vel iis quæ induntur in Matricem. Nā quæ ſumuntur ore, in hoc caſu à me non valde laudantur: nam ſi ſanguis ſit purus, nihil aliud agendum, quàm claudere, quod optimè fit per indita in Matricem, propterea poteſtis vti Vino prædicto & Peſſis, qui maximè glutinant, vt factis ex Tragacantha vſta, ex Gummi Arabico vſto, Maſtice, Terra ſigillata, Bolo Armeno: hæc enim omnia ſunt quæ maximè glutinare vaſa aperta poſſunt. Quod ſi vaſa ſunt corroſa, eſt vtendum ea ratione medendi, quam docet Gal. 5. Method. in curandis vaſis corroſis in Pulmone, vt ſcilicet ſtudeatis ſanguinem optimum generare: deinde medicamenta Scarcotica applicare, quorum copiam habetis 7. apud Galenum medicam. local. 4. Sunt poſtmodum medicamenta à proprietate occulta: Serenus laudauit puluerem Suberis, in aqua calida potum. Moſchio & Cleopatra laudarum Caſeum lactis Capræ, nondum ab hœdo ſuctæ, dicitur Coloſtros, ſi in ſiniſtro brachio ligetur & geſtetur. Albertus Magnus laudat gemmam Corneolam dictam, digito geſtatam. Laudatur etiam herba à proprietate, quæ dicitur pes Leporinus: Lapis Iaſpis, & multa quæ apud Plinium referuntur. Sed inter cætera laudat Rhaſes 9. contin. Sulphur viuum ad ʒ. j. cum Muſto cocto potum, quod quidem remedium inuenio eſſe vſurpatum ab Ælio Promotho. Sed quanquam naturali facultate Sulphur poſſit prodeſſe, tamen puto etiam manifeſta qualitate, eò quod vehementer ſiccat, ſiccando videtur poſſe ſanguinem congelare & ſiccare: quare vtendum eſſe ipſo ſolò, conſulo in ſanguine aquoſo & pituitoſo.

DE FLVXV MENSTRVORVM *Hæmorrhoidali.*

CAPVT III.

Cauſæ.

INter alias immodici Menſtruorum fluxus cauſas, poſui hanc etiam, quod Hæmorrhoides hiantes conſueuerunt hunc fluxum efficere, etenim vt in Ano confluxus quidam venarum apparent, quæ interdum plus ſanguinis euomunt quam conueniat: ſic in Vtero ſunt quidam confluxus Venarum, cùm in corpore Vteri, tùm in collo & ceruice præcipuè, quæ vbi nimis aperiuntur, ſolent immoderatum ſanguinis fluxum facere, & quanquam, vt dixi, oriatur etiam hic fluxus ex Venis, quæ ſunt in corpore vteri, hoc tamen (vt docent omnes) rariſſimè contingit, frequentiſſimè verò effluit ex iis Venis, quæ ſunt in collo, aut ceruice. Vbi igitur Venæ iſtæ aperiuntur, & plus ſanguinis effundunt quàm conueniat, dicitur fluxus Menſtruus hæmorrhoidalis. Sunt verò harum Venarum duæ differentiæ, quoniam aliæ Venæ ſunt ſimplices, molles, humidæ, leues, & breues. Aliæ verò ſunt duræ, aſperæ, longæ, quæque dolorem & vtero & partibus vicinis inducunt.

Signa.

COgnoſcuntur huiuſmodi hæmorrhoides viſu,cognoſcuntur etiam aliis indiciis. Modus cognoſcendi eſt per Dioptron, quod eſt inſtrumentum, dictum Speculum matricis, quo vtuntur Medici, ad dilatandum os Vteri, vt poſſint videre oculis affectus ipſius.Signa alia quibus cognoſcitur hic affectus ſunt,quod ſanguis plurimus exit guttatim, non continuus, interdum etiam continuus, ſine vllo ordine, ſine vlla periodo, cum laſſitudine corporis, pallore, atque etiam macie: ſanguis verò qui fluit, interdum eſt niger, quando ſcilicet Venæ ſunt apertæ, interdum flauus, quando ſcilicet Arteriæ hiant. His indiciis poſſunt dignoſci fluxus Hæmorrhoidales, à fluxu Menſtruorum, quia fluxus Menſtruorum ſolent habere aliquas periodos, quamuis ſit immodicus, adhæc non eſt cum dolore, corpora non ita emaciantur.

Prognoſtica.

SIgna prognoſtica ſunt, quod Venæ Hæmorrhoidales duræ, aſperæ, & grandes difficiliores curatu ſunt,quam aliæ. Rhaſes 9.Cont.docet,eas eſſe deteriores,ex quibus ſanguis niger emanat: leuiores verò ex quibus emanat ſanguis flauus. Sed dicet aliquis veſtrum,ſi flauus emanat ex Arteriis, niger ex Venis, videntur difficiliores eſſe curatu fluxus vbi ſanguis eſt flauus,quia maiore labore coaleſcunt Arteriæ, quam Venæ. Dico, Rhaſis ſententiam interpretandam eſſe, quod illæ ſint deteriores, in quibus ſanguis niger emanat propter accidentia, quia cum ſanguis ſit ater,acris & fæculentus, videtur magis eſſe venenatus & natura infeſtus, quàm flauus,& propterea deteriora ab eo ſequuntur Symptomata. Habet tamen hic fluxus, dicit Rhaſes,illud boni, quod ſi forte fortuna ſuppreſſa ſint Menſtrua,ex qua ſuppreſſione caput grauatum ſit, vel tenſio aliqua appareat in corpore, vel laſſitudo,beneficio huius fluxus,omnia accidentia aut mitigantur, aut tolluntur.

Curatio.

CVratio huius affectus tota poſita eſt in claudendis huiuſmodi Venis, & quoniam ſunt cauſæ propter quas aperiuntur, vt omnes illæ quas iam monſtraui immoderatum Menſtruorum fluxum facere, propterea eadem ferè erit ratio curationis, vt ſcilicet ſi ſanguis ſit ater & craſſus, corrigatur & expurgetur. Si ſit minus fluidus & aqueus, ſimiliter purgetur & corrigatur. Quod autem ſpectat ad clauſionem Vaſorum, duo ſunt modi: vnus quo vtebantur veteres: alter quo recentiores ſunt vſi, ſed in omnibus neceſſaria eſt imprimis Victus ratio, quæ præſcripta eſt in fluxu immoderato.Monet Rhaſes,vt ægra detineatur in Aëre frigido, modicè comedat, abſtineat à Vino & carnibus. Modus verò ſiſtendi & claudendi huiuſmodi Venas, vnus eſt per Medicamenta, quando ſcilicet adſtringentia ipſis Venis ſuperponuntur,aut etiam pectini, vt eſt pilus Leporinus inunctus Albumine oui vnà cum ſtercore Aſinino,puluis Aloës, puluis gummatis Prunorũ, Sumach,Myrtillorum,Gallæ: accipiuntur iſti pulueres, vel omnes, vel aliqui, & interdum aridi Venis ſuperponuntur,interdum vel Albumine oui,vel ſucco adſtringente,aut ſucco Plantaginis, colliguntur & ſuperponuntur Venis. Inter pulueres commendantur, Calchanti vſti puluis,vt in extremis caſibus,& puluis Aluminis. Rhaſes commendat ſedere in Aqua gelida,abluere etiam pedes aqua gelida.Quod ſi iſte modus ſiſtendi fluxum,non tollat malum, nihil aliud ſupereſt, quam Venas auferre: quas auferendi ſunt duo modi: vnus antiquior, alter vero Moſchionis, Cleopatræ & Pauli. Veteres ſolent huiuſmodi Hæmorrhoidas filo ligare, & quo-

tidie filum illud adſtringere magis, quouſque totæ auferantur. Vel ſcarificabant Venas circa radicem, deinde puluerem Cauſticum ſuperſpargebant, vſque quo deciderent mortuæ. Sed iſti duo modi à Cleopatra & Moſchione repudiantur, quia dicunt nimis grauem eſſe modum & acerbum. Paulus etiam videtur dixiſſe, quod iſte modus fuerit reprobatus à Chirurgis maioribus. Quapropter alter modus ipſis fuit probatus & laudatus, vt forfice & cultello abradantur. Modus autem quo ſunt exſcindendæ docetur à Paulo lib. 6. cap.71. & à Moſchione, & à Cleopatra abundè. Poſtquam abſciſſæ ſunt, aſpergitur puluis ex Galla, ex Alumine, ex Sumach, Roſis, & aliis quæ modicè adſtringant. Monet tamen Moſchio, & iure, abſtinendum eſſe à medicamentis acrioribus & acerbioribus. Ratio eſt, quia huiuſmodi medicamenta exacerbant valde, & propterea magis proritant fluxum.

DE MENSTRVORVM *Stillicidio.*

CAPVT IV.

INter vitia immoderati Menſtruorum fluxus, adnumeratur illud quoque ab Aëtio, quod dictum eſt ab eo Menſtruorum ſtillicidium. Etenim ſicut veſicæ contingit, vt quandoque offenſa retentrice facultate, Vrina non poſſit retineri, ſed iugiter & guttatim expellitur, ita contingit vteri facultati retentrici, quod ea debilitata, cùm non poſſit retinere ſanguinem, dimittit eum iugiter, ac veluti guttatim euomit. Eſt hic affectus proculdubio Symptoma in genere excrementorum immodicè fluentium, quod ſymptoma ſuos ſequitur morbos, vt dictum eſt de alio immoderato fluxu.

Cauſæ.

HVius affectus ab Aëtio quinque numerantur Cauſæ, Meatuum anguſtia, virium debilitas, ſanguinis multitudo, ſanguis pituitoſus & ſanguis fœculentus. Atque hæ omnes cauſæ ſunt internæ. Cauſæ verò externæ, ſunt omnes illæ, quæ huiuſmodi ſanguinem producere natæ ſunt.

Signa.

SIgna hæc ſunt, quæ habentur ex relatione ægrotantis, quod ſanguis iugiter fluat, quaſique guttatim ſtillet, vt iure poſſit appellari vteri ploratus quidam.

Curatio.

CVratio tota, vt docet Aëtius, poſita eſt in cauſarum amputatione, propter quod ſi ſanguinis multitudo cauſa fuerit, miſſio ſanguinis erit optimū remedium. Si propter virium debilitatem, facultatis præſertim retentricis, erit ſtudendum vires roborare, vt ſi ſanguis fuerit pituitoſus, vel fæculentus, erit corrigendus, vt aliàs docui: idem dicendum de meatuum apertione. Sed hoc aduertendum eſt, in hoc caſu eſſe dolorem, qui potiſſimum vrget ægram & medicum, ita vt propter dolorem cogatur quandam viam diuerſam incedere, & doloribus potius

tius intendere quàm cauſis. Quo in caſu docet Aëtius, Aërem tepidum & non obſcurum eſſe debere in quo decumbat ægra, poſtea extrema liganda & fricanda: vtendum geſtationibus, abſtinendum ab omni cibo & potu acri, ſalſo, flatuoſo: Aquæ potum in primis prohibet Aëtius. Cauſam huius eſſe puto, quemadmodum Aqua ſi retinetur in Hypocondriis flatus inducit, ex quibus perſpectum eſt dolorem augeri & exaſperari. Si vires ferant, vbi dolor maximus eſt, ſecanda eſt omnino Vena, quoniam, vt docet Galenus libro de Curatione per ſanguinis miſſionem, ad dolores mitigandos maximum remedium ſanguinis miſſio. Adhæc vtendum eſt inunctionibus, inſeſſionibus quæ dolorem leniunt, vt ſi aquæ incoquantur ſemina Lini, Altheæ, foliorum Rutæ, Arthemiſiæ, atque in hac detineatur mulier vſque ad vmbilicum, quo modo fiunt inſeſſiones. Conferunt etiam Cataplaſmata pectini impoſita. Ego laudo huiuſmodi: ℞. ſem. Lini ℔.s. Panis tritici ℔.j. Vitellum ouorum num. iiij. Lactis q. ſ. ad efficiendum Emplaſtrum. Fiat emplaſtrum. Superponatur Pectini, adhibeatur etiam locis muliebribus, & ſolet huiuſmodi dolorem mirificè lenire. Infundo etiam Lac cum ſucco maluæ. Oleum de vitellis ouorum, etiam maximè confert ad leniendum dolorem. Adhæc Butyrum, pinguedo Anſeris, & Gallinæ inuncta ſingillatim, vel coniunctim dolorem quoque leniunt: ſic ſi eędem pinguedines immittãtur in vterũ. Si hæc non iuuant, monet Aëtius vt Cucurbitulæ apponantur pectini, poſt quas fiunt ſcarificationes, ſi ſit neceſſe, vel loco ſcarificationum adhibeantur Hirudines. Et vtilitas quæ ex hoc remedio habetur, eſt, quod ſanguis qui fluit ad vterum retrahitur, propter quod inhibetur fluxus, & conſequenter dolor aufertur. Si hæc non iuuant, ad Rubrificantia, ad Dropaſcimos veniendum, quæ remediorum genera, vt aliàs docui, in extremis caſibus adhibita ſunt ab antiquis. Quod ſi menſtrua non lædant quãtitate, ſed qualitate ſola, vt in diuiſione monſtratum eſt, huic etiam debetur curatio, quia tametſi in præſentia nullum detrimentum inferas, ſuſpicandum tamen eſt, ſi mala qualitas menſtruorum non corrigatur, quod tandem mala plurima inducat: ſunt verò prauæ qualitates menſtruorum, quando ſunt vel minus aquea, vel nimis acria, calida, ſalſa, craſſa. Quomodo gignantur hæ qualitates, & quomodo cognoſcantur docui, vbi tractaui de ſuppreſſis & fluentibus menſtruis, quorum rationem explicui. Quare ne inutiliter hæc omnia repetam, remitto vos ad illa, quæ antea ibi docui.

DE GONORRHOEA.

CAPVT V.

INter alias quæ ab vtero fluunt humiditates vna à medicis adnumeratur, ſcilicet humiditas ſeminaria, quæ ſicut aliæ omnes ſuos morbos habet, inter quos potiſſimum eſt ille, qui dicitur à Græcis γονόῤῥοια, Latini appellant diuerſis nominibus. Inter quos qui Barbari ſunt, dicunt Gomorrhacam: puriores Gonorrhœam. Celſus dixit nimiam ſeminis profuſionem: Plinius appellauit ſeminis profluuium. Eſt hic affectus, vt dicit Galen. 5. de locis Affectis 6. inuoluntaria & continua ſeminis emiſſio. Moſchio dixit, eſſe Seminis emiſſionem, ſine cupiditate viri. Celſus quoque, ſine imaginatione: Aëtius ſimiliter, ſine concitatione Veneris.

Sed hæc vox inuoluntaria, idem eſt,ac ſi diceremus,ſine cupiditate, ſine imaginatione:iure dictum eſt à Galeno eſſe inuoluntariam & continuam emiſſionem , vt diſtinguatur à Pollutione nocturna , quæ dicta eſt à Græcis Onirogmos. Differt autẽ Gonorrhœa à Pollutione nocturna in duobus:In vno Pollutio ſemper eſt cũ aliqua imaginatione, cum aliqua cupiditate:Gonorrhœa verò,ſine aliqua cupiditate: differt & in altero,quia Gonorrhœa in qualibet hora exercet homines : Pollutio autem ſolummodo noctu. Quapropter Rufus Epheſius Medicus apud Oribaſium 6. Collecta. cap. vlt. dicit Pollutionem nocturnam magis perturbare homines, quàm coitum : quia cum Pollutio inuenit hominem ſomno oppreſſum & vires ſopitas, magis percutit hominem,& magis afficit. Sed dicet aliquis veſtrum, Gonorrhœam non eſſe cenſendam inter morbos Muliebres,tum quia rari fuerunt Medici qui de hac tractarunt, tùm quia Morbi muliebres ſunt,qui non ſunt communes Viris.Hæc proculdubio eſt communis viris, imò videtur,hanc ſolummodo paſſionem eſſe Virorum.Nam,vt hoc etiam obiter dicam, in Leuit.15. habetur Viros putari immundos,& viros lege ſtatui immũdos eſſe, qui laborant fluxu Seminis:Mulieres verò ſolum cũ Menſtruorum fluxu. Dico, quod hic affectus communis ſit Viris,veruntamen vt videbitis in orationis progreſſu,diuerſus eſt in Viris & mulieribus. Et ratio diuerſitatis eſt , quia mulieris Semen diuerſum eſt à Semine Viri,in aliqua re,tùm quia modus eiaculãs in fœminis, & locus per quem & ad quem fluit,diuerſus eſt.Quapropter fateamur hunc affectum diuerſum eſſe, quare iure Theodorus Priſcianus & Moſchio etiam , hunc inter Muliebres morbos recenſere voluerunt. Sed antequam progrediamur , conſtituendum eſt à nobis, an mulier verè Semen habeat, nam hæc materiæ tractatio ſuperuacanea eſſet, ſi hæc res apud vos indiſcuſſa maneret. Et vt intelligatis vim huius conſiderationis,ſciendum eſt,ferè omnes medicos & Philoſophos in hoc conueniſſe,quod etiam mulier præter ſanguinẽ menſtruum, aliquid aliud emittat. De hoc autem dubiũ eſt,an ſit Semen,an non,id eſt,an vt Semen Viri facultate effectrice & formatrice præditum eſt, ſic etiam hæc materia mulieris habeat vim effectricem,vt habet Semen Viri. Cum igitur dubitamus an Mulier emittat Semen , dubitatio eſt an tale Semen emittat, quod habeat vim conformatricis & effectricis , vt Semen Viri.Pythagoras, Democritus,Hippocrates,& Epicurus grauiſſimi omnes Medici & Philoſophi hanc habuerunt ſententiam,quod Mulier quemadmodum Vir emittat Semẽ verum:ad quod ſentiendum tribus potiſſimum impulſi ſunt rationibus, quarum prima eſt , quòd in coitu mulier æquè delectatur ac Vir cum emittat Semen.Si ſic eſt,vt eodem tempore & eodem modo delectetur vt vir, vir delectatur quia emittit Semen , igitur & mulier. Et vt huius rationis vim intelligatis , ſciendum Hipp. lib. de Genitura hanc habuiſſe ſententiam aliam à priori , vbi ſcribit quod mulier minus delectetur in coitu , quàm vir , & etiam minus duret. Verum ſciatis ,lecturam vulgatam Hipp. eſſe mendoſam,quia vt habetur ex textibus antiquis manuſcriptis , ſententia Hipp. eſt , quòd mulier minus delectetur, ſed diutius duret eius delectatio. Quæ ſententia confirmata eſt ab Auic. 11. Animal. & 21.Fen.3. Canon.c.2. Et ab Habbate Commen.9. ſuæ Theoricæ, qui omnes ducti (vt puto)hac Hipp.autoritate, dixerunt mulieris voluptatem duplo magis durare voluptate Viri. Secunda ratio qua ducti ſunt, eſt quod conſtet viros dum coëunt, percipere humiditatem matricis eo tempore emanantem , quæ cum non ſit Sanguis menſtruus,neceſſe eſt fateantur eſſe materiam Seminalem. Tertia ratio horum,quam attribuit ipſis Gal.lib.1.de Hiſt. Philoſoph.(ſiue ille liber ſit Plutarchi, vt exiſtimo,)quod mulieres habeant teſtes vt Viri habẽt teſtes:ergo & Semẽ:quia teſtes

teſtes nullum aliud munus habent, quàm deferendi & conficiendi Semen. Hippon Philoſophus quem ſecutus Athenæus, fuit alterius ſententiæ, qui exiſtimauit fœminas quidem emittere Semen, ſed inutile ad generationem, quia illud emittitur extra matricem. Si emittitur extra matricem, ſignum eſt materiam illam tanquam infœcundam explodi è locis Muliebribus. Ariſtot. & cum eo Peripatetici omnes, aliam ſententiam non modo habuit, ſed etiam penitus in animis ſequacium inſeruit, ſcilicet quod Mulier nullo modo Semen habeat, niſi æquiuocè, quæ ſententia fuit etiam Zenonis & Stoicorum omnium. Hanc autem materiam Ariſt. tractat 1. de Genera. Animal. 19. 20. Et c. 2. de Generat. Animal. 1. Ariſtotelem ſecutus Auerroës eandem rem diſputat 2. Collect. 10. Rationes quibus Peripatetici fuerunt adducti, multæ fuêre, ſed potiſſimum eſſe quatuor videntur. Prima eſt, quod Mulieres in omnibus rebus ſunt ferè ſimiles pueris, in Voce, Pilis, Carne, Viribus: ergo etiam ſimiles debent in hac re eſſe, vt ſicut pueri non habent Semen, ita nec Mulieres. Altera eſt, quod Mulier ſit Mas læſus: ſi eſt Mas læſus, ita vt deficiat valde à Mare, debet propter hoc deficere, quia in ipſa non eſt vis generatiua, vt eſt in Mare, quod cùm non ſit, non poteſt illi ineſſe verum Semen. Tertia ratio eſt, quæ apud ipſos videtur omnium grauior eſſe, quod Mulieres concipiant ſine vlla humoris emiſſione: in qua probanda laborat Auerroës multis exemplis, dicit enim ſe audiuiſſe à multis Mulieribus, quod conceperint ſine voluptate: ſimiliter refert de vna vicina, quæ concepit in balneo ſine coitu: ſi hoc verum eſt, neceſſariũ eſt non habere Semen, quia fieri non poteſt, vt vnquam conceptio fieret ſine hac emiſſione. Quarta & poſtrema eſt, quod Mulier ſi haberet Semen, poſſet concipere abſque Mare. Probatur, quoniam ſi Semen eſt efficax ad efficiendum & conformandum, cùm etiam habeat materiam generationis & locum, ſponte etiam poſſet generare ſine vllo Viri coitu. Hæ ſunt rationes, quibus Ariſtoteles & eius ſequaces exiſtimarunt Mulierem carere Semine. Et quia videbant Hippocratis rationes vrgere, conati ſunt iis reſpondere. Primum de voluptate reſpondet Ariſtoteles, mirum non eſſe, quod poſſet ſine Semine in coitu delectari, propterea quod voluptas naſcitur ex ſpiritibus qui mouentur, vt in pueris, quibus ex affricatione naſcitur voluptas, non quia emittunt Semen, ſed quia pleni ſunt ſpiritibus: ſic voluptas oritur in Muliere ex ſpiritu, non ex Semine. Ad ſecundam rationem, de emiſſione humiditatis, reſpondet Ariſtoteles & cum eo ſequaces, quod illa humiditas non ſit Semen, ſed potius quid aliud, quod non ſit ſemen: probat tribus aut quatuor rationibus. Prima eſt, quod non omnes Mulieres eam humiditatem emittunt, quia albæ fœminæ emittunt quidem, nigræ verò & virgines non emittunt. Quod ſi illa humiditas eſſet Semen, proculdubio, inquit, omnes emitterent. Secunda ratio eſt, quia non emittitur per contrectationem eius membri, à quo emittitur ſemen in viris. Etenim à viris emittitur Semen ab eo membro quod contrectatur, ſcilicet à pene: in Muliebribus emittitur ab eo membro, quod non contrectatur: emittitur enim à cornibus Vteri, contrectatur verò ſolummodo Ceruix. Tertia ratio, quod non ſit Semen, quia eſt materia quædam aquea, fluida, propter quod dicunt iſti, conſtat non aſſimilari materiæ ſeminali. Ad tertiam rationem de Teſtibus, reſpondet quod nequaquam neceſſarium eſt, etſi habeant teſtes, quod in iis ſit Semen, quia fieri poteſt, vt in Mulieribus teſtes ſunt occulti, ita etiam habeant alium vſum ab eo quem habent Viriles, qui ſunt protuberantes & manifeſti. Et quia aliquis potuiſſet Ariſtot. & Peripateticis dicere, ergo videtur materia quę ineſt teſtibus, eſſe vana, propterea quod nullum habeat vſum in generatione, quia non vt materia, non vt forma, aut efficiens: ergo eſt vana. Reſpon-

det Auerroës 2.Collect. 10.quod non valeat hæc conſequentia. Probat,quia Mãmæ in Mulieribus deſeruiũt generationi,in Viris non,& tamen non eſt dicendum quod ſint vanæ. Sed vt Mammæ deſeruiunt alteri vſui in Viris quàm in Mulieribus,ita etiam teſtes & Semen deſeruiunt in fœminis alteri vſui, quàm ad Generationem.Quis verò hic ſit vſus,poſſet Medicus ſciſcitari à Peripateticis:pro quibus Ægidius Romanus in lib.de Generatione Hominis ex Auicenna & Auerroë ſcribit,tres eſſe poſſe vſus huius humiditatis in Fœminis. Primus eſt,vt frigiditate ac tepore huius , nimia Seminis Virilis caliditas refrænetur. Secundus eſt,vt viſciditas Seminis Virilis diluatur quomdammodo ab hac humiditate aquea , quoniam cùm Semen debeat totum Vterum percurrere, ſi nimis ſit viſcidum, dicit iſte vir, non poteſt.Tertius vſus,qui etiam ab Auerroë ſignificatus eſt,dicebatur ab Ariſtotele eſſe, propter voluptatem,idque dupliciter. Primò , vt matrix voluptate huius humiditatis attracta,ſimul etiam magis attrahat Semen Virile,& magis conſequẽter ipſum complectatur. Secundò, vt Mulieres propter hanc voluptatem , deſiderent & quærant concubitum magis.Atque hæ ſunt rationes præcipuę,quibus Peripatici probant ſuam ſententiã,& ad Hippocratis reſpondent.Galenus verò poſt Ariſtotelem, habuit aliam ſententiam & meliorem ſecutus eſt, ſcilicet quod Mulier Semen emittit , veruntamen Semen hoc ſit differens à Semine viri : differens tùm ſubſtantia, tùm etiam facultate.Subſtantia,quia Muliebre Semen magis fluidum eſt & aquoſum : facultate, quia tametſi Mulieris Semen vim habeat effectricem,eſt tamen hæc vis imbecillior in Muliere, quàm in viro , ita vt ad hoc vt fiat generatio, neceſſe ſit tùm Semen fœminæ,tùm etiam maris adeſſe. Ad aſtruendã hanc opinionem, contra receptiſſimam Ariſtotelis ſententiam , vſus eſt multis rationibus, ſed nos tantum tres ſelegimus. Prima ratio Galeni , quæ etiam ſecundũ ipſum efficaciſſima , capta eſt à ſimilitudine filiorum ad Patrem & Matrem. Scimus quod filij gignantur quotidiè, qui aſſimilantur Matribus, non ſolùm ſecundum ſexum , ſed ſecundum plurima alia accidentia. Hoc conſtituto,inquit Galenus, vis hæc aſſimilatoria & vis hæc effectrix , cum æquè ſit aſſimilatio ad Matrẽ atque ad Patrem , neceſſum eſt,vt naſcatur à principio communi & maris & fœminæ , propter quod ſæpè aſſimilatur & Patri & Matri. Si igitur à principio communi ad generationem concurrunt tantùm duo , Semen & Sanguis menſtruus: hæc vis non poteſt eſſe in ſanguine Menſtruo , quia is non poteſt eſſe communis mari,nam nunquam aſſimilaretur fœtus Patri,ſi ibi eſſet vis aſſimilatrix.Ergo neceſſe eſt,quod ſit in Semine:ſi in Seminine,ergo neceſſum eſt vt in fœmina ſit Semen,veluti in Mare, merito cuius poſſit fœtus aſſimilari propriæ Matri. Secunda Galeni ratio lib.2.de Semine 1. accepta eſt ab ipſa Anatomica inſpectione , quod videmus , vbi ſecantur corpora Mulierum , non ſolùm apparent oculis vaſa ſpermatica , vt ſunt in Viris , verum etiam repleta materia alba & craſſa ſeminali , id quod voſmet in Anatome contemplati eſtis.Si hoc eſt,quomodo fieri poteſt,vt cũ ſenſui pateat, negemus eas carere Semine ? Tertia ratio eſt ex pollutionibus nocturnis,nam Mulieres,inquit Gal. perinde patiuntur nocturnas pollutiones atque Viri. Viri incidunt in hos affectus ſolùm propter Semen , ideò & Mulieres ſolùm propter Semen capiuntur his pollutionibus. Accedit etiam, quod Gal.dicit, ſe vidiſſe in vidua quadam, quæ cum tentata fuiſſet Vteri præfocatione maxima,tandem Vterus euomuit materiam albam,craſſam, qua educta,ſtatim liberata eſt : inquit Gal.hæc materia non aliud erat,nec dici poterat,quam Semen. Eam humiditatem, quam Mulieres in nocturnis pollutionibus emittunt , Semen eſſe , probat Gal.tribus rationibus.Prima eſt,quod in emiſſione eius percipitur eadem voluptas

quam percipiunt Viri in emiſſione Spermatis,propter quod & maximè veriſimile eſt & ipſam Semen habere. Altera ratio eſt, quod emittitur hæc humiditas à teſtibus & vaſis ſpermaticis, quæ omnia ita ſunt in Mulieribus illuſtria, ſicut & in Viris.Circa quod notare debetis, Ariſt. vt & Medicos, confeſſum eſſe, in Mulieribus vaſa hæc & teſtes reperiri: verumtamen fuit huius ſententiæ, quod ſicuti in Viris nullum habent præcipuum vſum ad generationem, ita etiam non habent in Mulierib. quod falſiſſimum eſſe oſtendunt Medici,& præſertim Gal. de fœminis bru-tis, quæ vbi caſtrantur, omnino infœcundæ redduntur, id quod etiam apertiſſimum eſt in Viris,qui excifis teſtibus, permutantur non ſolùm operibus, verùm etiam animis.Et iure magnus ille Auenzoar lib.2 .tract. 3.c.1. ſcripſit, nullum fuiſſe vnquam Virum caſtratum, qui eſſet optimi intellectus & bonorum morum. Hæc vos conſiderate, qua ratione homines tardos & ſtupidos appelletis Teſticulos. Tertia Gal. ratio eſt, quod hæc humiditas proiicitur in Vterum, non enim poteſt proiici in vterum fruſtra,propterea gratia generationis omnino proiicitur. Hæque ſunt illæ vtilitates huius humiditatis,quas Peripatetici allegant, quoniam non inſeruit huiuſmodi humiditas ſolùm voluptati, quia etiam ſecundum Ariſtotelem, ſæpè fit conceptus ſine voluptate: non etiam inſeruit temperando calori, aut viſciditati temperandæ, quia multi reperiuntur, qui habent Semen liquidum, tenue & frigidum, vt confeſſus eſt Lucretius 4. de Natura, dum ait:

Nam ſteriles nimium craſſo ſunt Semine partim,
Et liquido præter iuſtum,tenuiq́, viciſſim.

Propter quod, ſi hæc humiditas huic inſeruiret, plus mali quàm boni efficeret, eò quòd illi qui habent Semen liquidum & tenue, euaderent prorſus ſteriles,ſicut etiam qui habent Semen tepidum. Ita quod his rationibus probat Gal. humiditatem illam,quam emittunt Mulieres, Semen eſſe. Et quia Gal.videtur hanc Ariſt. rationem maximè vrgere, quod ſi Mulier emitteret Semen poſſet fieri conceptus ſine mare:Reſpondet huic rationi Gal. quod vis informatrix maris non eſt efficax per ſe,neque etiam vis ipſius fœminæ, ita vtrumque opus habet altero, & vt non poteſt fieri generatio ſine Semine Mulieris, ita etiam non poteſt fieri ſine Semine Viri.Auic.lib.9.de Anim.2.& 3.necnon ſecunda Fen.3. tract. 1. c.3. auſus eſt Galenum irridere, eò quòd parum Philoſophiæ nouerit in hac re, quaſi ſententia Gal. valde deterior ſit quàm Ariſtotelis. Auic. ſecutus eſt Albertus lib.9. tract. 2.atque etiam Ægidius Romanus lib. de formatione hominis, ita quod omnes videntur conſpiraſſe aduerſus Galenum,qui primo conſtituerunt, ſententiam hanc Ariſtotelis veram eſſe,quòd Mulieres non emittant Semē niſi æquiuocè,eò quòd ſolùm, ſi quid habent, eſt mera materia tanquam ſanguis Menſtruus, & quod ſolùm vis effectrix generationis poſita ſit in Semine Maris. Quo conſtituto, reſpondent rationibus Galeni, & primo de ſimilitudine ſexus, dicunt cum Ariſt. mares & fœminas generari non propter Semen Mulieris, ſed quia, ſi Semen Viri calidum ſit, à dextro teſte fluat & in dextram Vteri partem decumbat, mas fit: è conuerſo, ſi decidat Semen frigidum à teſte ſiniſtro in locum ſiniſtrum,fit fœmina: ſi verò Semen calidum à teſte dextro in ſiniſtrum Vteri latus decumbat, fit pro ratione dominantis & qualitatis & loci. Quod ſi, dicunt iſti, ex vtraque parte qualitates valentes ſint, fiunt Hermaphroditi. Cui rei fidem facere conatur Alb. Mag. exemplo,qui ſcribit ſe cognouiſſe Mulierem, quæ cum poſt coitū ſemper decūberet in latus ſiniſtrū, ſemper peperit puellas,vbi verò Medicorū conſilio, cœpit cubare in latus dextrum, cœpit ſimul & Maſculos procreare. De ſimilitudine indiuiduali,in qua re maximè vrget Gal. ratio, reſpōdet Auic. hoc fieri propter reſiſtentiā Semi-

nis Muliebris, non quod vllam vim effectricem habeat, ſed quia,cum propter reſiſtentiam humiditatis illius, nequeat fœtus aſſimilari Patri,aſſimilatur Matri. Ad ſecundam & tertiam Gal.rationem reſpondet, humiditatem quidem illam aſſimilari ſemini, quia viſcida eſt & alba, verumtamen non eſſe verum ſemen. Et quod docet Gal.de vidua, inquit ille, fuiſſe hanc humiditatem, quæ ob moram in vtero craſſefacta erat. Argumentis,quibus nititur Gal. probare eſſe ſemen, reſpondet id quod dicit Ariſt.aduerſus Hipp.voluptatem effici à ſpiritibus & motu, non autem quod ea humiditas ſit ſemen. De vaſis verò ſeminariis & teſtibus,reſpondet quod quanquam materia in his contineatur, non tamen eſt aſſerendum quod ſit ſemen, quia etiam viri interdum ex huiuſmodi vaſis emittunt quandam humiditatem, quæ nequaquam ſemē eſt. Ad tertium, quod pertingat hæc humiditas ad vterum, inquit, quod non ſit mirum, quia & ſanguis menſtruus, qui citra omnem controuerſiam non eſt ſemen,etiam ad vterum pertingat. Quod porrò ſcribit Gal.virtutem informatricē in ſemine Mulieris ineſſe,inſurgunt iſti duabus rationibus apud ipſos grauiſſimis. Vna eſt,quod ſi debiliter informaret vis ſeminis Mulieris,poſſet etiam citra Marem fieri debilis conceptus,quia ab agente ſecundum gradum,ſemper euenit effectus ſecundum gradum:ſed falſum eſt, quod Mulier eo modo poſſit concipere abſque mare.Ergo ſequitur,quod nullo modo ſemen Mulieris vi informatrice præditum ſit. Secunda ratio qua vtitur Auic.& Albert.eſt,quod nulla potentia actiua indigeat aliqua re quæ deducat ipſam ad actum,propter quod vis informatrix maris nullo modo indigebit adiutorio informatricis fœminæ vt gignat: imò dicit Albertus,quod ait Gal.eſſe rariſſimum,nec inueniri ſimile in natura. Et quia poterat aliquis pro Medicis dicere, Semen viri formam adferre : Semen verò Mulieris, figuras & accidentia. Obiiciunt quod ſcilicet dans formam, det & accidentia,per Ariſt.8.Phyſicorū:igitur ſi Semen maris dat formā, dabit figuras & alia accidentia. Hi igitur ſunt diſcurſus,quibus Auic. Alber. & Ægidius nituntur probare à fœmina Semen non mitti, quod habeat vim effectricē. Pro qua re ſtatuenda,illud ante cætera dicendum eſt, quod ſcribit Auicenna 20.tertij, tractat. 1. cap. 3.ſcilicet hanc quæſtionem pertinere potius ad naturalem Philoſophiam, & huius rei ignorationem nequaquam eſſe nocuam Medico, quia tamen puto & Galeni & aliorum Medicorum ſententiam eſſe veram, propterea nobis cum Galeno ſtatuendum eſt,mulierem emittere omnino Semen, quod non ſolùm, vt docet Auicenna, diſponit materiam ad recipiendam informationem, ſed etiam quod informat,verum debilius quam Semen Viri.Sed quia magna ex parte refutatæ ſunt iſtæ opiniones & rationes, nonnullis reſpondebo breuiter : & primò de ſimilitudine Indiuiduali, quæ eſt maxima Galeni ratio, quod ratio Auicen.omnino futilis ſit, nempe ſolam reſiſtentiam præbeat, propterea quod ſi ſolum Semen fœminæ reſiſteret,proculdubio efficeret ſolum vt fœtus non aſſimilaretur Patri. Verumtamen ſi præter hoc facit etiam, vt aſſimiletur matri,neceſſe eſt fateamur aliquam vim ineſſe Semini mulieris, quæ hanc aſſimilationem faciat. Et propterea magnus ille Lucretius 4.de natura dicit,fœtus ſimiles fieri matribus, propter Semen muliebre, ſicuti ſunt ſimiles Patribus, propter Semen paternum: cum ait,

Tum ſimiles Matrum, materno Semine fiunt:
Et patribus patrio.

Quod porrò dicunt, reſpondentes Galeno, humiditatem illam eſſe quidem ſimilem, ſed non eſſe verum Semen: videtur mihi ratio vana,propterea quod ſi ab iiſdem locis emanat atque iiſdem accidentibns præditū, neceſſario etiam videtur eandem habere facultatem:imò poſſunt iſti conuinci Ariſtotelis ratione, qui 1. de

Gener.

Genet.anim.19. ſcribit, Mulieres & Viros pingues idcirco infœcundos fieri, quia Semen vtriuſque abſumitur in pinguedine.Si igitur propter abſentiam Seminis,vt vult Ariſtoteles,tollitur fœcunditas in Muliere,igitur & ex præſentia ipſius Seminis dicitur fœcunditas fieri. Igitur ſecundum Ariſtotelem neceſſariò coguntur fateri,Semen Mulieris vim habere in generatione. Neque valet,quod ſi hæc facultas effectrix debilis eſt, poſſet etiam fieri conceptus debiliter ſine mare, propterea quod vis illa nullo modo poteſt operari, niſi iungatur facultati Seminis maſculini. Et ideò, ſicut Semen Viri non informat ſine Semine Mulieris: ita nullo modo omnino poteſt informare Semen fœminæ ſine ſemine maris. Nam vt exemplum adferamus in artificialibus, vt adfert Ariſtoteles,ad probandum quod Semen Maris non poteſt eſſe vt materia, hæc res perinde eſt, ac ſi quis vellet impellere aliquam rem,ita quod ſolus non poſſet,ſed beneficio alterius: nam vt alter ipſorum non poteſt ſine altero impellere,& vis vtraque alterum iuuat, ita contingit in Semine,quod facultas fœminæ adiuuat facultatem Maris, quanquam facultas Maris ſit efficacior. Nec dicendum eſt quod hoc mirum ſit, eò quod non reperiatur in aliis rebus, quia vt teſtatur Plato in Epinomide,& Ariſtoteles & Auicenna in generat. Animalium,eſt neceſſario quid diuinum, quod in aliis rebus non reperitur, vt non ſit mirum,quod in hac re reperiatur aliqua conditio, quæ non reperitur in aliis rebus naturalibus. Cum igitur vera ſit nobis putanda ſententia Medicorum, quod ſcilicet Mulieres emittant Semen, Gonorrhœa Mulierum nil aliud erit niſi emiſſio huius Seminalis materiæ,citra viri cupiditatem, & (vt dixit Moſchio) cum pallore & laſſitudine. Eſt hic affectus ſymptoma in genere excrementorum immodicè fluentium. Locus verò affectus, vt teſtatur Galenus 6. de locis affect. 6. nullus alius eſt quàm vaſa ſeminalia.

Cauſæ.

Cauſæ Gonorrhœæ internæ ſunt eſſentiales, aliæ per conſenſum.Rurſum eſſentiales Cauſæ, aliæ ſunt ex parte Seminis, aliæ verò quæ pertinent ad vaſa ſpermatica. Cauſæ facientes Gonorrhœam ex parte Seminis,ſunt vel quia Semen in quantitate peccat, vel quia qualitas Seminis mala eſt. Vbi quantitas Seminis exuberat, proculdubio præ abundantia Semen fluit: & huiuſmodi Gonorrhœa ſolet fieri in Viduis, & in illis Virginibus, quæ nuptias nimis protrahunt.Si verò qualitas Seminis cauſa eſt, vel quia Semen nimis calidum eſt, aut nimis acre, aut nimis tenue. Nimis calidum Semen fit, quando homines nimis laborant: Et hac ratione Ariſtot. 5. Prob. 31. dicebat, eos qui nimis exercentur, laborare nocturnis pollutionibus, propterea quod Semen nimis calidum euadit. Similiter ſolet etiam Semen nimis fieri calidum in Febribus, & præſertim in iis, quæ ſunt habituales,propter quod dicebat idem Ariſtoteles Phthiſicos frequenter tentari pollutionibus nocturnis,propter hanc caliditatem. Fit etiam Gonorrhœa, vt dixi, ex Seminis acrimonia, vnde illi qui equitant celerrimè ſolent his affectionibus obnoxij eſſe, quia Semen illis acre euadit.Idem contingit, vbi Semen ſit nimis tenue & fluidum,quàm profit.Ex parte vaſorum ſpermaticorum cauſæ ſunt,vel quia vis retentrix vaſorum offenſa eſt,vt docet Galen.3.Sympt. Atque hæc læſio contingit propter malam intemperiem, vel quia vis expultrix nimis valida eſt, quod etiam in intemperiebus contingere aduertitur: vel quia vaſa ſpermatica conuulſa ſunt. Sic ſæpè videbitis eos qui conuulſionibus capiuntur, emittere Semen, propter ſcil. Spaſmum vaſorum ſpermaticorum, id quod docet Galen. 14. de vſu partium

10. & 3.Symp.4.atque hæ ſunt cauſæ eſſentiales. Cauſæ verò per conſenſum ſunt illæ,quæ cómunicant affectus vaſis ſpermaticis,& hæ, vel ſunt in Renibus,vel in Muſculis: In Renibus, quando ipſi maximè feruefacti ſunt, ita vt feruorem vaſis ſpermaticis, communicent. In muſculis, quando muſculi ſuperpoſiti vaſis ſpermaticis ſunt valde accenſi: atque tot ſunt cauſæ internæ. Externæ verò cauſæ ſunt,longa in primis abſtinentiá coitus, cogitationes, ſermones, lectiones rerum venerearum,nimia frequentia coitus,nimius corporis motus,otium,ſomnus ſuper dorſum factus, ſtrictura lumborum, & pannorum nimis calefacientiũ ſuper lumbos vſus:adhæc potus meraciores,cibi,vt ſunt,Oſtrea,Bulbi, Tubera, Cardui, Ciceres,Nuclei pinus,& tandem omne eduliorum genus, quod vel multiplicare ſemen,vel prouocare poteſt. Quo in loco notare debetis ferè omnia quæ Gonorrhœam in Viris generant, eadem generare in Mulieribus. Imò verò Theodorus Priſcian.lib.3.ſuæ Medicinæ cap.10.ſcribit curationem in Viris,nihil differre à curatione Mulierum.

Signa.

SIgna generica huius affectus comparantur ex relatione vel ipſius patientis: vel miniſtrarum eius, quoniam ſæpè erubeſcunt Mulieres id fateri, vnde neceſſum eſt hoc intelligere, vel à matribus,vel à miniſtris. Inter alia ſigna quæ referuntur à miniſtris,hoc vnum eſt,quod ægra dicit exire è Vulua materiam albam craſſiuſculam, ſine voluptate. Sed dicetis, quæ eſt cauſa quod nulla percipitur voluptas? Hæc eſt,quia, vt intellexiſtis, voluptas oritur ex ſpiritibus & motu ſeminis, qui confertim & ſubitò fit: iam verò Semen quod in Gonorrhœa effluit, ſpiritibus priuatum eſt,tardiſſimè mouetur, & paulatim emanat, ita quod omnes deſiderentur voluptatis cauſæ. Sed quia materia quæ exit à matrice, interdum ſperma eſt, interdum nequaquam ſperma eſt, propterea neceſſe eſt, vt habeatis ſigna, vt diſtinguatis quando materia ſeminaria eſt & quando non. Subſtantia quæ ſemen eſt,habet has conditiones,quod ſcilicet tametſi minus craſſa ſit quàm Semen viri, veruntamen habet & ipſa nonnihil craſſitiei: materia quæ Semen non eſt,tenuiſſima eſt,& multum fluxilis. Adhæc materia ſpermatica pauca eſt, & longis interuallis emanare ſolet: materia verò quæ Sperma non eſt, copioſiſſima eſt & etiam magis continuè fluit. Quod vt melius intelligatis, debetis meminiſſe quod ſcribit Ariſtoteles 1.de generatione Animalium/18.vbi ait, illud ex quo generatur ſemen, omninò pauciſſimum eſſe, propterea quod ex tota cibi quantitate pauciſſimum omninò eſt illud, quod membris pro nutrimento apponitur: ex hoc verò pauciſſimo generatur ſemen, quod eſt minima portio ipſius pauciſſimi. Ita quod neceſſe eſt omninò ſemper paucum eſſe ſemen, & propterea in Gonorrhœa paucam hanc materiam exire. Sed dicetis, ſi materia ſeminaria adeò exigua eſt,cur interdum in Gomorrhœa videtur quod maxima Seminis copia exeat? Dico, propter duas cauſas hoc fieri. Prima eſt, quia ſæpè Semini miſcetur aliena materia, vt pituita defluens à Capite, quæ videtur augere ſubſtantiam ſeminis. Altera cauſa eſt, quia vaſa ſpermatica, vbi fiunt intemperata, vehementer attrahunt à toto, itá quód illud quod deberet nutrire membra, ad ſe rapiuut, & ita videtur ſemen multiplicari. Ex quo loco notare debetis errorẽ eorum, qui putant Semen fieri album in teſtibus, quia in Gonorrhœa ſemen album exit,& tamen ne momento moratur in teſtibus Adhæc dignoſcitur materia ſeminaria ab alia, qualitatibus viſibilibus & odorabilibus, quemadmodum vbi materia ſpermatica fuerit,ſẽper valde albeſcit, ſplendet,& sẽper ſine vllo fœtore

eſt,

eſt,præſertim in principio:vbi verò aliena fuerit materia,obſcurior eſt, interdum nigra , interdum rubra, & variorum colorum. Accedit his ſignis & aliud , quod in Gonorrhœa ſi diutius perſeuerabit , neceſſariò corpus contabeſcit , quia mẽbra priuantur nutrimento proprio : in fluxu verò alienæ materiæ , corpora non ita emaciantur & contabeſcunt. Tandem prægnantes Mulieres nunquam Gonorrhœa capiuntur , ratio eſt , quia Semen,vt intellexiſtis,fluit in Vterum , ex Vtero foras emanat : in prægnantibus Vteri os clauſum eſt , itaque non poteſt Semen profluere. Fluore verò aliarum materiarum laborant quidem prægnantes ,idcirco vbi in prægnantibus adeſt talis fluxus , certi eſſe debetis, non eſſe Gonorrhœam. Cauſæ verò ex quibus fit hoc malum, cognoſcuntur ſuis ſignis, quia ſi fiat à multitudine Seminis, cognoſcitur ex vita anteacta : vt ſi otioſa fuerit Mulier, ſi bene nutrita , abſtinuerit à coitu , vſa ſit cibis Semen multiplicantibus : præterea , ſi corpore carnoſo , calido & humido prædita ſit , non pingui. Etenim , vt docet Ariſtoteles , pinguia corpora ſunt infœcunda , ob Seminis inopiam. Sic corpora calida & humida ſemper exuberant Semine,vt iure aſſimilarit ea Plato arboribus nimium fructificantibus. Accedit & aliud ſignum , quod quando Gonorrhœa fit à Seminis multitudine, nullum nocumentum ſentit , imò tanquam onere leuata, Mulier videtur ſeſe melius habere. Si oriatur à Seminis caliditate & acrimonia, cognoſcetis calore genitalium & lumborum, pruritu,mordicatione.Si ſit ex acuitate & tenuitate , dicunt aliqui adeſſe coitus deſiderium : verùm ſum alterius ſententiæ , ſcilicet non poſſe adeſſe coitus deſiderium , quia proprius character huius morbi eſt,vt ſit ſine cupiditate & deſiderio, itaque adeſt mala quædam ſenſatio & punctio. Quod ſi propter vaſorum ſpermaticorum intemperiem malum fiat, cognoſcetis vbicunque nulla alia aderunt ſigna , quæ alias cauſas declarent. Sin ex affectu Renum proficiſcatur , in dorſo percipitur debilitas quædam , mala ſenſatio caliditatis,& in vrina ſupernatat veluti quædam pinguedo, quia propter feruorem eliquatur pinguedo renum , miſcetur Vrinæ,& ſupernatat ipſi.Cauſæ externæ ſolum comparantur ex relatione aſtantium & ipſius Mulieris.

Prognoſtica.

PRognoſtica ſunt , quod vbi hoc malum diu perſeuerauerit , deducit ægros ad maciem , ad crurum infirmitatem , ad Vlcera & vrinæ difficultates. Referunt alij Practici, ſe vidiſſe interdum Mulieres ſub hac ægritudine occubuiſſe , eo quod præ pudore noluerunt detegere hunc morbum.

Curatio.

CVratio eius tota poſita eſt in cauſarum ablatione:Et quia hic morbus partim factus eſt , & partim ſemper eſt in fieri , ideò Medicus diligens eſſe debet, vt non ſolùm factum tollat, verumetiam prouideat ne fiat. Ad omnia maximè conducit victus ratio rectè inſtituta : proptera ante alia prouidendum , vt Aër frigidus ſit & ſiccus , parum dormiat : dicit Ariſtotel. quarto Problemat. quinto,dormientes facilè nocturnas pollutiones pati , eò quod in ſomno corpora maximè calent & humida fiunt , quæ omnia exitum Seminis iuuant. Somnus debet eſſe ſuper ſtragula dura & refrigerantia,vt ſunt folia Nympheæ,Lactucæ,Vitis,Salicũ, Violarum,& præſertim foliorum Viticis. Nam relatum eſt,Mulieres Athenis quæ miniſtra

miniſtrabant ſacris Ceteris, conſueuiſſe ſuper Viticem dormire, vt caſtitatem ſeruarent, vnde planta hæc, Agnus caſtus dicta. Sed dubitabit aliquis veſtrum, quomodo conferre poſſunt huiuſmodi exteriora, quando ſcribit Galenus 6. Epid. 1. text. 6. externa medicamenta Renibus adhibita, parum omninò prodeſſe, tùm propter corporis Renum videlicet denſitatem, tùm etiam propter multitudinem corporum, quæ Renibus ſuperponuntur. Ita quod difficile omninò videtur medicamenta extrinſeca poſſe penetrare: quod ſi verum eſt, eò minus medicamenta penetrabunt ad vaſa ſpermatica. Dico, verè hæc remedia non poſſe id admodum præſtare integrum, quod deberent, eò quod vis ipſorum ob dictas rationes mirificè frangitur, verumtamen propter longum & frequentem vſum omnia conferunt: quinimò dicit Galen.6. de Tuend. valet.14. ſe interdum Renes mirificè refrigeraſſe ſolum externis medicamentis, quapropter non malè faciunt qui ſubinde ſuper Renes laminas plumbeas geſtant, vel pilulas plumbeas in ſacculo, quia longo vſu neceſſariò frigiditas communicatur Vaſis ſpermaticis. Motus corporis vitandi ſunt, & præſertim crebræ equitationes: ſic quoque prouidendum eſt, vt Lumbi & Renes multis tegumentis non tegantur, neque admodum ſtrictè ligentur, & ego curaui multas Mulieres, quæ in hunc affectum incurrerant propter pannorum ſtrictorum vſum. Auertendæ ſunt omnes cogitationes rerum Venerearum, lectiones & ſermones: picturas etiam & ſigna formoſa effugienda eſſe à viſu conſulit Aëtius, potius adhibenda quæ tragica ſunt, aut quæ mœrorem, aut horrorem, aut odium coitus excitent. De potu, abſtinendum ſi fieri poteſt à vino, & in vſu habenda vel Aqua Calybeata, vel pluuiæ, vel cui incoctum ſit ſemẽ Rutæ, Semen Agni caſti, Semen quoque Nympheæ, de quo ſcribit Gal. 8. Simpl. illud omni Seminis nimio fluxui compeſcendo maximè conferre. Sic etiam, ſi Aqua non placeat, vtatur Vino tenui ſubaſtringẽte, cui immacerata ſint huiuſmodi ſemina per noctem: Vinum fuluum, quod ab Aëtio commendatur, nequaquam probo. Ciborum delectus habendus, quemadmodum ſi malum ortum duxerit à Seminis multitudine, debet Cibus eſſe paucus & pauci nutrimenti: vnde Herbarũ vſus conuenit, Plantaginis, Nympheæ, Rutæ, Lactucæ: Panis debet eſſe furfuraceus: Fructus conueniunt, vt Pyra, Poma Meſpila: fugienda caro Caponum, aut aliorum animalium, quæ multum nutriunt. Quod ſi velitis vti Carnibus, debent eſſe in Aceto elixæ: Nuclei pini, Amygdalæ, Piſtacea, fugienda: ſic Oſtrea, Bulbi, & omnia quæ Semen multiplicare nata ſunt. Quod ſi malum fiat propter Seminis acuitatem, conueniunt ea quæ non ſolum parum nutriunt, verùm etiam Emplaſtica quodammodo ſunt & adſtringentia, vt Lactuca, Portulaca, Plantago, pultes ex Farre, Hordeo, Oryza, Milio. Pedes animalium conueniunt, Cerebella, gellatinæ, Piſces. Quod ſi proficiſcatur ex vaſorum ſpermaticorum intemperie, præſertim calida, debent cibi eſſe refrigerantes, non ſolum actu, ſed etiam potentia. Sed notate, quod ſemper debetis hic conſiderare, vt Cibus parum generare ſanguinis aptus ſit, eò quod ſubrepto fonte Seminis generationi, neceſſariò fluxus malum omne tollitur. Inſtituta victus ratione, cogitandum ſtatim quæ ſit Gonorrhœæ cauſa: Si enim ex multitudine Seminis ortum ducat, cum ferè ſemper plenitudo hanc cauſam comitetur, ſtatim ſecanda eſt Vena, ſed prius lenita aluo. Erit autem ſecanda, aut Baſilica, aut Saphæna, vel etiam ſcarificanda Crura. Secta vena, deinde ſtudendum eſt, medicamentis, & intrinſecis & extrinſecis fluxum ſedare. Inter intrinſeca conueniunt variæ Confectiones & etiam Serapia: vt pro confectione:

℞. Conſer. de Aceto. Citrin. ℥.ij. Camphor. ℈.ij. Sem. Nympheæ, Agni caſti, Rutæ. an.

an.℈.j. Puluerifatis puluerifandis,fiat mixturà. Et aduertite baſim ferè huius medicamenti eſſe, Conſ.de Aceto.Citri,quia ſuccus Citri & Limonum mirificè confert ad extinguendam Seminis copiam. Imò ego ſoleo vti in Gonorrhœa, ſucco Citri & Limonum magna felicitate. Serapium poteſt hoc modo fieri.

℞. Fol.Scariolæ,Endiuin.an. M.j.Sem.Rutæ,Lactucæ,Citrulli:Nymphea an.℥. Contundantur omnia craſſo modo,deinde imponantur in ℔. iij. Aquæ pluuialis, & bulliant vſque ad conſumptionem duarum tertiarum. Deinde facta colatura, cum Saccharo, ſecundum artem, ſyrupiſentur: & dicti ſyrupi capiantur ſingulo mane vnciæ tres vel quatuor. Extrinſecus commendantur varia, ſed præ cæteris commendatur & apud me vſu probatum eſt Oleum ex ſemine Hyoſciami: Capiantur ſemina Hyoſciami & contundantur, deinde irrorentur Aqua vitæ, poſtmodùm ponantur ſub prælo & exprimatur oleum. Hoc oleo inungantur Lumbi, loci Muliebres,& mirificè confert. Poteſt etiam componi Linimentum,vt:℞. Ol. Myrtyll. ſem. Hyoſc. an.℥.s.ſem.Mandrag. Lactucæ an.ʒ j.Camphoræ ℈.ij.Aceti optimi q.ſ.Puluerifatis puluerifandis,fiat Linimentū. Hac eadē intentione,licebit componere Inſeſſus. Accipe huiuſmodi herbas & ſemina, atque in Aqua pluuiali incoquatur, & curetur vt mulier patiens ſedeat vſque ad vmbilicum. Si cauſa fuerit mordacitas & acuitas ſeminis, in hoc caſu, dum nihil obſtet,mittendus eſt ſanguis, quo miſſo, refrigeratur iecur & conſequentet mordacitatis cauſa auferetur.Miſſo ſanguine, ſtudendum eſt mordacitatem abolere ſeminis,id quod & intrinſecus & extrinſecus agendum. Intrinſecus conuenit hoc Brodium: ℞. ſem. portulacæ, Lactucæ,ſolatri,Rutæ an ʒ. ij. Folio.Lactucæ,Lapathi, Plantaginis an. M. s. Contundantur omnia, & bulliant in brodio carnis Vitulinæ : Deinde facta colatura.

℞. Dicti Brodij ℥. vj. Fiant quoque Confectiones variæ in hoc caſu. Exemplum eſt illud:

℞. Sacchar. Roſati ℥.ij. Camphoræ (quæ commendatur,quaſi propria facultate ſemen aboleat, vel vſu quotidiano comprobatum.) Sem. Portulcæ,Lactucæ an.℥. ij. Huius mixturæ capiatur ʒ. s. ad ſummum,ſingulo mane. Conuenit quoque Linimentum præſcriptum in hoc caſu & inſeſſus, vbi ſemen tenue & aquoſum eſt. Commendatur præ cæteris Tryphera Meſues, quæ ſolet mirificè ſemen incraſſare. Quod ſi malum oriatur propter retentricis imbecillitatem,ſtudendum eſt, primo intemperiem, ex qua oritur imbecillitas, corrigere : deinde vtendum eſt iis quæ conſtringere poſſunt. Sed ante alia vſu mihi probata eſt hæc Confectio :

℞. Diacyd. ſimp.℥. ij. Pul.Coral.rub. ʒ. j.s. Balauſtiorum ʒ. ij. ſeminis Rutæ, Agni caſti ℥. j. Puluerifatis puluerifandis, fiat Mixtura. Et aduertite, quod ſemper quæcunque ſit cauſa,debetis hoc cogitare, vt medicamentis miſceatis ea quæ ſemen extinguere poſſunt: Nam inter ea quæ id faciunt, ſunt quæ à proprietate conferunt, vt eſt Cornu cerui vſtum, Lapis Hæmatites, ſemen Anethi,Agni caſti. Poſt malum finitum,ſolet interdum relinqui corpus valdè emaciatum & excarne, propter quod neceſſe eſt corpus reficere, pro quo poteſtis vti hac Confectione:

℞. Marga.ſub. pul.ʒ. j. s. Nucleorum pini ℥. s. Pulpæ Caponum ℥.ij. Sacchari opti.℥. iiij. ſecundum artem fiant morſelli. Atque hæc eſt integra curatio Gonorrhœæ Muliebris.

DE

DE FLVORE MVLIEBRI.

CAPVT VII.

POSTREMO loco ſuccedit aliud malum, cui Mulieres ſolæ ſunt obnoxiæ,& eſt Fluxus humiditatum ab Vtero,qui neque Menſtrua ſunt,neque Semen:appellant hunc Morbum Græci ῥῶν γυναικεῖον, Latini Fluorem : vulgus verò, Mulieris Menſes albos : quanquam interdum confundatur cum Gonorrhœa. Eſt hic affectus continuus ex Vtero variarum humiditatum,fluxus. Dico variarum,quia interdum exeunt putridæ,interdum imputridæ, interdum materia bilioſa eſt, interdum rubra, ſæpiſſimè alba , rariſſimè nigra. Et ratio,cur materia nigra rarò fluat, eſt,quia humor ater, ſua natura torpidus eſt, neque facilè diffluit. Eſt hic affectus Symptoma in genere excrementorum immodicè fluentium , id eſt, quæ tum qualitate peccant,tum quantitate tam continua,quàm diſcreta. Dubium eſt de loco affecto,quis ſit : Altimarus ductus Galeni autoritate 3. Symp. 4. & 6. loco. affect. 5. in fine, putauit nullum certum locum huius affectus poſſe aſſignari. Sed ſum ego alterius ſententiæ , quod in Fluore Muliebri , interdum locus affectus ſit vniuerſum corpus , ſæpe vterus , nonnunquam alia aliqua corporis pars : atque adducor iiſdem auctoritatibus Galeni,quibus vtitur Altimarus:Galenus ſcribit in Fluore Muliebri non ſemper Vterum affectum eſſe : quorum verborum ſi vim expendamus , nihil aliud innuere vult , niſi quod ſæpè vterus ſit affectus , ſed non ſemper. Hanc eandem mentem videtur habuiſſe Auicenna 21. tertij, tract. 3. cap. 32. vbi ſcribit, fieri non ſolùm ob humorum ſuperfluitatem, verùm etiam propter imbecillitatem venarum vteri Menſtrualium.

Cauſæ.

CAuſæ internæ Fluoris muliebris,ſunt vel ex parte membrorum mandātium, vel ex parte recipientium , vel ex parte materiæ fluentis. Ex parte membrorum tam mandantium, quàm recipientium, cauſæ ſunt , vt docet Galenus lib. de Different.Sympt.vltimo,aut quia facultas ſanguificatiua eſt læſa,ita quòd non gignatur is ſanguis qui autem deberet : vel quia expultrix offenſa eſt , ita quòd plus expellat , quam autem deberet,& eo tempore, quo non deberet : vel quia facultas diſcretoria offenſa eſt : (Et notate hunc locum,quia difficilis eſt , ex hoc enim & etiam ex quarto de vſu part. 1. colligere eſt, Galenum non cognouiſſe eam facultatem diſcretiuam,quam adeò celebrat Auerroës :) vel quia facultas retentrix offenſa eſt.Sed dicetis,quomodo poteſt in Fluxu retentrix offenſa eſſe, quia retineat magis quàm deberet ? Hoc fit,vt dicit Gal. l. c. quia vbi Corpus conſtipatum eſt, vel etiam Renes conſtipantur,aut facultas corporis retentrix valida eſt , membra retinent materiam craſſam:pars ſeroſa & tenuis , cum non poteſt euacuari,neque per Vrinas, propter Renes obſtructos , neque per cutim , neceſſariò demandatur ad Vterum & fit muliebris fluor : Ita quod clariſſimum eſt ex Galeno , ex robore retentricis fieri hunc morbum.Ex parte materiæ fluentis cauſæ ſunt; quia vel humores ſunt tenues , fluxiles & ſeroſi : vel quia materia putreſcit in aliqua parte, ex putredine. Bilioſa euadit: vnde merito acrimoniæ excitat & ſtimulat perpetuò expultricem facultatem. Externæ cauſæ,vt dicit Auicenna, multæ ſunt, & imprimis

ruis Aër frigidus & humidus, Mœror, conſummatum otium, & hac ratione Mulieres agreſtes rariſſimè tentantur hoc morbo: tentantur nobiliores, ob nimium otium. Inter has cauſas ſunt varia eduliorum genera, & præſertim herbarum & fructuum eſus, partus graues & difficiles, ſed præ cæteris frequentes Cruditates: vt non immeritò dixerit Auicenna, Cruditates eſſe omnium morborum matres. Inter cauſas externas recenſere etiam poteſtis Ætatem, quanquam ætas poſſit dici cauſa interna, ſed mediatè. Dico de ætate, quia Hippocr. 2. de Morb. Mulieb. & Aëtius lib. 16. cap. 65. ſcribit albos Menſes frequentiſſimè fieri ſenioribus: in ætate vigente conſtitutis, fiunt frequenter rubri & pallidi: virgines ferè ab hoc morbo liberæ ſunt.

Signa.

Signa Fluoris Muliebris, quanquam comparantur ex relatione ægræ, tamen à Medico diligenti propria etiam induſtria acquiruntur. Etenim ſunt omnes Mulieres, quæ patiuntur hunc affectum, triſtes, pigræ, ſine appetitu, difficulter ſpirant dum ambulant. Gal. 2. de Præſag. ex pulſu capite nono addit, in hoc affectu fieri ſæpe pulſus vermiculares: adhæc, Vteri ſemper aliquam humiditatem ducunt, quæ ſæpè fœtet: interdum eſt fœtoris expers, modò rubra eſt, modò pallida, modò alba: & vt dicit Aëtius, Ptiſanæ inſtar. Hipp. lib. de natura Mulierum & ſecundo de Morb. Mulieb. ſcribit, vrinas harum eſſe veluti ſunt Aſininæ. Notate, quod quanquam videatur hic fluxus ceſſare, tamen dixi perpetuum etiam & continuum: & verum eſt, quia, vt dicit Paulus lib. 3. c. 63. licet materia diſtillet ſemper, tamen loci illi Muliebres madent magis quàm naturæ conueniat, facies decolorata eſt, oculi tument: Circa quem tumorem oculorum, debetis notare errorem Auicennæ & Altimari. Errarunt iſti, vnus propter malè Paulum intellectum: alter propter ignorantiam linguæ Græcæ & malam Andernaci tranſlationem. Dico Andernaci, quia Cornarius hunc locum Pauli bene vertit. Auicenna 21. tertij, tract. 3. cap. 32. ſcribit, in hoc affectu, tumorem oculorum interdum eſſe cum dolore, interdũ ſine dolore: id quod etiam affert ex Paulo lib. 3. c. 63. Altimarus. Sed hoc falſiſſimum eſt, neque Paulus dicit: nam vt videmus in cachexia & Hydrope, vt oculi tumeant, nunquam dolent, ita neque in hoc affectu. Neque hoc Paulus dicit, vera inquam litera Pauli, nam Andernacus vos fefellit. Dicit Paulus, quod oculi tument: poſtea dicit, fieri hunc affectum modò cum dolore, modò ſine dolore. Ita quod Auicẽna, Andernacus, Altimarus, quod Paulus tribuit affectui, putant tribuere tumori oculorum. Igitur inter ſigna poteſtis recenſere, interdum fieri cum dolore, cum ſcilicet materia eſt acris, interdũ ſine dolore. An fluat à capite, an verò à ventriculo, auctor libri de natura Mulier. docuit nos cognoſcere, vbi ſcribit quod ſi materia mordax non ſit, neque acris, argumẽto eſt humores fluere à capite. Si verò materia mordeat & rodat, indicium eſt, fieri à ventriculo. Sed hæc ſigna nequaquã firma ſunt, quia ex cruditate ventriculi, poteſt fieri materia cruda, pituitoſa, quæ non mordeat: itaq; certa non ſunt, ſed illa certiora, quando toto corpore affecto, intelligimus malum fieri à toto: affecta aliqua parte, vt vtero, vel Iecore, intelligimus malum ab ea parte oriri. Cognoſcuntur humores facientes malũ, ex Colore, quia, ſi pãni quibus ſolent vti mulieres ad detergendas has ſordes, exſiccẽtur in vmbra, demonſtrant quales ſint humores: quia ſi bilioſa, color eſt pallidus: ſi ſãguinea, color erit rubeus: ſi pituitoſa, erit ſubalbidus: ſi melãcholica, niger. Cognoſcitur muliebris fluxus rubeus, à menſtruorum fluxu, duobus potiſſimum ſignis: vno, quia in Fluore, materia

quæ

quæ exit, refert Aquam in qua ſunt ablutæ carnes. In Menſtruo fluxu, materia quæ exit, eſt ſanguis ſyncerus. Altero, quia in Fluore Muliebri, materia exit continuò nulla ſeruata periodo. Vbi fluxus Menſtruorum eſt, neque continuò fluit materia, ſed etiam quaſdam periodos habet.

Prognoſtica.

PRognoſtica hæc ſunt, quod Fluor Muliebris vbi perdurat, ſemper morbos peſſimos inducit, Hydropes, Cachexias, Vlcera, Neruorũ læſiones & innumerabilia mala. Hippoc. quinto Aphoriſm. 56. ſcribit: quod ſi Fluori Muliebri ſuperuenerit Conuulſio, malum eſt. Ratio eſt, quia hoc malum ſemper requirit exinanitiones: Cóuulſiones exinanitione lethales, vt alibi dicit Hippocrates. Optabit aliquis veſtrum ſcire, cùm omnis fluor malus ſit, quis deterior, an vbi materia fluens alba eſt, an vbi rubra, aut flaua. Dico, quod ad cauſam attinet, ſemper Fluores albos eſſe deteriores: ratio eſt, quia huiuſmodi fiunt à cauſa frigida: cauſa frigida ſemper deterior calida. Propter quod iure ſcribit Hippoc. 2. de Morb. Muliebrib. Fluorem in ſenioribus incurabilem eſſe, & eas vſque ad mortem comitari. Quod verò attinet ad Symptomata, dico Fluorem rubrum & bilioſum deteriorem eſſe, quia rarò contingit, quod huiuſmodi Fluores mordeant, vt Vlcus inducant.

Curatio.

CVratio huius affectus tota poſita in exſiccatione & ablatione Fluxus, qui quoniam tribus conſtituitur, ſcilicet membris mandantibus, recipientibus, & materia fluente, propterea tres oriuntur ſcopi: quorum vnus eſt, vt membra mandantia corrigantur: alter vt membra recipientia corroborentur. Tertius eſt, vt materia fluxus aboleatur. Ad quos ſcopos implendos, neceſſaria eſt Victus ratio: Aër ſiccus eligendus, vel parandus, ita vt in materia calida frigidus ſit: in materia frigida, calidus. Somnus quantò longior, tantò melior, eò quòd tempore ſomni, omnes euacuationes conſiſtunt: confert Somnus factus pedibus elatioribus & cruribus complicatis: mœrores, triſtitiæ & cogitationes omnes ablegandæ. Corporis motus vitandus, præter Frictiones, quas Galenus & Paulus commendant. Indigeſtiones, tanquam peſtis fugiendæ, & ſtudendum eſt, vt omnes coctiones optimè perficiantur. Vinum conuenit tenue & ſubaſtringens: Hippocrates laudat Vinum dulce, aquoſum: ſed magis mihi placet, quod Paulus laudat craſſum, quia ab hoc humores alioqui fluxiles incraſſantur & tardantur, debet ſemper potus eſſe pauciſſimus. Panis optimè fermentatus ex flore farinæ, ſiue farina ſit hordeacea, ſiue triticea: Oua, carnes venationis, piſces ſaxatiles: carnes præſtabit coquere cum aqua pluuiali, vel chalybeata & addere modò Omphacium, modò ſuccum Granatorum, modò Cydoniorum, Berberi commendantur ſummoperè à Dioſcoride, & idcircò horum ſucci conueniunt. Abſtinendum ab omnibus ſalitis acribus. Inſtituto Victu, videndum eſt, quæ ſit materia fluoris, quia ſi rubra fuerit, mittendus erit ſanguis à Cubito, deinde omnia remedia & intrinſecus & extrinſecus adhibenda, quæ præſcripſimus in immodico menſtruorum fluxu, ne eadem repetantur. Si fluor bilioſus vel pituitoſus erit, erunt purgandi humores, ſed prius præparandi: & aduertite in horum præparatione, non eſſe neceſſarium vt tandiu vtamini Syrupis. In materia pituitoſa, Syr. de Betonica, Mel Roſatum conuenit, ſine diluto. In materia Bilioſa, Syrupi de Endiuia,

Endiuia,de Acetoſa,de Portul. atque ſufficit duobus vel tribus diebus ad ſummũ vti. Poſtmodum erunt expurgandi iiſdem medicamentis quæ ſæpius docui. Facta expurgatione, conſequens eſt vt corrigantur membra mandantia, & roborentur recipientia, & materia diſſipetur. Membra mandantia, cum hoc agant præſertim ob intemperiem ventriculi,vel iecoris,ſi frigida,vtendum calefacientibus : ſi calida, refrigerantibus : quo in caſu commendatur Serum Lactis ab Hippocr. 2. de Morbis Mulib. niſi mulier fuerit Lienoſa. Ex quo loco poteſtis intelligere, in affectibus Lienis, fugiendum eſſe Serum. Similiter,commendantur potiones refrigerantes & decocta.In intemperie frigida maximè commendo Aquas Thermales, vt præ cæteris Aponitanæ vel Porritanæ ſunt. Adhæc Confectiones magnæ, vt Theriaca,Triphera perſica, Diatrionpipereon, Diacalamenthum, quæ omnia non ſolùm calefaciunt,ſed etiam exſiccant excrementitias humiditates. Poſtremò, veniendum eſt ad diſſipandam humiditatem, quæ diſſipatur Frictionibus præſertim factis cum Melle cocto, necnon Arena, vt Galenus lib. de Præcognit. ad Poſthumum cap. 8. factum fuiſſe in caſu vxoris Boëthi, narrat : nequeſolum his modis ſiccanda materia quæ fluit, verumetiam reuocanda ab Vtero ad alias partes, vt per Vomitum,quod laudat Auicenna : vel per aluum,vel per veſicam, & videtur Galenus maximè commendare reuocationem ad veſicam, qua ſola ferè gloriatur ſe curaſſe fœliciter vxorem Boëthi,& inde gloriam & nummos lucratum fuiſſe. Vltimo loco, roborandus venit Vterus medicamentis adſtringentibus : ſed ante vſum adſtringentium, debetis ſemper tria diligenter conſiderare. Vnum eſt, vt non vtamini adſtringentibus,niſi videatis corpus exactiſſimè expurgatum eſſe.Alterum verò, vt dum adſtringere vultis,ſemper procuretis materiam fluentem aliò diuertere, quia cum ſemper aliquid fluat, ſi materia non diuerteretur & euacuaretur per alias partes, periculum eſſet,ne retenta faceret Hydropicas, Cacheticas: quem errorem & commiſſum fuiſſe à Medicis,& à ſeipſo in vxore Boëthi in lib. de Præcog. ad Poſthumum cap. 8. Galenus fatetur. Tertio aduertendum eſt, vt non ſolùm proſpiciatis rebus adſtringentibus,ne vterus recipiat, verumtamen ne noui humores regenerentur, quem errorem fuiſſe cauſam commiſſum in caſu prædicto ſcribit Galenus,atque ab ipſo errore monitus narrat, ſe præcepiſſe, vt Mulier illa parcè biberet & comederet,atque fricaret Melle cocto. Adſtringentia quæ conueniunt, multa vobis à me ſunt propoſita, vbi egi de immodico Fluxu Menſtruorum, multa quoque quæ ab Auicenna, Moſchione & Plinio ſunt tradita. Sed quod ego in vſu habeo probatiſſimum, eſt Coagulum leporinum, cum decocto foliorum Quercus:nã curo coqui folia Quercus in aqua, & decocti prædicti accipio vncias quinque vel ſex, vnà cum drachma vna Coaguli, atque ita octo vel decem diebus, inueteratos fluxus curaui. Infunduntur etiam quædam in vterum, quæ conueniunt mirificè hunc fluxum ſiſtere. Soleo ego vti Ptiſana liquida,facta interdum ex Milio,interdum ex Hordeo & Farre. Sed Ptiſana ex Milio videtur mirificè conferre,quia vehementer exſiccat,infundunt per inſtrumentum quod Medici vocant Metrenchytam,addo quandoque ſuccum Granatorum, Berberorum,Labruſcæ,præſertim cum vterus eſt calidus. Eſt dubitatio, an in hoc affectu curando, conueniant ea quæ prouocant vrinam : ex vna parte eſt Galeni autoritas, qui in vxore Boëthi dicit ſe hoc malum extinxiſſe ſolo diureticorum vſu. Ex altera parte obſtat ratio,quia quæ prouocant vrinam, prouocant & Menſes : prouocare in hoc affectu Menſes, eſt valde noxium. Altimarus, qui vidit hanc difficultatem, vt occurreret,dixit non eſſe verum, contra Arabes,quod quæ prouocant vrinam, prouocent Menſes: & adducit auctoritatem Galeni 5.Sympt.

13. vbi aſſerit prouocantia Vrinas, non mouere Menſtrua. Addit Altimarus, Galenum in vxore Boëthi vſum eſſe Aſaro & Appio, quæ prouocant quidem Vrinas, ſed non Menſes. Sed miror Altimarum hac in re dormitaſſe, quoniam Galenus in eodemmet Capite ab ipſo citato, & cap. 22. ſcribit, Aſarum prouocare Vrinas & Menſes. Præterea 8. de Simplic. cap. de Appio ſcribit, Appium prouocare Vrinas & Menſes: idem de Petroſelino eodem loco aſſerit. Igitur falſum eſt Altimari dictum, Galenum vſum eſſe Aſaro & Appio, quia prouocent Vrinas, non autem Menſes, quia clariſſimæ ſunt auctoritates Galeni, vbi ſcribit, hæc prouocare Vrinas & Menſes. Dicendum igitur, vt aliàs vos docui, in hoc affectu maximè prodeſſe diuretica, quia ſi prouocant Menſes, id tamen agunt ſecundariò, & per accidens, ita quòd materia deducitur ad Vrinas, quæ eſt potior operatio, ad Menſes exigua, aut nulla. Imò dicit Auicenna quoſdam laudaſſe in hoc caſu, quæ prouocant Menſes, atque ea probat, modò fluor non oriatur ab Vlceribus Matricis, modò non adſit corroſio in Matrice, neque ſit debilis retentrix: quia in aliis caſibus non debemus timere prouocantia Menſes, modò principaliter Vrinas prouocent.

DE MORBIS VTERI A SOlutione vnitatis.

CAPVT VII.

PERTRACTATIS Morbis Vteri, qui fiunt cum materiæ fluxibus, adeundum nobis eſt aliud genus morborum, quod fit in Vnitatis ſolutione, quod quidem genus duobus potiſſimum comprehenſum ab auctoribus inuenio, ſcilicet ſub Vlcere & ſub pruritu Vteri, propter quod mihi videtur conſequens ordini noſtro, vt breuiter de his tractemus hoc tempore, eò magis quòd Vlcera conſueuerunt fieri poſt Gonorrhæam & poſt Fluorem. Dico hoc, quia, vt ferè omnes ſcriptores narrant, iſte morbus, ſcilicet Vlcus Matricis, non ſolet aliunde fieri, quàm ex his aut aliis præcedentibus morbis. Locus affectus Vlceris, eſt ſæpiſſimè, vt dicit Galenus de Locis Affect. 8. Ceruix & collum Vteri, fit tamen quandoque etiam in corpore Vteri, ſed rariſſimè, eò quòd Vlcera depaſcuntur carnoſas partes, Vterus circa ceruicem & collum carnoſus eſt. Hæc verò Vlcera multas habent differentias, vel enim ſunt ſordida & putrida, vel ſunt pura & omni ſorde priuata. Rurſus vel ſerpunt, & dicuntur Græcis νόμαι: vel non ſerpunt. Iterum fiunt cum inflammatione & ſine inflammatione.

Cauſæ.

CAuſæ Vlcerum matricis omnes, nullæ ferè ſunt aliæ, quàm morbi præcedentes, aut aliæ externæ cauſæ, vt Archigenes, Paulus & Aëtius docuerunt. Exempli gratia, fluxus acres & erodentes, acria medicamenta, tam per os accepta, quàm Vuluæ infuſa: Abſceſſus rupti, difficiles partus. Quemadmodum ſcribit Albertus Magnus lib. de Secre. Mulieb. ſæpè Mulieres inter pariendum diſcindi atque dilacerati, vt iure Medea apud Euripidem dixerit, ſe maluiſſe in acie pugnare, quàm ſemel

melſparere. Adhæc fœtus extractiones ferro factæ, fœtus diſſectiones: quibus omnibus cauſis addit Auicenna percuſſiones & caſum, quas ſiluêre Græci Medici. Etenim ſi rem ritè expendamus, difficile admodum erit, & videbitur quod vlcera matricis fiant percuſſione & caſu, niſi dicamus ex percuſſione & caſu abſceſſus fieri, qui tandem rupti, deſinant in vlcera.

Signa.

SIgna vlcerum partim habentur ſenſu, partim ratiocinio. Quoniam, vt docet Galenus 6. loc. affect. 5. ſæpè vlcera manu tanguntur, vel oculis inſpiciuntur, præſertim ſi ſint in ſummo: nam inſtrumento Dioptra vocato, facilè poſſunt medici oculis vlcera Ceruicis & Colli matricis intueri. Ratiocinio comparantur ſigna, quia ſi ſint in penitioribus vteri partibus, dolor percipitur circa illas partes punctorius, humores emanant ex interuallis quibuſdam ſanioſi: dolor adeſt lumborum, inguinum, capitis, & præſertim Syncipitis. Addit Hippocrates 1. de morbis muliebr. fieri quoque delirium, fiunt quoque dolores circa radices oculorum & ligamenta, qui pertingunt etiam vſque ad extremas manus. Et hoc eſt ſignum allatum ab Archigene apud Aëtium lib. 16. cap. 88. Poſtremò, vtilitas percipitur ex rebus adſtringentibus, detrimentum ex mollientibus: hæc ferè ſunt ſigna generica. Sunt etiam multa alia particularia, quæ demonſtrant ſpecies vlcerum. Etenim ſi ſimplex fuerit excoriatio, percipitur ardor, punctio, & interdum materia quædam ſubtilis & ſeroſa emanat. Si fuerint corroſiones in vtero, aderit dolor vehementior, pulſatióque atque etiam aliquis fœtor. Si præter corroſionem fuerint vlcera inſignia, vel erunt cum inflammatione, vel ſine. Vlcera cum inflammatione, cognoſcuntur febre, horripilatione. Humor, vt dicit Paulus, paucus eſt & cruentus, ſed præ cæteris maximus vrget cruciatus. Si fuerint Vlcera ſine inflammatione, atque ea putrida & tabida, vt dicit Auicenna, multa humiditas manat virulenta, mitior dolor vexat: propter quod Hippocrat. dixit 1. de morb. mulieb. de hac ſpecie mentionem faciens, eam lethalem eſſe: ſi putredo fuerit mala, adeſt præ cæteris maximus fœtor: quod exit, ſimile eſt aquæ, in qua ſit abluta Caro. An verò malum hoc immediatè ab Vtero oriatur, an aliunde, docet Hip. intelligere, eò quòd vbi malum eſt in Vtero, id quod exit, compactum eſt & craſſum: vbi verò aliunde manat, materia quæ exit tenuior eſt & magis ſeroſa. Sed ſcitu dignum, cur Archigenes, inter alia ſigna Vlcerum Vteri, adnumerarit dolorem circa radicem oculorum, quoniam videlicet admodum remotum, quod debeant oculi compati Vlceribus Vteri. Huius rei puto eſſe cauſam, quod cum Vterus totus ſit nerueus, facilè ipſo affecto, compatitur principium Spinalis medullæ, à radice Spinalis medullæ oriuntur Nerui optici, vt luculentiſſimè his diebus monſtrauit Conſtantinus Varolus, Anatomicus Bononienſis celeberrimus. Cum igitur à principio ſpinalis medullæ oriantur, facile fit vt læſo illo principio communicetur affectus Neruis opticis, qui affectus ſeſe monſtrat in fine eorum Neruorum, vt conſueuit fieri in affectibus Neruorum.

Prognoſtica.

PRognoſtica vlcerum ſunt, quod omnia difficilè curentur: præſertim difficilia ſunt, quæ in profundis partibus ſunt poſita. Imò verò non defuerunt, qui exiſtimarunt nunquam curari poſſe, Auenzoar lib. 2. tract. 5. cap. 30. narrat hiſtoriam

cuiuſdam Mulieris,quam cum ipſe curare non poſſet,efflagitauit à patre curationem, qui tandem reſpondit, id malum curationem non recipere. Quod tamen intelligendum eſt de Vlceribus magnis & valde putridis: eò quòd Hippoc. 1. de Morbis Mulieb.ſcribit,Vlcera quæ non admodum ſunt putrida,quæue non habent inflammationem, curari poſſe, alia verò incurabilia eſſe.

Curatio.

IN curandis his Vlceribus duplex exoritur ſcopus:vnus, vt totum corpus depuretur,ne ſcilicet malum foueatur à malis humoribus:alter,vt Vlcera ipſa perſanentur. In purgando toto corpore, ante cætera neceſſarium eſt inſtituere rectam Victus rationem. Sit Aër in paſſiuis ſiccus,in actiuis non multum excedat: Somnus bonus eſt, modò ſuper latera fiat, nam iubent Medici,& iure, neque ſupinè, neque reſupinè, dormiendum eſſe. Quies vtilis, motus omnes periculoſi ſunt, tū corporis,tùm animi: vnde mœrores & cogitationes auertendæ. Vinum fugiendum, ſolus Aquæ potus conuenit: Omnia dulcia,omnia dura edulia, acria,ſalſa, acuta,ſunt fugienda. Carnes quæ conueniunt,ſunt omnes carnes ſicciores: & dicebat Hippocrates, ita victum inſtitui debere, vt Mulier quàm ſicciſſima euadat. Inſtituto victu,ſi Vlcus ſit cum inflammatione,ante cætera mittendus eſt ſanguis, atque mitti debet è vena media, & demum purgandi ſunt humores, ſed primum præparandi. Purgabitis bilem & præparabitis, necnon humorem pituitoſum, vt ſæpè docui,ne eadem repetam.Hoc in purgatione & præparatione ſemper cauete ne miſceatis ea quæ pertingunt ad vterum,propterea quod ſummoperè cauendum eſt, ne humores ad vterum ferantur. Hoc poſito,expendendum eſt, an vlcera ſint ſine dolore: ſi ſint cum dolore, ſedandus eſt dolor, ne ab ipſo trahantur humores, quo in caſu magnus ille Auenzoar commendat Oleum Vitelli ouorum, & iure: poſſunt etiam in hoc caſu dari ad ſedandum dolorem,Syrupi refrigerantes, vt de Nymphea, Papauere, Endiuia. Adhibentur extrinſecus Linimenta Cordi, quia propter conſenſum ſolet pati:adhibentur etiam pectini,vt Oleum Roſaceum completum cum Lumbricis. Lac etiam locis Muliebribus apponitur & infunditur, & præſertim ſi, vt dicit Rhaſes,ſit Lac muliebre.Ego ſoleo in his caſibus Albumina ouorum tria vel quatuor diligenter conquaſſare, & addere emulſionem ſeminis Papaueris, modò mucilaginem ſeminis pſyllij. Vtor etiam Aqua hordei, cum albumine ouorum & ſucco ſeminis Hyoſchiami: addo etiam in extremis neceſſitatibus Opium. Et non eſt timendum hoc facere,propterea quòd Vteri mala ſæpè ad mortem Mulierem deducunt, præſertim dolores. Opiata Vtero infuſa, poſſunt quidem facere Sterilitatem,Mortem nequaquā,ſi prudenter adhibeantur. Quod ſi dolor non adſit,vel erit ſola excoriatio, vel corroſio,vel vlcus putridum. Si ſimplex fuerit excoriatio, ſat erit incoquere Balauſtia, Gummi, Spodium, in aqua pluuiali, vel in aqua Scabioſæ, vel Fumi terræ,atque ſæpè per Metrenchytam infundere. Si præter excoriationem adfuerit altior corroſio, valentiora conueniunt adſtringentia: vt Succus Plantaginis, cum Myrtho, Bolo armeno,Sanguine Draconis. Quòd ſi vlcera fuerint putrida, ante cætera mundificanda ſunt: & ad mundanda vlcera, vtile eſt decoctum Hordei cum Melle & Saccharo, decoctum Caudæ equinæ cum Burſa paſtoris. Accipiantur etiam Ariſtolochia rotunda, Iris, Matricaria,& bulliant in aqua Hordei,deinde hac aqua abluatur Vterus. Poſſumus etiam vti Lactis ſero, quod in affectibus Vteri etiam commendatum eſt à Galen. 10. ſimpl. Vbi verò emundata fuerint Vlcera, deueniendum erit ad

ad exſiccantia. Cognoſcitur mundatum eſſe vterum, cum nihil amplius emanat: vel quod emanat, parum eſt, æquale, album, odoris expers. In exſiccando, perpetuò obſeruandum id, quod monet Aëtius, vt ſemper à leuioribus ſumatur principium, quia valde exſiccantia & eſcharotica, difficulter ſuſtinet vterus. Et quanquam Galenus dixerit, huiuſmodi medicamenta debere eſſe valde exſiccantia, intelligit de Vlceribus rebellibus & antiquis. Itaque Pompholix lota conuenit, Crocus, Aloës, quæ omnia macerantur & eliquantur ſucco Plantaginis, aut Myrtillorum, & induntur. Habetis apud Galenum & Aëtium multa alia, vt eſt Emplaſtrum Azanite, quod commendatur à Galeno quinto de medicamentorum compoſit. ſecundum genera 2. Et vt habeatis aliquod aliud exemplum, ſoleo ego vti hoc Linimento:

℞. Lithargiri, Sarcocollæ ana ʒ.j. Thuris ʒ.j.s. Ceruſſæ, Sang. Drac. ana ʒ.s. Tragacanthæ infuſæ in aqua Plantaginis ʒ.ij. Olei Roſati ℥.j. Ceræ q.ſ. Fiat Linimentum. Linimenti huius vſus eſt, vt ſi Vlcera ſint in ſummo Vteri, applicetur, vt applicari ſolent Vnguenta. Si verò Vlcera fuerint in profundo, eliquatur hoc Linimentum cum ſucco vel Myrthi vel Plantaginis, & mittitur in vterum. Si maligna fuerint vlcera, hæc non ſufficiunt, ſed neceſſe eſt venire ad æs vſtum & Squammam æris, quæ commendatur ab Hippoc. 1. de Morbis muliebribus.

DE PRVRITV MATRICIS.

CAPVT VIII.

HVIC congener eſt alter affectus, qui dicitur pruritus Matricis, ab Arabibus dicitur Priapiſmus: Aëtius lib. 16. cap. 82. vocauit Satyriaſin. Et nihil eſt aliud hic affectus, niſi ardens deſiderium ſcalpendi, & ardens cupiditas coitus, cum dolore: qui à coitu potius efferatur, quàm mitigetur, eò quòd ex contrectatione humores magis decurrunt ad locum affectum.

Cauſæ.

FIT hic morbus, vt docet Auicenna & Aëtius, ex humoribus acribus & ſalſis, quia cum corroſionem facere non poſſint, neque etiam exire, retenti in cute, puritium efficiunt.

Signa.

SIgna habentur ex relatione, ſed cognoſcitur etiam hic morbus, quia Mulieres creberrimè admouent manus locis ſuis; adhæc corpus contabeſcit & excruciatur.

Prognoſtica.

SOlet huiuſmodi affectus ſæpiſſimè finiri in vlcera, propter quod neceſſe eſt, & eius curationem intelligere.

Curatio.

CVratio in hoc poſita eſt, vt humores praui è corpore auferantur, & præſertim è loco affecto:vnde ante alia, cibi eſſe debent ſorbiles, minimè flatulenti,neque etiam debent eſſe qui poſſint Semen generare. In Potu, aquam tepidam commendat Aëtius,& iure,quia ſi quid eſt,quod pruritus & intrinſecus & extrinſecus ſedat, eſt Aquæ tepidæ vſus. Secanda eſt vena media, ſi omnia conſentiant, deinde Vena ſaphena:vel cucurbitulæ ſunt adhibendæ coxis, vel crura ſcarificanda: poſt præparandi humores,& præparati,expurgandi. Expurgatur verò feliciter Bilis Rhabarbaro & Scammonea: Pituita, Agarico & Pillulis Stomachicis, vt dicit Auicenna: Humor verò niger,Epithymo, Senna, Elleboro nigro,Myrobalanis nigris,& aliis, quæ conſueuerunt hos humores purgare. Poſt purgationes, infundenda ſunt decocta,quæ leniant & facultate refrigerent. Dico facultate, quia actu ſemper debent eſſe tepida: inter alia,hoc vtor Emplaſtro:

℞. Lentium excor.℥.j. Fol.Plantag. Lactucæ an.м.j. Corticis Granat.p. s. Decoquantur in Vino aquoſo, & vinum infundatur colatum. Serum etiam Lactis acceptum per os,mirificè confert,quia expurgat, & ducit huiuſmodi humores.Soleo ego vti Aqua Roſarum, cui incoquo Tamarindos, atque etiam Sandalos rubros,qui poſtea colati,infunduntur, & mirificè prodeſt. Multi laudant ea quæ Semen extinguunt, quanquam calida ſint, vt eſt Crocus, Ruta, Cyminum, ſed hæc parciſſimè,mea ſententia,ſunt adhibenda, vel ſemper frangenda ſunt & caſtiganda,cum refrigerantibus, vt cum ſucco Lactucæ, Portulacæ, Plantaginis. Habetis apud Auicennam libro 21.tertij, tractat. tert. capite 18. multa alia medicamenta, quæ poſſunt etiam à vobis vſurpari. Sed quæret aliquis veſtrum, cur Aëtius in hoc affectu mandat Caput irrigari Aceto Roſaceo? nam videtur inutiliſſimum eſſe,perinde ac ſi quis curaturus caput,calcaneos vngat. Sed ego puto,non abſque ratione commendatum ab Aëtio,quia ex hoc affectu Vteri, ſolent Mulieres interdum incurrere in furorem vterinum, de quo agam, cùm tractabo de intẽperiebus vteri.Ne igitur eo furore Cerebrum afficeretur,voluit iure Aëtius,vt caput cuſtodiretur, vt praui vapores tendentes ad caput, deorſum tenderent. Atque hæc ſufficiant de Affectibus vteri in ſolutione Continuitatis.

DE MALA VTERI TEMPERIE.

CAPVT IX.

ARÆTEVS Medicus grauiſſimus 2. de diuturnis paſſionibus cap. 11. ſcribit, vterum ad Partum & Conceptum magnoperè conferre, veruntamen eſſe veluti quoddam aſylum omnium malorum. Etenim nullum ferè eſt Morbi genus, cui Vterus non ſubiiciatur, vt iure merito hæc à nobis prouincia ſit cœpta omnes Veteri morbos tractandi, quorum iam magna pars tractata eſt: ſuperſunt aliqua, non minus vtilia, quàm grata cognitu, inter quæ Morborum genera, vnum eſt circa malam temperiem, de qua, etſi à nobis ſint aliqua tractata, breuiter tamen nonnulla alia vos docere eſt neceſſarium. Nam intemperies Vteri, vſquequo actiones ſenſibiliter non lædunt, diſpoſitiones prauæ dicuntur: vbi

verò

verò iam inſigniter actiones offendunt, verè morbi dici debent. Atque hæ intemperies, vel ſunt naturales,vel accidentariæ : rurſum vel ſunt ſimplices, vel coniunctæ & compoſitæ : non enumero intemperies ſimplices & compoſitas, quia ſunt notiſſimæ.

Cauſæ.

Cauſæ naturalium intemperierum, ferè omnes ſunt ex vitio Seminis: vt enim dicit Galenus 6. Aphoriſm. 28. multas fieri podagricas propter Seminis vitium : ita quoque omnes intemperies naturales ex vno Semine originem trahunt, eò quòd omnis conſtitutio corporis noſtri dependet ex Semine & ſanguine Menſtruo. Accidentariæ intemperies cauſas habent vel præcedentes Morbos, vel errata aliqua in rebus ſex non naturalibus : vt, vel in Aëre, vel in Motu, vel in Cibo, aut Potu, aut aliis huiuſmodi.

Signa.

Signa intemperiei calidæ, vt dicit Auicenna, ſunt intemperies totius corporis calida,& præcipuè Cordis & Iecoris, eò quod,vt docet Gal lib. de Arte Medica, temperies partium corporis ſolet ſequi temperiem Cordis & Iecoris. Adhæc, in intemperie calida, Menſtrua ſunt pauca,craſſa,flaua,aduſta, mordicantia: pili in pectine citò naſcuntur, multus adeſt Coitus appetitus, velox Seminis effuſio. Frigidus verò vterus ſimiliter cognoſcitur ex intemperie totius, Menſes pituitoſi ſunt, craſſi,pauci, tardi,albi,interdum aquoſi. Veneris abominatio eſt,aut exiguus appetitus, nulla in coitu delectatio, pectinis depilatio, ſtupor quidam & frigidus circa lumbos ſenſus. Cognoſcitur huiuſmodi vterus, non ſolùm temperie totius, verùm etiam quia loca Muliebria ſemper humida ſunt, Menſes fluxiles & tenues. copioſi, frequenter abortiuntur, præſertim dum fœtus augetur, minima in coitu adeſt delectatio. Signa ſicci Vteri, præter ſigna temperiei totius, adeſt continua ſiccitas locorum Muliebrium, paucitas & craſſities Mẽſtruorum:appetitus coitus, qui tamen non ſedatur, quia non emittunt Semen. His ſignis poſſumus addere alia duo genera, quæ ſunt communia, ſcilicet Vtilitatem ex remediorum contrariorum adminiſtratione : adhæc præcedentem Victus rationem. Atque hæc ſunt ſigna ſimplicium intemperierum. Compoſitarum etiam ipſa ſigna ſunt complicata, vnde cognitis ſimplicibus,cognoſcuntur compoſita.

Prognoſtica.

Prognoſtica intemperierum nulla ſunt alia,quàm quæ tradit Hippoc. 5. Aphor. 62. ſcilicet vnamquamque intemperiem, dum excedit, Sterilitatem inducere. Sed præter hoc malum,etiam multa alia induci ſolent,& præſertim à calida intemperie,à qua furor Vteri vocatus,naſcitur,de quo mox agam. Id tamen debetis ſcire, ſæpè caſum in his intemperiebus multum operari, vt dicebat Celſus, operari in omnibus morbis, & malis, eo quòd ſæpè communicatur huiuſmodi intemperies aliis Morbis, quemadmodum ſcribit Auenzoar, ſe cùm eſſet Sterilis, factum fœcundum ex febre ardente, in qua coactus fuit cibis frigidis vti, qui eius calidam intemperiem correxerunt.

Curatio.

CVm igitur non parum referant intemperies,ſatagendum eſt eas curare. Quarum Curatio proficiſcitur per contraria,ſiue pharmaca ſint,ſiue cibi : ſed potiſſimum cibis & ratione victus, quemadmodum, vt ſcribit Galenus, tantum poteſt recta viuendi ratio,vt non ſolum accidentarias intemperies, verùm etiam natiuas corrigat.Remedia particularia harum intemperierum non docebo hoc loco, quia pluries intellexiſtis, vbi alios morbos tractarem , quomodo ſint intemperies curandæ. Solum tria vos volo monere ; vnum eſt , in curandis his intemperiebus longa opus eſſe perſeueratione,eò quòd, vt ſcribit Galenus 3. Sympt. vltimo intemperies inducitur in humano corpore longo tempore , propter quod etiam diuturnitate temporis egent , vt poſſint curari. Alterum eſt , in quacunque intemperie curanda , debere euitari vſum Aceti , propter quod Hippocrates & Galenus 3. Acut. maximè damnarunt vſum Aceti. Et Auenzoar lib.2.Tract.5.cap.1.narrat, ſe in componendis medicamentis Muliebribus , ſemper auerſatum eſſe Aceti vſum. Cur Vterus offendatur ab Aceti vſu, & non Ventriculus , retulit Auenzoar eo in loco quatuor cauſas,quas memini me vobis aliàs declaraſſe, Tertium nòſcendum eſt,quòd ſi intemperies vteri & totius corporis conſentiant, contrariis ſemper audacius & copioſius vti licet.Si diſſentiant,vt ſæpè fit,quod Mulieres ventriculum frigidum & vterum calidum habeant,aut contrà, tunc quæ ſumuntur, omnia debent remiſſiora eſſe,quàm poſtulet gradus lapſus vteri. Hæc breuiter de intemperiebus vteri.

DE FVRORE VTERINO.

CAPVT X.

ET quia dixi à calida Vteri intemperie oriri furorem , locus poſtulat , vt eum affectum vobis tradam , quia ſcriptores Medici etiam tractarunt. Ex Sorano apud Aëtium lib.16.cap.74.dicitur Furor vterinus : Moſchio dixit Satyriaſin. Sed aduertite, Satyriaſin apud Aëtium diuerſum morbum eſſe, apud quem nihil aliud eſt, quam pruritus & priapiſmus Moſchionis & Arabum. Eſt huiuſmodi affectus, vt colligitur ex Moſchione & Arabibus , appetitus quidã venereus immoderatus, cum vteri ardore & delirio : ſic enim videtur Soranus apud Aëtium etiam declaraſſe. Etenim diſtinguitur hic morbus à priapiſmo & pruritu, quia in illis adeſt quidem deſiderium coitus , ſed ſine ardore & delirio, & cum ſolo pruritu : in hoc verò adeſt delirium & ardor. Diſtinguitur etiam à præfocatione vteri , quia in hac Mulieres manent attonitæ, ſine motu , ſine reſpiratione , nedum ſine ſermone. In furore vterino agitantur , anhelant , obloquuntur , garrulæ ſunt, & inſtar furiarum aguntur. Diſtinguitur etiam à cæteris deliriis , quia alia deliria ſunt diuerſa:in hoc , furor eſt ſolum circa venerem , nihil aliud loquuntur, nihil aliud cogitant , ſi genitalia contrectentur,demulceri ſolent. Imò mulieres aliquando eò dementiæ veniunt , vt ſeſe ſuſpendant , vel in puteos & fluuios præcipitent : id quod relatum habetis ab Hippocrate in fragmento de Morbis virginum. Poſſet quis eruditus dubitare , an morbus quo virgines Mileſiæ laborarunt & Mulieres Lugdunenſes , fuerit hic morbus , quoniam recitat Plutarchus lib. de virtut. mulie-

mulierum,interdum virgines Mileſias ſeſe cateruatim ſuſpendiſſe,nec potuiſſe vlla vi, aut precibus impediri : quod refert à nonnullis aſcriptum fuiſſe Aëris vitio. Relatum etiam eſt Lugdunenſes mulieres cateruatim ſeſe in fluuios præcipitaſſe, atque hoc attributum fuiſſe defluuio ſtellarum. Ego verò puto nullum aliud morbi genus extitiſſe,quàm hunc morbum:primò,quia mulieres Mileſiæ virgines erant. Hippocrates verò, Soranus, & alij ſcribunt hunc morbum peculiarem eſſe Virginibus & caſtis. De Lugdunenſibus idem dico ; quod cum amarent ſe præcipitaſſe in aquam , non ob aliud factum eſt quàm ob ardorem , qui cum in nullà alia parte appareret & puderet manifeſtare, ideò ruebant in aquam, tanquam remedium. Nam relatum eſt à Lucretio 6. de natura, in peſte illa Athenienſi ægros præ ardore in fluuios ſe præcipitaſſe,ita vt veriſimile ſit, Mulieres eam ob cauſam eo deueniſſe. Eſt hic affectus Symptoma in genere actionum naturalium & animalium læſarum : nam cum coitus appetitus deprauatur , clarum eſt naturalem operationem offendi, ſimiliter cum lædatur cogitatio & imaginatio , perſpectum eſt animalem functionem offendi. Morbus quem ſequitur hoc ſymptoma, nullus alius eſt quàm intemperies calida Vteri. Locus affectus primò eſt Vterus, deinde Diaphragma & Cerebrum,ſi quidem, vt docet Soranus, Vterus dum feruet , immotus manens , vapores feruidos & prauos in Cerebrum & Diaphragma mittit, vel per ſpinalem medullam, vel per alia vaſa, qui feruor communicatus Cerebro,omnia hæc mala facit.

Cauſæ.

INternæ cauſæ huius feruoris ſunt calidæ intemperies & natiuæ Vteri, & totius corporis,quæ vbi nimis augentur,nouas & accidentales intemperies inducunt: adhæc,inter has cauſas numerantur,ætas florens,Virginitas & caſtimonia. Externæ cauſæ ſunt in primis , Regiones calidæ, & aër impensè calidus, propter quod Heſiodus & Ariſtoteles ſecutus Heſiodum 4. Problem. 26. prodiderunt florente Scolymo,id eſt, æſtate ſumma, maximè Mulieres incitari ad libidinem, quo tempore etiam Canes & multa animalia hac ratione efferari conſpiciuntur : ita quòd ſcriptum eſt ab Herodoto lib.ſecundo,& à Strabone,in Ægypto,quę eſt regio feruida, Mulieres omnes eſſe libidinoſas, ita vt nullæ caſtæ reperiantur, atque etiam interdum cum hircis coëant. Inter eas cauſas adnumeratur coitus intempeſtiuè factus,propter quod Ariſtot.ſeptimo de Hiſtoria animal. primo ſcribit,eas Mulieres fieri libidinoſiores,quæ intempeſtiuius incipiunt concumbere.Somnus in plumis factus & ſupra dorſum , huic furori generando opitulatur. Balnea ſimiliter, potus meraciores, cibi calidi & flatuoſi, & quæ Semen gignunt, vt ſunt Tubera, teſtes animaliũ,Cardui & alia edulia,quæ ad libidinẽ excitandam inſeruiunt.Sed quæret à me ſtudioſus,cur potiſſimum Virgines infeſtentur hoc morbo : cui reſpondendum id quod Hippocrates in fragmento de Morbis Virginum:ſcilicet Virgines & non vtentes coitu,affici hoc morbo,præſertim quando tempora Menſium apparent,eò quòd tunc temporis multum ſanguinis ad Vterum confluit,qui cum totus expelli non poſſit,recurrit ad Cor & Diaphragma:quo ſanguine,dicit Hippocrates , hæc viſcera fatua primum fiunt , mox ſtupida, poſtremò delitia omnia ſubnaſcuntur. Accedit etiam quòd propter hunc ſanguinem & Vterus & Diaphragma inflammantur,hoc inflammato,facilè mens à ſuo ſtatu decidit, quia ſcitis hoc membrum ab antiquis Phrenas dici, quia hoc læſo,læditur ratio. Cur potius Virgines eligant ſe ſuſpẽdere,aut ſtrangulare,aut in puteos præcipitare,refert

cauſas Hippocrates ex preſſione cordis, quia dum cor premitur, imaginationem inducit, quaſi totum corpus comprimendum ſit, vnde ſtrangulatio oriatur, tanquam res totum corpus comprimens. Accedit, quod (vt dixi) propter ardorem amant iſtæ miſeræ, in aquas ſeſe præcipitare tanquam remedium ſui ardoris quærentes: niſi dicamus ob varietatem & prauitatem phantaſmatum, eligere mortem tanquam fugam & remedium malorum maiorum. Plato in Timæo aliam cauſam videtur huius attuliſſe, quia in fine eius Dialogi ſcribit, vuluam animal eſſe conceptionis auidum, & ideò, cum procul à fœtu detinetur, in ætatis flore ægrè fert moram, indignatur, & inſtar animalis iracundi, modò huc, modò illuc fertur, ſicque nunc ſpiritum intercludit, nunc variis anguſtiis vexat, & (dicit ipſe) omnibus malis corpus premit. Poſſumus addere etiam aliam rationem, ſcilicet quod tempore quo Menſtrua debent educi, fit magnus ſanguinis ad Vterum confluxus, qui vbi feruet, titillat, & propterea hunc ardorem immodicum deſiderium coitus inducit; propter quod merito Ariſtotel. ſeptimo de Hiſtor. animal. primo præcepit cuſtodiendas eſſe hoc tempore puellas diligentiſſimè, quia hoc tempore facilè præ ardore & cupiditate, res nefandas & inhoneſtas committunt. Eſt dubitatio, qua ratione virgines quæ nondum expertæ ſunt venerem, poſſint ita coitum appetere, vt in furorem labantur. Nam D. Hieronymus in epiſtola ad Geruntiam, & Tertul. lib. 1. ad vxorem, probauit facilius eſſe ſeruare virginitatem quàm Caſtitatem, eò quòd facilius eſt non optare quod nunquam eſt habitum, quam quod aliquando eſt habitum: cùm igitur Virgines nunquam ſint coitu vſæ, non debent hoc optare, ita vt in furorem labantur. Eſt & altera dubitatio, an quemadmodum in Mulieribus datur exceſſus deſiderij coitus, ita detur defectus, nam Viri expoſiti ſunt tàm morbis in exceſſu, quàm defectu: ergo & Mulieres deberent eſſe ita expoſitæ, tàm ad defectum, quàm ad exceſſum. Ad primam dubitationem dico quod Galenus 6. de Locis affect. circa principium dicit de Brutis: ſcribit enim Galenus, bruta appetere coitum, non ob voluptatem, ſed duntaxat, vt fugiant moleſtias ex Semine retento. Sic dicendum eſt de Virginibus, ſcilicet quòd cùm grauentur Semine pruriente, exoptant hanc moleſtiam deponere: & quoniam hoc fit frictione, propterea amant frictionem hanc, vt vitent moleſtias Seminis. Imò verò ſunt Mulieres quædam, quæ ſolummodo hanc frictionem amant, & quæ mutuò ſe fricant: & iſtæ Mulieres dicuntur Tribades, id eſt, fricatrices: ſæpè enim legetis hoc nomen apud ſcriptores. Ad ſecundum dubium dico, in Mulieribus non dari morbum in defectu deſiderij coitus, ſed ſolùm in viris, quia fœminæ nullæ, præterquam inſectorum quædam, mittunt membrum in virum, ſed ſolùm recipiunt, ita quòd quantum ſit ex ſe, Mulieres ſemper ſunt aptæ recipere, niſi cũ occludantur, de quo tractabo poſtmodũm: Viri autem, cùm exerceant hunc actum, immittendo membrum in Mulierem, neceſſarium eſt vt membrum ſit rigidum, alioqui nihil fit. Et quia ſæpe fit, vt viri incurrant hunc Morbum, etiam qui habent pulcherrimas mulieres, vt non poſſint immittere, hinc fit, vt ſint viri ſubiecti defectui.

Signa.

Signa furoris vterini ſatis manifeſta ſunt, nam mulieres mente errant, ſemper loquuntur de venere, vertunt oculos huc atque illuc, fricant locos ſæpè manibus, & tanquam furiæ quædam agitantur. Inter ſigna etiam reponuntur ea, quæ præceſſerunt, vt eſt coitus abſtinentia, coitu deinde adhibito, iuuamentum eſt: ætatis flos.

Prognoſtica.

HIc morbus eſt quidem indecens & turpis, veruntamen ſi Medici diligentiam adhibeant, facilè curatur : quemadmodum ſi negligatur, ad extremam inſaniam & furorem deducit, & videbitis Mulieres ſæpè inſanientes hoc furore vterino.

Curatio.

QVapropter ſatagendum eſt circa Curationem huius affectus, quæ tota poſita eſt in Vteri refrigeratione, propter quod Aër eligendus eſt frigidus & humidus. Et miror qua ratione motus Moſchio,voluerit in hac curatione Aërem eſſe calidum. Exercitationes moderatæ conueniunt, omnes animi motus, ſiue ad iram, ſiue ad lætitiam vitandi: vitandæ etiam lectiones rerum Venerearum, ſemper loquendum eſt ipſis de rebus pertinentibus ad honeſtatem & pudorem. Nam Virgines illæ Mileſiæ, quæ laborabant hoc morbo, curatæ ſuñt, vt ſcribit Plutarchus,hac ratione,quod promulgata fuerit lex, quod Mulieres ſeſe necantes,per forum nudæ traherentur : hoc enim intellecto, præ pudore Virgines reſipiſcere cœperunt. Balnea aquarum frigidarum conueniunt : abſtinendum eſt à Vino, à cibis calidis, carnibus, & omnibus quæ gignunt multum ſanguinem & multum Semen. Vſus herbarum refrigerantium conuenit, Lactucæ, Endiuiæ, Nymphеæ, Agni caſti, & vſus Cicutæ hac in re probatur. Nam Baſilius, qui fuit & inſignis Medicus & Theologus, 5. Homilia ſupra Hexameron, ſcribit ſe vidiſſe quaſdam quæ potione Cicutæ extinxerunt robioſas cupiditates. Quòd tametſi intelligi poteſt de appetitu Ciborum, tamen magis placet, vt intelligatur de appetitu Venereo,nam relatum eſt, ſacerdotes Athenienſes Cicutæ vſu, libidinis incendia extinguere conſueuiſſe. Coitus hac in re maximè laudatur ab Hipp.imò ſcribit ſe curaſſe multas Virgines ſolo coitus præcepto. Sed dicetis, quomodo hoc fieri poteſt, vt vtilitatem vllam adferat, nam relatum eſt à nobis in tractatu de Pruritu Vteri, quod coitus potius exaſperat pruritum, quomodo igitur ſanare poteſt?Dico quòd poſſit : quanquam, vt ſcribit Ariſtotel. 4.Problem. 26. Virgines ex coitu fiunt libidinoſiores, tamen mulcentur & furorem mittunt. Præter Victum, ſunt & alia quæ in vſu ſunt remedia, & quia in his Mulieribus ſæpè abundant humores calidi & feruidi, propterea expurgandi ſunt ante cætera illi humores. Expurgantur autem faciliter, ſi prius præparentur : ideo neceſſe eſt prius corpus præparare. Quomodo verò præparantur & euacuentur humores in huiuſmodi affectibus calidis, pluries docui, non eſt vt hic repetam. Poſtquam præparati erunt humores, vel dum præparantur, eſt habenda cogitatio de ſanguinis miſſione, quia niſi quid impediat, ab Hippocrate nullum præſtantius remedium pro hoc morbo vincendo, iudicatum eſt. Erit igitur ſanguis mittendus à Vena communi, & Saphena, modò vires permittant, & nihil impediat. Præter euacuationem vniuerſalem & humorem peculiarem, eſt maximè vigilandum, vt Vteri calida intemperies mitigetur : ad quod agendum ſunt medicamenta intrinſeca & extrinſeca. Intrinſeca ſunt Brodia, in quibus Solanum, vel Cicuta ſunt cocta, quibus debetis ſemper commiſcere quæ peculiarim habent facultatem petendi vterum. Sed efficaciſſima omnium habentur Balnea refrigerantia, aquæ Thermarum refrigerantes, & nondum agitur annus, ex quo curauimus Mulierem hoc ſolo remedio. Igitur facta purgatione, præſtantiſſimæ erunt aquæ refrigerantes, aquæ Virginis,

Virginis. Præter hæc, ſunt extrinſeca, quæ applicantur partim Capiti, partim Vtero: Capiti conueniunt irrigationes ex aqua roſarum, ſolani, lactucæ, nympheæ, & tandem ex omnibus aliis quæ caput refrigerare poſſunt. Vtero adhibetur peſſulus, veluti eſt ſuccus ſolani mixtus cum ruta & adhibitus. Ceratum etiam Myrthinum, ruta & caſtorium commixta, quæ licet ſint calida, tamen cùm adeſt multitudo ſeminis, nihil præſtantius ruta, quia propria quadam facultate & etiam manifeſta, abſumit genituram. Laudat Moſchio Radiculam, panno inuolutam & immiſſam, de qua narrant quod vermes in ipſa generentur, tanquam miraculo quodam. Hactenus tractauimus Morbos vteri, qui pertinent & ad temperaturam ipſius, & ad vnitatem ipſam, ſupereſt modò, vt perſequamur eos, qui pertinent ad compoſitionem, qui morbi quatuor ſunt, vel in numero, vel in via, vel magnitudine, vel in ſitu.

DE MORBIS QVI FIVNT IN COMPOſitione ipſius Vteri: & primò de Lapide vel Sanguine grumoſo in vtero contento.

CAPVT XI.

VIDEAMVS primò morbos qui fiunt in Numero, qui morbi quatuor ſunt: Lapis vteri, lumbrici, de quibus tractat Moſchio, Nympha & Cauda. Quòd enim in veſicis Mulierum gignantur calculi & in inteſtinis, hoc fuit à nemine dubitatum: quòd autem in vtero etiam fiunt lapides, apud neminem vidi, niſi apud Aëtium lib. 16. cap. 98. Sed quanquam hoc memoriæ tradiderit Aëtius, verumtamen admodum dubito an verum ſit, quoniam ſi ſitum vteri contemplemur, & ſubſtantiam ipſius, facilè intelligere poſſumus, fieri non poſſe vt in vtero colligatur materia, quæ ſit apta in lapidem durari: Quòd ſi etiam interdum poſſit durari, videtur rationi conſentaneum vt excurrat. Nam ſi ſemen etiam ab vtero reiicitur propter hiatum, niſi fiat conceptus, proculdubiò etiam aliæ ſubſtantiæ, quæ non ſunt amicæ & familiares vtero vt ſemen, deberent excludi: propter quod non video, quod in vtero poſſit concreſcere lapis, niſi quod ſanguis poſſit grumeſcere, & grumi illi poſſunt referre formam Lapidis. Atque id voluiſſe ſignificare Aëtium veriſimilius eſt.

Signa.

QVod autem poſſint concreſcere grumi ſanguinis, habetis traditum in lib. de Natura Muliebri, ſub nomine Hippocratis, vbi ſcribit, quòd ſi ſanguis in vtero grumeſcat, apparet vterus veluti muco plenus, atque id intelligitur tactu.

Curatio.

AD grumos ſanguinis diſſipandos, nulla alia curandi ratio debetur, quàm quæ monſtrata eſt ab Aëtio, vt ſcilicet attenuantia & diſſoluentia, tàm intrinſecus, quàm extrinſecus vtero adhibeantur.

DE LVMBRICIS VTERI.

CAPVT XII.

LVMBRICOS excretos ſe vidiſſe,teſtatus eſt Antonius Beniuenius in lib. de occultis morborum cauſis. Sed quia experientiæ credendum eſt, dubitatum eſt, an Lumbrici qui reperiuntur in Vtero,in ipſo fiant, an aliunde mittantur. Priſcianus & Cleopatra videntur voluiſſe, quòd eiuſmodi Lumbrici ab inteſtinis mittantur in vterum:ſed non poſſum videre, qua via & ratione ab inteſtinis egredientes,ingrediantur in Vterum,quia etſi hoc fieret, perforatis inteſtinis & Vtero, ſanè ſub dolore & ſub his vulneribus interirent Mulieres. Quapropter magis mihi conſentaneum eſt,gigni in vtero,& eò magis quòd memini me aliàs docuiſſe,vt dicit Ariſtot. Albertus,& alij,Vermes fieri in Cerebro & vaſis ſpermaticis, vt non ſit adeò durum quod etiam fiant in Vtero.

Signa.

COgnoſcuntur Lumbrici exiſtentes in Vtero,vt dicit Cleopatra,pruritu, non modò ventris,verùm etiam Vteri.Cognoſcuntur ab humore quodam limoſo decurrente ſudore denſo.

Curatio.

CVratio eſt per ea,quæ necant Lumbricos, & quoniam via ab ore longior eſt, idcirco melius eſt adhibere remedia intrinſecus Vtero & extrinſecus,ſiue per fomenta,ſiue per infuſiones,ſiue per peſſaria,modò tamen ſemper ea adhibeantur, quæ vermes enecare poſſunt & putantur. Quorum medicamentorum ſyluam non monſtrabo vobis, ne tranſgrediar terminos noſtros.

DE NYMPHA ET CAVDA.

CAPVT XIII.

IN Vtero etiam interdum generatur Caro quædam,aut genita,à materia augetur, quæ caro duos Morbos facit, prout ſcilicet in duobus locis hæc caro augetur, aut generatur.Si enim ſupra alas Vteri,vbi pudenda committuntur, in quo loco eſt vrinarius meatus, augeatur, appellatur hic morbus à Græcis Nympha, quod vocabulum refert Suidas fuiſſe Samiorum: apud Ruffum Epheſium grauiſſimum Medicum & apud Pollucem dicitur hic morbus κλητορὶς & ὑποδερὶς. Hippocrates lib.de natura Mulieb. videtur appellaſſe κίονα, ſcilicet columellam, eò quòd hoc perinde ſit ac columella in gargarione. Albuchaſis Chirurgus inter Arabes illuſtriſſimus,vocauit hunc morbum Tentiginem: Auicenna appellat Virgam, Moſchio, Symptoma turpitudinis:eò quòd(vt Aëtius ſcripſit) ſæpè hæc caruncula ad tantam magnitudinem augetur,vt non ſolùm deformitatem inducat,verùm etiam pudorem aliquem immittat Mulieribus. An verò ſit caruncula muſculoſa, vt Paulus & Ruffus Epheſius in lib. de nominibus partium corporis noſtri tradiderunt:

an

an verò ſit cutacea & pelliculoſa ſubſtantia, vt Aëtius ſenſiſſe videtur. Puto ego mediam quandam ſubſtantiam eſſe, ſcilicet inter carnem & cutem veram, & vt hanc rem optimè intelligatis, debetis ſcire, vt dicit Galenus decim. quint. de Vſu partium, quod natura loco prædicto, vbi committuntur pudenda, fecit carunculam quandam, propter duo: tum propter ornamentum, vt etiam præputium in membro virili: tum etiam propter tutelam à puluere & frigore, vt gargarione fecit illam columellam, ad hoc vt defenderet partes ſpirituales ab immodico externi aëris frigore. Vbi igitur hæc ſubſtantia inter proprios terminos continetur, Mulier ſana eſt, nec vllam læſionem percipit. Vbi verò nimium excreſcit hæc caro, præter turpitudinem quam perpetuo facit, affert etiam incredibile coitus deſiderium. Et ſententia eſt omnium Medicorum, & experientia probatur, huiuſmodi carunculam arrigi interdum, perinde ac pudendum Virile. Si verò caro non gignatur circa vterum, ſed ſolummodò in orificio ipſius, fit morbus, qui dicitur à Græcis κέρκος & κέρκωσις: Latini vocant Caudam: Moſchio & Polyxeno ſimpliciter vocant carnem: Auicenna vocat Allatarum: Albucaſis, ægritudinem caudatam. Haly Rodoam in Comment. ſuper artem Medic. Gal. lib. 3. text. 177. vocauit Hæmorrhoidam: ſed maximè deceptus fuit hic vir, quia, vt ſuo loco intellexiſtis, valde differunt Morbus Hæmorrhoidalis vteri vocatus, ab hoc qui dicitur Cauda. Nympha & Cauda, vt intellexiſtis, morbi ſunt in Numero, & in Via. Symptomata verò quæ hos morbos ſequuntur hæc ſunt, quod in Nympha læditur hæc operatio naturalis, ſcilicet coitus, qui deprauatus fit, cùm magis deſideretur quàm par ſit: in Cauda verò, impeditur ingreſſus & egreſſus Seminis.

Cauſæ.

Cauſæ materiales harum affectionum ſunt, luxuries ipſius naturæ in gignenda carne, atque etiam abundantiæ materia in partibus naturalibus. Auicenna 21. tertij, tract. 4. cap. 23. ſcripſit, has affectiones, & præſertim Caudam, æſtate augeri ſecundum latitudinem: Hyeme verò diminui. Et ratio huius eſt, quia propter aëris calorem corpora magis funduntur & dilatantur, vt propter frigus magis condenſentur & magis minuantur.

Curatio.

Curatio huius vtriuſque affectus tota eſt Chirurgica, propter quod expurgato corpore, ſtatim veniendum eſt ad Chirurgicam operationem, eo pacto quo docuit Aëtius, Paulus, Albucaſis, Rhaſes & Auicenna. Sed aduertendum eſt, in Nymphæ curatione ſolummodo neceſſariam eſſe inciſionem, abſciſionem potius. In Cauda curanda, veteres Medici duobus modis vſi ſunt: vno, ligatura, nam filo ſerico ligatur ea caro prope radicem & quotidie adſtringitur, quouſque tota pars emortua decidat. Alter modus eſt per abſciſionem, vt de Nympha diximus. Illud non eſt ignorandum, quod refert Haly Rodoam loco citato vltima lectione, ſe vidiſſe Reginam, quæ Caudam habebat inſtar vnius digiti, quam curare noluit, quia nobiliſſima erat. Quod poteſt eſſe præceptum, Medicos in curandis nobilibus debere eſſe cautiores, quàm in curandis ignobilibus.

DE VTERI CLAVSVRA.

CAPVT XIV.

HIs prædictis affectibus multo durior eſt hic affectus,quando Mulieres neque coire,neque concipere,neque purgari poſſunt, propter Vteri clauſuram.Mulieres verò quæ tentantur hoc affectu , à Græcis dicuntur ἄτρηται , nos Latini appellamus non perforatas. Albucaſis appellauit hunc affectum Allaticum : Rhaſes vocat Ractam : Auicenna, ſeu eius interpretes vocant Clauſuram ſimpliciter. Eſt verò hic affectus nihil aliud quàm occluſio foraminis Matricis , ita vt impediat operationes naturales Vteri. Quod ſit Morbus in via, clariſſimum eſt , ſicut non eſt obſcurum , locum affectum eſſe ipſum Vterum ſecundum os.

Cauſæ.

HVius affectus cauſæ,aliiæ ſunt naturales,aliæ accidentariæ:vbi fit à cauſis accidentariis , appellatur à Galeno 9. de Comp. medicam. ſecun.loca 6. & à Paulo lib.6. cap. 72. φίμωσις & φίμος. Cauſæ naturales non perforatarum, vt dicit Aëtius & Moſchio,tres ſunt : vel quia in labiis, vel alis Vteri,concreſcit caro ſeu membrana,ita vt obturet foramen. Nicolaus Florentinus ſcribit, huiuſmodi Mulieres dici Velatas,quaſi quod ipſarum Matrix ſit velo obducta,atque in hac cauſa (vt tradit Moſchio) impeditur Coitus, conceptus & purgatio. Aut huiuſmodi impedimentum , quæ eſt ſecunda cauſa , cùm naſcitur in ſinu penitiori , atque in hoc caſu, impeditur coitus & conceptus, non purgatio. Aut fit huiuſmodi impedimentum in carne aut membrana Vteri , & hoc eſt , quòd à natiuitate margines colli & oris vteri ita conniuent , vt vel nullum, vel exiguum foramen relinquatur : de his Moſchio dicebat , quod omnia alia impediantur præter Coitum. De his quoque ſermonem habuit magnus Ariſtot. 4. de Generat. animal. 1. Auicen. 21. tertij tract.4.cap.1. qui Ariſtoteles dicebat , quod quibuſdam os Vteri à natiuitate eſt coalitum & coniunctum, atque hoc inquit non cognoſci, niſi tempore Menſtruæ purgationis , quia hoc tempore , aut ſponte diſrumpitur hoc impedimentum,quod fit, vt dicit Albertus 10. de animal. 8. propterea quod Venæ præ calore & ſanguine intumeſcunt, vnde tumefactæ diſrumpuntur, atque ſic impetu quodam etiã rumpitur obſtaculum. Aliis dicit Ariſtot.huiuſmodi impedimentum à Medico rumpi,nonnullas verò interiiſſe,vel dum hæc pars frangeretur,vel dum nulla vi frangi poſſet.Quem Ariſtotelis locum.dum exponeret Sueſanus, dixit ex ſententia Epheſij, hunc affectum fuiſſe vocatum à Medicis Marmorem. Sed non potui hunc locum apud Epheſium inuenire : ſunt enim eius commentaria quæ circumferuntur ſub nomine Ioannis Philoponi,ſupra lib. de Gener. animal. Ariſtotelis. Cauſæ accidentariæ huius affectus , ſunt vel Vlcera , quando ſcilicet Vlceribus ſupercreſcit caro , quæ obturat : vel ſunt inflammationes induratæ , vt dicit Paulus & Aëtius. Nam inflammationes, vel ignorantia , vel alio caſu , ſæpe ita indurantur,vt diſcuti non poſſint,vnde obturant meatum. Idem faciunt & alij tumores , qui oriuntur in ore Vteri.Nicolaus Florentinus inter cauſas accidentarias adnumerãdam cenſuit ſiccitatem,quia propter ſiccitatem,poſſunt Vteri margines & labia ita ſimul colligi,vt nullũ relinquant foramẽ:atque ad aſtruẽdũ vſus

eſt

eſt Hippocratis auctoritate,qui lib.5. Aphoriſm. 54. ſcribit : quibus Vteri os durum eſt,iis conniuere & concluſum eſſe. Sed pace huius viri,non mihi videtur fieri poſſe,vt ob ſiccitatem hæc clauſura fiat,ratio eſt,quia ſi vnquam fieret , proculdubiò id contingeret in fœminis maraſmatis , in quibus conſentaneum eſt,quod ſicuti reliquum corpus apprimè ſiccatum eſt , pariter os Vteri ſiccatum ſit. Sed hoc falſum eſt,propterea non videtur vnquam fieri poſſe, neque etiam id Hippocrates dixit : multum enim abeſt, vt ex ea Hippocratis ſententia poſſit hoc elici. Inter cauſas accidentarias poſſunt annumerari medicamenta adſtringentia,id quod facere dicuntur meretrices , quæ medicamentis adſtringentibus adeò arctè conſtringunt os Vteri,vt nullo modo , vel ſumma cum difficultate poſſit coitus exerceri:& id faciunt,vt videantur Virgines. Accedit etiam Nicolai teſtimonium , qui refert ſe vidiſſe Mulierem,quæ poſt partum cum obſtetrices adhibuiſſent medicamenta valde adſtringentia , ita clauſa reddita fuit , vt non potuerit coitum exercere. Celſus lib.7.cap.28.omnes cauſas huius affectus redegit in duo genera , innaturalem ſcilicet & accidentalem : naturalem vocauit membranam ori Vteri oppoſitam : aduentitiam,carnem ex Vlcere ſubnatam. Sed qui delectamini lectione Celſi,debetis obſeruare in eius lectione,quòd ferè morbos tractat qui frequentius inuadunt,rariores ſilentio ferè obuoluit,propterea cùm frequentiores ſint hi duo, ſcilicet membrana obducta & caro ex Vlcere,idcirco horum duorum tantum meminiſſe vſus eſt.

Signa.

DE ſignis non perforatarum Rhaſes ſcribit , non poſſe vlla ſigna haberi ante tempus eruptionis Menſtruorum,quæ ſententia etiam videtur fuiſſe Ariſtot. 4.de generat. animal. 4. vt dixi. Verum ſum ego alterius ſententiæ , quod ſcilicet poſſint haberi ſigna,viſu & tactu:Viſu , Dioptra inſtrumento Medico , quo vtuntur obſtetrices & Chirurgi ad conſpicienda Vteri penetralia. Tactu etiam;quia vt ſcribit Hippocrates , ſiue alius auctor,libro de natura Mulierum, quibus os Vteri concluſum eſt,Vterus fit ſpiſſus inſtar ficus groſſæ , & ſi digito comprimatur , apparet durus & ita contractus,vt digitum non intromittat,adeò quòd ex his verbis poſſumus intelligere , licere nobis cognoſcere hos affectus ante tempora Menſtruorum. Signa verò quæ habentur tempore Menſtruorum purgationum , ſunt quod Menſtrua non currunt quo tempore deberent. Propter quod notare debetis,Moſchionem non vera dixiſſe,quando ſcribit interdum in huiuſmodi clauſuris apparere menſtruas purgationes : eò quia tametſi fluat interdum ſanguis ille , tamen fluit per Venas quæ terminantur in Vteri os. Quæ veræ dicuntur apud Ariſtotelem Hæmorrhoides , Theodorus [illegible]ſtulit Mariſcas : ſed huiuſmodi ſanguis non eſt Menſtruus , quia non emanat à Venis in Vteri ſinum labentibus. Igitur non eſt dicendum vt Moſchio,quod fluant in his menſes , quia nunquam fluunt: adhæc in iſtis Semen non ſuſcipitur,dolet intus venter, dolent lumbi & ilia, imò interdum adeò vehemens eſt dolor & ſurſum & deorſum,& ad latera pertingens, vt Mulieres penè ſuffocentur. Addit Auicenna & Rhaſes,in iſtis corpora denigrari,propter hanc rationem , quia ſanguis Menſtruus retentus , diffunditur per vniuerſum corpus , ex eo refuſo nutriuntur membra , & quia ſanguis ater eſt , inde fiunt membra nigra , dicunt iſti. Sed quanquam ego non diffitear hoc contingere,non eſt tamen perpetuum , neque eſt ſignum neceſſarium , quia ſæpè Mulieres inuenietis , quibus ſuppreſſi ſunt Menſes , quæ pallidiores quidem euadunt & de-

colo-

coloratæ, verùm nigriores nequaquam fiunt: adhæc in iſtis fieri coitus non poteſt. Quòd ſi præceſſerunt vlcera, aut inflammationes & aliæ cauſæ præternaturales, tunc intelligi poteſt cauſas eſſe aduentitias.

Prognoſtica.

PRognoſtica ſunt, quod cuius cauſæ ſunt externæ & aduentitiæ, facilè curari poſſunt. Si verò interior ſit cauſa & naturalis, non ſolùm difficilis, verùm ſæpius erit impoſſibilis. Dicit Hippocrates, quòd quibus concluſum eſt os vteri, aut non concipiunt, aut moriuntur in partu. Sed dicetis, ergo videtur ex hoc Hippocratis loco colligi poſſe, quod interdum Mulieres non perforatæ concipiunt; quomodo hoc fieri poteſt? Reſpondet huic obiectioni Auicenna, poſſe fieri conceptum duobus modis, quod membrana illa obuelans ſit texturæ raræ, ita vt meatibus ſit plena, per quos ſemen transfunditur & tranſcolatur in vterum. Altero modo (inquit) poteſt contingere cõceptus, quando in caruncula, vel membrana ſit aliquod foramen, ſed anguſtum, per quod vulua attrahit ſemen. Etenim, vt docuit Galenus lib. 1. de Semine, natura indidit vtero oblectationem quandam ſeminis; propter quod attrahit etiam è longinquo ſemen ipſum. Et quia potuiſſet quis Auicennæ dicere, concedo tibi trahi ſemen ab vtero, ſed illud erit quàm exiguum, non poterit ſufficere generationi. Reſpondet, quod quanquam paucum ſit, ſufficit tamen, quia in ipſo pauco ſit poſita vis formatrix, quia pro materia & generandis membris, poſtmodum præſtat ſemen ipſum Muliebre. Et notate, quòd Auicenna dixit, hanc eſſe Philoſophi ſententiam, vnde niſi intelligatis apud Auicennam pro ſemine ſanguinem menſtruum, falſum dixit, quòd ſit Ariſtotelis ſententia, quia in diſputatione noſtra de ſemine, demonſtraui Ariſtotelem Mulieribus denegaſſe ſemen.

Curatio.

CVratio non eſt negligenda, ſit autem ſolum ope Chirurgica, & dicebat iure Auicẽna, quod nõ fiat hæc curatio, niſi ferro. Scopus eſt, vt id quod obturat, auferatur, aut quod partes connectit, ſeparetur. Modus curationis, vt ergo apud Medicos reperire potui, duplex eſt: videlicet, quòd ſi adſit foramen aliquod anguſtiſſimum, fiat Collyrium ex ſpongia arida ſubtiliſſimum, atque intromittatur in illud foramen. Nam ſpongia illa repletur humore, vnde augetur, aucta inſenſibiliter dilatat: vnde, quando ſemel dilatatur foramen, augetur magnitudo collyrij, atque hæc curatio ſolet ſucce[illegible]mpore. Vel ſi ſpongia vti non placeat, efficitur cannula plumbea, ve[illegible]æ intromittitur in foramen, & repletur pulueribus corrodentibus: illinitur etiam vnguento, quod poſſit carnem comprimere: & in inſtrumento obſeruatur, vt in dies augeantur maiores cannulæ. Quòd ſi propter medicamenta fuerit adſtrictum foramen, adhibentur linimenta ex butyro, oleo amygdalarum dulcium, ex œſypo. Sunt etiam collyria, vt dicit Paulus, ex œſypo, nitro, reſina, terebinthina: atque hic vnus eſt modus. Alter modus eſt, vt ferro pars abſcindatur, atque hoc fit tribus modis: vnus eſt, vt ſuperfluum auferatur: alter, vt vbi non eſt ſciſſura, fiat. Tertius, vt prohibeatur, ne partes ſciſſæ & ſeparatæ, iterum coaleſcant. Quæ omnia quoniam Chirurgica ſunt, & modus diligentiſſimè demonſtratus eſt ab Arabibus & à Græcis, idcircò ego non declarabo. Hoc tantum hic volo vos monere,

vt ad has operationes Chirurgicas nunquam deſcendatis, niſi prius exactè corpus fuerit purgatum & per ſanguinem euacuatum: quia corpore pleno, fieret noua attractio materiæ ad vterum: Deinde curandum eſt ſemper, vt inciſio fiat perfecta, ne ſcilicet aliquid relinquatur, propterea quòd ſi inciſio fieret & relinqueretur aliquid ſuperfluum, licet conceptus fieret, tamen in partu ſemper de vita periclitaretur. Poſtremò, eſt etiam prouidendum, vt dum amputantur illæ partes, partes neceſſariæ nihil tangantur, eò quòd ſæpè ſolent fieri dolores vehementiſſimi, conuulſiones & alia mala, quæ etiam contingere poſſunt, niſi caueantur partes curatæ à frigore aëris & medicamentorum.

DE MORBIS VTERI IN MAGNITVDINE.

CAPVT XV.

MORBI vteri in magnitudine appellantur, quotieſcumque vterus in molem augetur, vt lædat operationes, quoniam licet in conceptu tumeat vterus, tamen tumor ille operationes non lædit, propter quod neque morbus dicitur.

Cauſæ.

HOrum morborum cauſæ materiales, ſunt vel flatus, vel humores. Si fiant à flatu, vocatur vteri inflatio: ſi fiant ab humoribus, aut humores ſunt aquei, & fit hydrops vteri: aut eſt ſanguis, & fit inflammatio vteri: aut ſanguis eſt biliofus, & fit eryſipelas: aut melancholicus, & orietur cancer: aut pituitoſus, craſſus & terreſtris, & fit Scirrhus: aut alia quæuis materia, & efficitur multitudo tumorum, vt ſunt condylomata, rhagades, verrucæ, & alia genera morborum. Omiſi Oedema, propterea quòd tametſi Arabes meminerunt tumorum laxorum qui fiunt à pituita, iſti tamen rariſſimè fiunt, aut contingunt, vt docuit Auenzoar lib.2.tract.5.cap.2. Ratio cur rariſſimè in vtero œdemata fiant eſt, quia ſubſtantia vteri neruea eſt, idcircò pituita fluida in parte neruea non facilè retinetur, ſed excurrit, cuius contrarium contingit in partibus carnoſis & laxis. Sed dicetis, quomodo igitur fit Scirrhus? Reſpondeo, quia eius materia eſt craſſa, tenax & viſcida, non autem fluida, & ideò in vtero, ſiue in vteri ſubſtantia, poteſt hæc materia retineri.

DE INFLATIONE VTERI.

CAPVT XVI.

IAm verò vteri inflatio, de qua Arabes ferè non meminerunt, eſt tumor ex flatu genitus, Vterum diſtendens & operationes lædens. Locus, in quo colligitur hic flatus, vt dicit Aëtius libro decimo ſexto cap.78. duplex eſt, aut eſt ſpatium ipſius vteri & cauitas, aut eſt corpus ipſius vteri, qui flatus vel in vtero ipſo gignitur, vel aliunde miſſus, in vterum includitur, ſed potiſſimum gignitur hic flatus in vtero.

Cauſæ.

Cauſæ.

CAuſa effectrix ipſius, eſt calor debilis Vteri: fit autem calor debilis multis de cauſis, aut ex frigore externo, quod ingreditur Vterum: aut ex abortu, vel difficili partu, aut (vt dicit Aëtius) ex grumo ſanguinis, ori Vteri impacto. Quanquam de grumo dicendum ſit, quod potius ſit cauſa vt retineatur flatus ne exeat, quam quod ab ipſo fiat flatus: Nam vt hic fiat morbus, neceſſarium eſt ſemper claudi os ipſius Vteri, quod clauditur modò morboſa aliqua affectione, modò grumis, modò alia ratione. Loquor tantùm de illa Inflatione, in qua continetur ſtatus in Vteri ſpatio, non in ſubſtantia, quia vbi continetur in ſubſtantia poteſt hoc fieri etiam quod Vteri os ſit apertum.

Signa.

SIgna huius Morbi ſunt, primò tumor & dolor pectinis, atque imi Ventris, qui dolor punctiuus eſt. Scitis enim ex Galeno 1. & 2. loc. affect. vbi partes neruoſæ dolent, ſpeciem eſſe doloris punctiui: ad hæc, dolor iſte modò aſcendit ad ſeptum tranſuerſum, modò ad Inguina, Ilia & Lumbos: modò ad hæc omnia flatus ex Vtero erumpunt. Addit Rhaſes, propter hos flatus moueri Vterum de loco ad locum, non quod verè moueatur, ſed quia inſtar membrorum palpitantium vbi tumet attollitur, vbi detumeſcit deprimitur, atque ita ſpeciem cuiuſdam motus oſtendit. Hæc ſunt ſigna communia inflationis. Quæ verò diſtinguunt flatum exiſtentem in ſpatio, à flatu qui continetur in ſubſtantia, hæc ſunt, quòd dum voluitur Mulier, fit ſtrepitus & fragor quidã, perinde ac in torminibus inteſtinorum, ſi tangatur Vterus, pulſat inſtar tympani. Quod ſi flatus in corpore Vteri contineatur, dolores fiunt grauiores, curatu etiam difficiliores, neque tantus tumor adeſt, neque ſonitus. Sed optabitis ſcire, quomodo dignoſcatur quãdo flatus cõtinetur in Vtero, & quando continetur in Inteſtinis. Reſpondeo, quòd quamuis multa ſint communia, ſunt tamen alia quædam particularia ſymptomata, relata ab Hippoc. lib. de natura Muliebri, quæ poſſunt indicare differentiam hanc: nam in inflammatione Vteri, pedes & caua oculorum intumeſcunt, color corporis fœdus eſt, retinentur Menſes, non fit conceptus, anhelitus adeſt difficultas, præſertim in ambulando, vbi Mulier quid edit aut bibit, magis affligitur, triſtior euadit. Addit Moſchio, interdum & ſupprimi vrinam.

Prognoſtica.

EST hoc vitium malum; ſed neque lethale, neque diuturnum, hoc verum eſt, quod niſi curetur, aliorum malorum ſolet eſſe origo.

Curatio.

CVratio. Primò victus ratio, vt dicit Aëtius, debet inſtitui, quæ attenuet & flatus diſcutiat, vnde non ſolùm in aëre calido, ſed ſicco conſeruanda eſt Mulier, ſed eius corpus totum conſeruandum eſt calidum. Monet vnum Rhaſes, & optimum eſt, vt Aër ſit plenus odoribus, quia eiuſmodi aër maximè confert ad diſcutiendos flatus: dum acceſſio huius doloris inſtat, monet Paulus, & rectè, abſtinendum eſſe ab omni cibo & potu. Eſt dubitatio, an in hoc affectu miſſio

ſanguinis conueniat : Paulus & Aëtius, niſi quid prohibeat,conſulunt mittendum eſſe ſanguinem : ex aduerſo , Moſchio in hac curatione nullam mentionem facit miſſionis ſanguinis, neque etiam videtur conuenire , propterea quòd cauſa huius morbi effectrix ; ſit calor debilis : qui proculdubiò calor fit debilior & infirmior, miſſo ſanguine , ita vt non videatur conuenire hoc auxilium. Dico conuenire ſectionem Venæ , vbi adeſt ſumma plenitudo in corpore , & vbi fit hoc malum ex Abortu , aut difficili partu , poſtquam aut puerperia, vel menſtrua ſunt ſuppreſſa, quo in caſu conuenit miſſio ſanguinis à Saphena. Vbi autem fit hoc malum à ſola frigida cauſa,nequaquam conuenit hoc auxilium,& quoniam flatus continuò ſuggeruntur ab humoribus,propterea ante alia euacuandi ſunt humores à corpore,& antequam euacuentur,præparandi.Niſi igitur fuerit lenita aluus,poteſtis ante alia lenire vel Clyſtere , vel Hiera. Lenita aluo , ſunt præparandi humores , & poſſunt præparari hoc ſyrupo.

℞.Fol.Arthemi. Calaminthæ, Pulegij ana M.j.Sem. Aniſ.P. s. Fiat decoctio ſecundum artem : deinde

℞. Decoctionis huius ℥.iiij. Syr.de Arthemi.de Biſant.ana ℥. j. Miſce. vbi fuerint humores præparati, erunt ſtatim expurgandi , & pro purgatione, commendatur Hiera Ruffi, Logodi. Exempli gratia:

℞. Specierum Hieræ Ruffi ʒ.ij. vel ʒ.j.s. Diacartha. ℥.j. Miſce. fiat Bolus.Poſtquam præparati,& purgati erunt humores,veniendum ad ea quæ flatus diſcutiunt tam intrinſecus , quàm extrinſecus. Intrinſecus conuenit huiuſmodi puluis.

℞. Seminis Fœniculi,Aniſi ana ʒ.j. Fol. Arthemi.Pulegij ana ʒ.s. Coriandri ʒ. j.s.Terantur omnia diligenter,& per ſecerniculum mittantur.Deinde addatur Sacchari fini ℥. s. vel ℥.j.Poterit ægra vti huiuſmodi puluere, vel loco ſalis , vel cum Brodiis : conuenit etiam Diacyminum, Dianethum, Theriaca. Extrinſecus autem conueniunt Emplaſtra ex Arthemiſia , Furfure , Oleo Rutaceo , Camome. Exempli gratia:

℞. Folio. Arthemi. Rutæ ana M.s.Furfuris P.j.s. Bulliant omnia in Vino vſque ad conſiſtentiam Emplaſtri: deinde addantur Olei Rutacei ℥.ij.Fiunt & ſuffitus ex Coriandro, Aniſo , Arthemiſ. Quod ſi grumus ſanguinis adfuerit,mandat Aëtius, & iure, curandum vt obſtetrix accipiat grumum manibus,atque diſſoluat : deinde foueatur Matrix ex decocto Ficuum , Nitri & Abſinthij. Permanente & inualeſcente morbo,deueniendum ad validiora,quo in caſu magna Cucurbitula pectini & vmbilico adhibita , maximam vtilitatem præſtat. Adhibentur interdum Sinapiſmi, Frictiones, & omnia, quæ valenter poſſunt calefacere & exſiccare. Duo tamen ſunt aduertenda, vnum eſt, vt caueatur ſuffitus aromatum in iis Mulieribus, in quibus caput eſt affectum : & ratio eſt ex Hippoc. autoritate , qui dicebat aromata caput maximè offendere. Alterum aduertendum eſt , quod vſus adſtringentium eſt aduerſiſſimus huic morbo.

DE HYDROPE VTERI.

CAPVT XVII.

PRÆTER flatum, Aquam etiam colligi in Vtero , explicatum eſt ab Hippocr. 1. de Morb.mulieb.fol. 85. & in fine lib.quarti de Morbis: ab Aëtio lib.16.cap. 79. ab Auicenna 21.tertij tract. quarto, cap.25. Ita quod non eſt dubitandum quin etiam

etiam Vterus patiatur eam morbi ſpeciem,quæ vocatur Hydrops.Cæterùm quanquam conſtet,aquam colligi in ipſo vtero,dubitari tamen poſſit,in qua vteri parte colligatur & quomodo generetur.Dico,colligi aquam in vtero,tùm in ſpatio,tùm in ſubſtantia: & hæc fuit etiam ſententia Aëtij. Quomodo colligatur in ſpatio, clariſſimum eſt, quod ſicuti in ſpatio ventris colligitur aqua, ſic etiam colligitur in vtero. Sed de ſubſtantia non ita clarum eſt: vt intelligere poſſitis Aëtium,debetis ſcire quod hæc aqua colligitur inter tunicam & tunicam vteri, non quòd tunicæ totæ à ſe inuicem diſcindantur & ſeparentur,ſed quia in aliquibus partibus tantum ſeparantur,ita vt fiant in ſubſtãtia vteri, veluti veſiculæ aqua plenæ. Nam ſcribit Galenus 7. Aphor. 55. in Iecore fieri ſæpe huiuſmodi veſicas, quando ſcilicet pars membranæ veſtientis Iecur, ſeparatur à ſubſtantia iecoris, atque hoc inquit apparere in iugulatis animantibus: & memini me vidiſſe hic in Anatome annis elapſis, in quadam oue iecur repletum huiuſmodi veſiculis. Vt igitur fit in iecore,vt docet Galenus,ſic etiam fit in vtero:atque hoc eſt quod dicit Aëtius,aliquando fieri in vtero corpuſcula veſicæ fellis ſimilia, in quibus aqua continetur. Cæterùm, an in vtero ſemper poſſit contineri aqua, vt continetur in veſiculis, dubitari poſſet. Nam quod colligatur dictum eſt, ſed quomodo contineatur,difficile eſt,propterea quòd os vteri niſi infeſtetur aliqua ægritudine,ſemper apertum eſt,niſi in conceptu. Cum autem aqua, quæ ſupereſt,per os vteri ſemper exeat,licet foramen ſit anguſtiſſimum,videtur debere huiuſmodi aquam exire. Dico hoc veriſſimum eſſe,quod aqua non poteſt colligi in vtero, niſi prius os vteri clauſum ſit,vel propter aliquam ægritudinem, vel propter conceptum; quoniam fieri poteſt,vt conceptus fiat,& ſtatim mortuo conceptu, aqua congregetur & retineatur. Sed dicetis, quomodo retinetur? nam dicebat Galenus, aperiri os vteri vbi conceptus mortuus eſt. Dico, quod propter multitudinem aquæ diſtenduntur partes vteri, eius os conniuet & concluditur.

Cauſæ.

Cauſæ internæ huius affectus ſunt intemperies frigida vteri: Cauſæ verò externæ, vt dicit Hippocrat. 1. de Morb. Mulieb. ſunt Abortus, frigus externi aëris, potus aquæ frigidæ, vſus Ciborũm refrigerantium, inſeſſiones factæ in rebus refrigerantibus.

Signa.

Signa ſunt, quod menſes ſtatim retineantur,conceptus nequaquam fit: nam,vt dixi, poteſt Hydrops ſequi conceptum. Sed quod præcedat conceptum, fieri non poteſt,duplici ratione. Vna eſt, quia os vteri eſt clauſum: Altera, quia,vt dicebat Gal. vt plantæ non gignuntur in aqua, ſic animalia in aquoſo vtero gigni non poſſunt. Adhæc, inter alia ſigna hæc ſunt, quod imus venter,inguina & pedes tumeſcunt, mammæ fiunt molles. Si adſit lac in mammis, vitiatur omnino & aqueum euadit, murmura in vtero percipiuntur, difficulter ambulant, excrementa alui malè olent,os vteri gracile & humidum, ſi tangatur,apparet: & quantò magis morbus hic progreditur, tantò fiunt deteriora hæc omnia mala. Addit Moſchio, his Mulieribus nares fieri mucoſas. Duo hoc in loco notanda,vnũ eſt, quod tametſi Aëtius & Moſchio inter hæc ſigna retulerunt retentionem menſtruorum, verumtamen exeunt his mulieribus etiam humiditates quædam ſan-

guinolentæ, quæ æmulantur menſtruas purgationes : ſed tamen differunt,vt dicit Hippocr.quia iſtæ purgationes prauæ ſunt,diminutæ,citò finiuntur, nullum ordinem ſeruant, ita quòd vera menſtrua iure non poſſint appellari. Alterum notandum,Mulieres quæ patiuntur vteri Hydropem,ſæpiſſimè videri prægnantes : imò refert Iacobus de Part. & teſtatur quotidiana experientia, ſæpè Medicos & obſtetrices deluſos eſſe hoc morbo, qui cùm putaſſent Mulierem ferre in vtero, tandem emiſſa aqua, deluſi ſunt. Vt igitur vos non illudamini, debetis diligenter dicta ſigna aduertere, quia vbi prædicta perluſtraueritis,diſtinguetis an ſtatus,an aqua ſit in vtero.

Prognoſtica.

MAlum hoc ferè lethale eſt, quia Hydropem vteri facilè ſequitur Hydrops totius corporis, ita vt non immeritò ſcriptum ſit ab Hippocr. ſi febris ſuccedat Hydropi vteri, atque vexet ſitis, fieri protinus ſplenem aquoſum : quapropter erit quamprimum curatio huius morbi habenda.

Curatio.

EST autem curatio ſecundum Hippoc. hæc, vt primum ſi dolor vexet ægram, mitigetur rebus anodynis & laxatiuis. Huiuſmodi eſt decoctum & fomentum ex Althæa,fœnugræco, meliloto, malua, quæ omnia decoquantur in aqua & oleo roſarum, atque cum ſpongiis foueatur totus imus venter. Sedato dolore, ordo ſecundum Hippoc. eſt, vt purgentur humores, tùm per interna, tùm per externa. Quapropter lenita aluo, vt intellexiſtis, erunt præparandi & expurgandi,vt monſtraui in inflatione. Poſtmodum purgatis humoribus, exhibenda ſunt remedia tùm intrinſeca, tùm extrinſeca, quæ poſſunt aquam vel educere, vel diſſipare. Et ante cætera, laudantur extrinſecus brodia, quæ poſſunt vrinas prouocare. Exempli gratia :

℞. Folio. Sabinæ,Matrica. ana M.s.Azari ʒ.ij.Rad.Apij ℥.s. Bulliant in brodio, & brodij propinetur ℔.s. valent etiam confectiones Dialacca, Diacurcuma. Extrinſecus autem conueniunt inſeſſiones factæ ex Laureola,geniſta, ſaxifraga, Cucumere aſinino,quæ omnia coquantur in aqua, & fiat inſeſſus. Infunduntur quoque quædam in vterum, quæ poſſunt euacuare aquam, veluti oleum irinum, cui additur ellebori ʒ.j. aut elaterij ℈.j. aut grani gnidij ℈. s. Fiunt etiam collyria & peſſi ex elleboro, nitro & colocinthide. Exempli gratia :

℞. Nitri ℈.s. colocinth. ellebori ana ʒ. j. mellis q. ſ. Fiat collyrium ſiue peſſarium,& indatur ſecundum artem. Conueniunt quoque emplaſtra ex ſtercore Canino, ex conchilibus, & præſertim cochleis deuſtis & in puluerem redactis. Adhibentur etiam interdum emplaſtris cantharides. Poſtquam verò his ingeniis, & aliis, aqua fuerit educta, docet Aëtius exercendum eſſe corpus, fricandum ventrem, atque cum fomentis & ſuffumigiis calefaciendum, & ſiccandum vterum.

* * *

DE

DE VTERI INFLAMMAtione.

CAPVT XVIII.

INTER præcipuos Vteri morbos,qui fiunt in Magnitudine,numeratur inflammatio,quæ in Vtero fit, vt & in aliis noſtri corporis partibus, hoc eſt, per collectionem ipſius ſanguinis: quæ collectio hanc varietatem patitur, eò quòd, vel in dextera Vteri parte, vel in ſiniſtra,vel in anteriori, vel poſteriori parte efficitur.

Cauſæ.

CAuſæ internæ inflammationis Vteri tres potiſſimum exiſtunt,plenitudo ſanguinis totius, propter quem in Vtero multiplicatus ſanguis hunc tumorem facit: adhæc Menſtruorum retentio, quæ licet plenitudinem neceſſariò faciat Vteri, non tamen facit vniuerſalem plenitudinem. Poſtremò, ſunt Vlcera facta in Vtero ab aliquo humore erodente. His cauſis internis addunt Arabes alias, vt inflammationes, quæ dolorem inducunt, nec non ſpermatis multi abundantiam. De externis cauſis conueniunt Arabes & Græci ſcriptores, quòd præcipuæ ſint percuſſiones,caſus, abortus,partus difficilis, multitudo coitus, ſeſſiones in durior i ſella,ambulatio longa & intenſa, frigiditates externæ,& flatuum multitudo.

Signa.

SIgna inflammationis Vteri generica, ſunt ardores & dolores, quæ apparent in locis Muliebribus, præſertim in Lumbis, pectine & toto ventre. Adhæc, ſi vteri os tangatur, durum apparet, retractum, ardens dolor circa lumbos, ſtupor quidam & genuum frigiditas. Hippoc. 2.de Morb. mulieb. quem ſecutus eſt Paulus, multa alia addit ſigna,inter quæ hæc ſunt præcipua: dolor capitis, delirium, profundus ſomnus, Colli conuulſio,Ceruix multis tenuibus venulis inſtar telæ aranearum variegata, venter nunc durus,nunc mollis, nunc tumidus,ita vt prægnans quodammodo videatur, vomitus, Lipothymiæ. Atque hæc omnia ſunt ſigna vniuerſalia, præter quæ ſunt particularia,quæ oſtendunt, vel partem affectam, vel tempus inflammationis. Si ſit inflammatio in parte anteriori, dolor magis pectinem infeſtat, Vrinæ ſupprimuntur, eò quòd Veſica ab inflammata parte comprimitur: ſi non ſupprimitur Vrina, ſæpè guttatim defluit. Si in poſteriori parte fiat inflãmatio,dolor magis lumbos infeſtat, ardor, ſimiliter retentæ fæces. Quod ſi latera afficiantur,dicit Hipp.dura apparere inguina dum tanguntur,infirma crura eſſe, atque interdum Mulieres claudicare cogi. Sin autem inflammatio in Vteri ore ſit poſita, nullum ſignum euidentius,quàm id quod habetur ex tactu, quia manu ipſa percipitur locus durus,rigidus,& ardens.Vbi inflammatio augetur,prædicta ſigna omnia adſunt vehementiora,præſertim dolores,deliria,deliquia animi, ſingultus, extremorum frigiditates, excrementorum retentiones, dolores capitis, & tandem omnia alia accidentia inflammationis, ſemper augeſcente ipſa acerbiora euadunt. Et aduertatis, quòd ferè ſemper, vt aliàs dixi, caput afficiatur, ſed

potiſſimum in inflammatione Vteri. Ratio habetur à Galeno 6. Epid. tex. 5. com. 1. vbi dicit, in Vtero Venas multas & amplas reperiri, propter quas ſanguinis in ipſis fit multa putrefactio & inflammatio.Ex inflammatione & ebullitione febres magnæ, & propterea copioſiſſimè feruntur vapores in ſynciput, in quod terminantur plurimæ arteriæ,per quas facillimè feruntur vapores copioſi. Quod ſi inflammatio ad ſuppurationem conuertatur, dolores fiunt & febres multo maiores, tumor partis affectæ magis attollitur, dolor punctorius magis infeſtat, Vrina & fæces ſupprimuntur. Sin verò non in ſuppurationem,ſed in Scirrhum potius conuertenda ſit inflammatio, apparet tumor ſi tangatur veluti lapideus, dolor vel exiguus, ſi tamen ſit legitimus Scirrhus: vel nullus, ſi Scirrhus ſit confirmatus: adhæc corpus debile, crura imbecilliora ſunt & quodammodo torpeſcunt. Circa hoc duo ſunt ex Paulo notanda: vnum eſt,quod Scirrhus non modo conſequitur inflãmationes Vteri, verùm ſæpè fit à principio in Vtero. Alterum notandum eſt, ex genere Scirrhorum,eam duritiem,quæ ſolet fieri circa ceruicem Vteri, & communi nomine à Græcis vocatur Σκίῤῥος, noſtri vocant diuritiem, quæ eſt tumor, ſed minus tactui renitens, & cum modico dolore. Quod ſi inflammatio ſit Eryſipelacea,docet Hippocrat. 2.de Morb. Mulieb. quomodo ſit cognoſcenda, tùm quia in huiuſmodi inflammationibus, inflammatione tumeſcant Mammæ, pedes, ſæpè totum corpus,tumores apparent liuidiſſimi,oriuntur rigores, febres ardentes, deliquia animi creberrima,deliria,ſpiritus difficultates, dolores Veneris, capitis, pectinis,tremores ſequuntur: corpus repletur puſtulis, facies rubicunda fit, ſicca & aſpera. Atque hæc ſunt ſigna ex Hippocratē inflammationis Eryſipelatoſæ

Prognoſtica.

Prognoſtica huius inflammationis ſunt, quod omnis inflammatio Vteri eſt periculoſa & lethalis. Sed eò magis periculoſa,quando vel totum Vterum obſedit, vel magnam eius partem: & quanquam,vt dixi,omnes inflammationes ſint periculoſæ, verum etiam minus periculoſa habetur quæ oritur in ceruice,propterea quod pars illa carnoſior eſt, & propterea non percipit ea Symptomata, quæ pars Vteri neruea infert. Scriptum eſt ab Hippocr. 5. Aphoriſm. 43. & 2. de Morb. mulieb. quod ſi eryſipelas Vterum tentauerit,omnino Mulieres pereunt,vbi ſunt prægnantes, vbi verò non ſunt prægnantes, pauciſſimæ curantur. Scirrhus vteri ſolet frequentiſſimè in Hydropem Vteri finiri.

Curatio.

Quocirca in curanda hac affectione laborandum, & præſertim circa inſtitutionem rerum non naturalium, inter quas primum eligendus aër frigidus, odoratus, omnis motus auferendus, & quies quærenda. Vult Auicenna, & prudenter,in hac inflammatione non eſſe curam gerendam multi ſomni, imò verò vigilandum quantum fieri poteſt: & ratio eſt, quoniam, vt ſcribit Galenus 6. Epid. comm. 4. text. 17. Inflammationes internæ omnes mirificè augentur à ſomno. Accidentia animi, vt perturbationes animi, ſunt ableganda: Vinum remouendum prorſus, & eius loco aqua hordeacea, vel vino granatorum cum aqua cocta, vel etiam aqua diſtillata,vt aqua Endiuiæ,Acetoſæ, vtendum erit. Cibus autem à

principio

principio,& præſertim primis diebus tribus, tenuiſſimus eſſe debet,ita vt non excedatis vel panatellam, vel ptiſanam liquidiorem.Poſt vnum diem poteſt addi,vel brodium parui pulli, vitelli ouorum: & quia vires magnopere diminuuntur hoc morbo, additur etiam aliud, vt caro pullorum, auicularum,interim Plantago, Polygonum, Endiuia, Borrago,& quæ incendia Cordis refrenant, poſſunt quoque coqui cum carnibus. Inſtituto victu, deueniendum eſt ad alios inflammationis ſcopos implendos, qui duo ſunt potiſſimum: vnus eſt, vt prouideatur ne creſcat inflammatio, nam ſi quis eſt morbus, qui ſtatim augmentum capiat, eſt inflammatio, & præſertim Vteri, quia calor & dolor immenſos vndiquaque trahunt humores ad ſeſe.Ex quo iure in omni inflammatione, & præſertim viſcerum, ſtudendum eſt ante alia huic ſcopo, vt prohibeatur ne inflammatio augeatur. Alter ſcopus eſt, vt id quod factum eſt tollatur, ad quæ omnia præſtanda, & præcipuè ad primum ſcopum, maximè omnium conferunt Frictiones, ligaturæ, Cucurbitulæ,Scarificationes,ſed potiſſimum Venæ ſectio. Cuius Venæ ſectionis hoc loco eſt pulcherrima, difficilis & vtilis quæſtio, nã Galenus libro de Venæ ſectione, capite decimo octauo, & decimo tertio Method.vndecimo, hoc videtur perpetuũ præceptum tradidiſſe, vt in Vteri inflammatione, vt & Coxendicum, Veſicæ & Renum, ſemper ſanguis mittendus ſit ex inferioribus partibus, ſcilicet, vel ex poplite, vel ex Malleolo: quam ſententiam etiam videtur aliquo pacto inſinuaſſe Hippocrates ſecundo de Morb. muliebribus, vbi tametſi Venæ ſectionis nullam faciat mentionem, veruntamen ſcribit in hac affectione curanda potiſſimum remedium eſſe, vt per inferiora corpus purgetur, quaſi etiam hoc ipſo voluerit monere euacuationes ſemper eſſe per inferiora faciendas. Contrariam videtur Galeni ſententiam ſectatus Paulus,Aëtius,& multi recentiores, qui Baſilicam potius ſecandam exiſtimarunt, adducti hac ratione potiſſimum, quod ſcopus maximus curandi inflammationes eſt, vt prouideatur ne augeatur, iam verò prouidetur optimè,ſi fiat retractio, quia creſcit propter fluxum humorum: ſi tetrahatur fluxus, eò minus etiam creſcet. Vnus Auicenna videtur varia ſenſiſſe circa hanc rem, hic libro tertio fen.tractatu quarto cap.duodecimo,tria ad hac rem pertinentia tradit: primum eſt, quod licet Baſilicæ ſectio in hac inflammatione curanda videatur conferre ex vna parte: obeſt tamen ex alia parte, eò quia Menſes retrahit,vt etiam dicit Galenus, & quia trahat Menſes, videtur hoc nocumentum inferre, quod inducat ſuppreſſionem. Alterum ab Auicenna traditum eſt, quod Phlebotomia Saphenæ, eſt conuenientior ratione communitatis, atque magis ſanguinem attrahit: meliúſque eſt in hoc caſu prouocare Menſes, quàm retrahere, præſertim vbi malum ex menſibus ſuppreſſis ſit ortum. Tertium eiuſdem dictum eſt, quod rectius eſt, vt in principio inflammationis Baſilica tundatur, quia prohibet fluxum materiæ ad locum inflammatum:deinde Saphenæ, ad hoc vt corrigatur malum quod factum eſt à ſectione Baſilicæ, atque Menſes impediti prouocentur, ita quòd, vt videre poteſtis, tres ſunt ſententiæ circa locum ſectionis Venæ, vna Galeni,altera Pauli & Aëtij. poſtrema Auicennæ. Altimarus vt conciliaret Galenum cum aliis, accepit Auicennæ ſententiam, & dixit Galenum in locis prædictis ſolummodò locutum eſſe de deriuanda materia, & euacuanda, non autem de diuertenda. Paulum autem potius reſpexiſſe diuerſionem, quàm deriuationem & euacuationem, ita quod dicit Altimarus, ſi corpus fuerit plenum ſanguine,& inflammatio magna fuerit, à principio ſecanda eſt vena Baſilica, deinde Saphena: ſin verò nulla fuerit ſanguinis exuberantia, neque inflammatio magna admodum fuerit, ſtatim mittendus eſt ſanguis à Saphena. Hæc ratio Altimari probanda eſt,

quia hæc eſt veritas : ſed non tuetur Galenum & alios à calumnia.Non tuetur Galenum,quia Galenus cum tradit regulas curandi inflammationes Vteri, proculdubiò debet tradere eas quæ conueniunt perfectæ curationi. Sed per Altimarum dedit rationem curandi tranſacto principio , reliquit ſcopum , quem dixi eſſe principium, ſcilicet prohibitionem augmenti, quæ retinetur per retractionem. Addo, quod ſi vera eſt ſentētia Altimari, fallax eſt Galeni ſentētia,quia non docuit quomodo ſit curanda in principio. Non tuetur alios, quia iſti dimiſerunt curationem inflammationis,quæ debetur ipſi tranſacto principio,ſcilicet deriuationem & euacuationem. Quid igitur dicendum? certè locus ille difficilis eſt : nam illo loco lib. de Venæ ſectio. 18. etſi dici poſſet eum minimè præcepiſſe ſolum miſſionem ſanguinis inferiorum partium,eò quia cùm Galenus traderet ſuperius regulas curandi recentes inflammationes Renum & ſimilium partium , dixit , quod in recentibus mittendus eſt ſanguis à ſuperioribus, in vetuſtis, ab inferioribus : & cùm hoc dixiſſet,ſubiungit,magis auxilium habere ex ſectione Venarum inferiorū partium, quaſi dicere voluerit , quod etiam ſi vbi recens eſt , id eſt, vbi inchoat, mittendus ſit ſanguis à ſuperioribus,ſed tandem ab inferioribus.Locus hic ſic defendi poteſt. Sed locus 13. Methodi 11. multo difficilior eſt,quia Galenus ibi de inflammationibus incipientibus ſermonem habens , inquit : quod in Angina mittitur primò ſanguis à manu, deinde à lingua:in inflammatione occipitis, primò à fronte:in inflammatione Iecoris , à cubito dextro : in inflammatione Lienis, à ſiniſtro : in inflammatione Vteri , à Malleolo : ita quòd videtur etiam ſenſiſſe Galenus, quod in inchoantibus inflāmationibus Vteri ſit mittendus ſanguis , non à ſuperioribus, ſed inferioribus, quaſi huiuſmodi euacuatio poſsit ſeruire deriuationi & euacuationi & reuulſioni.Vnde valde miror Altimarum,qui dixit Gal.hoc in loco ſolùm de Venæ ſectione deriuatoria & euacuatoria,tum autem de reuulſoria,quæ in principiis debet eſſe,ſermonē habere. Quare hæc res,vt dixi,difficilis eſt,tamē ſententia mea eſt, hoc loco Galeni conſilium eſſe,de ea inflammatione ſermonem habere, quæ ſola eſt citra corporis plenitudinem, quaſi quod ſemper vbi non adeſt plenitudo , etiam quod inflammatio ſit in principio , ſemper ſit ſanguis mittendus ab inferioribus : & ratio eſt , quia vbi non adeſt plenitudo , hæc ſectio non ſolùm euacuat & deriuat,ſed etiam reuellit. Vbi verò adſit ſanguinis abundantia,dico eo in caſu primo venæ ſectionem neceſſariam eſſe in cubito : nam Galen. decimo Med. local. ſecundo, loquens de Iſchiade,inquit, auxilium maximum eſſe,ſi fecetur Vena tali, aut poplitis:deinde magis ſententiam ſuam explicans,dixit:hac plenitudine ſanguinis exiſtente , euacuationem primò ſanguinis faciendam eſſe per cubitum,deinde ab inferioribus.Sed dicet aliquis veſtrum, cur Galenus non mentionem fecerit huius plenitudinis.Præterea,Galenus ibidem dicit,quod in principio cauendum omnino eſt,Menſes prouocare,quod ſi verum eſt,ergo etiamſi non adſit plenitudo in principio,non erit ſectio facienda in inferioribus, eò quòd prouocantur Menſes. Dico breuiter, non mentionem feciſſe Galenum ſanguinis plenitudinis , quia ad eum non pertinebat ibi mentionem facere. Præterea , tradidit regulas vniuerſales Galenus , quod ſemper plenitudine exiſtente vniuerſali , ante omnia alia tollenda eſt plenitudo per eam venam , quæ totum euacuat. Ad aliud dico,Galenum loqui de prouocatione Menſium,quæ ſit per Medicamenta, & etiā de prouocatione Menſium,quæ ſit plenitudine exiſtente in corpore, ita quòd voluerit,non eſſe prouocandos Menſes,neque per medicamenta,neque per ſectionē: non negauit tamen eſſe prouocandos , vbi non adeſt plenitudo , etiam Auic. vt intellexiſtis , dicebat in his caſibus ſanguinem eſſe prouocandum. Secta vena, di-

ligen

ligenter inueſtigandum eſt, num ſola ſit inflammatio in Vtero, an verò ſit Eryſipelacea. Si adſit Eryſipelas, erit ſtatim aluus mouenda, quo in caſu Hippocr. 2. de Morbis mulieb. vtebatur ad mouendam aluum Lacte. Vos poteſtis vti decocto Thamarindorum, Manna, Caſſia, Syrup. roſ. ſolut. Rhabarb. & Sero. Sed quia, ſiue ſit inflammatio ſola, ſiue ſit Eryſipelas, ſemper dolor vrget ægrotantes, propterea ante alia omnia prouidendum erit, vt dolor ſedetur. Conueniunt autem pro ſedando dolore, oleum roſaceum & poſca, quæ modò infunduntur, modò apponuntur pectini & locis Muliebribus, Cataplaſmata quoque conferunt ad ſedandum dolorem, vt eſt iſtud:

℞. Lactis Vaccini ℔.j. Olei roſati ℔.s. Panis triti q.ſ. Fiat emplaſtrum. Quod ſi fuerint ſolum Eryſipelata, pro ſedando dolore conuenit Lac, decoctum Polygoni, Portulacæ, Papaueris, Nymphеæ, cui decocto miſcetur modò Lac, modò oleum roſ. modò Violaceum. Poſtquam ſedatus, aut ſaltem diminutus fuerit dolor, videndum quò magis vergat inflammatio, an ad diſcuſſionem, an ad ſuppurationem. Si videbitis eſſe diſcutiendum, auxiliandum his remediis quæ diſcutere poſſunt, tùm intrinſecis, tùm extrinſecis, modò id ſeruetur, ne diſcutientia nimis calida adhibeantur. Quapropter inſtituto victu humectante & refrigerante, ſimiliter erit deueniendum ad ea quæ diſcutiũt, vt ſi fiat decoctio ex Chamomilla, Anetho. Inunctiones ex Oleo Anethino & Chamo. Emplaſtra ex iiſdem oleis & decoctis, cum farina Hordei, aut Fabarum, quæ moderatè diſcutere poſſunt. Quod ſi ad ſuppurationem magis tumor inclinet, vtendum erit ſuppurantibus, cuiuſmodi ſunt Fomentationes ex oleo ſimplici & aqua ex decoctione Maluarum, Caricarum & Altheæ. Exemplum quoque optimum fuerit huiuſmodi:

℞. Rad. Altheæ coctarum & cribratarum ℔. j. Butyri ℔. s. Axungiæ porcinæ ℥.iij. Fermenti ℥.ij. Miſce ad formam Emplaſtri. Vbi ſuppuratus fuerit tumor, curandum eſt, vt docet Aëtius lib. decimo ſexto cap. 85. cum iis quæ Vlcera purgare poſſunt.

DE SCIRRHO VTERI.

CAPVT XIX.

Poſt inflammationem ſæpè materia craſſa & terreſtris relinquitur, ex qua generantur Scirrhi, quanquam & Scirrhi generentur in Vtero, ſine præcedente inflammatione. Sed aduertendum, differentiam eſſe inter Scirrhum & Scirrhoſim, id eſt, inter Scirrhum & Duritiem: quia, quanquam vt dicit Moſchio, Durities ſit affectus totius Vteri, & tumorem nullum oſtendat, tamen, vt docet Soranus apud Aëtium lib. 6. capite 84. propriè Durities efficitur in Ceruice Vteri. Paulus etiam lib. tertio capite ſexageſimo octauo, ſecutus Soranum, dicebat duritiem fieri circa Ceruicem Vteri, atque minus tactui reſiſtere quàm Scirrhum, & abſque dolore prorſus eſſe. Cæterum Scirrhus duplex eſt, alius qui legitimus dicitur, alius verò ſpurius: etenim, vt in aliis humani corporis partibus humores gignuntur, ſic etiam fiunt in ipſo vtero. Legitimus Scirrhus dicitur ille, qui neque ſenſum, neque dolorem vllum facit. Spurius verò, qui vel dolorem & ſenſum, vel ſaltem alterum horum facit.

Cauſæ.

Cauſæ.

CAuſa naturalis nulla eſt,niſi humor craſſus & terreſtris,& tandem poteſt eſſe cauſa naturalis Schirrorum, quidquid craſſi remanet, difflatis & diſſipatis partibus ſubtilioribus. Cauſæ antecedentes ſunt,vel inflammationes malè curatæ, vel retentiones menſtruorum,vel mala viuendi ratio, qua humores craſſi gignuntur. Similiter percuſſiones, labores magni ex partu & conceptu.

Signa.

SIgna horum Scirrhorum ſunt, quod ſi malum in vteri fundo ſit poſitum,ſemper inclinabit vterus in illam partem, in qua tumor erit poſitus, atque in ea parte apparebit tumor aliquis cum duritie, modò aderit dolor, in ſpurio ſcilicet, modo nullus aderit,ſi erit legitimus. Adhæc eſt in ea parte motus difficultas, grauitas non modò crurum, ſed etiam totius corporis, pigritiès quædam in obeundis actionibus: addit Auicenna, quandoque totum ventriculum intumeſcere,extenuari crura. Quòd ſi fuerit malum in collo vteri, vt optimè notat Moſchio, nullus tumor in exterioribus partibus apparebit: obſtetrix cùm digitum in os immiſerit, percipiet duritiem & quandam oris illius latitudinem, quia retracto ore ipſius vteri,ſit os magis patens: adhæc vbi ſit coitus, dolor adeſt & punctio, vbi tamen Scirrhus fuerit ſpurius,Scirrhus legitimus cùm ſit veluti callus,neque ſenſum, neque dolorem parit.

Prognoſtica.

PRognoſtica huius affectus ſunt, quod ſi durities fuerit circa collum facilè curatur,vt dicit Aëtius,non quòd ſimpliciter ſit facilis curatu, ſed reſpectu Scirrhorum qui fiunt in corpore ipſius vteri. Omnes ferè Scirrhi hoc habent, quòd niſi rectè curentur, ſolent totum corpus vitiare, Hydropem inducere. Imò verò notat Auicenna, & rectè, quòd niſi ſumma diligentia tractetur, ſolet in cancros deſinere. Quapropter omne erit adhibendum ſtudium, vt præſens morbus tollatur, in quo tollendo, ſcopus præcipuus curationis eſt, vt humor ille qui facit tumorem, diſſoluatur. Sed quoniam res duræ nequaquã diſſolui poſſunt, niſi prius emolliantur, propterea antè emolliendus erit tumor. Vnde inſtituta primum victus ratione, ſcilicet optimi ſucci, mediocris quantitatis, & qui potius attenuare, quàm craſſare poſſit: erunt præparandi & purgandi, quod ſit,vt dicit Aëtius, iis quæ craſſos & melancholicos humores ducunt. De ſectione venæ multi Medici non meminerunt, Paulus & Aëtius monuerunt, quod ſi nihil obſtiterit, ſanguinem mitti debere, quod ſemper intelligendum erit vobis, vbi ſunt indicia ſanguinis in corpore redundantis. Quod ſi ſanguis non poſſit euacuari aliqua ratione, erit corpore purgato veniendum ad ea quæ molliunt, vt ſunt inſeſſus, ex Fœnugræco,meliloto,malua,lapatho, althæa, ſemine lini. Hæc enim omnia,vel aliqua horum, coquantur in aqua in qua ſedeant Mulieres: præter inſeſſus, ſunt & alia, vt eſt huiuſmodi vnctio:

℞. Oeſipi,butyri an.℥.ij. Pingued.anſerinæ ℥.iij. Olei amygd. dul.℥.iiij. miſce diligenter. Et aduertite, quod debeant fieri largæ iſtæ inunctiones & ſæpè iterari. Præter inunctiones & inſeſſus, ſunt quoque luta aliqua, quæ poſſunt mirificè mollire, vt ſunt luta bituminoſa,qualia ſunt, S. Bartholomæi, S. Helenæ. Poſt emollitionem, deueniendum eſt ad diſcutientia, vt ſi adderemus alicui emollienti

oleo,

oleo,aliqua diſcutientia,vt ſunt oleum Irinum,Nitrum; Cyminum:ſimiliter,ſi inſeſſui addantur Arthem,Pulegium,Calamentha. Additur etiam inunctionibus Oxymel,ipſum;inſeſſui,Acetum;poteſt etiam adhiberi fumus lapidis Pyritis igniti,& aceto acerrimo conſperſi, qui fumus maximè ab antiquis commendatus eſt, ad diſſipandos Scirrhos.Poſtremò ad tollendum prorſus morbum,adhibentur ea quę ſolum diſcutiunt,inter quæ ſunt Luta; vt lutum S.Petri,S. Helenæ, & præſertim quod eſt prope domum. Tandem deuenitur ad medicamenta valentiora, quæ fiunt ex metallicis diſcutientibus lotis.

DE CANCRO VTERI.

CAPVT XX.

DIxi,ſi rectè memoria tenetis, Scirrhos malè curatos, in Cancros deſinere, de quo ſunt vobis quædam breuiter noſcenda.Nam ſicut in aliis corporis partibus, ſic etiam in Vtero fit Cancer, qui nihil aliud eſt, quam tumor durus, melancholicus,atque variis veluti ſpiris apparentibus factus, colore liuido & nigro.

Cauſæ.

HVius Cancri cauſa naturalis nulla eſt alia, quàm humor melancholicus:vnde temperaturæ melancholicæ,ætas conſiſtens,inter cauſas internas reponitur, quæ poſſunt tumorem hunc producere. Externæ cauſæ ſunt, quæcunque humorem melancholicum vel generant.vel in Vtero congregare poſſunt, vt mœror, timor,cogitationes : potus & cibus qui gignunt huiuſmodi humores,vt ſunt carnes ſalitæ, piſces ſaliti, vſus frequens Braſſicæ : vſus frequens vinorum craſſorum & calidorum. Sunt Cancrorum duo genera, vnum genus eſt cum vlcere, aliud ſine vlcere.

Signa.

NOn vlcerati Cancri ſigna ſunt, quod circa os Vteri apparet tumor quidam renitens ad tactum,inæqualis, cognoſcitur colore nigro & rubeo mixtis, aut liuido & nigro, qui tumor vehementer dolorem facit circa Inguina, pectinem, lumbos,& præſertim dolores inducit, quando vel manibus tractatur, vel medicamentis exacerbatur, vt iure dixerit Hippocrates Cancros occultos,& non vlceratos, melius eſſe non tractare. Auicenna addit,dolores, læſioneſque communicari à loco affecto diaphragmati,atque dolorem ſæpè ſimilem fieri in oculis & temporibus. Cur autem in affectibus pleriſque Vteri fiant dolores oculorum, ſuo loco paulò antè vos docui. Signa Cancri vlcerati ſunt præter dolores & alia prædicta, quòd apparent vlcera corroſa, inæqualia, eminentia plerumque. Paulus & Aëtius, inter alias conditiones horum vlcerum ſcripſerunt quandoque albedinem apparere, ſeu,vt ipſi dicunt,hæc vlcera eſſe albicantia. Sed an verum ſit,quod iſti dicunt, non audeo affirmare,quandoquidem color albus non apparet in ipſa cute: imò verò color cutis,aut niger,aut ſubliuidus, aut ex nigro & rubro mixtus color eſt, nunquam videbitis autem cutem albicare. Non enim poteſt vera eſſe horum ſententia de materia, quia, vt dicit Auicenna, materia quæ exit à Can-

cro

cro Vteri vlcerati,vt plurimum nigra eſt, mali odoris, mali coloris, interdum rubea,interdum viridis,virulenta ſemper, rariſſimè alba:adeóque quòd non videtur vera ſententia Aëtij & Pauli, neque de colore cutis, neque de materia exeunte à Cancro.

Prognoſtica.

Hæc affectio incurabilis eſt planè, ſolumque leniri poteſt.

Curatio.

PRopterea ne malum acerbius & ſæuius euadat, ante alia diligens & aſſidua habenda eſt victus ratio:& niſi Mulieres,quæ hoc infortunio tentantur,ſint in victu diligentes, miſerè cruciantur & miſerè vitam finiunt. Eſt verò victus inſtituendus quemadmodum dicit Paulus, vt humorem Melancholicum attemperare poſſit, optimum ſanguinem gignat,& à ſucco Melancholico producendo ſit alienus. Præter victus rationem, eſt quoque corpus diligenter vacuandum à ſuccis craſſis & Melancholicis : imò ſi quis eſt caſus, in quo ſit Melancholiæ purgatio neceſſaria, proculdubio eſt Cancer vteri. Et in hoc caſu ſoleo ego curare,vt Pharmacopola habeat paratos Trochiſcos de Myrrha cum Elleboro. Nam Trochiſci de Myrrha,propria facultate expurgant Vterum,ſi parentur cum Elleboro,expurgabunt Melancholiam: vſus etiam continuus decocti Myrobolanorum nigrorum, accommodatus eſt.Præter euacuationem ſunt & alia quæ poſſunt demulcere dolorem, vt ſunt inſeſſus facti cum Fœnugræco, Malua & Oleo, ſiue ſit oleum Roſatum,ſiue Violatum,aut etiam Oleum ſimplex. Lac muliebre,cum admiſcetur parum Croci, accommodatum eſt remedium ad leniendum dolorem. Conuenit autem huiuſmodi Lac, infuſum in Vterum : idem præſtat Oleum Vitelli ouorum. Vitelli ipſi omnes conueniunt, cum ſucco polygoni & Plantaginis, præſertim cùm fluor & dolor vrgent. Monet Rhaſes, cauendum eſſe in Cancri lenitione,omnia illa medicamenta, quæ ſunt acuta, quoniam Vterus Canceratus, neque Clyſteres,inquit,neq; Suppoſitoria,neque vlla alia medicamenta ſuſtinere poteſt, quæ aut nimis acuta,aut nimis calida exiſtunt.Sunt præter hos tumores,Verrucæ, Thymi,Condylomata,quæ omnia ope Chirurgica debent curari:& curantur,vt in aliis partibus,de quibus habetis apud Chirurgos ampliſſimè.

DE MORBIS IN SITV.

CAPVT XXI.

MOrbos eos qui fiunt in magnitudine, ſequuntur Morbi qui fiunt in Situ, quando ſcilicet Vterus à Medicis ſitum mutaſſe dicitur:non quod verè mutetur ſitus, ſed quia conſtrictus, aut dilatatus, locum mutare videtur. Hoc autem dictum eſt à me, propterea quòd magnus Pilato in Timæo fuit huius ſententiæ, quod Vterus, perinde atque animal quoddam, mutaret locum & in corpore moueretur, de parte in partem.Quam ſententiam ſatis copioſè refutauit Galen. 6. de locis affect.Sed antequam hanc rem fuſius tractemus,debetis ſcire,vterum in animalibus diuerſum ſitum à natura habuiſſe, vt Ariſt. 1.de Generat. animal. 13. &

1.de Hiſtor. animalium cap. vlt. nos docuit. Nam animalia Ouipara habent Vterum prope Diaphragma,in parte poſtoriore, prope lumbos collocatum. Animalia verò quæ pariunt viua,vt eſt Homo, habét Vterum ita collocatum, quod in aluo poſitus eſt,longè à Diaphragmate,ita vt dum ſupinum eſt corpus Mulieris, ſit ſupra inteſtina & infra Veſicam,quo pacto intelligenda eſt ſententia Ariſtot.alioqui obſcura,quando ſcribit Vterum hominis eſſe ſuper inteſtina & infra veſicam.Fuit Vterus in fæmina poſitus longè à Diaphragmate,vt dicit Ariſtot. propter præfocationes :quia ſi proximus eſſet, ita vt contingere poſſet Diaphragma, ſæpiſſimè præfocarentur miſeræ Mulieres. Poſitus eſt Vterus in parte ſupra inteſtina,quia ſi poſitus eſſet in dorſo, vt ouiparis, cùm fœtus deberet augeri, proculdubiò impediretur fœtus auctio. Sed duo hic pulcherrima problemata exſurgunt : vnum eſt, cur ſit quod in fœmineo ſexu cuncta animalia habeãt Vterum intra corpus, multa verò animalia maſcula habeant ſua virilia extra corpus.Alterum problema eſt: Cur potius inouiparis animalibus Vterus poſitus ſit in anteriori parte. Primo quæſito reſpondet Ariſtoteles 1.de Gener. animal.12.quod fœtus,atque Embryo, dum deberent augeri intra corpus humanum, vel beluinum,opus habeant multo calore & multa cuſtodia. Hic calor vt cuſtodiatur, natura nullũ alium locum poterat machinari, quàm intra corpus. Teſtes verò animalium, cùm debeant fabricare ſemen & cuſtodire, propter ſalutem propria quadam ratione indigebant quodam coopertorio particulari, quod coopertorium in iis animalibus quæ habent cutem mollem, vt homo, & animalia alia multa, melius erat vt extra fieret quàm intra. Animalia verò quæ cutem duram habent, non poterant coopertoriũ habere hoc genitalium, & propterea factum eſt, vt in his animalibus intra corpus latitent teſtes, in homine & aliis multis, extra corpus. Addo ego aliam rationem, ab Ariſtotele non tactam, quod aues, & piſces neceſſariò habuerunt teſtes intra corpus, eò quòd ſalus horum animalium poſita eſt in natatu & volatu. Si auibus & piſcibus teſtes penderent extra corpus, vt in aliis multis animalibus, citra controuerſiam impedirentur à natatu & volatu. Hoc in loco volo vos docere rem quandam miram, quam ſcribunt illi, qui nouum orbem inuiſerunt, ſcilicet quoddam animal reperiri, quod duos Vteros habeat, vnum internum, alterum externum. Interno vtitur ad generandam & concipiendam prolem, vt alia animalia: Externo, dicunt ipſi, tanquam burſa ad defendendos pullos ab aliis animalibus. Ad ſecundum quæſitum, Cur potius in anteriori, quàm poſteriori ſit conſtitutus, reſpondendum id quod reſpondet Ariſt. 1. de Gener. animal. 12. ſcilicet ea animalia, quæ habent Vterum in dorſo, habere etiam Vterum valde tenuem & ſubtilem, ita vt preſſione ſua non poſſit vlla viſcera offendere. Præterea,animalia quæ habent Vterum in anteriori parte,dicit Ariſtoteles,cùm habeant meatum excrementorum ſiccorum in poſteriori parte, nequaquam natura rectè feciſſet, ſi Vterum poſuiſſet eò, vnde fæces eſſent excludendæ. Accedunt & aliæ rationes,quod quæ habent Vterum in dorſo, oua pariunt, oua incrementum magnum minimè ſuſcipiunt, ita quòd non eſt periculum, quòd impediatur auctio. Secus autem eſt in viuiparis,quorum fœtus cum incrementum ſuſcipiant in anteriore parte, duo habent bona : vnum, quod augeri magnoperè poteſt : alterum, quod faciliùs cuſtodiuntur quæ ſunt ante oculos,quàm ea quæ ſunt poſt oculos. Cùm itaque ſit huiuſmodi Vteri ſitus in fœmina, mutare dicitur locũ tripliciter: mutare inquam Metaphoricè,non propriè : vno modo,quando ſurſum aſcendit, & dicitur à Medicis Aſcenſus Vteri:alio modo,quãdo mutat locum ad latera, vocant hanc mutationem reclinationé,ſeu inclinationem Vteri. Quando ad inferio-

res

res partes labitur, dicitur mutare locum tertio modo; & dicitur πρόπτωσις Græcis. Latini modò prolapſum vteri, modò procidentiam appellant. Omnes tamen mutationes hoc habent, quod à Barbaris Medicis ſæpiſſime vocantur præcipitationes, ſiue ſit ad ſuperiora, ſiue ſit ad latera; ſiue ad inferiora. Ad ſuperiora dicitur Vterus aſcendere ab Hippoc. 2. de Morbis Mulieb. vel ad Cor, vel ad Caput, vel ad ſeptum tranſuerſum, vel ad iecur: ad hæc enim omnia loca videbitis Hippoc. ſcribentem vterum mulieris ſæpè aſcendere. Ad latera autem dicitur vterus moueri, quando vel ad inguina, vel ad coxas, vel ad ilia decumbit, modò in ſiniſtram, modò in dextam partem, modò in poſteriorem. Dicunt Medici deſcendere Vterum, quando extra os Vteri propendet, ita vt ouum Struthiocameli extrà eſſe videatur: imò verò Hippoc. loco citato dixit, Vterum etiam deſcendere ad crura, vel ad pedes: non quod vterus verè ad hæc loca moueatur, ſed quia, vt videbitis, tantum dilatatus, non conſtrictus, modò hanc, modò partem illam magis lædere videtur. Eſt hic affectus morbus, & eſt morbus in ſitu, & quia morbi eſt proprium lædere actiones, proculdubiò ab hoc morbo læduntur omnes vteri operationes, quæ operationes, vt dicit Auerroës 3. Collect. cap. 29. quatuor ſunt: attractiua, repulſiua, retentiua & digeſtiua. Appellat Auerroës digeſtiuam, conſeruatiuam, dicitque hanc facultatem eſſe propriam vtero, eò quòd proprium vteri eſt conſeruare Embryonem. Nihil facit vterus, niſi vt conſeruetur fœtus. Quo in loco notate hunc etiam virum magnum negaſſe vtero vim vllam diſcretiuam, quam poſuit in aliis partibus ductus hac ſententia propria, quod vterus non nutriatur ſanguine menſtruo, ſed puriore, ita vt non opus habeat diſcretione vtilis ab inutili, vt aliæ partes.

Cauſæ.

CAuſas huius morbi loco citato reduxit Auerroës nd tria genera, ſcilicet ad caſum, ad percuſſionem & ad humiditatem lubricitatiuam. Sed in his cauſis recenſendis fuit Auerroës valde diminutus, vt in multis aliis: & aduertite, qui vultis legere Auerroëm in libro Collect. raró percurrit omnes cauſas rerum, quia non erat perfectus Medicus. Cauſæ igitur mutationis ſitus in vtero, aliæ ſunt internæ, aliæ externæ: Cauſæ internæ omnes reducuntur ad duo genera ſumma, ad inanitionem & repletionem, quæ videtur fuiſſe ſententia Auicennæ duodecimo tertij tractat. quart. capite quarto. Nam ſi vteri vaſa repleantur, duo contingere poſſunt, & repleta hæc vaſa inclinant ad latera, & ita faciunt inclinationem, vt ducant ſecum quaſi totum vterum: quod ſi hæc vaſa coanguſtent os vteri, vt corpora omnia concaua dum coarctantur, longiora euadunt: ita quoque vterus dum eius os coarctatur ex plenitudine, videtur quodammodo in longum produci, quæ productio dicitur aſcenſus, quia elongatur fundus vteri verſus partes ſuperiores. Quidnam dicendum de inanitione? quod inanitus vterus ſanguine, veluti quiddam flaccidum ſolet prolabi, atque veluti in ſe ipſum extra concidere. Vnde iure Auicenna dicebat, Apoſtemata omnia eſſe cauſas præcipitationis ipſius vteri. Sic quoque vbi præ humiditate vteri laxantur membranæ quibus appenſus eſt vterus, videtur modò in vnam partem, modò in alteram prolabi, non quod ligamenta diſrumpantur, ſed quia laxata, permittunt vt vterus ſitum proprium non ſeruet: & hæc affectio frequentiſſimè omnium contingit. Et propterea excuſari poteſt Auerroës, qui inter cauſas internas retulit ſolam humiditatem lubricitatiuam. Nam Moſchio quoque autor grauiſſimus hanc præcipuam cauſam præcipitationis dicit, ſcilicet himiditatem, eas membanas relaxantem. Inter has cauſas

poteſt

temperatura humida, ætas inclinans,vt teſtatus eſt Paulus & Aëtius, qui in Mulieribus perfectioribus,ab humiditate excrementitia, ligamenta Vteri faciliter relaxari prodiderunt. Cauſas externas multas profert Hippocrat. ſecundo de Morbis Muliebribus, & qui eum ſequuntur. Nam ſi Mulieres poſt partum, onus aliquod graue tollant, ſi tumore graui opprimantur, ſi currant, aut magnis ſternutationibus vexentur, in his ſcribit Hippocrates vterum facilè dimoueri. Addunt alij Abortus difficiles & graues, errata obſtetricum in educendo fœtu, vel in educendis ſecundinis, percuſſiones ſupra Vterum factas, Conſternationes animi ex malo nuntio allato. Vnde diſcite cuſtodire Mulieres, ne mala nuntia ad ipſas deferantur, & præſertim ex inſperato, quia magnopere offenduntur. Addit Auicenna his cauſis vociferationes magnas, magnos ſtrepitus, vt ſunt bombardarum. Hippocrates in fine libri de Sterilibus, ſcripſit Mulieres illas incurrere hoc malum, quæ vel à puerperio laborarunt, vel in ipſa purgatione puerperij ſunt vſæ Venere. Summatim, verum eſt id quod ſcribit Hippocrates, Mulierem quæ alioqui debilis ſit, facilè incurrere præcipitationes Vteri ex qualibet occaſione,ex frigore pedum, ex percuſſione, quia in Muliere debili, fieri non poteſt vt vterus etiam non peſſimè ſe habeat.

Signa.

SIgna quibus cognoſcitur hic affectus ſecudum Hippocratem varia ſunt: alia ſunt,quæ demonſtrant aſcenſum, alia quæ inclinationem, alia quæ prolapſum. Rurſus ſignorum quæ demonſtrant aſcenſum, alia ſunt quæ demonſtrant aſcenſum ad Caput. Exempli gratia,vt dicit Hippoc. ſi venæ ſub naſo,& partes ſub oculis dolore afficiantur, ſi Mulier alto ſopore detineatur, ſi ſpuma ori circumuoluatur. Hæc omnia ſunt ſigna apud Hipp. Vteri ad caput aſcendentis. Vbi verò ad Cor aſcendit,dicit idem Hipp.cognoſci,quia aër violenter quidem attrahitur,fiunt vomitus, flatus exeunt, & ab ore, & ab aliis partibus. Aſcendentis verò Vteri ad ſeptum tranſuerſum ſigna, ſunt vomitus feruidi & acres, dolores qui penetrant modò ad Caput, modò ad Collum, modò ad vtraque. Suffocantur Mulieres,veluti ſuffocari videntur illi, qui veratrum biberunt. Stomachus vehementer vellicatur, recta ceruice neceſſariò fit ſpiratio: interdum etiam fit vomitus acidus, os aqua impletur,& crura refrigerantur. Quod ſi ad iecur aſcendit vterus,Mulier voce deſtituitur, dicit Hippoc.dentes conſeruntur, totum corpus liueſcit.Hoc verò dicit Hipp. contingere,vel Virginib. vetulis,vel viduis,quæ diu à coitu abſtinuere, ſed maximè omnium dicit accidere Sterilibus, in quibus ſcilicet non expurgantur excrementa,neque per puerperium, neque per fœtum, neque etiam per Vteri tumorem.Et aduertite, quod omnes aſcenſus vteri, ſiue ſint ad Caput,ſiue ad Cor, ſiue ſint ad aliud, videntur hoc perpetuum ſymptoma habere, quod præfocationes contingant, de quibus agemus in ſequentibus. Signa inclinationis Vteri hæc vniuerſalia ab Hipp. 2. de Morbis Mulieb. traduntur, quod mulieres ſub hoc tormento contrahuntur,gibboſæ fiunt,ſteriles,menſtrua non fluunt, aut ſi fluant,praua, aut pauca omnino ſunt. Vbi ad ſiniſtrum inclinat, in ea parte dolent Lumbi, Ilia,Crus claudicat,& durities quædã apparet.Quod ſi verſus dorſum magis inclinet,præter dicta accidentia, etiam fæces retinentur:idẽ quoq; exiſtimandũ eſt ſi ad dextrũ inclinet latus.Vbi verò ad coxã decũbit, præter dicta ſigna accedũt & hæc, quod coxa ſit dura & ſolida,imus Vẽter magnis cruciatibus torquetur.Si deſcẽdet Vterus, hoc præcipuum ſignum habetur, quod vbi obſtetrix locos muliebres tangit,

git, videtur ouum quoddam magnum tangere, vulua dolore torquetur, ardet febrili quodam calore,mordetur,& Vrina guttatim ſtillat.Scribit Hippocr. hoc malum fieri, quando Mulier ex partu recens laborauit, aut fatigata ſit, ſi Vterum nimis imprudenter attrectarit, ſi coierit tempore puerperij. Ex quo Hippoc. oraculo diſcite puerperas iubere conſeruari in ſumma pace & quiete, quia eo tempore errores commiſſi, ſunt irremediabiles. Si ad Crura & pedes prolabatur Vterus, hæc ſigna ſunt ex Hippocr. quod pedes ſecundum digitos conuelluntur, & præſertim in parte vnguibus proxima, dolent crura & femora. Cauſarum externarum Signa comparantur ex ægræ relatione.

Prognoſtica.

PRognoſtica huius affectus ſunt, quod omnis mutatio Situs Vteri grauiſſima eſt, dico grauiſſima, non ſolùm quia cauſa ſit aliorum grauium malorum,ſed quia ſæpe ad mortem perducit. Scribit enim Hippocr. 2. de Morb. Mulieb. non modò fieri ſteriles mulieres,vbi ad latera inclinat Vterus,verum etiam ſæpè interire,& paucas hoc malum effugere. Habet tamen hoc vteri procidentia,quod in florente ætate, ſi ab initio adhibetur curatio euadunt, in prouectiori,dicit Aëtius,& recte,non euadunt,quia tametſi reſtituantur Vteri, recurrunt tamen iterum atque iterum. Scribit Hippoc. 5. Aphoriſ. 47. quod ſi qua parte Vterus ad Coxam inclinauerit & ſuppurauerit,neceſſe eſt Mulierem emotam fieri, id quod etiam confirmat 2. de Morb. Mulieb. vbi addit, quod pereant niſi quid ſecetur, aut vratur. Gal. in explicatione eius Aphoriſmi, declarans quid ſit apud Hipp. emotam fieri, ſcribit nihil aliud eſſe, quàm medicatione per linimenta indigere. Ita quod hæc ſit ſententia Hipp. vbi Vterus ad Coxam prolapſus ſuppuratus fuerit, neceſſe eſt curationem fieri per linimenta. Sed(pace Gal. dixerim)non eſt ſententia digna Hipocrate.Quis eſt enim qui ignorat,vbi ſuppurantur partes in corpore,quin neceſſe ſit linimenta adhibere? nullus eſt Chirurgus adeo tardus, qui ignoret.Quæ igitur erit ſententia Hippocrate digna? Sum ego huius ſententiæ cum aliquibus ſcriptoribus modernis, qui detexerunt hunc errorem Galeni, quod emotam fieri, nihil aliud ſit, quam ſi ſuppuret Vterus ad Coxam prolapſus,quod vlcera fiunt caua & fiſtuloſa: nam hæc vox emota apud Hippocratem ſignificat rem, quæ opus habet longo penicillo, id eſt, Vlcus cauum fieri & fiſtuloſum.

Curatio.

CVratio huius affectus poſita eſt in hoc,vt Situs Vteri reſtituatur; & quia malus hic ſitus augetur, & conſeruatur à mala viuendi ratione, ante cætera curandum eſt, vt omnes cauſæ externæ fouentes hunc morbum, corrigantur. Propter quod primo erit danda opera, vt Aër habeatur frigidus & ſiccus, vt ægra in ſumma detineatur quiete, fugiantur timores,terrores, mali nuntij,ſtrepitus & clamores, vociferationes, tuſſes, ſternutationes, abſtinendum eſt à coitu.Quod tamen debetis intelligere de omnibus aliis, præterquam de prolapſu Vteri. Nam Ariſtoteles 7.Hiſtor. animal. 2. ſcribit, interdum Mulieribus propter deſiderium coitus,Vterum deſcendere, quando ſcilicet, vel Virgines longo tempore fuerunt, aut ſaltem abſtinuerunt à coitu. Et cum Ariſtoteles dicat has Mulieres curari vbi concipiunt, argumentum eſt, in hoc caſu coitum potius prodeſſe, quàm nocere. Frictiones conueniunt,præſertim partium aduerſarum.Exempli gratia,in prolapſu frictiones ſuperiorum: in aſcenſu, inferiorum: in inclinatione, partium aduerſarum.

ſarum. Aluus habenda eſt lubrica, edendum & bibendum moderatè: pro potu, Vinum mediocre, odoratum,tenue conuenit: Aqua ſola inimica eſt huic affectui, præſertim frigida: imò aduertite ſemper edulia & potus frigidos ſummoperè aduerſari huic affectui. Cibi humidi, frigidi, & flatulenti vitandi, vtendum iis qui optimi ſunt ſucci, qui facilè concoquuntur, quique extenuandi aliquam vim habent. Poſt victum inſtitutum, debet Medicus tres ſcopos ante oculos habere; vnum, vt cauſa immediata & interna amputetur: alterum, vt Vterus in ſedem priſtinam reponatur: tertium, vt repoſitus conſeruetur. Ad cauſam remouendam, ſi ſit repletio, vt plerumque eſt, euacuatio omninò neceſſaria eſt, & quia neceſſariò ſit per pharmaca & ſanguinis miſſionem, ſi aderit aliqua plenitudo, vel vniuerſalis, vel ſaltem particularis Vteri,neceſſum eſt venam pertundere.In aſcenſu, venam Saphenæ,in deſcenſu, venam brachij: in inclinatione, ſemper pertundetur Vena Cruris aduerſi. Quod ſi non concedatur Venam ſecare, cucurbitulæ vſu veniunt ſcarificatæ, vel non ſcarificatæ, modò ſemper habeatur ratio contrarietatis partis affectæ. Poſt ſanguinem euacuatum, ſunt præparandi humores: in præparatione humorum, qui faciunt hos morbos, conueniunt Saluia, Iria, Meliſſa, Arthemiſia, Maiorana, radix Aſari, radix Enulæ, Syrup. de Arthemiſia,de quinque radicibus, de capillo veneris, de Eupatorio. Ex his poteſtis parare Syrupos,& cum iis præparare humores, qui vbi erunt præparati, ſtatim erunt euacuandi. Conueniunt pro euacuatione pilulæ de Colocinth. de Agarico, Trochiſci de Myrrha: vt eſt forma hæc pilularum:

℞. Pilul. de Agarico ℈. ij. Pilul. Colocinth. ℈. j. Trochiſci de Myrrha ʒ. s. Miſce cum ſyr. de Arthem. fiant pilulæ. Propono vobis potius pilulas, quàm medicamenta potulenta, quia in his caſibus medicamenta debent eſſe ea, quæ multitudine & copia (vt ita dicam) non grauent ventriculum, quia facilè in his malis ventriculus labefactatur cum Vtero. Debent tamen medicamenta eſſe efficacia,vt ſunt pilulæ.Sed dicetis,debemúſne in Vteri prolapſu adhibere medicamenta aluum ſoluentia?Nam Hip.2.de Morb. Mulieb.prohibet vt aluus hoc loco moueatur.Dico, in prolapſu Vteri duplex à medico poteſt haberi ſcopus, vel euacuandi humores multos; vel reſtituendi Vterum in primum Situm. Si neceſſarium ſit euacuare humores Vteri, proculdubiò neceſſaria eſt hæc euacuatio per medicamenta; ſin autem non ſit Medico animus euacuare, ſed ſolum reſtituere, in hoc caſu non conueniunt aluum mouentia. Et ita intelligendus eſt Hippocrates, eò magis quòd cum ipſe laudet Vomitum paratum decocto ex Melle & Aceto, clariſſimè colligitur eius mentis fuiſſe, per vomitum reuocare & reſtituere Vterum. Poſtquam purgati fuerunt humores, ſurgit ſecundus ſcopus reſtituendi, ad quod agendum mulier locanda eſt ſupina, ita vt pedes elatiores contineat, quo facto habendum eſt vinum auſterum, aut aqua, in quibus ebullierint Myrthus, Acacia, ſanguis Draconis, Plantago: in hac aqua, vel hoc vino,immergenda eſt lana,deinde ea apponenda eſt locis muliebribus, & arctè colliganda. Nam ratione horum medicamentorum, repellitur Vterus ad locum proprium. Interim adhibendæ ſunt res odoratiſſimæ naribus, vt Moſcus, Ambra. Super vmbilicum adhibenda Cucurbitula, quia ſicuti medicamenta illa attrahunt, ſic cucurbitula attrahit, Sunt multa alia medicamenta, quæ à proprietate dicuntur reſtituere Vterum, vt eſt Lana arietis nigri ſuffumigata. Nicolaus Florentinus narrat ſe pluribus experimentis probaſſe, ouum antiquum in nido conſeruatum,ſi conquaſſetur & ſupra paruum linteum apponatur Vtero, miro quodam modo reſtituere Vterum. Aëtius libro decimo ſexto, cap. 76. commendat in hunc caſum, corium Torpedinis

detractum atque appoſitum : ſimiliter & aculeum paſtinacæ marinæ. Vbi reducta eſt matrix,ſurgit tertius ſcopus, ſcilicet conſeruandi reſtitutam Matricem,id quod fit perpetuis frictionibus partium ſuperiorum:cucurbitulis mammis,vel ſub mammis appoſitis. Inſeſſionibus quæ fiunt ex aqua vbi bullierunt Plantago , Cortices nucum viridium,Baccæ Myrthi, Cortices Grannatorum & Cydoniorum.Præter inſeſſus , fiunt etiam Emplaſtra , & Cerata , quæ & pectini & lumbis appoſita , retinent Vterum in ſuo ſitu , vt eſt iſtud Ceratum.

℞. Thuris , Maſticis,Galbani , Styracis , Picis ſiccæ an.℥.j Nucum Cupreſſi ℥.ß. Sanguinis Draconis ʒ. vj. Olei Maſticini,Myrthini an.q. ſ. Ceræ q. ſ.Miſce,ſecundum artem fiat Ceratum. Sed dicetis , ſi non poſſit Vterus vlla arte reduci , quid agendum eſt ? Reſpondeo,quod vterus , qui reduci non poteſt , neceſſarium eſt vt alterum duorum eueniat , vel quod dureſcat,vel quod putreſcat. Nam corpora extra propriam ſedem ſæpè adeò dureſcunt,vt etiam ſine corruptione permaneant.Si igitur dureſcat Vterus , mandat Hipp. vt nihil aliud agatur , quàm vt conſeruetur locus ille calidus : quia vbi conſeruatur calidus , non eſt periculum , vt præ frigore emoriatur penitus. Sin verò putreſcat , exſcindendus eſt Vterus , auferendus è corpore Mulieris:neque deterreamini vbi neceſſitas vrget ab hoc opere , quia , vt monet Paulus lib. 3. cap. 72. Aëtius libro 16. cap. 76. relatum eſt, Mulieres exſciſſo Vtero,ſanas ſuperuixiſſe:id quod etiam auorum noſtrorum temporibus ſe vidiſſe , teſtatus eſt Nicolaus Florentinus. Atque hæc quæ hactenus diximus , ferè pertinent ad deſcenſum Vteri. Vbi verò non deſcendit, ſed inclinatus ſit in partem,quid agendum?Primò,ſi opus erit ſecanda Vena, præparandi humores , & purgandi : quibus peractis , diligenter aduertendum , in quam partem procumbat Vterus : quod ſi ad ſiniſtram partem , dextræ ſunt adhibendæ frequentes cucurbitulæ , frictiones , ligaturæ , & ſuper eandem partem perpetuo decumbendum eſt. Neque hoc ſolùm ſufficit, ſed præcipiendum eſt , vt obſtetrix inungat digitum aliquo oleo , vt oleo Amygd. dulc. oleo communi dulci : deinde digitum inunctum immittat in os Vteri , atque paulatim conetur os Vteri in aduerſam partem trahere. Ita namque fit , vt continua hac contrectatione , atque aliis præſidiis reſtituatur in proprium ſitum. Atque id quod dico de vna parte , dictum putate de alia. Hippoc. laudat Lac bubulum , exhibitum per quadraginta dies ; laudat braſſicam,laudat etiam coitum.Vbi Vterus non ad latera, ſed ſurſum aſcendit , potiſſima curatio eſt , vt odorata Vtero ſubiiciantur,ligentur partes inferiores , ſcarificentur crura , naribus verò ſupponanrur fœtida. Sed quia curatio hæc eadem ferè eſt , quæ præfocationis Vteri,idcircò quæcunque dixero pertinentia ad præfocationem Vteri,eadem accommodari poterunt curando aſcenſui Vteri. Sed de præfocationibus Vteri in ſequentibus agam , quam tractationem ita afferam , vt pro poſtremis lectionibus me ſatisfacturum pollicear.

DE VTERI PRÆFOCATIONE.

CAPVT XXXII.

VLtimum locũ tractationis Muliebriũ morborum,ſeruauimus affectui,qui maximè omnium ſolet Mulieres turbare. Dicitur hic affectus à Græcis πνὶξ ὑστερικὴ : à nonnullis , vt ſcribit Galen. 6. locor. affect. 5. vocatus eſt hic affectus ἄπνους ſeu ἄπνοια , de quo integrum librum Heraclidem Ponticum compoſuiſſe ibidem

memoriæ

memoriæ mandauit Galen. Latini appellant hanc affectionem vteri Præfocationem;non quòd vterus ſtranguletur, ſed quia in cauſa eſt, vt Mulieres ſtrangulari videantur: propterea Plinius vocat hunc affectum,ſuffocationem mulierum.Sunt etiam inter ſcriptores Latinos,qui vocant mulieres ita affectas Hyſtericas,& Martialis lib. 11.quo in loco olim malè ietericam loco hyſtericam legebatur.Celſus li. 4. cap. 20.cùm videret Latinam linguam deſiderare vocabulum huius morbi, potius ipſum circumſcribere, quàm nominare voluit. Definitur hic affectus à Paulo lib. 3.c.7. quod nihil aliud ſit, quàm recurſus vteri ad ſuperiora. Verum hæc Pauli definitio,propter tres rationes mihi explodenda videtur. Vna eſt,quia,vt ſuo loco intelligetis, non eſt verum, vterum aſcendere ad partes ſuperiores. Secunda ratio eſt,quia licet concedamus Paulo vterum recurrere ad ſuperiora, nihilominus iſte recurſus non eſt affectus vteri, ſed eſt cauſa affectus. Tertia ratio eſt, quia, vt nos docuit Galen. 6.loc. affect. etiam ſit præfocatio ſine vteri recurſu, vt non videatur Pauli definitio conuenire cum definito. Moſchio autor Græcus & antiquus, alio modo definit, ſcilicet præfocationem eſſe reſpirationis impedimentum, cum omnimoda quiete. Sed nec hæc definitio mihi probatur, eò quia etiam Apoplexia impedit reſpirationem, & ægrotantes videntur in ſumma quiete ſæpè ita vt nonnunquam ſimiles mortuis ſint,quò ſit,vt hæc Moſchionis definitio non conueniat. Quapropter,puto ego ita melius definiri hunc affectū, quod nihil aliud ſit quàm magna reſpirationis offenſio, cum corporis refrigeratione, ex vteri vitio. Dicitur magna anhelitus offenſio, quia tametſi magnoperè offendatur, nunquam tamen prorſus aufertur reſpiratio. Etenim dicit Ariſtot. tamdiu viuere animalia, quouſque ſpirant, & hæc ſententia confirmata ab omnibus eſt. Dicitur cum corporis refrigeratione, eò quòd calor natiuus ſub hac paſſione quaſi ſtranguletur, quo calore hebetato & diminuto, reſpiratio neceſſariò diminuitur. Et propter hoc Soranus apud Aëtium, appellat hanc affectionem flatuoſam refrigerationem. Quod autem hoc ita eueniat, habetis locupletiſſimum teſtem Auerroëm, qui 3 Collect. cap. 29. ſcribit. in hoc affectu non ſolùm vteri functiones lædi, verum etiam omnes corporis actiones, non alia ratione quàm quòd à vaporibus prauis natiuus calor valde hebetatur, vt proinde corpus mulierum neceſſariò refrigeretur. Additum eſt à me poſtremò,ex vitio vteri,quoniam,vt teſtatur Aretæus 2.acut. 11. & vt audietis ſuo loco, ſunt alij morbi qui in mulieribus & viris efficiunt hæc eadem ſymptomata, vt in cathoce: verùm non fiunt ratione vteri, & propterea diſtinguuntur iure à præfocatione. Cæterum, quis ſit affectus præter naturam hæc præfocatio, non admodum certum eſt. Sunt qui exiſtimant hunc morbum conuulſionem eſſe, quorum ſententiam ſequi non poſſum, quoniam multas videbitis præfocatas, quæ immobiles manent: in conuulſione corporis aliquæ partes ſemper conuelluntur, atque contrahuntur. Dixi igitur, hunc affectum nihil aliud eſſe niſi ſymptoma in genere actionum læſarum, actionum dico omnium. Audiuiſtis me ex Auerroë dicentem, in hoc morbo lædi omnes mulieris actiones. Locus affectus, nullus alius eſt quàm vterus, qui,vt dicit Galenus,cum magnam habeat communicationem cum corde, Cerebro,& aliis partibus ſiue viſceribus, ipſo vehementer patiente, patiuntur & hæc viſcera, cumque patiantur, facilè ſit vt eorum actiones lædantur. Morbi à quibus huiuſmodi ſymptoma oritur, ſunt mala intemperies cum materia, præſertim intemperies frigida & ſicca, & frigida & humida. Eſt interdum morbus in ſitu, non propriè, ſed metaphoricè. Theodorus Priſcianus Methodicæ ſectæ amator, reduxit hoc ſymptoma ad laxum & ſtrictum morbum.

Cauſæ.

SYmptomatis huius Cauſæ, aliæ ſunt internæ,aliæ externæ. Cauſæ internæ immediatæ, nihil aliud ſunt quàm humiditates præternaturales & corruptæ, quæ vel replendo vaſa, vel vapores prauos ex ſeſe mittendo in cor & in alias partes, tandem faciunt huiuſmodi accidentia. Sed antequam vlterius progrediamur, duo ſunt vobis magnopere conſideranda: vnum eſt, quod hæc accidentia fiant ab humiditatibus,& quæ ſint illæ humiditates. Alterum eſt,vt ſicut fit præfocatio à repletione, ita etiam fieri poſſit ab inanitione. Quod ad primum attinet, fuerunt aliqui, vt habetur in lib.ſub Galeni nomine de vtilitate reſpirationis, qui dixerunt Vterum repletum prauis humoribus, ſurſum aſcendere & aſcendentem Cor comprimere: Corde autem compreſſo hæc Symptomata ſequi. Sed hæc ſententia falſiſſima eſt, pluribus rationibus. Primò cum Vterus multis membranis corpori ſit alligatus, ſi ſua ſede moueatur, ita vt neceſſariò aſcendat, vel illa ligamenta, vel membranæ frangantur, vel ſaltem magnoperè extendantur: neutro modo fieri poteſt ſine ſummo cruciatu, vnde mulieres immenſos dolores ſuſtinerent, cùm tamen aut nullos, aut obſcuros dolores ſuſtineant, prætera ſi Vterus aſcenderet ad Cor, ita vt comprimeretur,neceſſario deberet tranſire ſitum Ventriculi, Iecoris, atque tangere Diaphragma,& ita tangendo Cor, comprimere. Sed quomodo hæc fieri poſſint, non eſt facile intelligere, niſi dicamus eſſe animal,vt dicebat Plato,quod per corpus huc atque illuc vagetur.Ergo dicendum eſt,id quod ſignificauit Galenus ſexto locorum affect. quinto, qui ſcribit, vaſa repleta efficere vt vterus dilatetur, atque elongetur, ſine tamen inſigni ligamentorum detrimento.Dilatatus Vterus & elongatus, communicat, propter humorum qualitates prauas, ipſi Cordi,Iecori,& aliis viſceribus, vt videmus,morſum Phalangij,Scorpionis,Torpedinem communicare,ab vna corporis parte Cordi, atque toti corpori. Neque ſolum poteſt Vterus hæc efficere, per qualitatis prauæ communicationem, imò multò magis per humores putridos & venenoſos, ita vt ab ipſis emanantes vapores inficiant viſcera, ita coinquinant, vt poſtmodum hæc ſequantur. Cæterum humores qui faciunt hæc mala, vt teſtatus eſt Galenus, potiſſimùm ſunt duo, ſanguis menſtruus & ſemen retentum, qui humores ſi diu & præter morem in corpore retineantur, proculdubiò ita inſignem contrahunt putredinem, vt veneni verè naturam æmulentur. Præter hos duos humores, ſunt & alij, qui vt Galenus & Auerroës atteſtantur, in corpore modò ita poſſunt corrumpi, vt lethales euadant. Vnde magis exiſtimandum, hos fieri in vtero, qui cùm ſit receptaculum & cloaca quædam prauorum humorum, poſſunt in ipſo facilè quilibet humores diu retenti, adeò corrumpi & venenati effici, vt nihil differant à Veneno. Hæ tres humiditates habent hanc communem conditionem, quod euadant aduerſiſſimæ calori natiuo, qui calor quando diminuitur valde, & hebetatur, neceſſario corpus ipſum refrigeraſcit. Circa ſecundum, eſt ſententia Hippocratis, vel alterius autoris in lib. de Morbis Muliebr. præfocationes ex ſiccitate ſeu inanitione etiam fieri, eò quòd vaſa Vteri inanita, ſtimulant matricem, quæ exſiccata, ſurſum aſcendit, vt humiditatem depaſcatur: ſurſum aſcendens, dicit ille autor, præfocationem facit. Huic ſententiæ adſtipulari videtur Ariſtoteles primo de generatione Animalium vndecimo: vbi ſcribit, Vteros euacuatos ſurſum aſcendere atque præfocationes efficere. Fauet etiam huic ſententiæ ratio, quia præfocatio Vteri eſt veluti conuulſio quædam, ſi non perpetuò, interdum ſaltem. Conuulſio, vt inquit Hippocrates, fit tum à plenitudine, tum ab

inani

inanitione. Ex aduerſo videtur eſſe Galeni ſententia ſecundo locorum affect. qui ſcribit, nequaquam propter ſiccitatem aſcendere Vterum & præfocationem facere:neque valet,quod frigidum in Vtero ſiccitatem quandam cauſet, propter quam deinceps fiat hoc malum, quia frigidum facit præfocationes, non quia exſiccet, ſed quia frigidum eſt inimicum neruis:nerui verò cum patiantur, compatitur Cerebrum & vniuerſum Corpus. Quid igitur dicendum ? Dico præfocationem ſicut fit à repletione, pariter fieri interdum à ſiccitate, non quòd Vterus exſiccatus ſurſum aſcendat, quia potius deberet deſcendere, quia omnia neruoſa exſiccata,in anguſtius contrahuntur. Sed fit à ſiccitate præfocatio, propter aliam rationem, vt intelligetis. Et hoc modo intelligenda eſt autoritas Galeni, quando videtur negare præfocationem à ſiccitate. Fit autem præfocatio à ſiccitate, propter hanc rationem, quia Vterus,vt ſcribit Alexander ſecundo Problem. ſexageſimo-quinto, factus eſt maximè neruoſus, vt maximam perciperet voluptatem ex Seminis attractione. Cùm igitur ſit maximè neruoſus vterus,ſcimus omnes neruos oriri à cerebro, propterea exſiccato vtero, neceſſariò compatitur cerebrum, tanquam origo neruorum. Et quod ſit hoc verum, inde patet, quia Mulieres in hac paſſione, mente capiuntur, Cerebro maximè patiente, Cor in conſenſum trahitur, ita vt propter hanc rationem,ſiccitas vteri & inanitio faciant præfocationem. Inter has cauſas adnumerantur etiā Complexio calida & humida, de qua loquens Plato dicebat, eam aſſimilari arboribus nimis fœcundis,quòd ſcilicet in hac complexiuè plus Seminis congregetur, congregatum ſemen putreſcit, & hoc malum facit. Eſt etiam inter cauſas internas complexio frigida & humida, ætas iuuenilis, de qua ſermonem faciens Aretæus loco citato, ait: quod ſicut iuuenilis mens vaga & erronea, ſic etiam Matrix errabunda & inſtabilis eſt, quaſi voluerit dicere hic autor,iuuencularum animum in vtero eſſe, quod falſiſſimum eſt.Ariſtotel. 7. Hiſtoriæ animalium capite ſecundo ſcribit, Mulieres dum Menſtrua apparere incipiunt, præfocari ſæpè conſueuiſſe. Quæ ſententia confirmat id quod dixi, ætatem iuuenilem inter cauſas internas eſſe. Externæ cauſæ ſunt præfocationis, abſtinentia coitus, propter quam Viduæ & moniales ſæpè vexantur hoc morbo. Sunt enim inter has cauſas,omnia illa quæ ſupprimunt Menſes,quæue nimias profuſiones faciūt,Vigiliæ,Balnea,Luxus,Otium,nimia exercitatio, Cibi craſſi & melancholici:addit Moſchio,frequentes abortus & crudos partus.Notare debetis illo in loco,id quod ſcriptum eſt à Rhaſe,Mulieres dum vtero gerunt,aut dum pariūt, ratò præfocationes pati alias, quàm quæ fiunt à vaporibus prauis aſcendentibus. Sed hoc in loco pulcherrima eſt conſideratio, quomodo inter cauſas externas recenſeantur ab omnibus odores boni naribus adhibiti res à pauciſſimis conſiderata. Fuerunt autem qui dixerunt,proprietate quadam Vterum delectari bonis odoribus, & propterea cùm naribus apponantur, tractum Vterum iucunditate odorum, ſurſum aſcendere & ſuffocationem facere. Sed hæc opinio eſt explodenda, quia odor eſt obiectum odoratus, Vterus autem non habet odoratum, igitur eſt falſum, quod delectetur odoribus: præterea iam probauimus non aſcendere vterum,ſed contrahi & dilatari. Propoſui diſputationem, cur ſit quod in præfocationibus Vteri odoramenta maximè noceant, ſi naribus apponantur,fœtida verò proſint: audiuiſtis quod dixerint nonnulli,Vterum proprietate quadam odoribus delectari, quos refutauimus. Alex.2.Probl.64.refellens eos qui Vterum animal putabant eſſe,dixit: odoramenta ſi ſupponantur Vtero, prodeſſe, quia facultate ſua exſiccatoria humores conſumunt:fœtida verò ſi ſupponātur naribus,obſtruere,atque ita efficere, ne ſuffocationes fiant.Hic Alexandri diſcurſus errores duos habēt:

primus eſt, quod Alexander ſolùm rationem adfert cur ſuppoſita odoramenta præfocationem inducant:non autem explicat rationem,cur ſuppoſita naribus præfocationem inducant. Alter error eſt, quia ſi fœtida prodeſſent ſubiecta naribus, quia obſtruunt,ſequeretur potius fœtida ante præfocationem iuuare,quàm in ipſa præfocatione. Sed experientia contrarium oſtendit, quia dum mulieres ſunt occupatæ præfocatione, nullo auxilio felicius reſtituuntur quàm fœtidis. Vt huius rei veritatem poſſideatis,duo debetis notare:vnum eſt,quòd non omnes mulieres propter odoramenta incurrant præfocationes, ſed ſolùm illæ,quibus alioqui malè affectus eſt vterus. Alterum notandum, quòd huiuſmodi mulieres non ſolùm propter odores incurrunt hæc ſymptomata,ſed etiam aliis de cauſis etiam leuibus, propter malam vteri diſpoſitionem. His itaque ſic conſtitutis, dico quòd odores ſua natura percellunt caput: dicebat Hippocrates 4. Aphoriſm. quòd aromata omnia maximè petunt Caput, vbi ab odoribus affectum eſt cerebrum, ſtatim coafficitur vterus,quia,vt intellexiſtis,& vt dicit Galenus, maxima eſt communicatio inter cerebrum & vterum. Vterus cùm ſit affectus malè, propter compaſſionem cerebri, perturbatur, eo perturbato, humores perturbantur praui qui ſunt in vtero, quibus agitatis, eleuantur praui vapores ad cor,& ſuffocationem faciunt. Atque hæc eſt ratio, cur vapores inducant præfocationem, non quod matrix delectetur odoribus, vt vulgus credit. Sed dicet aliquis veſtrum, cur non praui humores id faciunt etiam, quia & ipſi petunt cerebrum? Reſpondeo, quod vt ſcribit Ariſtot. 13.Problem. 4.praui odores fundati ſunt in vaporibus crudis & craſſis: crudi & craſſi vapores non ita cerebrum afficiunt, vt acuti & cocti, ſed propter craſſitudinem potius obſtruunt, & cùm obſtruant, nequaquam poſſunt acrimonia vlla cerebrum afficere & percutere. Sed, cur igitur excitantur mulieres prauis odoribus, ſi praui odores non offendant cerebum? Dico, excitari duabus rationibus: primò,quia praui odores maximè ſenſus ipſos tentant,& præſertim odoratum: alia ratio eſt, quia praui odores ſunt maximè naturæ noſtræ inimici,etiam ratione huius contrarietatis,natura in mulieribus quanquam ſopita,excitatur tamen. Et hæc eſt cauſa,cur Epileptici propter prauos odores incurrant Symptomata,quia natura eorum alioqui infirma,offenſa fœtoribus agitat cerebrum, quo agitato, humores præcipitantur in ventriculos,& oritur Symptoma. Dixi, prauos odores eſſe naturæ noſtræ aduerſiſſimos. quia naturæ ſimpliciter non ſunt inimici, & probatur, quia bruta non offenduntur prauis odoribus: imò ſunt multa animalia quæ delectantur, vt ſues & canes. Concludens igitur dico, odores bonos facere præfocationes, quia percutiunt cerebrum, ipſo percuſſo vterus coafficitur: ipſo affecto,humores praui in eo exiſtentes, agitantur, & ſublati vapores, inducunt præfocationem. Inter cauſas externas præfocationis numeratur etiam tempus anni,quia,vt ſcribunt Paulus & Auicenna, videntur præfocationes quaſdam periodos habere, & Hyeme & Autumno potiſſimum fieri, atque tum in Virginibus potiſſimum & ſterilibus.Sed dicetis hoc eſſe contra Hipp.quia 1.de Morb. Mulieb. ſcribit mulieres ſeniores magis tentari, quàm alias præfocatione propter leuitatem vteri. Dico hunc librum non eſſe Hippoc. & hanc ſententiam eſſe falſam, vt multæ falſæ ſunt aliæ eo in libro.

Signa.

Signorum huius affectus tres ſunt claſſes, alia enim ſigna ſunt diſtinctiua, alia ſignificatiua, alia prognoſtica.Signa diſtinctiua ſunt ea, quæ diſtinguunt præfocationem ab aliis ſimilibus morbis, vt ab Apoplexia. Epilepſia, Lethargo,

Lumbri

Lumbricis, Syncope: hi namque affectus ſunt valde ſimiles præfocationibus. Horum ſignorum duo ſunt genera, aliud eſt genus communius, aliud eſt particulare. Communia ſigna diſtinctiua, ſunt duo: vnum eſt, quod, vt dicitur à Cleoptra & Moſchione, præfocationes vteri ſemper ſunt cum præcedentibus querelis vteri, aliæ affectiones non habent huiuſmodi vteri querelas. Secundum ſignum eſt primò traditum ab Aëtio, qui dicit præfocationes in hoc diſtingui ab aliis, quia præfocatæ reſtituuntur odoratis ſuppoſitis vtero: quæ patiuntur alios morbos, non reſtituuntur odoratis. Signa diſtinctiua particularia ſunt plurima, nam quæ patiuntur Epilepſiam, cognoſcuntur, quia poſt conuulſionem cadunt in terram, ſpumas plurimas emittunt, pulſum habent maiorem quàm ante. Hyſtericæ autem nullas, aut paucas ſpumas emittunt, pulſum vel nullum, vel exiguum habent, & qué habent, denſior eſt valde. Addit Auicenna & aliud, quod Epilepticæ ſemper amittunt memoriam, & valde diminuuntur ſecundum rationem: præfocatæ non ſemper errant mente, imò verò interdum poſtquam reſtitutæ ſunt, referunt quæ paſſæ ſunt: itaque apparet non amiſiſſe memoriam. Imò ſcribit Ariſtotel. lib. de Somno & Vigilia, atque etiam vſu probatur, præfocatas variis phantaſmatibus agitari, quæ non eſſe inſomnia conuincit, ſicuti etiam aliis animo deficientibus ſæpè contingere ſolet. Rurſum Epilepticæ pulſum habent magnum, ſpirant, ſed videntur ſenſum & motum planè amiſiſſe: Hyſtericæ non videntur ſpirare, pulſum non habent, accedit quod in Epilepſia mulieres habent faciem rubentem, Venas tumidas, & quando euadunt, paralyticæ fiunt: hyſtericæ neque rubent circa faciem, neque fiunt paralyticæ. Diſtinguuntur à lethargicis, quia in lethargo & cathoce febris ad eſt, pulſus magnus & vndoſus: in præfocatione non adeſt febris, non adeſt pulſus, nedum vndoſus. Quæ lumbricis infeſtantur, ſentiunt punctiones in Inteſtinis, pulſus habent quales ſunt lumbricis laborantium: in hyſtericis nihil horum adeſt. Diſtinguuntur à Syncope, quia citiſſimè finitur Syncope, præfocatio durat duabus aut tribus horis, interdum tribus diebus, vt Rabbi Moyſes lib. 2. directorij c. 41. ſcribit, duobus diebus. Ideò lege cautũ fuit, vt mulieres quæ patiuntur præfocationes, non ſepelirentur niſi poſt triduum, quia repertæ ſunt mulieres, quæ in ſepulchris reſurrexerunt, cum præfocatæ & non mortuæ fuerint ſepultæ. Diſtinguuntur à mortuis eo ſigno, quod tradit Galenus 5. loc. affect. 5. quia ſi lana carminata apponatur ori, viuente muliere lana illa mouetur: ſi mortua ſit, lana eſt immobilis. Itidem dico de vaſe aqua pleno, quòd ſi vas imponatur ori ventriculi, vbi viuit, aqua effluit, vbi mortua eſt, aqua immobilis eſt. Potiora ſigna non habuerunt medici, vt diſtinguerent præfocatas à mortuis, quia ſæpè ſimiles ſunt mortuis: & ſæpè, vt dicit Aretæus, perierunt ſub hac paſſione. Signa ſignificatiua, alia ſunt quæ ſignificant futuram præfocationem, alia ſunt quæ ſignificant præſentem. Signa futuræ præfocationis hæc adducuntur à Serapione & ab omnibus Arabibus, quod quando proximus eſt paroxyſmus, incipit anhelitus eſſe difficilis, pulſus cordis minuitur, pallor faciei inſurgit, oculi humectantur, mens confunditur & memoria, torpeſcunt crura, pigræ fiunt admodum. Igitur vbi mulier conſueta fuerit pati præfocationem, & hæc ſigna videbitis, portendetis citò futuram præfocationem. Signa quæ ſignificant præfocationem præſentem, alia ſignificant eſſe in ſtatu, alia verò in declinatione. Signa fientis præfocationis, ſunt amiſſio ſenſus & motus, amiſſio anhelitus, contractio crurum, pulſus aut nullus eſt, aut vix percipitur, corpus frigeſcit, & tandem in omnibus mulier mortuæ ſimilis eſt, præterquàm in colore vultus, qui ſæpè rubeus eſt. Sed dubitabit ingenioſus, quomodo dixerim præfocatas eſſe ſine pulſu

& reſpiratione: Scriptum enim eſt ab Ariſtotele, & ab omnibus confirmatum, non poſſe animal viuere ſine pulſu: & tandiu viuere, quamdiu pulſus & anhelitus adeſt, quomodo igitur poteſt viuere ſine pulſu & reſpiratione? Dico, verum eſſe quod animal ſanguineum non poſſit viuere ſine pulſu, neque præfocatæ viuunt ſine pulſu, ſed pulſus & reſpiratio ſunt ita parua, vt non deprehendantur, cuius cauſa eſt frigiditas Cordis. Audiuiſtis his Mulieribus Cor valde refrigerari propter contrariam vim vaporum, vnde dicit Ariſtotel. 1. Hiſtor. animal. 1. poſſe etiam animal viuere ſine reſpiratione, vt ſunt piſces & infecta, quæ cùm ſint frigida, non opus habent reſpiratione. Signa declinationis præfocationis ſunt, quod murmur percipitur in vtero & inteſtinis: humiditas ex vtero emanat; mens redit: Auicenna dicit, pituitoſum fieri vomitum. Quæ ſignificant cauſas ſunt, quod ſi præfocatio contingat ob retenta Menſtrua, ſignum eſt iſtud potiſſimum, quia per plures dies præceſſerunt retentiones Menſtruorum: quod ſi fuerint menſes Bilioſi, accidentia ſemper ſunt leniora: ſi Melancholici, cognoſcetur propter complexionem, cognoſcuntur etiam, quia magis delirant. Si fuerint pituitoſi, omnia erunt quietiora. Si à ſpermate retento fiunt præfocationes, cognoſcuntur ex diuturna coitus abſtinentia, vbi præſertim complexio calida & humida ſit, & vbi Mulier fuerit aſſueta Veneri, vt ſunt Viduæ luxurioſæ, de quibus habetis apud Galenum hiſtoriam 1. de Semine 6. item de locis affect. 5. Addunt quidam, in menſtruali præfocatione, ſenſum amitti: in ſpermatica ſenſum & motum. Quod quidem nulla alia ratione poteſt fieri, quàm quia grauior eſt præfocatio ex Semine, quàm ex Menſtruis.

Prognoſtica.

PRognoſtica ſunt, quod vterina præfocatio quæcunque ſit, mala ſit, tùm propter accidentium ſæuitiam, tùm quia Mulierem interdum perducit ad mortem. Eſt tamen differentia quædam, vt ſcribit Galenus, ea quæ fit ex retento Semine, multo grauior eſt, quam quę fit ex retentis Menſtruis. Circa quod notare duo debetis: vnum, non eſſe ſemper verum, quòd præfocatio ex Semine ſit deterior ea quæ fit ex menſibus, quia ſi menſtrua retenta ſint melancholica, interdum grauiſſima inducunt ſymptomata. Alterum conſiderandum, an ſit verum, quòd deterior ſit præfocatio ex Semine, quod videtur potius contrarium eſſe debere, quia Semen multo benignius eſt ſanguine Menſtruo, & probauit hoc Rabbi Moyſes, quia Semen intus acceptum non offendit. Sanguis verò Menſtruus incredibilia mala facit. Dico verã eſſe Galeni ſententiã, propter tres cauſas: vna eſt, quia Semen eſt magis perfectum, quàm ſanguis menſtruus, quæ ſunt perfectiora, vbi corrumpuntur ſemper deteriora euadunt, & hoc eſt, quod tradit Auicenna, & experientia comprobatur. Si panis corrumpatur in Ventriculo & carnes optimæ, deteriores fiunt corruptiones, quàm ſi piſces aut herbæ corrumperentur: & ratio eſt, quia quæ ſunt perfectæ concoctionis, vbi corrumpuntur fiunt deteriora: & hinc eſt, quod fæces brutorum minus fœtent, quàm hominis: & diuites magis peſtiferis morbis capiuntur, quàm pauperes, quia vbi perfectiores cibi corrumpuntur, fiunt multò deteriores. Altera cauſa eſt, quia Semen fit ex ſanguine Menſtruo: ſanguis Menſtruus alioqui prauus eſt, ita quòd Semen ex ipſo prauum fiat, & propterea præfocationes ex hoc Semine, ſunt valde prauæ, nam in viduis licet Sperma retentum noceat, magis nocet quàm in viro, quia in viro fit ex perfecto ſanguine, in muliere verò ex ſanguine Menſtruo. Tertia cauſa eſt quædam proprietas, propter

quam

quam Semen valde inimicum euadit Mulieri, nam quod habeat hanc proprietatem dum corruptum eſt,hinc licet colligere, quia vbi Semen integrum eſt, nonne habet hanc proprietatem vt vitam inferat ?cùm corrumpitur, vertitur in contrariam naturam:igitur ſi integrum vitam dabat, corruptum mortem inferet:& hæc eſt proprietas,ob quam Semen corruptum in Mulieribus fit deterius.Scribit Hipp. 5.Aphoriſm. 35. quod Mulieri præfocatæ ſi ſternutatio ſuperueniat, bonum eſſe. Bonum dicit Galenus dupliciter, quia naturam excitat:ſecundò quod ſternutatio, dicebat Ariſtot. eſt ſignum ſanctum & ſacrum, quia ſignificat Cerebrum vbi eſt ſedes animæ, robuſtum & validum.

Curatio.

CVratio præfocationis Vteri duplex eſt:vna in paroxyſmo,altera in paroxyſmi remiſſione. Curatio in paroxyſmo eſt, quæ vt Mulieres maximè fatigat & Medicos, ita etiam magis glorioſos ipſos reddit.Scopus in acceſſione nullus alius eſſe debet Medico, niſi vt naturam ſoporatam & dormientem excitet; quoniam excitata natura,calor naturalis ſimul excitatur, calore excitato, facilè vapores & morbificæ cauſæ euincuntur. Quæ excitant naturam, ſunt trium generum, quia alia excitant per ſenſum tactus, alia per ſenſum auditus, alia per ſenſum odoratus. Quæ naturam excitant per Senſum tactus, ſunt Ligaturæ, frictiones, Cucurbitulæ infernarum partium, Clyſteres & glandes, & demum omnia quæ Vtero ſupponuntur. Ligaturæ & frictiones in his conueniunt caſibus, tùm infimis partibus, tùm etiam ſupremis: Cucurbitulæ conueniunt potiſſimum partibus inferioribus. Et inter partes inferiores, nullus locus accommodatior, quàm Coxæ & crura,quæ cucurbitulæ interdum apponuntur ſcarificatæ,interdum leues & non ſcarificatæ. Dubitare poſſet aliquis, an in ipſo paroxyſmo, vt conueniunt Cucurbitulæ ſcarificatæ,ſic etiam conueniat Venæ ſectio. Dico, quod cùm in hac paſſione corpus Mulieris fit valde refrigeratum, niſi ſumma adſit plenitudo, nequaquam in acceſſione conuenire poteſt ſanguinis miſſio: ratio eſt, quia miſſo ſanguine,refrigeratur magis corpus. Sed ſi adſit plenitudo, quæ morbum efficiat, ipſa ſublata vel imminuta auferuntur morbi.Clyſteres & glandes qui conueniunt in his caſibus, debent eſſe acres & vehementes: ratio eſt, quia cùm ſenſus omnes ſint torpidi & ligati, neceſſariò opus habent magnis ſtimulis vt excitentur. Et vt habeatis Clyſteres & glandes, exempla vobis propono:

℞. Folio.Centaur.minoris, Arthemi. Pulegij,Maioranæ ana M.s. Fiat decoctio ſecundum artem: deinde

℞. Dictæ decoctio.℔.j.s.Hieræ Archige.℥.s. Olei Rutæ ℥.iiij. Mellis deſpumati ℥.ij.Salis ʒ.j.s.Miſce,& fiat Clyſter. Exemplum glandis hoc eſt:

℞.Salis gemmæ, Colocin. ana gran.iiij. Ellebori nigri ℈.s. Nitri, Cymini ana gran.v. Mellis q.ſ. Fiat ſuppoſitorium. Supponuntur autem Vtero,ad excitandum per ſenſum tactus,etiam res odoratæ: ſed aduertite,non curare quia ſint odoratæ, ſed,vt dicebat Alexander 2. probl.65. proſunt res odoratæ, quia cùm ſint tenues, calidæ & acres, diſſipant & exſiccant omnes Vteri humores. Supponuntur autem Vtero Moſchus, Zibetum, Ambra, Gallia moſchata Meſues. Atque tot ſunt quæ per ſenſum tactus excitant Mulieres præfocatas. Quæ verò per ſenſum odoratus excitant, ſunt fœtida omnia, vt ſternutamenta, quia fœtida (vt intellexiſtis) cum ſint naturæ noſtræ inimica, ſpiritus animales malis odoribus offenſi, agitantur vt repellant,atque in hac agitatione vehementer concitant corpus & calorem natiuum.

natiuum. Sunt autem hæc fœtida, Caſtorium, Sagapenum, præſertim in aceto macceratum, Lucernæ extinctæ, Abrotanũ, Ruta, Soleæ vetuſtæ, deuſtæ: præterea, à proprietate Capilli ipſius mulieris patientis deuſti, & naribus ſuppoſiti, putantur mirificè excitare præfocatas. Aduertenda ſunt circa res fœtidas & odoratas duo: vnum, quod vbi odorata ſupponuntur vtero, ſemper ſtudendum eſt ne ad nares perueniant, propter quod machinantur medici vaſa & integumenta, quæ tueantur quo minus odores aſcendant ad nares: ſimiliter ſi fœtida ſuperioribus partibus adhibeantur, danda eſt opera, ne fœtores ad vterum perueniant, quod etiam iiſdem remediis conficitur. Alterum eſt circa hanc rem aduertendum, quod licet ferè ſemper laudarint medici in his caſibus, ea quæ ſunt vehementer calida, veruntamen interdum curandũ eſt frigidioribus, vel tepidioribus. Nã cõtingit plerumque, vt frigeant valde præfocatæ, & eò opus habent calidis: poteſt tamen vſu venire, vt præfocatæ ſint calidiores, ratione eius, neceſſe eſt temperare medicamentum. In hoc caſu apprimè conueniunt Roſæ, Camphora, Violæ, & eæ herbæ quæ ſunt frigidiores aut tepidiores; ſternutamenta etiam, quæ excitantur per odoratum, maximè commendantur. Sed circa vſum horum eſt aduertendum, quia ſi repleto capite adhibentur, imminet periculum ne ex præfocatis fiant apoplecticæ, quocirca diligenter reſpicere debetis, an præfocatæ caput plenum habeant, necne. Quæ excitant per ſenſum auditus, ſunt clamores vehementes, nam conſueuere mulieres vocare patientes, interdum etiam bombardis & omni genere fragoris & tonitruum vtentes. Præter hæc remedia, quæ excitant per ſenſus, ſunt & alia quæ citra vllum ſenſum videntur excitare, vt ſunt emplaſtra & Vnctiones, quæ pectini adhibita, putantur excitare: vt inunctiones ex Oleo Chamome. Liliaceo cum Sale. Emplaſtrum ex cæpa Lilij cocta ſub prunis, quæ ſi nihil conferant, mandat Auicenna, vt obſtetrix digitum vuluæ immittat atque fricet. Nam habetis exemplum apud Galenum illius viduæ, quæ cum præfocata eſſet, reſtituta fuit digito immiſſo ab obſtetrice in vterum & emiſſo ſemine. Puluis Cryſtalli bibitus, putatur à proprietate excitare præfocatas, vt etiam apud Galenum commendatus eſt Agaricus, in puluerem redactus & potatus. Quod ſi nihil etiam hæc conferant, quid agendum? Laudant medici, vt capiatur oleum feruens, & ſuper caput infundatur. Laudant etiam aliqui vt caput ægræ inuratur, & hoc remedij genus ego magis amplector, quia oleum candens & bulliens, præterquam quod ignem diutius retineat, ſolet etiam caput valde deformare, quod quidem non facit ignis, ſi prudenter adminiſtretur. Atque hæc eſt ratio ſubueniendi præfocatis, dum tenentur à paroxiſmo, in quo de victu non verba feci, quia dum ſunt in hac paſſione, non eſt cogitandum de victu, ſed ſolùm certatur remediis. Curatio extra paroxyſmum, vt rectè inſtituatur, ante alia cogitare debetis, à qua cauſa facta ſit præfocatio, an ex menſtruis retentis, an ex Semine retento: ſed vtcunque ſit, quoniã hæc curatio eſt potius præſeruatoria, quàm curatoria, neceſſe eſt ante alia viuendi rationem proponere: & aër proponatur calidus & ſiccus, fugiantur nimiæ Vigiliæ, motus grauiores, quia ex ſolo timore & gaudio viſæ ſunt mulieres præfocari. Similiter, otium conſummatum eſt prorſus fugiendum, corpus exerceri debet moderatè horis matutinis, potius ante cibum, quàm à cibo, Balnea fugienda, ſi mulier ſit aſſueta veneri & ſit fœcunda, id eſt, calida & humida, debet aliquam rationem habere, vt libidinem compeſcat & refrenet. Quæ autem refrenant ſunt, Inedia, ſomnus factus ſupra Agnum caſtum, Mandragoram, Iuſquiamum, Cicuta bibita, vt alias docui vos, extinguit veneris incendia. Circa cibum & potum debent eſſe mulieres valde ſolertes, quia potus niſi ſit ex Vino tenui, modicè auſtero,

potius

potiùs vetuſto, quàm recenti, aut ex aqua aliqua, confecta cum aromatibus, profectò noxius eſt. Cibi debent eſſe qui extenuent, exſiccent, calefaciant moderatè, & nutriant moderatè: quaſe omnia edulia craſſa, dulcia, legumina omnia in his caſibus ſunt fugienda. Victu inſtituto, ſi ex retentis Mēſibus malum proficiſcatur, cogitandum eſt quamprimum de aperiendis Menſibus. Aperiuntur Menſes, vel medicamentis purgantibus, vel ſectione Venæ Saphenæ, vel medicamentis ad prouocationem accommodatis. Pro purgatione corporis, primum lenienda erit aluus ſequenti Bolo.

℞. Elect. Ind. ʒ. iij. Elect. Lenit. ℥. j. Miſce, & fiat Bolus. Quo accepto præparandi ſunt humores cum rebus quæ aperiunt Menſes: vt,

℞. Folior Arthemiſ. Beton. Cuſcutæ an. M. j. Sabinæ M. ß. Fiat decoctio ſecundum artem: deinde

℞. Dictæ decoctionis ℥. iiij. Syrup. de duabus rad. de Arthemiſia an. ℥. j. Miſce. Vbi Syrupi exhibentur, niſi quid obſtet, omnino eſt ſanguis mittendus per Saphenam, & pro ratione virium, eſt ſecanda Vena. Si ſecari non poteſt, habetis Cucurbitulas, ſcarificationes crurum, quæ ſi in vllo cáſu proſunt, certè iuuant in Mulieribus ſecundum Vterum laborantibus. Poſtquam erunt præparati humores, expurgandi, & quanquam habeatis alia remedia à me propoſita, iſtud tamen eſt accommodatiſſimum.

℞. Agarici Troch. ℈. iiij. Mirrhæ ℈. s. Aſari, Meu an. gra. iiij. Infundātur ſ. a. in aqua Arthemiſ. deinde facta expreſſione, adde prædictæ infuſioni, Diaphæn. ʒ. iiij. Mel. roſ. ſol. ℥. iij. Fiat potus, Facta hac purgatione, non eſt deſiſtendum, quinimò auxilio enitimini Menſes prouocare. Habetis plurima medicaméta, in proprio capite propoſita. Sed in his caſibus duo remedia ſolent eſſe præſtantiſſima, vſus Thermarum, tam in potu, quàm in infuſione; vt ſunt aquę Aponenſes, Aquarinæ: in calidioribus, aquæ dictæ Laſtrenſes, in agro Patauino. Aliud remedium eſt, vſus Cauteriorum in cruribus, quæ præſtant duo maximè bona: vnum eſt, quod reuocant naturam ad opus ſibi familiare, ſcilicet ad euacuandum ſanguinem per vias conſuetas. Præterea, vapores qui ſurſum feruntur, beneficio illius cloacæ non eo impetu ſurſum feruntur, imò ſæpiſſimè extinguuntur. Si fiat ex ſemine retento, dubium eſt an conueniat Venæ ſectio: ratio dubitationis eſt, quia ſcribit Auicenna, fugiendam eſſe Phlebotomiam. Ex altera parte, vbi ſperma redundat & retinetur, neceſſariò etiam abundat ſanguis, ſi abundat ſanguis, videtur conuenire Venæ ſectio, tamen Auicenna ſcribit cauendam eſſe. Moſchio & Græci non meminerunt. Dico verum eſſe quod ſcribit Auicenna, non mittendum eſſe ſanguinem in ſemine retento. Sed intelligenda eſt Auicennæ ſententia de Muliere quæ eſt in Paroxyſmo, vel paulò pòſt: & ratio eſt, quia Mulieres in præfocatione, propter inimicam illam qualitatem quam intellexiſtis, magis refrigerantur, magis vires ipſarum deprimuntur, quare ſi mittas ſanguinem, idem eſt ac ſi iugules. Ex aduerſo cum remotæ ſint à Paroxyſmo, cum in iis abundet ſanguis, dico ſanguinis miſſionem magnopere conferre, & præſertim quando Mulieres ſic affectæ, non poſſunt Venere vti. In hoc igitur caſu maximè conueniunt ea quæ ſperma extinguunt, quæ hoc in loco enumerare nolo, propterea quod habuiſtis ante à me in Capite de Gonorrhœa, quibus auxiliis & remediis Seminis fœcunditas coërcenda ſit.

CON

CONCLVSIO.

Hic eſt finis tractatus noſtri de Morbis Muliebribus, qui, ni fallor, ampliſsimus eſt, ita vt pauca in ipſo quis deſiderare poſsit. Si vobis hac in re ſatisfecero, debetis Deo immortales gratias agere, qui me incolumem ſeruauit, & vires, vt hunc laborem perficerem, ſuppeditauit: ſin ſecus, tenuitati ingenij mei, non voluntati, quæ nunquam vobis defuit, neque deerit vnquam, adſcribatis. Valete.

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM.

A

ABortus. 2. 29
Abortus qui partus dicatur. 31
Abortus cauſæ ibid. internæ 32. externæ. ibid.
Abortus cauſas ad quæ genera Galenus reduxerit. 33
Abortus curatio. 36
Abortus futuri argumenta. 35
Abortus prognoſticā ibid. ſigna. 34
Abortum ſequitur menſtruorum retentio, quomodo intelligendum. 96
in Abortu ætate prouectiores minùs laborare, quomodo intelligendum 35. quæ mulieres minùs lædantur. ibid.
Abortiuum medicamentum à medico minimè propinandum. 17
Acetum mulieribus inimicum 15. quomodo vtero nocere poſſit propter neruoſitatem. ibid.
Aceti in lactis copia minuenda vſus 67. parum aut nihil in medicamentis commiſcendum. 15
ab Aceto in omnibus affectibus vteri abſtinendum. 109
Acria omnia mulieribus prohibita. 14
Actiones naturales. 106
ante Adſtringentium vſum quæ conſideranda. 129
in Ægypto mulieres libidinoſæ. 137
Ægyptiorum mulieres quinos & quaternos fœtus frequenter edere. 14
Æſtate mulieres Venerem magis appetere quàm hyeme. 9
Aëtij defenſio. 99
Aëtij & Galeni de ſanguine mittendo contradictio. ibid.
Agni caſti ſemen quid præſtet. 68
Agrigentinorum mulieribus quomodo fœcunditas reſtituta. 13
Agrippa perpetuò valetudinarius. 42
Agrippæ qui veteribus. 41
Albertus Magnus Ariſtotelis defenſor 91. quæ contra ſe pariat. ibid.
Alberti Magni refutatio 20. ſententia à Mercuriali reprehenſa. 21
Althimathi vxor grauida, validiora catapotia accipiens, eadem die moritur. 38
Altimarus Aëtij & Galeni conciliator 99. eius dictum falſum. 130
Alui fluxus coagulorum adminiſtratione compeſcitur. 78
Amazones cur dextras mammas ſibi reſecarint. 83
Amor conciliat genituram & conceptus. 9
Ἀμφλίωσις, ἄμφλωσις 29
Amphisbenam ſerpentem grauida tranſiens abortit. 32
Ἀνάβρωσις. 106
Ἀναστόμωσις. ibid.
Anguſtia vteri an inter abortus cauſas adnumerari debeat. 33
Animi motus vehementes, menſes ſupprimunt. 95
Animi operationes in viris illuſtriores. 1
Animalia bruta vterum ferentia cur ſana. 25.
Animalia cur capite priùs ex vtero exeunt quàm reliquis partibus. 41
Animalia penem longum habentia cur infœcunda Ariſtoteli. 5
Animalia quæ ſine reſpiratione viuant. 170
Animalia στεῖρα libidinoſiora. 10
Animalium ruminantium ventres. 74
Animalium varius ſitus in vtero. 40
Animalibus ſigna ad ſexus inter ſe dignoſcendos à natura tributa. 1
Aniſi olfactus partum facilitat. 49
Antidota ſecundinas educentia. 52
Antillus medicus. 101

Apium

Apium ſterilitatem facit. 10
Apij virtus. 130
Ἄπνοια. 164
Apollonius Herophili diſcipulus. 62
Apollonij de crurum ſcarificatione locus. 100
Aponitanæ aquæ. 129
Ἀφορία. 3
Ἀποφθορὰ. 29
Apoplexia reſpirationem impedit. 165
Aqua in vtero quomodo colligatur. 148. 149
Aqua non valde ſalſa aperit citra exſiccationem. 63
Aquæ frigidæ potus cur grauidis fugiendus. 27
Aquæ Nili vis. 14
Aquæ Lucenſes 104. *Pacauinæ.* ibid.
Aquæ quæ proprietate ſua dicantur fœcunditatem facere. 14
Aquæ vnde putredinem contrahant. 97
Aquarum thermalium vſus. 104
Aquarum thermarum vſus. 129
ex *Aquarum potu cur ſæpe ſterilitas fiat.* 9
Aquilonares conſtitutiones conceptibus mulierum maximè aptæ. 13
Arbores cur luna decreſcente cædantur. 91
Aræteus medicus. 134
Ariſtolochiæ ſignificatio. 94
Ariſtoteles cur mulieres monſtra quædam dixerit. 1
Ariſtoteles in libris de animalibus cur multos errores commiſerit. 91
Ariſtoteles omnia bona ab Hippocrate mutuatus. 39
Ariſtotelis error. 69
Ariſtotelis & Hippocratis de ſitu pueri in vtero conciliatio. 40
Ariſtotelis ſententia de mola à Mercuriali reprehenſa. 21
Ariſtotelis ſententia de menſtruis falſa. 91
Ariſtotelis ſeutentia quomodo poſſit defendi. 91. 92
Aromata capita maximè offendere. 148
Aromata menſes prouocant. 98
Aſarum vrinas & menſes prouocat. 130
Ἀτεκνία. 3
Atheromatum motus. 7
Ἄτοκον 3. Ἀτόκιον. ibid.
AuenZoar menſtruorum cauſas internas ad quæ genera reduxerit. 95
Auerroës imperfectus medicus. 160
Auerrois confutatio. 4
Auerrois de mola ſententia 22. *cur falſiſſima* 24. *quam patiatur difficultatem.* 22
Auerrois excuſatio 160. *infantia.* 4
Aues, & piſces cur teſtes intra corpus habeant. 159
Auium ſitus qualis. 39. 40
Auguſtini Sueſſæ commentaria. 91
Auicenna quot cauſas proponat, propter quas intemperies calida menſes ſupprimat. 95
Auicennæ de mola ſententia 21. 23. *quas difficultates ſubire videatur* 21. *quomodo intelligenda.* 23
Auicennæ, & Hippocratis contradictionem quibus rationibus Mercurialis tollat. 23
Auicennæ ſententiæ de abortu interpretatio. 34. 35.
Auſtrinæ conſtitutiones mulierum conceptibus incommodæ. 13

B

Balani. 104
in Balneo cur ſanguis mittendus. 101
Balneorum nimius vſus grauidis quatenus nocivus. 32
Barbam ob retentos menſes quæ mulieres acquiſierint. 97
in Barduana regione cur pecora magnam lactis copiam habeant. 62
Baſilica quando ſecanda. 153
Baſilius inſignis medicus & Theologus. 139
Belluæ cur pudicæ dici non poſſint. 27
Belluarum capita magna. 84
Bilis expurgatio. 134
Boëthi vxoris curatio. 129
in Borealibus regionibus mulieres facilè abortire. 32
à Brachio miſſus ſanguis efficaciſſimè menſtruorum fluxum coërcet. 110
Brodium trahens lac. 64
Bruta animalia cur menſtruis purgationibus non laborent. 90
Bruta à coitu abſtinentia lac diutius conſeruant. 61
Bruta certum conceptionis tempus habent. 8

Bruta

Bruta qua ratione ad coitum concitentur. 87. 138.
Brutorum capita. 45
Brutorum certum pariendi tempus. 29
Brutorum fæces cur minùs fœteant quàm hominis. 170
Brutorum fœminas robuſtiores eſſe maribus. 44
Bruta eſſe pumiliones. 45

C

Calefacientia ſeu refrigerantia quomodo lac non generent. 59
Calingarum fœminas quinto anno cōcipere. 5
Calor debilis vteri quibus de cauſis fiat. 147
Calor natiuus in ſomno retrahitur. 109
Calor rerum conſeruator. 21
Cancer vteri quid. 157
in Cancri lenitione quæ cauenda. 158
Cancri vlcerati materia. 157.158
Cancri vteri cauſæ 157. curatio 158. prognoſtica ibid. ſigna. 157
Cancrorum conditiones. ibid.
Cancrorum duo genera. ibid.
Cancrorum fluuiatilium vſus. 68
Cancros occultos & non vlceratos melius non tractare. 157
Canis pariendi tempus. 29
Caput animæ ſedes. 45
Caput paruum habentes cur prudentiores. 84
Capitis affectio in vteri inflammatione. 151
ex Carne cur nunquam flatus poſſit fieri. 24
Carnes quomodo in humorem conuertantur. ibid.
Caſeatio æquè poteſt fieri à frigido, quàm à calido. 73
Caſeatio lactis ibid. an in mammis fieri poſſit à cauſa frigida, vt à calida. 74
Caſeatio propria & impropria. 74.75
Caudata ægritudo. 142
Caudæ cauſæ ibid. curatio. ibid.
Cauteriorum in cruribus vſus. 173
Cedram conceptum impedire. 18
Cerebri vermes. 141
inter Cerebrum & vterum maxima eſt communicatio. 168
Cereris ſacris miniſtrantes cur ſuper viticem dormire conſueuerint. 124
Cibus qui nutrici conueniat. 13
Cibus vterum gerentis qualis eſſe debeat. 27
Cibi & potus moderatio ad ſanitatem tuendam conducit. 65
Cibi & potus qui ad menſes retinendos conferant. 95
Cibi qui lac deſtruant. 58.59
Cibi qui mulieribus fugiendi. 14
Cibi qui propria natura ſterilitatem faciant. 10
Cibi quibus mulieres vti debeant. 14
Cicutæ vſus. 139
Cinamomi vſus. 52
Clauſuræ vteri cauſæ 143. curatio 145. prognoſtica ibid. ſigna. 144
Cleopatra venenū cur mammis appoſuerit. 81
Cleopatræ de morbis muliebribus ſcripta. 5
Coagulatio propria 75. impropria. ibid.
Coagulationis & caſeationis lactis cauſæ externæ. ibid.
Coagulationis natura. ibid.
Coagulum internum. 74
Coagulum lactis externum. ibid.
Coaguli eadem facultas quæ fermenti. 78
Coaguli ignea facultas. 73
Coaguli leporini vis. 13
Coaguli omne genus facultatem adſtrictoriam poſſidere. 78
Coagula quomodo diſſoluant & attenuent. ibid.
Coagulorum aſtrictoria facultas. ibid.
Coctum dici veteribus putrefactum. 54
Coctum recrudeſcere poſſe, quomodo intelligendum. 56
Cocta non recrudeſcere. 55
Coitus immodicus cur maximè conducat ad ſterilitatem introducendam. 9
Coitus multus, præſertim poſt ſeptimum menſem, cur inter abortus cauſas annumeretur. 32
Coitus qui ad concipiendum conferat. 13
Coitus quomodo pruritum ſanet. 139
Coitus raritas cur ſterilitatem faciat. 9
Coitum cum menſtruata lepram inducere. 88
Coitum cur bruta appetant. 87. 138
Coitus inuitos mulierū eſſe ſteriles & inanes. 9
Colloſtrum. 3.75
Colloſtrati pueri. ibid.

Colloſtrati qui Plinio. 3
Colocynthidem in quibus menſibus Hippocrates propinet. 38
Conchylia luna decreſcente inania. 91
Conceptio quando fiat, ſed difficulter 6. *item quando nunquam.* ibid.
Conceptionis impedimenta. 89
Conceptus cur incipientibus & deſinentibus menſibus fiat. ibid.
Conceptus in quibus rariſſimè fiat. 7
Conceptus intra quot dies formetur. 21
Conceptus quando non fiat. 18
Conceptus quomodo fiat. ibid.
Conceptus vitioſus à Latinis mola appellatus 19. *quando fiat.* ibid.
Conceptus læſio. 2
Conceptus ſtudium glorioſum. 3
Conceptui quæ tempora debita. 5
Conceptum adiuuare, medicos glorioſos & diuites facit. 13
Conceptum etiam ſine voluptate fieri. 119
Conceptum impedientia. 6.7
ad Conceptum inſtrumenta quæ neceſſaria. 1
Conceptum quæ curent. 13
Conceptum quibus caſibus liceat medico impedire. 17
Conceptus qui magis vitales. 4
Concoctio bella quæ Ariſtoteli. 55
Conſtantinus Varolus, anatomicus. 131
Conuulſio vteri quomodo fiat. 166.167
Conuulſionis malum. 128
Cordis à mammis tutela. 57
pro Cordis palpitatione. 28
Cornarius medicus 65. *eius error.* 68
Corporis exercitatio ad ſanitatem tuendam conducit. 65
Corporis purgandi modus. 62
Corpora pinguia & craſſa cur vt plurimum infœcunda. 8
Corpora quomodo in plenilunio augeantur & pingueſcant. 92
à Corrupto nil niſi corruptum fieri poſſe. 22
Cruditates omnium morborum matres. 127
per Crurum ſcarificationem quæ mulieres feliciùs euacuentur. 101
à Cubita quando ſanguis mittendus. ibid.
Cuminum quâ facultate à naturura donatum. 67
Cumino cur veteres vſi. ibid.
Cyclaminis radicis vſus. 46
Cyclaminis radicem grauida tranſiens abortit. 32.33

D

Democritus medicus antiquus. 109
Democriti & Parmenidis de menſtruo ſententia. 87
Dictamni Cretenſis vſus. 49
Diæta pro lactis abundantia. 61
Diocles medicus. 9
Dioptron inſtrumentum medicum. 113.114
Diuites cur magis peſtiferis morbis capiantur quàm pauperes. 170
Diuretica quæ 102. 103. *quomodo prouocent.* ibid.
Diureticorum vis. 130
Dormiendum quomodo medici iubeant. 132
C. Duellij ſoror inter epulas nimis ſaturata abortit. 32

E

EKϑροσμος. 33
Elephantis pariendi tempus. ibid.
Elizabeth ſeptuagenaria diuino miraculo concepit. 5
Embryonem conſeruare proprium vteri. 160
Emota vox quid apud Hippocratem. 162
Empedocles quomodo à calumniis Ariſtotelis defenſus. 54
Empedoclis de lacte ſententia quomodo ab Ariſtotele refutata. 53.54
Epileptici cur propter prauos odores incurrant ſymptomata. 168
Epilepſiæ ſigna. 166
Equæ pariendi tempus. 29
Equas vento concipere in Luſitania falſiſſimum. 21
Eryſipelas ſi fiat in vtero grauidæ, lethale. 37
Eryſipelaca inflammatio quomodo ſit cognoſcenda. 152
Euacuatio omnis abortus cauſa. 32
Excrementum vtile. 58
Excrementorum quædam vtilia, quædam inutilia. ibid.
Excretiones omnes in ſomno retinentur. 109
in Exſiccando quæ obſeruanda. 133

Expultrix

Expultrix fœtus quomodo excitetur. 33
Expultricis facultatis excitatio. 50

F

FAba cur à Pythagoricis prohibita. 14
Fabarum ſaccharo conditarum vſus. 28
Fæcum prouocatio. 50
Farris vis.
Figura omnis non naturalis, periculoſa. 42
Figura quæ communis omnibus animalibus dum ex vtero exeunt. 40
Figuræ non naturales quibus fœtus in lucem exeunt. 41
Filij malum. 76
Filij ſapientum cur vt plurimum inſani. 13
Flatus vnde fiat. 24
Flatum gignentia grauidis aduerſiſſima. 27
Flatus vtero incluſi quomodo abortum faciant. 32
Flori medici apud Plutarchum de menſtruo error. 86
Fluor muliebris qualis affectus. 126
Fluor muliebris quibus potiſſimùm ſignis cognoſcatur. 127
Fluoris materia quæ deterior. 128
Fluoris muliebris cauſæ 126.*curatio* 128.*&c. prognoſtica* 128. *ſigna.* 127
de Fluore muliebri. 126
in Fluore muliebri locus affectus. ibid.
Fluore muliebri quæ mulieres tententur. 127
Fluores albi cur ſemper deteriores. 128
Fluxuum immodicorum prognoſtica. 120
Fluxus menſtruus hemorrhoidalis. 112
Fluxus menſtruorum immodicus vnde efficiatur. 106
Fluxus muliebris. 2. *vnde fiat.* 127
Fluxus qui ſymptoma dicatur. 126
Fluxus immodici cauſæ externæ. 107
Fluxus immodici menſtruorum curatio. 109
Fluxus menſtruorum ſiſtẽdi ratio varia.ibid.
Fluxus menſtruorum immodici quis terminus. 109
in Fluxu ex bilioſo ſanguine ad quæ remedia deſcendendum. 111
ex Fluxu immodico plurimos morbos oriri. 108
in Fluxu immodico quæ conſideranda. 108. 109.
in Fluxu immoderato victus ratio. 109
in Fluxu quomodo expultrix vel retentrix offenſa. 126
Fluxuum immodicorum prognoſtica. 108. *ſigna* 107. *ſignorum cauſſæ.* 107. 18
Fluxuum inueteratorum curatio. 129
Fœcunditas. 2
Fœcunditatem interdum medici retardare coguntur. ibid.
Fœmina à viro quatenus diſcernatur. 1
Fœmina cur maiorem dolorem inferat quàm mas. 45
Fœmina quoto menſe moueri incipiat. 23
Fœminæ facultas adiuuat maris facultatem. 121
Fœminæ ſteriles cur libidinoſiores. 10
Fœminas & mares neque robore, neque felicitate dignoſci.
Fœminas tardiùs in vtero perfici. 31
Fœmellam ſi mulier pepererit quandiu purgationes durent. 94
Fœtor perpetuò ſequitur corruptionem. 26
Fœtus animatus non interimendus. 17
Fœtus ante diem ſeptimum nunquam animatus. ibid.
Fœtus cur in vtero octauo menſe laboret. 30
Fœtus grandiuſculus quo pacto efficiatur, vt per anguſtum adeo meatum exeat. 39. 41.
Fœtus ſi primũ pedibus exat, malũ omen. 48
Fœtus caro minimis etiam paſſionibus obnoxia. 26
Fœtus educendi modus. 50
Fœtus exeundi naturali figura. 43
Fœtus exitus figura naturalis quæ. 41
Fœtus in vtero conglobatio 39. *ſitus.* 39. 40
circa Fœtus nutritionem quæ contingant vitia. 52
Fœtus ſectio. 51
Fœtum corrumpendi quæ ciborum genera facultatem habeant. 32
Fœtum extra vterũ conformari non poſſe. 19
Fœtum mortuum educendi ratio. 50
Fœtum mortuum quæ ſigna demonſtrent. 35
Fœtum non eſſe animal, ſed partem vteri, cur Stoici dixerint. 32

Fœtū ſanguine menſtruo in vtero nutriri. 93
Fœtus cur ſeptimo menſe viuant, octauo non poſſint. 30
Fœtus cur ſimiles matribus fiant. 120
Fœtus primis & vltimis diebus facilè corrumpuntur. 38
Fœtus mortuos interdum medici extrahūt. 2
Fœtus paruos fieri in anguſtia vteri, non autem mori quomodo Rabi doceat. 33
Frigida cauſa ſemper calida deterior. 128
Frigidum neruis inimicum. 167
Frigido concreſcentia, calido ſolui. 77
Frigiditatis proprium. 95
Frigus vitæ aduerſiſſimum. 31
Fructuum vſus cur grauidis vitandus. 27
Furor vterinus. 136
Furoris vterini curatio 139. cauſa 137. prognoſtica 139. ſigna. 138

G

Galenus cur menſtruas purgationes fieri aſſerat. 93
Galenus Platonis ſententiam de vteri mutatione refutat. 158
Galenus quomodo mulierem à diuturna menſium ſuppreſſione liberarit. 100
Galeni contra Stoicos libellus. 32
Galeni & Aëtij de ſanguine mittendo contradictio. 99
Gaza multos Ariſtot. locos deprauauit. 91
Generatio fieri nequit ſine mulieris ſemine. 119
Genitalia brutorum qualia. 27
Genitalium partium læſio. 6
Gonorrhœa. 2. 115
Gonorrhœa à nocturna pollutione quomodo differat. 116
Gonorrhœa cur prægnantes nunquam capiantur. 123
Gonorrhœa quid. 115
Gonorrhœæ appellationes. ibid.
Gonorrhœæ cauſæ. 121. 122
Gonorrhœæ curatio. 123. & ſeq.
Gonorrhœæ proprius character. 123
Gonorrhœæ prognoſticum. ibid.
Gonorrhœæ ſigna. 122
Gonorrhœam quæ in viris generant, eadem generare in mulieribus. ibid.
in Gonorrhœa cur corpus contabeſcat. 123
Gorgiæ vxor, quæ cum per quatuor annos ſuppreſſos habuiſſet menſes tandem perit. 98
Grauida an vbi vehementer appetit aliqua, conſueuerit ſignari fœtus. 26
Grauidæ ſcopus curatiuus ſiue præſeruatiuus. 37
Grauidam quolibet acuto morbo corripi, lethale. 32
Grauidæ cur ſemper palleant. 26
Grauidæ etiam ſolo tonitru exanimatæ. ibid.
Grauidæ in quocunque menſe ſint, minùs purgandæ, quàm ſi non eſſent grauidæ. 38
Grauidæ quo animo ſemper eſſe debeant. 26
Grauidarum cura. 25. 26
Grauidarum delectus habendus circa veſtitum. 26
Grauidarum victus ratio. 37
Grauidis appetitu prauo laborantibus quomodo ſuccurrendum. 28
Grauidis cur cauendum à geſtationibus in curribus. 26
Grauidis cur horti non ſint frequentandi. ib.
Grauidis medendi ratio. 38. 39
in Grauidis cur ſuperna, non inferna fricanda. 28
cum Grauidis in apptitu corrupto cur prudenter agendum. ibid
Grumefactio mammarum. 73
Grumefactionis lactis cauſa. 72
Grumos ſanguinis diſſipandi ratio. 140

H

Habitus corporis quomodo ſit in cauſa vt abortus fiat. 32
Hæmorrhois mariſcis ſimilis. 106
Hæmorrhoidis affectus quibus ſimilis. ibid.
Hæmorrhoides. ibid.
Hæmorrhoides venæ. 144
Hæmorrhoidum ſigna. 11
Hæmorrhoidum prognoſtica. ibid.
Hæmorrhoidalis fluxus quid boni habeat. ib.
Hæmorrhoidales fluxus quomodo à mēſtruorum fluxibus dignoſcantur. 113
Hæmorrhoidales fluxus patientium victus ratio. ibid.
Hæmorrhoidales venæ quales. ibid
Hæmorrhoidalium fluxuum curatio in quare poſita. ibid.

Herbæ

Herbæ lac generantes. 66
Hermaphroditæ quomodo fiant. 119
Herodotus ab Ariſtotele damnatur. 4
Hieræ vis. 103
Hippocrates multa ex Empedocle mutuatus. 54
Hippocrates quomodo molã fieri aſſerat. 20
Hippocratis de mola ſententia quid ab Ariſtotelis differat 22. *quibus rationibus auctori non ſatisfaciat.* 21
Hippocratis ænigma. 30
Hippocratis loci conciliatio. 17
Hippocratis & Auicennæ contradictio. 23
Hirudinum in ſcarificatione vſus. 102
Homo qua ratione dicatur habere caput magnum aut paruum. 84
Hominis ſitus in vtero qualis. 39
Hominis vterus. 159
Horror grauidæ fœtum diſperdit. 32
Humiditas in omnib. corporibus duplex. 92.
Humiditatem potiùs in plenilunio exuberare quàm luna decreſcente. 91
Humiditas quæ decreſcente luna augeatur 92. *quæ plenilunio potiùs augeatur.* ibid.
Humiditatis diſſipandæ ratio. 129
Humiditatis in fœminis vſus. 118
Humiditatem mulierum qua ratione Gal. probet eſſe ſemen. 118. 119
Humorum calidorum præparandorum modus. 16
Humores præparandi modus in quibus caſibus ſit. 14
in Humoribus frigidis præparandis quæ ratio habenda. 103
Hydrops quomodo ſterilitatem faciat. 7
Hydrops vteri cur conceptum præcedere nequeat. 49
ab Hydropicis quomodo molam geſtantes dignoſcantur. 23
Hyeme difficiliùs mulieres pariunt, quàm æſtate. 46
Hyenæ oculus conceptum adiuuat. 13
Ὑπερκάθαρσις. 105
Ὑποστρεὶς. 14
Hyſtericæ affectionis ſigna. 149

I

I*Liorum vaſa quibus mulieribus anguſta.* 96
Indigeſta cur non poſſint diu permanere. 21.
Indigeſtiones fugiendæ. 128
Infans quidam lactis mutatione vlceribus repletur. 70
Infans ſine vnguibus cur minimè vitalis. 28
Infantis caput an ſuprà locatum ſit, an verò inferiùs. 39. 40
Infantis nimij mictus ratio. 71
Infantis ſuctio lac prouocat. 59
ex Infante lactis vitia quomodo cognoſcantur. 70
Infantes vitioſo ſanguine nutriti ſæpe veniunt in extremam perniciem. 69
Inflammatio à lacte quomodo vera inflammatio ſanguinea. 79
Inflammatio lactis ſanguinis ſoboles ibid.
Inflammationis cuiuſque remedium. 81
Inflammationis nominis ratio. 79
in Inflammatione à lacte, quomodo poſſit rubor apparere. ibid.
in Inflammatione mammarum Hippocra*tis ſententia.* 80
Inflammationes internæ mirificè à ſomno augentur. 152
Inſtrumenta ad conceptum neceſſaria. 8
Intemperies calida qua ratione abortum faciat. 31
Intemperiei calidæ ſigna. 135
Intemperies frigida qua ratione abortum faciat 31. *item humida & ſicca.* ibid.
Intemperiei lactis correctio. 63
in Intemperie vnaquaque quid agendum. 71
Intemperies contrariæ quibus remediis curandæ. 77
Intemperierum curatio. 136
Intemperierum naturalium cauſſæ. 135
Intemperierum prognoſtica. ibid.
Inunctiones non paruum præſtant vſum in efficienda fœcunditate. 16
ab Iſchia vterus parum diſtat. 100
Iuliæ Auguſti filiæ dictum. 27

L

L*Ac à ſua integritate quando deficiat.* 69
Lac æquè in viris atque in mulieribus. 53
Lac an ex puro ſanguine fiat. 54
Lac an fiat per concoctionem, vel per ſolam coloris mutationem. ibid.

Lac an grumeſieri poſſit à cauſa calida. 72. 75.
Lac an per concoctionem, vel ſimplicem mutationem fiat. 54
Lac biliosum quomodo cognoſcatur. 70
Lac bonum & pingue propter multitudinem quomodo puero nocere poſſit. 65
Lac copioſum & ſemen copioſum an eadem ratione noceant. ibid.
Lac craſſius quibus modis fiat. 71
Lac cur ante ſeptimum menſem ſit malum. 54
Lac cur ſanguis dicatur. ibid.
Lac cur ſucco congelatur. 73
Lac impurum quando fiat. 70
Lac in muliebribus quo brodio deſiccetur. 68
Lac in quibus animalibus. 53
Lac in viris ſanguis dealbatus. ibid.
Lac melancholicum quomodo cognoſcatur. 60
Lac omnium optimum quod. ibid.
Lac quando deficere dicatur. 58
Lac qua ratione calidum. 56
Lac quæ conſumant. 61
Lac quæ minuant. 58. 59
Lac quæ vitient. 70
Lac quarum aquoſum eſt, diæta. 71
Lac quid. 56. 76. 79
Lac quid Ariſtoteli 54. item Empedocli. 53
Lac quo medicamento ſtatim diſſipetur. 68
Lac quibus coaguletur. 73
Lac quibus mulieribus ſit exſugendum. 69
Lac quomodo à coagulo cauſetur. 74
Lac quomodo mulieres quædam ſibi pararint. 57
Lac ſanguis menſtruus dealbatus. 93
Lac ſponte diffluens ſymptoma. 66
Lac vnde fiat. 54
Lac vnde Hippocrates fieri aſſerat. 56
Lac vt conſumant & nutriant medicos interdum neceſſariò cogi. 68
Lac vitioſum. 69. 70
Lactis abundantia. 3. 53. 65
Lactis abundantia nutrices lædit 65. quale vitium. ibid
Lactis abundantiæ cauſa 66. curatio 66. 67. diæta ibid. prognoſtica 66. ſigna. ibid.
Lactis albedo. 60
Lactis bonæ conditiones. ibid.
Lactis candoris diuerſitas. ibid.
Lactis canini vſus. 51
Lactis caſeatio in mamillis præter naturam. 75
Lactis coagulatio apud veteres 73. vnde. 72. 73
Lactis coagulationis curatio 77. prognoſtica 76. ſigna. 75
in Lactis congelatione an ſeroſa pars poſſit craſſeſcere. 72
Lactis copia ſi retineatur, quæ mala ſequantur. 66
ad Lactis copiam minuendam, decoctum. 67
Lactis copiam pueris obeſſe. 65
Lactis dealbatio. 57
Lactis defectus 53. defectus cauſæ 58. curatio. 61
Lactis defectus mirificè incommodat. 65
Lactis defectus prognoſtica. 60
Lactis defectus quid. 58
Lactis defectum inducentia. 61
Lactis defectum quis morbus ſequatur. 58
in Lactis defectu curando nunquam ſanguis mittendus. 64
Lactis deficientis ſigna. 59
Lactis duplex mutatio. 56
Lactis exſiccandi ratio. 67
Lactis exſuctio quibus modis fiat. 78. 79
Lactis fluiditas. 71
Lactis fluiditas quot modis cognoſcatur. ibid.
Lactis fluiditatis cauſſæ, curatio, ſigna, ibid.
Lactis fœtor quomodo emendandus. 70
Lactis generatio 56. 57. quomodo minuatur. 67
Lactis generationis tempus. 57
in Lactis generatione an conueniat cibis ſalitis vti. 62
Lactis grumefactio & caſeatio. 72
Lactis indicia vnde ſumantur. 70
Lactis inopia 3. vnde. 66
Lactis læſio. 3
Lactis mutatio cur non muliebris affectus.
Lactis muliebris vſus. 158
Lactis mutatio ſecundum qualitatem. 69
Lactis mutationis cauſæ ibid. ſigna. 70.

Lactis natura. 53
Lactis optimi conditiones. 69
Lactis paucitatis ſignum. 60
Lactis retentio cuius morbi cauſa. 66
Lactis ſuperfluitas maximè nocet. 65
Lactis tempus incertum. 57
Lactis vitioſi curatio. 70
Lactis vitiati ſigna. ibid.
Lactis vitium mulieribus proprium. 66
Lactis vbertatem facientia. 61
Lac facilè in ſanguinem mutari. 55
Lac generantia dupliciter generare. 59
Lac incraſſare quæ faciant. 72
Lac merũ ſæpè teneras capellas dementare. 65
Lac non fieri per concoctionem. 54.55
Lac per coloris ſanguinei mutationem fieri. 56
Lac prauum quæ producant. 54
ad Lac producendum quæ conferant, 63
circa Lac quæ vitia contingant. 53
Lacte cur pueri delectentur. 55
in Lacte fabricando cur natura ſolicita fuerit. 57
à Lacte quomodo inflammatio fieri poſſit. 79
Lacte vitioſo infantem nutriri quæ ſigna. 70
Lactuca quomodo lac generet. 59
Lapis vteri. 140
Lapidis vteri curatio, ſigna. ibid.
Laſtrenſes aquæ 173
Leporis coagulum 74. eius vis. 78
Libido quomodo excitetur. 84
ad Libidinem incitandam quæ inſeruiant. 137
in Lienis affectibus ſerum fugiendum. 129
Λοχεῖα. 94
Locus affectus. ibid.
Luminarium magnorum tempore coniunctionis & oppoſitionis diuerſitas. 92
Lucernæ extinctæ odor grauidis inimicus. 26
Lucretij de ſterilitate opinio. 5
Lucretij locus. 9.119.120
Lugdunenſes mulieres cateruatim ſe in fluuios præcipitant. 137
Lumbrici qui in vtero reperiuntur, an in ipſo fiant, aut aliunde mittantur. 155
Lumbrici vteri. ibid.
Lumbricorum in vtero curatio, ſigna. ibid.
Luna lumine ſpolita non reſiſtit frigori externo. 92
Luna quatenus ex ſe calidum, aut frigidum faciat. ibid.
Lunam cur nonnulli fœminam appellarunt. 90.91
Lunam decreſcente cur potiſſimùm menſtruæ purgationes fiant. ibid.
Luta quæ mirificè molliant. 156

M

Mala non ſunt agenda, vt eueniant bona. 18
Mammæ cur cancro maximè obnoxiæ. 82
Mammæ cur in pectore poſitæ. 55
Mammæ cur mediocres eſſe debeant. 84
Mammæ generationi deſeruiunt. 55
Mammæ in quibus viris magnæ fiant. 83
Mammæ magnæ quatenus meliores. 84
paruæ cur magnis meliores. ibid.
Mammæ propter cordis tutelam factæ. 81
Mammæ quatenus ſanguinem coquant. 56
quatenus venis frigidiores. ibid.
Mammæ ſi graciléſcunt, quomodo fiat abortus 34. ſi nimis excreſcunt, quas operationes impediant. 83
Mammæ ſororientes. 65
Mammæ vbi dolent, an lac ſit exſugendum. 69
Mammæ venis cur non calidiores. 55
Mammarum dolentium curatio. 81
Mammarum inflammatio quid. 78
Mammarum inflammationis cauſæ 79. curatio 80. prognoſtica ibid. ſigna. 79
Mammarum in viris vſus 2. item in mulieribus. ibid.
Mammarum magnitudo 83. magnitudo duplex. 84
Mammarum magnitudo quomodo comprimenda. 85
Mammarum magnitudinis cauſæ 83. curatio 84. prognoſtica ibid. ſigna. 83
Mammarum operationes proprias qui morbi offendant. 3
Mammarum præ lactis copia inflammatarum curandi modus. 67.68
Mammarum tumor vnde. 34

Mamma

M
Mammarum vaſa quomodo aperiantur. 62
Mammarum vſus. 2
Mammis inflammatis an ſtatim repercu-tientia remedia ſint adhibenda. 81
in Mammis an propria caſeatio vnquam fiat. 75
in Mammis curandis quæ fugienda. 81
Mamilla lactis locus. 75
ex Mamillarum contactu magna in muliere ſentitur voluptas. 84
Mamillas cur natura in pectore fecerit. 75
Mammoſæ mulieres Paulo mammeales. 83
Mandrarum fœminas quinto anno concipe-re. 5
Mariſcæ quid Theodoro. 144
Mas quoto menſe moueri incipiat. 23
Maris & fœminæ ex vtero exitus. 39.40
in Maris ſemine generationis vis effectrix poſita. 119
Marem ſi mulier peperit, quandiu purgatio duret. 94
de Matricis pruritu. 133
Matricis reſtitutæ conſeruatio. 164
Medea mauult ter ſub clypeo militare, quàm ſemel parere. 12.130
Medicamenta fœcunditatem facientia. 15
Medicamenta lac generantia cur parcè ad-hibenda. 63
Medicamenta quæ fœtum corrumpant. 32 quæ prouocent menſes. 103
Medicamentorum formæ, quibus medici vtuntur in cauſa frigida. 104.105
Medicamentorum vſurpandorũ tempus. 104
à Medicamentis validis abſtinendum. 62
Medici cur de partu vitioſo tractantes, non tractarint de monſtris. 19
Medici quomodo de prohibendo conceptu lo-quantur. 17
Medicorum manus quales eſſe debeant. 43
Mel crudum, acrius. 55
Membra mandantia. 128
Membra membris languentibus conferre. 61
Menſes albi. 2.126
Menſes diminuti. 2
Menſes exuberantes. 94
Menſes quomodo à calida cauſa ſuppriman-tur 95. quomodo aperiantur. 173
Menſes ſuppreſſi. 2
Menſes vitiati. 92
Menſium fluxus vbi nulla arte poteſt reuo-cari, quid agendum. 98
in Menſium omnium ſuppreſſionibus venæ ſectionem conuenire. 99
Menſium prouocatio in grauidis damnoſum 27. pernicioſum. 37
Menſium prouocandorum duplex ratio 103. 106. 173
Menſium retentionem qui humores non fa-ciant. 95
ob Menſium retentionem qui morbi oriantur. 97. 98.
in Menſium retentionibus quæ medica in-ſtrumenta in vſum veniant. 98
Menſium ſuppreſſionis curatio. 98.99
Menſes prouocare in grauidis, nihil perni-cioſius. 28
Menſes prouocantium gradus. 102
ad Menſes prouocandos quæ ſemina fa-ciant. 103
Menſes quæ prouocant, qualia. 102
Menſes ſuppreſſos febres continuò comitari, cur falſum. 97
in Menſibus fluentibus rariſſimè conceptio-nem fieri. 7
ex Menſibus retentis mulieres habitum viri-lem contrahere. 97
Menſtruum cur dicatur ſanguis excremen-titius 86. cur naturale profluuium ibid. cur ordinatum profluuium. ibid.
Menſtruum quid. ibid.
Menſtruum ſi eſt materia vtilis, cur à natu-ra ſingulis menſibus expellatur. 87
Menſtrui color. 94
Menſtrui cur nullus odor eſſe debeat. ibid.
Menſtrui quantitas. 93
Menſtruum quæ mala faciat. 88
in Menſtruo ſanguine duas partes reperiri. 89
Menſtrua cur nullo certo tempore currant. 90.91
Menſtrua cur decimoquarto anno, & non ante fluant ibid. cur quinquageſimo de-ſinant, & non poſt. ibid.
Menſtrua deficientia quæ medicis. 94
Menſtrua generationis materia. 7
Menſtrua in quibus corporibus fiant. 90
Menſtrua mouentur decreſcente luna. ibid.
Menſtrua prouocantia lac deſtruunt. 65

Menſtrua prouocantia quotuplicia ſint. ibid.
Menſtrua qualia eſſe debeant. 94
Menſtrua quæ naturalia. ibid.
Menſtrua quando incipiant & deſinant fluere. 90
Menſtrua quomodo fiant. 92
Menſtruorũ cauſæ 95. *internæ, externæ.* ibid.
Menſtruorum defectus ſigna. 56
Menſtruorum fluxus hæmorrhoidalis. 112
in *Menſtruorum fluxu immoderato qui victus communis.* 109
Menſtruorum modus verus qui 87. *apud veteres qualis.* ibid.
de *Menſtruorũ generatione problemata.* 88
Menſtruorum immodicus fluxus. 105
Menſtruorum immodici fluxus viæ. 106
Menſtruorum muliebrium purgationis cauſarum catalogus. ibid.
Menſtruorum natura indeterminata. ibid.
Menſtruorum natura quæ ſit. 86
Menſtruorum peccatum. ibid.
Menſtruorum prognoſtica. 97
Menſtruorum purgationis tempus. 93
Menſtruorum qualitates prauæ. 115
Menſtruorum quantitas. 93
Menſtruorum retentio cui aſcribenda. 96
Menſtruorum retentionem cur frigida intemperies faciat 95. *quæ mala ſequantur.* 108
Menſtruorum ſigna 96. *ſtillicidium.* 114
Menſtruorum ſtillicidij cauſæ ibid. *curatio* 114. 115. *ſigna.* 114
Menſtruorum tempus duplex. 90
Menſtruorum varietatis ratio. 91
Menſtruus ſanguis lactis materia. 57
Menſtruus ſanguis qualis. 88
ex *Menſtrui ſanguinis abundantia quomodo in muliere ſola fiat mola.* 20
Menſtruæ purgationes cur non in viris 87. *cur in mulieribus fiant.* 92
Menſtruæ purgationes in mulieribus quomodo propter neceſſitatem fiant ibid. *quomodo propter vtilitatem.* 92. 9.
Menſtruæ purgationes quando excedere dicantur. 106
cum *Menſtruoſa concumbens, ſæuiſſimos morbos contrahit.* 88
Mentha cur ſterilitatem faciat. 10
Meretrices qua ratione grauidæ non fiant. 9
Meſſalinæ Imperatricis incontinentia. ibid.
Metrenchita inſtrumentum. 129
Mileſiæ virgines cateruatim ſe ſuſpendũt. 137
Minos Cretenſis quomodo conceptum probibuerit. 17
Mola à monſtro quid differat. 19
Mola cur in ſola muliere fiat. 20
Mola cuius ſit figura. ibid.
Mola quàm diu duret. 23. 24
Mola quando in muliere fiat. 20
Mola quid Paulo & Aëtio. ibid.
Mola quomodo morbus in via, ſiue in numero. ibid.
Mola ſæpè ad multos annos perdurat. 21
Mola variarum figurarum. 20
Mola vteri. 2
Mola vnde vocetur. 19
Molæ augmentum. 22
Molæ caro qualis. 20
Molæ cauſæ. ibid. & ſeq.
Molæ cauſarũ ſcriptorũ magna varietas. ib.
Molæ cruda & indigeſta materia cur non corrumpatur. 21
Molæ curatio 24. *difficilis Hippocrati.* ibid.
Molæ deſcriptio. 19
Molæ duæ vno partu excretæ ab Alberto Magno viſæ. ibid.
Molæ extrahendæ quæ remedia conueniãt. 25
Molæ materia cruda & indigeſta cur non ſtatim expellatur. 21
Molæ motus. 23
Molæ paſſioni nullum animal obnoxium. 20
Molæ prognoſtica ſigna. 23. 24
Molæ tollendæ ratio. 24. 25
Molã eſſe curabilem putantium fallacia. 24
Molam geſtare viginti annos mulierem vidit Nicol. Florent. ibid.
Molam moueri quomodo intelligi poſſit. 23
Molã patientis aluus quomodo emolliẽda. 24
Molam parentium in aquilonaribus regionibus interitus. ibid.
Molam ſolas mulieres concipere. 20. 21
de *Mola Hieron. Mercurialis ſententia* 22. *item Plutarchi.* 21
Moles vteri quando augeatur. 2
Monſtra clam nutrienda. 19
Monſtra in vtero cur non ſint morbi. ibid.
Monſtra, vitioſi partus. ibid.
Morbi circa lac contingentes quomodo dicantur muliebres. 53

Morbi circa partum contingentes. 29
Morbi frigidi vnde oriantur. 73
Morbi in conformatione quando fiant. 3
Morbi muliebres 52. *cur difficiles curatu.* 97
Morbi muliebres qui & quot. 2
Morbi qui contingant circa inſtrumentum nutritionis. 3
Morbi qui lactis defectum efficiant. 58
Moſchij de morbis muliebribus ſcripta. 5
Motus duplex. 23
Motus & quies cur non parum conferant ad conceptum prohibendum. 9
Motus omnis periculoſus. 132
Mulier an verè ſemen habeat. 116. *& ſeq.*
Mulier cur in ſeptimo menſe mitius tractanda, quàm in ſexto, quinto & quarto. 38
Mulier cur in octauo menſe potiſſimùm periclitetur. 35
Mulier cur magis in partu laboret quàm bruta. 45
Mulier emota quid Hippocrati. 162
Mulier ex qua cauſa abortire ſoleat. 36
Mulier fœcunda quæ. 6
Mulier grandior natu ſi concipiat prima vice, & abortiat, cur maximè periclitetur. 35
Mulier grauida cur virum admittat, cætera bruta non item. 27
Mulier ne curru veheretur, lex quandoque apud Romanos. 26
Mulier non ebria, neque ſatura viro copulanda. 13
Mulier paritura qualis eſſe debeat. 43
Mulier parua magis conceptui apta, quàm procera. 8
Mulier quæ difficulter pariat. 45
Mulier quædam poſt partum clauſa reddita. 144
Mulier ſola cur molam concipiat. 20
Mulier vterum frigidum habens, quomodo fœcunda fiat. 6
Mulier vterum gerens, an conſuetudinem cum viro habere debeat. 26.27
Mulieris & viri ſeminum diuerſitas. 116
Mulieris ſemen. 116.117
Mulieris ſemen an virtute informatrice præditum. 119. *& ſeq.*
Mulieris ſemen quale. 120
Mulieris ſeruandæ indicia. 51
Mulieris voluptas duplo magis durat voluptatè viri. 116
Mulieri in poſtremis menſibus cur à venere abſtinendum. 27
Mulieri cui ſit abſtinendum ab exſuctione lactis. 69
Mulieri quodnam tempus à natura conſtitutum. 29
Mulieri vterum gerenti, cur ſi mammillæ gracileſcant, abortiat. 34
Mulierem carere ſemine, cur Ariſtoteles & eius ſequaces exiſtimarint 117. *mulierem frigidam eſſe cur neceſſarium* 88. 89. *mulierem quandoque decimoquarto menſe peperiſſe* 29. *mulierem ſæpè ſine coitus voluptate concipere* 9. *mulierem ſemen emittere Galenus aſſerit* 118. *mulierem ſi in coitu ploret, non poſſe concipere* 9. *mulierem ſine viro concipere, præter naturam* 4. *mulierem ſine viro poſſe concipere, Auerrhoës credidit ibidem. cum muliere menſtruata cur legibus vetitum conſuetudinem habere.* 7
Mulieres ad animi ſtudia æquè ac mares naſci 1. *mulieres apud Hiſpanos quæ infœcundæ* 14. *mulieres craſſæ cur non concipiant* 3. *quomodo extenuandæ* 36. *mulieres cur menſtrui tempore magis perturbentur* 88. *mulieres cur omnium animalium purgationes menſtruas maximè habeant* 90. *mulieres cur ſæpe ſibi lac deſiccari requirant* 68. *mulieres cur ſingulo menſe expurgentur.* 89
Mulieres ebrioſæ plerumque ſteriles. 10
Mulieres & animalia omnia ob quem finem menſes habeant. 92
Mulieres & viri pingues cur infœcundi fiant. 121
Mulieres extenuatæ quomodo craſſæ faciendæ. 36
Mulieres frequenter coitu vtentes, infœcundæ.

fœcundæ. 9
Mulieres frigidæ quales. 31
Mulieres grandium mammarum cur viroſæ & libidinoſæ. 48
Mulieres grauidæ quomodo conſeruari debeant. 25
Mulieres media hyeme ſteriliores ſunt quàm in æſtate. 9
Mulieres nimis amore ardentes cur non concipiant. ibid.
Mulieres per quas venas feliciſſimè purgandæ. 98
Mulieres quæ libidinoſiores fiant. 137
Mulieres quæ per venæ ſectionem feliciùs purgentur, quàm per ſcarificationem. 101
Mulieres quæ præfocationes patiuntur, cur non niſi poſt triduum ſepeliendæ. 168
Mulieres quæ propter odoramenta incurrant præfocationes. 168
Mulieres quæ tribades. 138
Mulieres quibus in rebus pueris ſimiles. 117
Mulieres quibus retinentur menſes, cur libidinoſiores. 10
Mulieres quando concipiant 89. *quando lac perdant* 55. *quando maximè ad libidinem incitentur* 137. *quando non concipiant.* 5
Mulieres quatenus viris frigidiores. 11. 88
Mulieres ſemper viris pinguiores. ibid.
Mulieres ſteriles vt plurimum morboſæ 12
Mulieres tenuiores cur conceptui ſint inutiles. 8
Mulieres velatæ. 143
Mulieres vt non concipiant. 18
Mulieres vteri hydropem patientes, ſæpiſſimè videri prægnantes. 150
Mulieres vterum gerentes cur ſemper ægrotent. 25.26
Mulierum conceptus 117. *mulierum corpora qualia* 87. *mulierum grauidarum qualis victus ratio eſſe debeat* 26. *mulierum humiditas qualis* 88. *mulierum parientium diuerſa purgatio* 94. *mulierum purgatarum doloris diuerſitas ibid. mulierum ſterilium cauſa* 5. 6. *mulierum ſuffocatio* 161. 166. *mulierum teſtes quales.* 116.117
Mulieribus ſemen Ariſtoteles denegat. 117.
Mulieres fœcundas minùs ægrotare 12. *mulieres non perforatas interdum concipere* 145. *mulieres omnes ſingulo menſe purgari, rariſſimas tertio* 91. *mulieres partus tempore magnas difficultates habere* 12. *mulieres ſaltatrices & cantatrices non purgari* 95. *mulieres ſolùm vas & locum generationi præſtare* 9. *mulieres ſub Auſtro frequenter abortire.* 26
in Mulieribus quemadmodum exceſſus deſiderij coitus datur, an ita detur defectus. 138
Muliebres morbi qui ſecundum veteres. 2
Muliebrium affectuum tractandorum ordo. 3.
Μύλη, *conceptus vitioſus.* 19

N

Natura an ſanguine menſtruo vtatur ad nutriendum vterum. 93
Naturam quæ excitent per ſenſum auditus 172. *per ſenſum odoratus* 171. 172. *per ſenſum tactus.* 171
Naturam quæ excitant, trium eſſe generum. ibidem
Naturale quod eſt, vbicunque idem. 91
Naturalia impedimenta etiam poſſe corrigi, iuxta Galenum. 98
C. Neronis ex vtero exitus qualis. 42
Neruorum opticorum origo. 131
Nocturnis pollutionibus qui laborent. 121
Nutrices quæ eligendæ. 60
Nutrices quomodo purgandæ. 62
Nutricum potus qualis eſſe debeat. 61
Nutrimenti vbertas cur fœtus formationem non poſſit deſtruere 20. *nutritionis modus* 2. *nympha* 141. *nymphæ cauſa* 142. *curatio ibid. excretio.* 3
Nymphea ſeminis vſus. 123

O

Obſtetricis munus 50. *ſagacitas. ibid. obſtetricum & medicorum vngues quales eſſe debeant* 48. *obſtetricum manus quales eſſe debeant ibid. Octimeſtris partus an debeat vocari aborſus* 29.30. *cur non legitimus ibid. de octimeſtri partu liber cuius ſit* 39. *octimeſtres partus cur in Ægypto & Hiſpania vitales* 30. *Oculos vteri vlceribus compati* 131. *Odor grauidis qui inimicus* 28. *odores boni quomodo præfocationes faciant* 168. *odores praui cur naturæ noſtræ aduerſiſſimi.* ibid.
Odoribus prauis cur mulieres excitentur. ibi.

Odoramenta cur maximè noceant in vteri præfocationibus. 167
Oedemata cur rarò in vtero fiant. 146
Omaſus. 74
Opiatorum vſus. 132
Os vteri cur à meretricibus conſtringatur. 144
Oris vteri claudendi ratio. 147
Oues quædam in Ponto an lac nigrum faciant. 60
Oua ſubuentanea. 21
Ouipara etiam concipere abſque maris concurſu. ibid.

P

PAnis fabaceus an poſſit conuenire ad generandum lac. 61
Pariendi difficultas nullo auxilio euitari poteſt. 50
Pariendi tempus, qui menſes. 29
Pariendi varia tempora à natura data. ibid.
Parituram qualem veteres medici præceperint. 43
in Parotidibus curandis quæ curatio adhibenda 81. *quod præceptum Galenus dederit.* ibid
Partus difficilis. 2
Partus difficilis quando fiat. 45
Partus etiam fit naturalis ob alimenti defectum. 34
Partus naturalis multis de cauſis vitiatur. 39
Partus non debita tempora quæ. 29
Partus octimeſtris cur nequaquam dici debeat aborſus 30. *non vitalis.* 29
Partus qui non fit debito tempore. ibid.
Partus vitioſus. 39. 44
Partus difficilis cauſæ 44. *curatio* 47. *prognoſtica* 46. *ſigna.* ibid.
Partus difficultas vnde naſcatur. 44. 45. & ſeqq.
Partus difficultate cur cætera animalia non laborent. 44
Partus figura quæ facilior. 41
Partus figurarum vitioſarum ſigna. 42
Partus humani verus terminus. 23
Partus læſio. 2
Partus naturalis conditio. 44
Partus vitioſi cauſæ 41. *curatio* 49. 43. *ad quos pertineat* ib. *in quibus reb. poſita* 43.
Partus vitioſi prognoſtica. 42
Partui vitioſo quomodo ſubueniendum. 43
Partum facilitantia. 48. & ſeqq.
ad Partum naturalem quæ conditiones requirantur. 39
Partum prouocantia. 48
in Partu hominem maximè laborare. 44
in Partu quæ vitia contingant. 29
Partus vitioſus quis. 41
Papaueris ſeminis vſus. 61
Paſſiones animi ſterilitatem inducunt. 9
Pauli definitionis exploſio. 165
Pauli & Galeni de ſanguinis mittendi tempore conciliatio. 100.101
Pedemontani errores. 76
in Pedes quæ naſcuntur cur minùs periclitentur. 42
ad Pedum tumorem. 28
Peſſaria medicamenta. 16
Peſſi forma. 104
Peſſi qui Paulo. ibid.
Peſſorum etymon. ibid.
Peſſorum vſus. ibid.
Phiſtus philoſophus. 26
Phthiſicos frequenter pollutionibus nocturnis tentari. 121
Phlebotomia in cubito cur noceat. 99
Pici Mirandulæ declaratio 92. *error.* 30
Pili malum. 75. 76
Pilorum in mammis generatio. ibid.
Pinguia corpora cur infœcunda. 121
Piſces & aues cur teſtes intra corpus habeant. 159
Piſcium ſalitorum capitum vſus. 61. 62
Piſcium ſalitorum ſuffumigia. 51
Piſcium ſitus qualis. 39. 40
Piſcium vterus anguſtiſſimus. 40
Πηθύα. 74
Pituitæ euacuatio. 134
Planta in qua terra non gignatur aut alatur. 7
in Plenitudine ſumma ſanguis mittendus à partibus inferioribus. 100
Plinij locus de menſtruis. 92
Plutarchi de mola ſententia cur facilè explodatur. 21. 22.
Pluuiæ quomodò fiant. 92
Πνὶξ ὑστερικὴ. 164
Pollutio nocturna cur homines magis quàm coitus

coitus perturbet. 116
Pollutiones nocturnas mulieres æquè patiuntur atque viri. 118
Polybi de menſtruorum generatione ſententia 87. multis abſurdis referta. ibid.
Populea M. Aggrippæ filia 27. eius reſponſio faceta. ibid.
Porritanæ aquæ. 129
Poſtuerda dea partus non naturalis. 41
Potionis componendæ modus. 103. 104
Præfocatæ à mortuis quomodo diſtinguantur. 169
Præfocatæ quomodo ſine pulſu & reſpiratione. 170
Præfocatio cur à ſiccitate fiat. 167
Præfocatio vteri quomodo definienda. 165
Præfocationis cauſæ 166. declinantis ſigna. 170. futuræ ſigna 169. præſentis ſigna ibid. prognoſtica. 170
Præfocatis ſubueniendi ratio. 172
Præfocationis vteri curatio duplex. 171
Præfocationem quid faciat. 166. & ſeqq.
Præfocationes cur ex inanitione fiant. 166
Præfocationes quomodo ab aliis affectibus diſtinguantur. 168. 169
Præfocationibus qui affectus ſimiles. ibid.
Prægnantiũ & molam geſtantiũ diſcrimẽ. 23
Priapiſci. 104
Priapiſmus quid. 133
Priapiſmi cauſæ 133. curatio 134. prognoſtica 133. ſigna. ibid.
Promethus medicus antiquus. 111
Propaginis noſtræ deſtructio. 3
Proſa dea. 41
Proſa dea partus naturalis. ibid.
Prouidentiam diuini artificis qua in re Galenus mirificè extollat. 41
Pruritus matricis curatio. 134
Ptiſana ex milio mirificè exſiccat. 129
Puellæ quo tẽpore diligentiſſimè cuſtodiendæ. 138
Puellis immaturis non nubendum. 18
Pueri cur lacte delectentur. 56
Pueri omnes ſunt nani. 44. 45
Pueros quomodo in vtero fixos eſſe M. Varro ſcribat. 39. 40
Pueros ſæpè affici ex lactis boni abũdãtia. 65
Puerperarum conſeruatio 162
Puerperium. 94
Pulſus in hectica febri qualis. 73
ſine Pulſu animal ſanguineum viuere non poteſt. 170
Purgantia medicamenta auocant ſanguinis impetum à mammis. 71
Purgationis vſus. 67
de Purgationis menſtruorum tempore auctorum diuerſitas. 93
Purgationes menſtruas quæ animalia habeãt. 90
Purgationes muliebres quot diebus fiant. 93
Purgationes vitioſæ quæ. 94
Purgationum diuerſa quantitas. 93. 94
Purgationum in ſanis mulieribus conſideratio. 93
Purgationum qualitas in quibus rebus collocata 94. quantitas. 93. 94
à Purgationibus quãdo mulieri abſtinẽdũ. 71
QVadrupedum ſitus cur extenſus. 39. 40
Quies immodica cur ſterilitatem inducat. 9
REginæ cuiuſdã cauda inſtar digiti. 142
Repercutientia valida quæ. 81
Retentricis facultatis vitiatio. 107
Romanas mulieres quomodo ſæpè menſes corruperint, & ſteriles euaſerint. ibid.
Ruffus Epheſius medicus. 141
Ῥοῦς γυναικεῖος. 126
Ruſticæ mulieres cur vrbanis ſteriliores. 9
Rutæ vſus. 140
SAbinæ efficacia. 48
Societas muliebris. 10
Salſa cur moderatè adhibenda. 62
Salſarum rerum frequens vſus grauidis aduerſiſſimus. 18
Sanguis acris quibus modis fiat. 106. ſanguis aqueus quomodo fiat. ib. ſanguis fluxilis ob aquoſitatem quomodo præparãdus 111. ſãguis lacte calidior 55. ſanguis mẽſtruus cur tot prauos effectus edat 89. 90. ſãguis mẽſtruus quomodo vitioſus reddatur ibid. ſanguis menſtruus ſuapte natura benignus 89. ſanguis multus an poſſit menſtruorum retentionẽ efficere 96. ſãguis optimus omnis odoris expers 94. ſanguis qui lactis defectũ inducat 58. ſanguis quo ſyrupo præparandus. 110. ſanguis quib. mẽſib. mittẽdus ſit grauidis 38. ſãguis quomodo bonus euadat.
Sanguinis ad mamas trahendi ratio 64. ſanguinis

guinis attrahendi tempus 101.ſanguinis coctio in mammis quomodo fiat 55. ſanguinis copia quæ ad menſes prouocãdos mitti debet, quomodo à Paulo definita 100. quomodo mittenda ibid. ſanguinis diminutio ex cauſa interna 58. ſanguinis fibræ 76. ſanguinis immodici fluxus character 106. sãguinis in lac tranſmutandi ratio 56.57. ſanguinis in mãmis copia vnde 66. multiplicati ratio 79. sãguinis mẽſtrui & ſeminis diſcrimẽ 86.87. ſanguinis miſſio quale remedium 115. ſanguinis miſſio quibus conueniat 99. ſanguinis miſſionis locus ib. ſanguinis mittendi modus duplex 101. circa ſanguinis mittẽdi tempus in mẽſium ſuppreſſione, magna inter Galenum & Paulum cõtradictio 100.101. ſanguis paucitas vnde 96. ſanguinis qualitates quomodo cognoſcendæ 108. ſanguinis vaſorum fabricatio 17. ſanguinis vitiatio. 70

Sanguini menſtruo eadem contingere, quæ digeſtioni venarum. 107

Sanguinem ad mammas quæ trahant. 64

Sanguinem menſtruum etiam ſemen poſſe appellari. 86

in Sanguine immodicè fluente qui ſcopus tangendus. 110

in Sanguine menſtruali quæ inueniantur. 54

ad Sanitatẽ tuendã quæ maximè cõducãt. 65

Saphena magis vterum refrigerare ſolet. 16

Saphena quando ſicanda. 153

Saphenæ ſectionis vſus. 67

à Saphena cur nunquam in grauidis ſanguis ſit mittendus. 38

Satyriaſis quid Aëtio. 136

Scarificandi veterum modus. 1e1. 102

Scarificatio crurum ſoluit plenitudinem. 100

per Scarificationem crurum ſi plenitudo diminuitur, cur non etiam poteſt minui plenitudo per ſectionem tali? ibid.

Scirrhus duplex 155. Scirrhus legitimus ibid.

Σκίῤῥος *quid 152. quomodo fiat.* 146

Scirrhus ſpurius 155. ſcirrhus vteri ibid. ſcirrhus vteri frequentiſſime in hydropem vteri finitur 152. Scirrhus vnde. 152. 155

Scirrhi & ſcirrhoſis differentia 155. ſcirrhi malè curati in cancros deſinunt. 156. 157. ſcirrhi vteri cauſæ 156. generatio 155. prognoſtica 156. ſigna. ibid.

Scirrhorum natura. 156

Scorta cur infœcunda 9. ſcorta cur minùs concipiant. 18

Sectio inferiorũ partiũ cur sẽper cõueniat. 100

Secundina vnde fiat. 35

Secundinæ eductio. 51. 52

Semẽ an venenoſum euadat 65. ſemen benignius menſtruo ſanguine 170. ſemen frigidum quomodo fiat calidum 56. in aqua ad conceptum efficax conſeruari abſurdum 4. in mulieribus corruptum fit deterius 171. in teſtibus album fieri cur quidã putẽt. 122

Semen muliebre quale 118.119. ſemẽ mulieris qui nõ cognouerint 7. ſemẽ natura ſpumoſum 4.5. ſemen quando nimis calidum fiat. 121

Semẽ tale eſt, qualis eſt corporis tẽperatura. 11

ad Seminis copiã extinguendam quæ conferãt 125. ſeminis corruptio vnde contingat. 89

Seminis exitum quæ iuuent. 124

Seminis proiecti in balneo efficacia. 4

Semen quæ extinguant. 125

ex Semine grauior præfocatio quàm ex menſtruis 170. in ſemine retento ſanguis non emittendus. 173

Senectus vnde comparetur. 12

Septentrionalium mulierum ſterilitas vnde. 9

Serum in lienis affectibus fugiendum. 129

Signum deſiderati cur potius in vna parte, quàm in alia remaneat. 26

Situs in vtero prognoſtica. 162

Solida animalia ſterilia. 1o

Σπαργάνωσις. 65

Spermatis craſſeſcendi ratio. 36

Steriles cur minus ad ſenectutem properẽt. 12.

Steriliũ caro cur aſperior quã fœcundarũ. ibi.

Sterilitas curabilis ſit necne medico cogitandũ 13. cur impotentia 3.4. ſterilitas ex vlcerib. incurabilis 12. ſterilitas ferè ſemper à muliere oritur 11. ſterilitas in viro vna tãtùm ratione fit ibid. ſterilitas naturalis incurabilis 12. ſterilitas non minùs propter viros quàm mulieres contingit 4. ſterilitas omniũ morborum muliebrium curatu maximè neceſſaria 3. ſterilitas quatenus annexam habeat libidinem 10. quid 3.4. tantùm dicitur de iis quæ non concipiunt 5. ex immodico calore ſigna 10. in muliere cauſæ innumeræ 12. ob menſtruorum vitium curatio 16. prognoſtica 12. ſigna. 10.11

Sterilitatem curare medicos facit glorioſos &

diuâ

diuites 13. efficientia 6. 7.8.9.10.14. indicantia 10.11. mulierũ cognoſcendi ſigna. ib.
Sternutatio cur ſignum ſacrum 171. mulieri præfocatæ cur bona. ibid.
Στήρωσις. 5
Stoicorum de ſterilitatis cauſa opiniones. 5
Stomachus magis carnoſus quàm vterus. 15
Subſtantia quæ ſemen eſt, quas conditiones habeat. 122
Sues quatenus pingueſcant. 88
Suffocatio quomodo fiat. 168
Suffumigij ex vngula aſini vſus. 51
Suffumigiorum materia. 105
Sulphur vehementer ſiccat. 112
Suppoſitoria. 104
Syncope à præfocatione quomodo diſtinguatur. 169
Syrupi refrigerantes. 132
TEmporum conſtitutiones cur ad conceptum multùm præſtent. 8. 9
Tenues aptiores conceptui quàm craſſæ. 8
Terra quæ nihil producat. 6
Teſtium munus. 117
Theodorus Priſcianus. 3
Theodori Gazæ error. 75
Θρόμβωσις. 72
Trochiſcorum de myrrha vſus. 158
Trotula medicus. 26. 28
Tryphera Meſues ſemẽ mirificè incraſſat. 115
Turpitudinis ſymptoma. 86. 141
Τύρωσις. 72
VAſa aperta quæ maximè glutinent. 112
Vaſorum apertio diuerſimoda. 106
Venæ ſectio in cubito cur noceat 99. venæ ſectio partium inferiorum quæ præſtet 101. venæ ſectio quando abortũ faciat 32. venæ ſectio quibus conueniat 99. de venæ ſectione mulieris cur habẽda conſideratio 38. venæ hæmorrhoidales difficiliores curatu aliis. 113
Venas auferendi modi 113. 114. venas hæmorrhoidales claudendi vſus 113. venas ſæpe chirurgi fruſtra tundunt. 101
Venter putrefactorius. 54
Ventos magnopere ad conceptionem cõferre. 13
Veneris abominatio ſterilitatẽ conſequitur. 10
Veneris incendia quæ extinguant. 172
Vermium terræ vſus. 63
Vernũ tempus conceptui accommodatiſſimũ. 13
Veſicæ puerorum quando lapide tententur. 70
Viduæ cur ſteriles dici non poſſint. 4
Vigiliæ immodicæ menſes ſupprimunt. 95
Vinum quod nutrici inimicum 61. vinũ ſanguinis vehiculum ad mammas ibid. vinum Tracenicum 9. quatenus ſterilitatem faciat ib. ex vino lac generari, falſiſſimum, 61
Viperæ partus. 44
Viri caſtrati intellectus 119. viri cur celeriùs in vtero perficiantur 31. viri cur lac non producant 53. viri defectui ſubiecti. 138
Viri ebrioſi ſemen infœcundum reddunt. 10
Viri fluxu ſeminis laborantes immundi. 116
Virorum mammæ. 53
in Viris cur mẽſtrui ſanguinis fluxus nõ fit. 87
Virgæ ſubſtantia. 141. 142
B. Virginis conceptus. 4
Virgines cur furore vterino infeſtentur. 137
Virgines cur ſteriles dici non poſſint. 4
Virgines ex coitu fiunt libidinoſiores. 139
Virgines Mileſiæ quomodo curatæ. ibid.
Virginum menſtrua qualia. 93. 94
Virginitati quæ puellæ ſe dedere debeant. 18
Virginitatem quàm caſtitatem ſeruare cur facilius. 138
Vitæ humanæ conſeruatio. 3
Vitex cur agnus caſtus dicta. 124
Vitia quæ ſtatum vniuerſi vteri reſpiciunt. 85
Vlceris matricis locus affectus. 130
Vlcera in vtero qua ratione fiant. 108. 109
Vlcerum matricis cauſæ 130. curatio 132. differentiæ 130. prognoſtica. 131
Vlcera matricis quæ curabilia. 132
Vlcerum matricis ſigna. 131
Vlceribus mundandis quæ conueniant. 132
in Vmbilico maximus venarũ confluxus. 110
Vngues vnde fiant. 28
Voluptas vnde naſcatur. 116. 117. 122
contra Vomitum quæ conueniant. 28
Vopiſci qui Plinio 2
Vrinæ & menſium eadem prouocatio. 129. 130
Vrinam prouocantia idem facere quod coagulum in lacte. 73
Vrſa animal multa pituita impletum. 10
Vrſa lingua molã quam parit figurat. 19. 20
Vrſæ fœtus qualis. ibid.
Vrſi coagulũ 74. vrſi quatenus pingueſcãt. 88
Vterus ad extenſionẽ à natura fabricatus 33. vterus cur offendatur ab aceti vſu, & non ventriculus 15. 136. vterus cur ſanguine menſtruo nequaquam nutriatur 93. cur ſupra inteſtina poſitus 159. vterus eſt velut

ſentina

ſentina 90. vterus ex cicatrice ſemini retinendo fit ineptus 12.vterus in quibus facilè dimoueatur 161. vterus mulieris contrarius aliorum animalium vteris 20.vterus oblectationem ſeminis habet 145.vterus ouiparorum cur in anteriori parte poſitus 159. vterus prauorum humorum receptaculum 166. vterus quando mulieribus deſcendat 162. vterus qui ad concipiendum ineptus 6. 7.vterus qui conceptui aptus futurus eſt, quas conditiones habeat 7.vterus qui nihil concipiat 6.vterus quibus de cauſis vitietur 31. vterus quomodo ad locum proprium repellatur 163.vterus quomodo medicamentis ſit extendendus 33.vterus quomodo poſt quinquageſimum annum nutriatur 95. vterus ſi in partem ſit inclinatus, quid agendum 164.vterus ſi nulla arte reduci poſſit, quid agendum ibid. vterus tortuoſus quomodo fiat. 6

Vteri ad caput aſcendẽtis ſigna 161.vteri affectuũ genera 2.3.vteri anguſtia cur nõ poſit eſſe abort⁹ cauſa 33.vteri aſcẽſus 3.159. 160.vteri clauſura 143.vteri colli tortuoſitas vnde naſcatur 96.vteri corroborandi ratio 37.item exſiccandi ibid.vteri debilitas vnde 7. ex vteri debilitate ſi malum oriatur, vnde cognoſcendum 107. vteri deſcenſus 160. vteri deſcendentis ſigna 161.164.vteri diſtenſio 2.vteri & inteſtinorum flatus quomodo cognoſcatur 147. vteri exſiccatio 133.vteri euacuandi ratio 163. vteri hæmorrhoides 106. vteri hydrops 2. 148. vteri hydropis cauſæ 149. curatio 150.prognoſtica ib.ſigna 149.vteri inanitas 160.vteri inclinatio 159.vteri inclinationis ſigna 161.vteri inflammatio 151.vteri inflammationis cauſæ 151. curatio 152.& ſeqq. prognoſtica 152. ſigna ibid. vteri inflatio quid 146. vteri inflationis cauſæ 147. curatio 147. 148. prognoſtica 147. ſigna ibid. vteri in fœmina mutatio 159. vteri in magnitudine qui morbi appellentur 146.vteri inuerſio 160. vteri laborantis ſigna 80.vteri mala conformatio ſterilitatem producit 6. de vteri mala temperie 134. vteri mala ſæpè mulierem ad mortem deducunt 132. vteri morbi 2.vteri morbi in magnitudine cauſæ 146. de vteri morbis à ſolutione vnitatis 130. de vteri morbis in magnitudine 146. de vteri mutatione Platonis ſententia 158.eius refutatio 3.vteri oblæſio 6.officiũ 2. vteri omnis inflammatio periculoſa 152. vteri omnes aſcenſus quod ſymptoma habeant 161. vteri os quibus clauſum eſt, aut non concipiunt, aut moriuntur in partu 145. vteri ploratus 114.vteri præcipitationes facilè mulieres incurrere 161.vteri præfocatio 3.164. vteri præfocatio qualis affectus 165. vteri præfocatio quomodo à Moſchione definita ibid. vteri præfocationis curatio 171. & ſeq. cauſæ 166. definitio 165.prognoſtica 170.ſigna 168.169. vteri procidentia 3. 160.

Vteri procidentia quid mali habeat 162.vteri productio 160. vteri prolapſus ibid. ad vteri prolapſum quæ medicamenta adhibenda 163. vteri propria facultas 160. propria officia 2. item communia ibidem. vteri propria opera ibid. vteri πρόπτωσις 160. vteri ſitus in animalibus diuerſitas 159. vteri ſitus mutatio 159. prauiſſima 162.permutatio 3.morbi 158. vteri tenuitas quibus rationibus conceptum impediat 8.vteri tumores 7. vteri vaſa quibus mulieribus anguſta 95. 96.vteri vſus.2.

Vterum cur in fœmineo genere cuncta animalia habeant intra corpus 159.vterum in dorſo habentium qualis vterus ibid. vterum purgandi ratio 36. 37. vterum qua ratione animal Plato dixerit 3. vterum quæ medicamenta reſtituunt. 164

in Vtero an ſemper poſſit contineri aqua, vt continetur in veſiculis 149. vtero exſciſſo mulieres ſanas ſuperuixiſſe 164. vtero exſiccato cur cerebrum compatiatur 167. de vtero hominis Ariſtotelis ſententia quomodo intelligenda 159. in vtero hydrope laborante cur impoſſibile ſit conceptum fieri 7.in vtero hydropico quomodo conceptus fiat ibid.ex vtero morbos oriri propter immodicum fluxum 108. 109.in vtero quomodo lapis concreſcat. 140

Vultus pallorem quid conciliet. 67

Vulua animal conceptionis auidum. 138

FINIS.

DE
PVERORVM
MORBIS TRACTATVS
LOCVPLETISSIMI, VERA
doctrina referti, nec ſolùm Medicis,
verùm etiam Philoſophis ma-
gnopere vtiles.

Ex ore excellentiſsimi HIERONYMI MERCVRIALIS
Foroliuienſis, Medici clariſſimi, diligenter excepti,
atque in Libros tres digeſti, opera
Ioannis Groſceſij.

Addita ALEXANDRI TRALLIANI de Lumbricis Epiſtola,
cum eiuſdem Mercurialis verſione.

Eiuſdem de Venenis & Morbis venenoſis Libri II. ſeorſim editi.

Omnia quàm antè accuratiùs expreſſa; cum INDICE.

AMPLISSIMO SENATVI POSNANIENSI.

QVOTIES mihi veſtrorum in me beneficiorum redit memoria, Senatus ampliſſime; redit autem perſæpe, vt par eſt; toties non poſſum non maximè animo excitari, & cogitare rationes, quibus me eorum memorem eſſe comprobem. ſi namque ſua quidque magnitudine metiendum eſt, atque in beneficiis aduertendum, quo tempore, aut loco, & à quo, aut quibus de cauſis collocantur, ego eo ampliora accepi, quod à vobis Senatu grauiſſimo, nihil interea ſimile promeritus, diuerſis temporibus, opportunè admodum, multa & magna accepi. Neque enim vlla vtilitatis ſpe ducti, quidpiam in me collocauiſtis; neque aliqua de me opinio ad bene mihi faciendum excitare vos potuit, quòd à tenuitate mea ſperari nihil queat: ſed veſtra tantùm in bonas artes concitata propenſio, & quidam erga me amor, veluti fontes extitere, è quibus veſtra in me benefacta manarunt. Itaque quo maiora ſunt hæc omnia pluribus ornata conditionibus, eo magis contendam & enitar opus eſt, vt gratum me vel aliqua ſaltem ex parte cognoſcatis. Non ergo diutiùs differendum putaui data nunc mihi vobis gratificandi occaſiuncula, quin aliquod memoris erga vos animi argumentum darem. Clariſſimus præceptor meus Hieronymus Mercurialis, vir inter eos qui de arte medica noſtra hac tempeſtate bene ſunt promeriti, facilè princeps, cum multis hinc inde præclariſſimorum virorum literis ſollicitaretur, vt copiam ſuarum de puerorum morbis diſputationum faceret, quòd ſc. illæ eſſent eiuſmodi (vt tanti viri ſunt omnia) quæ multo in medicina vſui eſſe poſſent, plurima continentes ex variis grauiſſimorum veterum monumentis eruta, & maximo cum iudicio ſimul comportata, iuſtis amicorum petitionibus cupiens ſatisfacere, cùm tot exempla manu ſcribi non poſſent, quot petebantur, tandem ſecum ipſe ſtatuit, pro communi omnium vtilitate eas typis imprimendas dare. At quoniam nullum earum exemplar domi ſuæ habebat, quæ tantùm apud aliquos eius auditores ex ore ipſius, cùm olim publicè illas habuiſſet, exceptæ reperiebantur, ſciens me quoque fideliter deſcriptas habere, mihi id iniunxit negotij, vt meliorē in formā eas redigerem, reuiderem, & typis aptas facerem. Etſi verò iam in procinctu ad iter eram, quòd me optimus pater meus ad ſe reuocaret, lubēs tamen eius voluntati obtemperaui; & opus totum qua maxima potui diligentia ſæpiùs iterata lectione, à mendis omnib. quæ paſſim in celeri ſcriptione facilè occurrunt, perpurgaui, ſuprema etiam ipſius Auctoris manu adhibita. Perfecto ergo ſic operi, atque in lucem exeunti, nomen veſtrum, Senatus ampliſſ. præfigendum putaui, tum idcircò vt vos (qui antehac ſemper mihi defenſores fuiſtis) hac quoque in parte laboris mei protectores habeam, tum etiam vt dum optatiſſimus liber iſte varias in regiones feretur, veſtræ in honeſtas artes munificentiæ, & mei in vos grati animi luculentiſſimum per loca omnia ſimul euulget teſtimonium. Neque tamen inconuenit, tractationem De morbis puerorum, Senatui dicari: ſi enim mores animi corporis temperamenta ſequuntur, & à teneris vitia & virtutes imbibi queunt, atque ex puerorum iactura aliqua Rebuſpubl. detrimenta ingruunt, fortaſſe ad vos quoque pertinuerit, in veſtra quam ſuſtinetis Repub. prouidere, vt ne vlla circa pueros fiant errata. Suſcipite ergo læta fronte expectatiſſimi huius libri tutelam, & auctorem virum ſpectatiſſ. amplexamini; & bene valete. Datum pridie Kalend. Maij, M D L X X X I I I.

Amplitudini veſtræ maximè addictus *I. Groſceſius. P. & M. D.*

IN OPVS

DE MORBIS PVERORVM EPIGRAMMATION

FRANCISCI HVNNIDIANI TRANSILVANI.

Ecqua poli regio, trifidíve quis angulus orbis,
Quódve latus terræ laudum eſt immune tuarum
Mercurij facunde nepos? Iam gloria teſtes
Deſerit occaſus, alióque renaſcitur orbe.
Te Rhodani, Rhenique cohors, te Sarmatis Arctos,
Te Scytha, te Myſus, Dacique, Getæque loquuntur;
Certatímque tuum præſcribere pagina nomen
Ardet, & ingenij monimenta propagat in æuum;
Felix ſorte tua, & gratis tam diues alumnis.
En operum ſeries tota circumſona t Arcto.
Omnis te procerum cœtus, te purpura, & omnis
Bibliotheca petit. Vultu tibi ridet amico
Bellipotens populi paſtor; tibi panditur omnis
Regia. Seu natis, ſeu tu naſcentibus almam
Addis opem, te naſcentes natique ſalutem
Rite vocant; te ætas omnis, te ſexus vterque,
Conditióque colit; puer hinc, iuueníſque medelam,
Grandæuus quo viuat habet, quo germinet infans.
Tu regum ſceptris auliſque infeſta venena
Arte fugans, menſis innoxia pocula miſces;
Abſiſtunt trepidæ mortes, inuitáque Clotho
Fila trahit, Lacheſíſque dolet ſua penſa reuolui.
Sponte ſua ſæuæ priuigna venena nouercæ
Ebibit, impunè inuiſos non vlla clientes
Fraus perimit, paſcúntque ſuos aconita colonos.
O hominum vitæ, ô communi nate ſaluti.
Non ſic clara ſuum iactauit Piſa Tonantem,
Illuſtréſve ſuo Rhodos aurea ſole coloſſos.
Talis Apollinea proſtratus gymnade Python
Pœna renaſcentum exutus vitáque ſolóque,
Matris onus pulſauit humum. ſic Herculis Hydra,
Hydra feræ Iunonis honos, face, cuſpide, claua,
Concidit, & matrem maculauit ſanguine Lernam.
Ergo beata viris Poſnania, ſancta Senatu,
Excipe Phœbæi tam nobile munus alumni;
Te geminæ decorant claues inſignia clara;
Panditur iis via virtutum, nunc tertia clauis,
Qua vitæ reſeratur iter, quæ ſecla recludit,
Acceſſit, Gaudete patres, queis dulcia curæ
Pignora; vos opus hoc pueri creſcente iuuenta
Nocturna verſate manu, verſate diurna.
Veſtra ſalus agitur primæuo in limine vitæ;
Hinc ſenium, hinc ſeri canos ſperate nepotes.

PATAVII.

HIERONYMI MERCVRIALIS DE MORBIS PVERORVM

LIBER PRIMVS.

Qui, & quot ſint morbi pueriles, & an ſit curandi à Medico.

CAPVT PRIMVM.

QVOD Hippocrates tertio Aphoriſm. memoriæ prodidit, omnes morbos omni ætate fieri,ſed alios in vna magis,alios minus, id etiã experientia & ratione quotidie comprobatum habetur. Siquidem videre eſt omnes & ſenes,& pueros aliquibus tanquam peculiaribus morbis vexari. Quare non immeritò miratus ſum aliquando diuinum Platonem, qui in Charmide ſcriptũ reliquit,omnes morbos in homine oriri ab animo. Vix enim in hanc lucem prodimus, vix naſcimur, nedum animo potimur,cùm exitialibus ſtatim morbis tentamur; vt,quemadmodum eſt apud Ariſtotelem,& Plutarchum, iure veteres tam Græci, quàm Romani ante octauam diem pueris nomina imponenda noluerint; quod ſcilicet hoc tempore neque vita, neque ſanitas ſit tuta. Itaque de his morbis,qui penè natum & adhuc tenerum, nec adultum hominem iugulant, ſtatui hoc tempore copioſiſſimam tractationem habere: & ad eam impulſus ſum, eò quod non ſolum huiuſmodi morbi frequenter & medicos & miſeros parentes exercent; verum etiam quòd hæc pars ita ieiunè,vt nõ dicã imprudenter,à medicis tractata eſt, & à multis hoc tempore frigidè admodum exercetur,vt liceat plura puerorum funera,quàm corpora ad ſanitatem redacta adſpicere. Tria tamen præmittenda eſſe puto, vt ſint veluti quidã apparatus ad maiora penetranda,& primum illud erit. Numquid puerorum morbi ſint à medicis tractandi,& curandi? non deſunt enim,qui eos minimè curãdos,ſed naturæ ſubmittendos iudicant. Aliud erit, cur pueri, & præſertim lactentes tam variis morbis ſollicitentur?Tertium,qui propriè ſint eorum morbi, & quot? Et, vt primum aggrediar, varias inuenio veterum ſentẽtias in partienda vitæ noſtræ ætate, ſiue ipſa ad centeſimum annum prorogetur,vt fuit opinio Ægyptiorum,& Varronis;ſiue eadem vltra ſeptuageſimum nõ protrahatur,vt Dauidicum oraculum cecinit,non eſt tempus,neque occaſio decernendi.Quidam in quatuor partes diuiſerunt ætatem; in pueritiam, iuuentutem, virilitatem, & ſenectutem. Hippocr.3. Aphor.plures feciſſe videtur,nec defuerũt qui quinque,aut ſex fecerunt.Sed vt ad ea,quæ magis referunt,properemus;ſat eſt nobis hoc conſtituere,pueritiæ ætatem vſque ad ſecundum ſeptenarium definiri. licèt enim Ariſtot.conſtituiſſe videatur,

hominem primo ſeptenario perfici, verumtamen potior mihi ſemper viſa eſt & Heraclidis,& Stoicorum ſententia,qui ſecundo ſeptenario eùm perfectū eſſe prodiderunt,eò quòd ſicuti plantæ tum perfectæ dicuntur,cùm primùm fructus ferre incipiunt; ſic eo tempore perfectus homo appellandus, cum ſemen ferre,& ſpeciem propagare poſſe inchoat. Itaque cum puerilis ætas, de cuius morbis ſum tractaturus,hoc termino annorum finiatur,videndum eſt quæ ſit hominum cum hac ætate conditio: ita namque iudicare poterimus, num pueri laborantes à medico ſint tractandi. Eſſe homines in hac ætate calidos, & humidos,non modò Hippocrates manifeſtè docuit, verumetiam Gal.2. de temper. cap.2. luculentiſſimè, & copioſiſſimè probauit; propter quod Ariſt.quoque 10.ſect.problematū,problem. 45.ſolebat dicere,pueros cum calidi,& humidi ſint,minimè vini,aut potus amantes eſſe. Cum igitur corpora calida, & humida omnium maximè corruptionibus & putredini ſint obnoxia,quis negare poteſt pueros, quantum ad corporis naturam pertinet,morboſiſſimos eſſe? Quod ſi etiam animum ipſorum conſideremus, viuit homo in hac ætate cupiditatib. & libidinibus totus deditus, vt hac ratione innumera quotidie errata ab eo committantur, quod magnus Ariſt. in principio libri Ethic. ad Eudemum dicebat: puerorum ætatem vſque adeò & doloribus & morbis eſſe circumſeptam, vt nemo cupiat ad pueritiam reuerti. Quare cum hæc ætas ita morbida,& in ſummo periculo conſtituta ſit,nō ſolum congruum, verum etiam neceſſarium videtur,vt medicorum cura & ſtudio à tot morbis & periculis vindicetur. Ex altera parte non deſunt rationes, quæ perſuadere poſſunt, pueros medicina tractandos non eſſe. Et in primis illud facere videtur, quod Ægyptios, apud quos omnia plena eſſe medicis dicebat Herodotus, cùm omnium corporis noſtri partium, omnium penè hominum medicos priuatos haberent, puerorum medicis caruiſſe conſtat. Accedit, quòd ſi veterum monumenta & Græcorum & Latinorum perſcrutemur,non facilè inueniemus aut ab Hippocrate,aut à Galeno, aut ab aliis ſcriptoribus Græcis hanc puerorum medicinam diligenter, quemadmodum deceret, pertractatam. Accedit his, quòd,vt dicebat Plato primo de Republica, puer omni beſtia intractabilior eſt: ob quod neque remedia admittere, neque regulam aut rationem vllam ſeruare aptus eſt; quaſi ſupèruacanea futura ſit omnis medici opera,quæ curandis pueris impenditur. Illud quoque adiici poteſt, ipſorum corpora tenerrima eſſe, & propterea difficulter admodum medicinas, inedias, ferrum, ignem perferre poſſe: quibus rationibus nonnulli impulſi exiſtimarunt eos ipſi Naturæ relinquendos. Sed quemadmodum illi longè falluntur, ſic exiſtimandum quoque eſt Naturam & Deum, qui hanc ætatem morbis laborare voluerunt, pariter etiam voluiſſe, vt remediis à medicina inuentis curarentur atque liberarentur. Quamquam non eſt dubitandum quin hæc alia dexteritate & prudentia ſit tractanda, quàm cætera ætates. Namque eò magis pueri morbo affecti medici vigilantia egere videntur, quòd cetera bruta, vt dicebat Ariſt.10. problem.45. in hanc lucem & perfecta & omnibus rebus neceſſariis inſtructa exeunt; homo autem inermis, imperfectus, ex alieno nutu & auxilio dependens actutum miſerias humanas experiri incipit,nec ſeruari poſſe videtur,niſi alterius beneficio. Cum itaque iam conſtitutum ſit eos hallucinari, qui pueros ægrotantes nequaquam medicandos voluerunt, deſcendendum eſt ad ſecundum problema, quo quærebatur quæ cauſſa ſit, quòd tam variis morbis afficiantur. Quinque ſanè huius effectus inueniuntur cauſſæ ex Hippocrate libro De octimeſtri fœtu. Vna eſt labor, quem in exitu ſuſtinent; cum enim per anguſtum meatum in hanc lucem exeant, maximos labores perferunt, & conſequenter corpus ipſorum imbecillum & morbis obnoxium redditur. Secunda eſt abſciſſio vmbicili

vmbilici propter partum; ob hunc enim & dolores & inflammationes multas incurrunt. Tertia eſt inaſſuetudo huius aëris; cum enim in vtero viuant in ſummo tepore & trãquillitate, quum primum hunc frigidum aërem experiuntur, magnopere læduntur; & hinc eſt, vt dicebat Soranus Epheſius cap.2.ſuæ Iſagoges, quòd ſtatim ac nati ſunt pueri, vagire & plorare incipiunt; vt iure dixerit Plinius, homines vitam à fletu, & à ſuppliciis inchoare. Quarta eſt diuerſitas nutrimenti; pueri enim, qui in vtero materno ſanguine puriſsimo aluntur, vbi in hunc mundum veniunt, cùm lacte, & cibis veſcantur, nutrimenti diuerſitate fit, vt morbis variis & multis tententur. Poſtrema ratio eſt, quòd infantes in vtero molliter cubant, atque in molliſſimo loco collocati ſunt; huc dum veniunt cum in ſtratis & duriôribus culcitris ponàntur, iure fit, vt corpora ipſorum aſperius tractata, morbis pluribus diſpoſita fiant; ita vt inde iam ſatis pateat ſecundum problema. Supereſt vt videamus qui ſint morbi illi, & quot, à quibus pueri maximè cruciantur, & circa quos tractatio noſtra tota eſſe debet. Sunt enim morbi pueriles non illi ſoli, qui pueros, & nullos alios exercent, ſed illi etiam, qui & ſolos eos exercent; vt labores dentitionis, & frequentiſſimè turbant; vt Variolæ, & alia: tum etiam Morbilli, qui licet exerceant alias ætates, diuerſo tamen quodam modo exercere pueros & cruciari debere videntur, cuiuſmodi exiſtit epilepſia, & multi alij. Iam verò morbi hi pueriles alij ſunt externi, alij interni. Eſt enim antiqua conſuetudo etiam ab Hippocrate libro de arte & veteri medicina inuenta, vt morbi diuidantur in externos & internos. Externi alij ſunt, qui vniuerſum corpus occupantes, aut fiunt ex additione, aut imminutione. Scimus enim Hippocratem in libro de flatibus definiuiſſe medicinam nihil aliud eſſe, quàm additionem, & imminutionem. Ex additione fiunt Morbilli, Variolæ, Acrochordones; & vt vno verbo dicam, omnes puſtulæ, omnia exanthemata, quæ in toto corpore effloreſcunt. Ex inanitione autem fit macies. Morbi verò qui occupant partes aliquas priuatas, vel occupant caput, vel aliquam aliam inferiorem partem. Caput occupat primò pedicularis morbus, quem dicebat Ariſt. primo probl. 16. ferè huius ætatis proprium eſſe. Adhæc hydrocephalus ſeu aqua capitis, achores, meliceridès, faui, inflatio capitis, magnitudo capitis, varij affectus oculorum, ſtrumæ, ſciſſuræ labiorum, vmbilici augmentum, ramex, anus procidens, intertrigines femorum, quas Plinius attrita appellauit, perniones. Tot enim ſunt morbi, qui externas puerorum partes perturbant. Porrò interni, qui totum corpus exercent, ſunt febres variæ, quæ recenſentur quoque inter pueriles morbos, quòd in pueris ſecus curandæ ſint, quàm in adultioribus. Qui verò priuatas corporis partes exercent, aut fiunt in ſummo ventre, aut in medio, aut in infimo. Notum enim eſt medicos pleroſque corpus noſtrum in tres cauitates diuiſiſſe, in caput, thoracem, & ventrem. Morbi, qui caput exercent, ſunt inflationes eius, inſomnia terribilia, reſolutiones, ſiriaſis, conuulſiones, vigiliæ oculorum; quemadmodum de nyctalopia ſcribit Hipp. 2. proret. & aurium affectus; adhæc ſternutationes, ſanguinis nariũ fluxus; Coryzam etiam Ariſt. recenſet inter morbos puriles problem. 15. dentium affectus, oris vlcera, ſeu aphthæ, ranulæ, tonſillæ. Medij ventris affectus ſunt tuſſis, & difficultates anhelitus; de quibus, veluti de morbis puerilibus loquutus eſt Hippocrates libro De ſacro morbo. Poſtremò morbi infimi ventris ſunt ſingultus, vomitus, aluus dura, & fluxa, tormina, lumbricorum genera, calculus, mictio vitiata & teneſmus. Hi ſunt omnes, quos inuenio pueriles vocari, vel quia, quemadmodum dicebam, ſolos pueros exercent, vt vitia à dentitione orientia; vel quia frequentiſſimè, vel alio pacto exercent eos, & alio pacto tractandi ſunt, quàm in aliis ætatibus. De his autem maxima ex parte agam. Dico maxima ex parte; quandoquidem iam

nõnulli horum à me copioſè ita & diligenter tractati ſunt, vt nihil habeam quod hoc tempore addere poſſim. Ordo autem à me tractandorum mihi familiariſſimus is quoque hic erit, vt ſcilicet prius vniuerſum morbum, quoad nomẽ, deſcribã, poſt morbum ipſum definiam; deinde cauſſas, mox effectus horum, qui ſunt ſigna, declarabo, ſubinde prognoſtica addam; poſtremò nullam partem curationis relinquere conabor, incipiens ab iis, qui primò ſunt enumerati, id eſt, à morbis externis totius corporis, qui ſunt exanthemata, ſeu Variolæ, & Morbilli.

De Morbillis & Variolis.

CAPVT II.

OMNES humorum eruptiones, quæ fiunt in cute, inuenio apud Medicos vocatas eſſe communi nomine ἐξανθήματα, ſeu ἐνθύματα: poſſumus nos transferre effloreſcentias. Nam quemadmodum arbores extuberant, dum flores & fructus emittere volunt; ſic vbi natura ad cutim tamquam ad cloacam propellere humores nititur, modò tubercula, modò ſolas maculas facit: quæ tamen omnia, vt dicebam, exanthemata vocata ſunt. Ariſt. qui ſemel tantùm vſus eſt hac voce 3. De hiſt. animal. 11. attribuit hoc nomẽ vitiligini, quæ proculdubio ſine tuberculo macula eſt. Latini veteres ad imitationem Græcorum appellarunt omnia exanthemata papulas; & vt ego inuenio, primus qui dedit hoc nomen exanthematibus, fuit Virgilius in fine 3. Georgicorum, vbi loquitur de peſte; poſtea Plinius pleriſque in locis. Fuit etiã Scribonius Largus medicus inter Latinos non ignobilis: poſt hunc Marcellus medicus, & alij. Iã vero papulas, ſeu exanthemata in corporibus puerorũ apparentia medici Arabes, & præſertim Auic. appellarunt Variolas & Morbillos, Alzarauius medicus grauiſſimus inter omnes vocauit ſua lingua Algigram, & Alaſmon. Vnus Raſes in libro huic morbo dicato appellauit communi quodã nomine peſtem, ea ratione, vt ego exiſtimo, quia cum primum hic morbus cœpit apparere, inſtar peſtis orbem peruagatus & depopulatus eſt: propter quod etiam Auic. & iure, in prima quarti, poſt tractatum De peſte tractare voluit de Morbillis, & Variolis. Veteres Græci & Latini nullum nomen habuerũt quo Variolas, & Morbillos appellarent: & huius rei ratio eſt, quia, vt copioſiſſimè demonſtrabo ſuo loco, hic morbus apud veteres numquam viſus eſt. Sunt ergo Variolæ exanthemata, ſeu tubercula in toto corpore omnium hominum, & præſertim puerorum, ſponte efflorefcentia cum febre, dolore, pruritu, & ichore purulento: lõga vtor deſcriptione huius morbi, quia ad declarandum morbum nouum, neceſſariũ eſt & longa & perſpicua deſcriptione ceu pictura vti. Dixi, exanthemata, ſeu tubercula; quandoquidẽ hoc nomen multis cõmune eſt, & Hipp. 3. Aphor. illud inter pueriles morbos connumerat, ita quòd aptiſſimè tamquam genus accommodatur ad explicandam Variolarum naturã. Dixi, exanthemata in toto corpore efflorefcentia; quandoquidem etſi non ſemper hic morbus vniuerſum corpus depaſcatur, attamen plerũque totũ turbat, aut ſaltem turbare aptus eſt. Quod ſi vna vel alia parte tantùm appareat interdum, id quodam caſu potius fit, quàm ex eius natura; quò fit, vt tametſi dicantur Variolæ propter ſimilitudinem, quam gerunt cum varis, qui Coſſi dicuntur Italica lingua, attamen nequaquã veri ſint vari; eo quòd, vt habetur apud Ariſt. 36. partic. problem. 3. vari naſcuntur tantum in facie, Variolæ in toto corpore oriuntur. Addidi, ſponte; ad differẽtiam multorum tuberculorũ, quæ ſolent in humanis corporibus apparere cum cauſſa manifeſta. Nam grauiſſimus auctor Theophraſtus in l. de ſudoribus ſcribit, ex laboribus & ſudoribus fieri in corporibus noſtris eruptiones

nes

nes ſeu exanthemata magnopere varis ſimilia, quæ tamen non ſunt Variolæ, quia non fiunt ſponte,ſed à cauſſa manifeſta,videlicet à labore. Quo fit, vt liceat nobis colligere puſtulas illas,quas Celſus commemorat lib.5.cap.28.licet ſint varis ſimiles,minimè tamen Variolas eſſe putandas,eò quod, vt idem auctor ſcribit,illæ puſtulæ fiunt vel ab igne,vel à frigore,vel à medicamentis. Dixi,omnium hominum; propterea quòd inter proprietates huius morbi,hæc omnium maximè illuſtris eſt, quod omnes homines hac labe aliquando tentãtur.Dicebat Auenzoar cap.vlt.ſuæ medicinæ,miraculum eſſe, ſi aliquis homo viuens euadat ab hoc morbo, & potius Dei beneficio adſcribendũ eſſe,quàm alteri cauſſæ. Immo vero ſunt aliqui,qui hãc ſententiam habuerunt,eos,qui numquam tentantur Variolis,ſi ſuperuiuant,neceſſario fieri leproſos.Dixi,prꝍſertim puerorum,eo quòd rariſſimè iuuenes, rarius ſenes tentantur Variolis, frequentiſſimè omnium pueri. Non defuerunt qui opinati ſunt etiam bruta aliqua tentari hac ægritudine : ſed ſum ego huius ſententiæ,propter cauſſas,quas ſuo loco dicam,hunc morbum ſolum eſſe humanum:fateor quidem ſues inter bruta duobus ſimilibus morbis tentari,quorum vnus eſt ſcabies,ſeu lepra,propter quam dicit Plutarchus 4.Sympoſiacorum 5.Hebræos religione quadam ductos à carne huius animalis abſtinere: alter etiam eſt, qui χάλαζα à Græcis dicitur,à Latinis grando,de quo loquitur Ariſtot.8.de hiſt.anim.21.& 30.problem. 4.quem morbum dicit Philoſophus cognoſci lingua.& hic notandum obiter in loco illo problematum vocem Græcã ἄρτος, & lecturã Theodori, panis,falſam eſſe, & in Græco ſubſtituendum eſſe ἴονθος,in Latino autem varus.Albertus Magnus 7. De animalibus 2.putans eundem eſſe morbum,& grandinem,& lepram,vehementer hallucinatus eſt.Dixi,cum febre ; quia non ſolum febris perpetuo Variolas aut antecedit,aut comitatur,ſed etiam,vt dicebat Auenzoar,eſt impetuoſa,vel,vt dicit Auic.concluſa:de qua ſuo loco.Dixi,cum dolore & pruritu;quia non ſolum miſeri ægrotantes dolore & pruritu vexantur,ſed etiam vterque interdum eos acerbiſſimè vexat,vt vix tolerari poſſit:propter quod facilè intelligere poſſumus papulas illas latas, de quibus Hippocr. loquitur 6.aphor.9.& 6.epid.ſect.2.in hiſtoria Simonis, nequaquam Variolas fuiſſe, quia præter alias differentias, hanc vnam habuerunt, quòd non admodum pruriginoſæ fuerunt. Dixi poſtremo,cum ichore purulento; eo quòd etſi interdum variis & diuerſis coloribus inficiantur, tamen ſemper ab illis manat quidam tabus, qui ichor purulentus magis , quàm verum pus appellari debet. Vnde iudicare etiam poſſumus papulas illas rotundas paruas, quas ſcribit Hippocr.3. in primum epid.in Sileno apparuiſſe,etſi ſimiles varis eſſent,non fuiſſe Variolas ; quod ſcribat eas in abſceſſum nequaquam finiiſſe, cum Variolæ ſemper in ichorem purulentum,ſeu in abſceſſus aliquos finiant. Iam verò morbilli ſunt & ipſi exanthemata ſeu efflorefcentiæ quædam,quæ fiunt in toto corpore,præſertim in pueris:veruntamẽ,vt præclariſſimè docet Auic.etſi Variolæ,& Morbilli in multis conueniant ; differunt tamen in multis : conueniunt enim primum in materia communi,de qua ſuo loco copioſiſſimè dicam : conueniunt etiam,quia vtrique & Variolæ,& morbilli fiunt cum febre vehemẽti. Præterea, quia per vniuerſum corpus propagantur cum aliqua cutis eleuatione : conueniũt etiam,quia & cum pruritu,& dolore fiunt tam Variolæ quàm morbilli, quos vulgus Italorum conſueuit appellare modo coſſos , modo ſturolas. Porrò differunt etiam in multis : primò, quia Variolæ ſunt tubercula multum eleuata ; in morbillis verò vix apparet cutis eleuatio , ita vt niſi manibus tractentur , non poſſint diiudicari. Secundò , quia materia proxima ipſorum Morbillorum multò ſiccior ſubtiliórque eſt , quàm materia Variolarum. Tertiò , quia Variolæ videntur propria quadam natura oculos petere : Morbilli verò multo minus eos affligere conſueuerunt. Poſtremo

de morbillis

differunt, quòd Variolæ ferè ſemper in abſceſſus finiũtur cur emanatione ichoris purulenti;propter quod non ſolùm pluribus diebus perdurare ſolent, ſed etiã incredibiliter corpora deturpãt , veſtigia indelebilia relinquunt:Morbilli autem vix vmquam ſeptimum diem pertranſeunt,quin aut euaneſcant ex toto,aut maiori ex parte minuantur & abſumantur; præterquam quòd nullum veſtigium, nullámque fœditatem in corpora inducunt. Ex quo intelligi poteſt papulas illas , quas Hipp. 5.epid.ſcribit apparuiſſe in filio Euphranoris,& quas etiam in Pherecyde viſas eſſe memorat 7. epid. nequaquam Morbillos eſſe, vel fuiſſe; eo quòd illæ in octauo die apparebant , & ſimiles erant morſibus pulicum : Morbilli autem in ſecundo, aut ad ſummum in tertio die apparere conſueuerunt , & nullam omnino cũ morſibus pulicum ſimilitudinem gerunt. Quemadmodum etiam intelligere poſſumus eas puſtulas, propter quas ſcribit idem Hippocr.1. epid. multos pueros interiiſſe,nequaquã & ipſas fuiſſe Morbillos,quia & illæ etiam ſimiles erant morſibus pulicum. Iam ſatis demonſtratum eſt Variolas , ſeu Morbillos nequaquam eos eſſe, quos nominaſſe videtur Hipp. Sed dubitari poſſet,an Aëtius Morbillos noſtros cognouerit, quandoquidem is lib.5.cap.129. tractans de puſtulis,quæ comitantur initia febrium prauarum , aliquas eſſe ſcribit, quæ culicum morſibus aſſimilantur: libro etiam 14.cap. 63. memorat quaſdam papulas, quas ſcribit in corporibus infantiũ fieri, vt iure quis poſſet dubitare noſtros Morbillos eas eſſe papulas,quæ ab Aëtio referuntur. Ceterum ſi res exactiſſimè perpendatur,facilè intelligetur Morbillos noſtros rem eſſe longè diuerſam à papulis;non ſunt enim priores relatæ ab Aëtio : illæ nempe & ſimiles erant morſibus pulicum , & in febribus prauis oriebantur, & deſinebant in vlcera. Morbilli vero noſtri præterquam quòd nullam ſimilitudinem habent cum morſibus pulicum,numquã etiam in vlcera finiuntur,nec ſunt etiam poſteriores maculæ Aëtij, quia ſcribit illas fieri conſueuiſſe in cruribus mulierum quæ non menſtruantur,& aliquando in infantibus;quorum neutrum in Morbillis noſtris ineſſe,clariſſimum eſt.Si quidem hi non aliquando: ſed frequentiſſimè fiũt in pueris:in cruribus autem mulierum non eſt proditum memoriæ eas fieri. Quare ſatis mirari nequeo Manardum ſua tempeſtate clariſſimum, qui lib.2. Epiſtolarum non erubuit aſſerere , herpetes veterum fuiſſe Morbillos noſtros , in quo refutando vterer longa oratione, niſi à Valeriola in ſuis medicinalibus obſeruationibus mihi iſte labor ademptus eſſet. Sunt Variolæ , & Morbilli, morbi , nec vnius generis,ſed plurium:ſunt enim morbi in magnitudine,quandoquidem tubera illa non ſolum impediunt operationem naturæ,ſed etiam animæ ; cum,vt experiẽtia conſtat, motus impediatur, atque etiam dolor excitetur.Sunt etiam in mala temperie,quia etſi nonnulli dicant fieri interdum Variolas ſine febre,tamen compertiſſimum eſt & febrem perpetuò adeſſe,&,vt dicit Auenzoar,eam eſſe impetuoſã.Sunt etiam in ſolutione vnitatis, eò quia ferè ſemper Variolæ in vlcera interdũ praua deſinunt.Nec ſolũ hoc habent Variolæ propriè dictæ,ſed etiam & illæ,quas vulgus Italorũ ſolet appellare modò coſſos, modò ſturolas,quæ omnes proculdubio ſunt ex genere Variolarum,& differunt tantũ,quia Variolæ ſunt omnibus minores,ſturoli maiores:hi enim videntur vocari Variolæ plures ſimul continuatæ & vnitæ. Locus affectus,ſi conſideremus ipſam febrem,eſt corpus vniuerſum,tam in extima parte , quàm intima ; cùm enim febris ſit morbus vniuerſalis , ſubiectum quoque eius vniuerſale eſſe neceſſarium eſt. Sed video aliquem hic dubitaturum eſſe, quis ſit locus affectus Variolarum,vt ſunt morbi cutanei,ſiue vt afficiunt cutim ; plerique ſtatim pronunciant locum affectum eſſe cutim. Sed aduerſus hos eſt grauiſſimum argumentum, quia morbus eſt conſtitutio præter naturam primò & per ſe lædens actiones ; & debet fieri circa eas partes,quæ habent actiones ; cutis autem

autem habet quidem vſum,ſed nullam actionem. Videamus Gal.6.capite libri De cauſis morborum,vbi copioſiſſimis verbis demonſtrat,cutim expertem eſſe omnis actionis tam animalis, quàm naturalis; quare ſi nullas habet actiones, non poteſt eſſe ſubiectum vllius morbi. Hac in re ita ſtatuendum eſſe exiſtimo, cutim dupliciter accipi poſſe, vel pro ſola cute,quæ aliàs corium vocari conſueuit;vel pro cute, & partibus omnibus ei adnatis. Si primo modo accipiamus, planè expers eſt omnis actionis,quia,vt dicit Gal.loco citato,eſt veluti quidam amictus,ſeu veſtis, quo, vt docet etiam Plato in Timæo,veſtiuntur omnia membra corporis, & ſimul vnita continentur; itaque hoc modo accepta cutis, nequaquam ſubiectum eſſe poteſt alicuius morbi. Sed ſi capiatur ſecundo modo, ſic dicebat Gal. in lib. De temperamentis eſſe inſtrumentum tactus, ad eam pertingere neruos, & propterea habere etiam actiones:vnde hoc modo accepta eſt quoque ſubiectum morborum; non enim in Variolis afficitur ſola cutis, ſed etiam partes cui adnatæ, vt ſuo loco copioſiſſimè indicabo. Sunt Variolæ, vt dixi, morbi; morbus autem dupliciter poteſt conſiderari,& vt effectus,& vt cauſſa; vt effectus,habet ſuas cauſſas, quæ à medico diligenter ſunt perpendendæ; vt cauſſa,habet ſuos effectus, qui ſunt ſymptomata, quæ conſequenter ſunt ſigna, & indicia ipſorum morborum, adeò quòd ſpeculatio ſignorum nil aliud eſt,quàm ſpeculatio maxima ex parte effectuũ morborum. Quamobrem vt integra fiat hæc tractatio, prius videndum eſt, quæ ſint cauſſæ horum morborum, deinde videbimus effectus. Cauſſæ Variolarum aliæ ſunt internæ, aliæ externæ: internæ aliæ ſunt immediatæ, aliæ verò mediatæ: immediatas poſſumus appellare coniunctas; mediatas verò antecedentes. Internæ immediatæ vel ſunt materiales, vel efficientes. De vtriſque hæc eſt ſententia Auicennæ,& omnium Arabum;materiã, ex qua fiunt Variolæ,& Morbilli, nihil aliud eſſe niſi reliquias excremẽtitias ſanguinis menſtrui; quo nutriuntur fœtus in vtero; cauſſam verò efficientem eſſe naturam, vel calorem naturalem, qui inquinamento hoc menſtruali ſtimulatus vniuerſum ſanguinem exagitat, in qua exagitatione cum multus motus & labor fiat, calor præternaturalis excitatur, ac ſubinde in ſanguine fit ebullitio; propter quam ſequitur, vt illæ ſordes menſtruales tanquam excrementum à ſanguine ſecernantur, & ſecretæ in partes cutaneas tanquã in communem cloacam extrudantur: vbi ſi materia calida ſit & viſcida, Variolas parit; ſin ſicca & ſubtilior, non Variolas, ſed Morbillos inducit. Adfert Auicennas, & omnes Arabes exemplum de muſto, quod ſicuti in muſto feruente excrementa omnia à puro vino ſecernuntur, ſic in hac ſanguinis ebullitione inquinamenta illa menſtrualia exactè ſegregantur à puro ſanguine. Hæc eſt Auicennæ, & omnium ferè Arabum hactenus recepta ſententia de cauſſa materiali Variolarum, & Morbillorum. Vnus Auenzoar auctor inter Mauritanos maximus,duas ſententias habere videtur; vna ſcripta eſt in libro ſuæ medicinæ tract.7. cap.2. vbi eandem ſequutus eſt ſententiam, quam ſupra habuit Auicennas;in poſtremo verò capite ſui libri, quod pulcherrimum eſt, diuerſam omnino ſecutus eſt; quæ vt exactè penetrari poſſit,ſciendum totam eius ſententiam in tribus placitis poſitam eſſe, quæ omnia ſigillatim declarabo. Primum eſt, fœtum in vtero non nutriri ſanguine menſtruo,ſed ſanguine totius corporis puriſſimo,&,vt Hippocrates dicit in libro De natura pueri, dulciſſimo; atque hanc ſententiam teſtatur fuiſſe quoque Galeni, neque nos fefellit, quia Galenus libro de ſemine 8.& 1.De ſanit.tu.habet illam ſentẽtiam,fœtum in vtero nutriri ſanguine puriſſimo.Adfert huius rei rationem Auenzoar;quia cum ſanguis menſtruus ſingulo menſe vt inutilis & pernicioſus eiiciatur,ſi eſſet nutrimentũ fœtus in vtero,neceſſe eſſet ipſum pernicioſo nutrimento altum contaminari omnino, & morbidum fieri; & quia videbat bonus

hic

hic auctor Galenum etiam quandoque dixiſſe, nutriri fœtum ſanguine menſtruo, occurrit huic obiectioni,& dicit eum,quando dixit fœtum nutriri ſanguine menſtruo, communem Græcorum conſuetudinem ſecutum fuiſſe, qui ſanguinem quemcumque fluentem ad vterum vocare conſueuerunt ſanguinem menſtruum, quemadmodum quodlibet apoſtema gulæ appellant anginam, quodlibet lateris pleuritidem. Secundum placitum Auenzoar eſt, fœtum, etſi in vtero nequaquam nutriatur ſanguine menſtruo, veruntamen ab eo magnopere inquinari & maculari. Modus autem,quo præclariſſimus auctor docet ſanguine menſtruo fœtũ inquinari hic eſt,quòd ſicuti videmus vaſa, etſi vitreata ſint, à rebus impoſitis inquinari; ita vt ſi in aliquo vaſe diu detineatur fermentum, ac deinceps fermento illo ablato noua paſta imponatur,expertum ſit paſtam illam nouam cõtrahere vim fermenti à vaſe inquinato; ſic fit, inquit, vt fœtus in vtero diu contentus tandem in ſeſe contrahat tabum atque labem ſanguinis verè menſtrui.Et quia poterat aliquis dicere,ſi inquinatur fœtus in vtero diu contentus ſanguine menſtruo,debere quoque in eo ægrotare fœtum. Reſpondet id minimè fieri, propter duas cauſas;prima eſt,quia non nutritur eo ſanguine,licet inquinetur.Secunda,quia facultas conſeruatrix matricis adeò potens & efficax eſt,vt non permittat ægrotare fœtum in vtero etiam tabo menſtruo inquinatum. Tertium eſt,quòd vbi infans ex vtero egreſſus eſt,mirificè quotidie inualeſcit, augetur & robuſtus euadit; quò fit vt natura robuſtior effecta tandẽ à ſanguine omne inquinamẽtum amoliri aggrediatur,quod cum agat ſummo labore & ſumma vi,neceſſariò ſequuntur deliria,febres; atque, inquit Auenzoar,contingit, quemadmodum vbi butyrum à caſeo extrahitur,quia ſi ſeparandum eſt butyrum, neceſſum eſt vt totum lac in vaſe anguſtiſſimi oris vehementer conquaſſetur,in qua cõquaſſatione pars butyroſa abſcedit & ſegregatur à caſeo;ſic,inquit ipſe,in hoc magno labore naturæ ſegregantur ſordes omnes mẽſtrui ſanguinis,atque tandem ſanguis depuratur.Addatur exemplo Auẽzoar, quod ſicuti vbi ſemel butyrum exactè ſeparatum eſt à caſeo, fieri non poteſt,vt amplius ſecernatur,etſi millies iterũ bulliat;ſic quoque fieri, vt vbi quis ſemel variolis captus eſt, amplius capi non poſſit.Sententia autem eius licet in aliquibus diuerſa videatur ab Auicennæ ſententia,tamen in hoc potiſſimũ conuenit, quòd variolæ,& morbilli fiãt à materia ſanguine menſtruo fœdata.Auicẽnæ ſententiam pars maior recentiorum ſecuta videtur,& inter ceteros diſertiſſimus Fracaſtorius l.2.de morbis contagioſis 2.Ego verò partim cũ Arabibus conuenio,partim ab iis diſſentio,in hoc conuenio,fœtũ in vtero nutriri eo ſanguine,qui fluit ad vterum,atq; eo & puriſſimo & dulciſſimo;ſed quia ęquè bonus,& prauus ſanguis ſimul ſunt miſti,fieri puto,vt cum ſanguine puro fœtus nonnihil etiam impuri attrahat, vt maxima ex parte in vtero fruatur optimo & puro sãguine:ſed fieri nequaquã poſſe,quin etiam nõnihil praui ab ipſo attrahatur.Nec obſtat huic sẽtentiæ quod ſcriptũ eſt à Gal.1. De Sympt.cauſis 7.vbi dicebat primis duobus menſibus fœtum nutririri ſanguine puro;aliis verò attrahere etiam nutrimentum impurũ,& propterea magna ex parte vitioſo ſucco nutriri,quãdoquidẽ præterquã quod in interprete antiquo Gal.deeſt illa particula,magna ex parte:accedit etiã, quòd ſi rectè eo loco is intelligatur,ſermonẽ habet nõ ſimpliciter de omni fœtu:ſed tantũ de illius mulieris,quæ laborat pica;ſiquidẽ hoc veriſſimum eſt,fœtũ mulieris pica laborantis maxima ex parte vitioſo alimento nutriri,quòd corpus eius ſit vitioſiſſimis ſuccis maximè plenum.In hoc itaq; cũ Arabib.cõuenio;in eo autẽ magnopere diſsẽtio,quòd nequaquã credã verã materiã variolarũ,aut eſſe ſanguinis mẽſtrui excremẽtum,aut reliquias nutrimẽti à mẽſtruo fœdatas:atq; ad hoc exiſtimãdũ impellor multis,&,ni fallor,grauiſſimis rationibus. Primò, quia variolæ maxima ex parte proueniunt vitio morbidi

cœli

vel aëris; atque hoc non ego dico, ſed ipſimet Arabes, qui hanc ſententiam habent, & in primis Raſes 18. continentis, & Auicennas; ſed maximè omnium mirabilis ille Auenzoar, qui in fine ſui libri ſcribit ſe iccirco tractaſſe de variolis, & morbillis poſt tractationem de peſte, quia ferè ſemper eueniuut ex vitio aëris vel ſubſtantialiter corrupti, vel propter aquas, halitus terræ, & cadauera. Hoc etiam verum eſſe maximè omnium teſtantur, qui hiſtorias nouæ Indiæ conſcripſerunt, apud quos videre eſt eius regionis incolas quondam penè extinctos eſſe omnes à variolis vitio cœli vagantibus; vt cùm hoc conſtet omnis ordinis homines extinctos eſſe vi huius morbi, id etiam compertum videatur non fuiſſe, neque eſſe potuiſſe propter materiam vitiatam à ſanguine menſtruo, eo maximè, quod iidem qui conſcripſerunt has hiſtorias, aiunt, quo tempore noſtri ab illis acceperunt luem gallicam, illos viciſſim à noſtris accepiſſe variolas, & morbillos. Secunda ratio eſt, quòd vitium ſanguinis menſtrui ſempiternum eſt à mundo nato poſt peccatum Euæ. Vnde factum eſt, vt homines ſemper hac menſtruorum labe ſint labefactati. Perennis quoque eſt cauſa efficiens, ſcilicet natura, aut calor naturalis. Quare cum ſemper fuerit materia & agens, iure debuiſſent omni tempore homines hoc morbo vexari. Sed hoc falſiſſimum eſt, quandoquidem ante tempora medicorum Arabum nullum reperire licet auctorem, à quo hos morbos aut generatos, aut clarè explicatos habeamus. Si enim veteres auctores nobis non inuiderunt tractationes morborum minorum, cur exiſtimare debemus eos nobis inuiſuros fuiſſe tractationem huius morbi, qui(ingenue fateor)omnium eſt maximè grauis & inſignis? Nec valet quorundam ratio, qui dicunt forſan veteres non habuiſſe hos morbos, quia temperantiorem vitam traducebant, quàm nos: quoniam nugæ ſunt meræ. Si enim fiunt propter labem illam menſtrualem, & hæc perpetua eſt; aut nihil, aut parum omnino facere poteſt victus ratio. Præterea ſi à temporibus Socratis vſque ad hæc noſtra tempora mores hominum æſtimemus, ſemper luxus maximus fuit: nonne Plato temporum ſuorum immenſos luxus deteſtatur? nonne Galenus 1. methodi, & plerique aliis in locis extollit ſuorum temporum intemperantiam? Sed quid hic moror? nullus eſt auctor Latinus, aut Græcus, qui non ſuorum temporum & luxus & intemperantias deteſtetur. Vana eſt ergo reſpóſio horum, quòd propter victum hic morbus fuerit nouus. Tertia ratio eſt, quòd nullus eſt homo, qui in iuuentute, vel adoleſcentia, vel virilitate aliquo morbo graui non laboret, in quibus morbis fit in ſanguine ebullitio, fiunt putredines, donec expurgantur variis & diuerſis modis corpora: quòd ſi in ſanguine ſeminaria huius mali à menſtruis relicta eſſent, deberent & hæc purgari; & propterea poſt alios morbos homines immunes eſſe ab his malis, quod quidem nequaquam probatum eſt: quòd certò videamus homines etiam immediatè poſt alios morbos graues tentari hac ægritudine; immò verò hoc vſu euenire ſolet, vt qui ſunt colore floridiore, qui habent quaſi inculpatam ſanitatem, maximè exerceantur ab his malis. Scio poſſe morbos latere in corporibus, vt ſemina veneni canis rabidi, quæ etiam poſt multos annos ſe produnt. Scio ab Hippocrate lib. De affectibus tradi morbum quendam lienis, quem ſcribit quatuordecim annis in corporibus noſtris latere. Scio Alzarauium medicum grauiſſimum ſcripſiſſe ſeminaria lepræ in corporibus per plures annos abſcondi, ita vt qui tempore fluxus menſtruorum ſunt concepti, interdum poſt decem, duodecim, viginti, atque plures annos leproſi euadant. Sed alia ratio eſt, quia poteſt quidem in aliqua parte latere ſeminarium alicuius morbi, vt locupletiſſimè docui, dum de peſte & canis rabidi veneno tractarem: ſed quòd totus ſanguis ita infectus poſſit perdurare, & tot iniuriis reſiſtere, omnino rationi diſſentaneum videtur. Sed video reſponſurum eſſe aliquem, in-

terdum fieri vt huiuſmodi ſanguis menſtruus,ceu labe infectus ferueat, & non ſē- per in variolas,verùm in morbos prauos,in febres peſtiferas finiatur.Sed ſi hoc ve- rum eſſet, deberent ſaltem iſti reliquo vitæ tempore immunes eſſe ab hoc malo, quod nequaquam apparet. Quarta ratio eſt, quia vt ſcribit Ariſt. 6. de hiſtor.ani- malium 18.& 1. de generatione animal.19.omnia bruta ſanguinea menſtruas pur- gationes habent, & inter cetera equus, canis,aſinus. ſi ergo hæc etiā animalia ha- bent materiam morbillorum, & calorem agentem, cur non tentantur variolis, & morbillis?Si enim,vt dicunt Arabes,hæc eſſet vera materia,deberent & belluæ ten- tari hoc morbo, quod nequaquam experientia eſt comprobatū. Scio aliquos huic obiectioni reſponſuros, propterea tentari ſolum hominem, quia, vt idem Ariſt. ſcribit,mulier maximè omnium copioſiſſimis mēſtruis laborat. Sed hæc reſponſio nihil valet, quia copia maior,vel minor menſtruorum poteſt quidem facere,vel vt plurimis,vel paucioribus variolis exerceantur bruta,& mulieres; ſed quòd hac ra- tione illa debeāt prorſus carere hoc morbo,ſanè hæc ratio nō facit,eò magis quod animalia prædicta ferè omnibus his morbis exercentur,qui hominē tentāt.Quin- ta omnium clariſſima ratio eſt, quia ſapientiſſima natura tres modos excogitauit, quibus vt tueatur animal omnia excrementa nutrimenti excernit, omnes turpitu- dines eiicit, vt homo incolumis & ſanus in hunc mundum exeat.Vnus eſt,quando fœtus in vtero reperitur;dicit enim Gal. 1. de ſympt. cauſſis 7. excrementa nutri- menti,quo fœtus alitur,omnia à natura deponi in duabus tunicis, quæ ipſum am- biunt,vt ſi quid imputi nutrimenti attrahitur à fœtu in vtero,totum penè depona- tur à prouida natura inter huiuſmodi tunicas. Alter modus eſt, quando fœtus ſta- tim in hāc lucem egreditur: dicit enim Hipp.lib.De carnibus,ſeu de principiis, vt ego inſcribendum puto, ipſum ſtatim atque in hanc lucem venit,excrementa om- nia impura expurgare per inteſtina.Quam ſententiam Ariſt. quaſi explicans 7. De hiſt. animal.10. ſcribit, ſtatim atque fœtus ortus eſt,reddere copioſius excremen- tum,quàm pro magnitudine illius cōueniat,quod dicit à mulierib. vocari μηκώνιον, vel(vt tranſlulit Gaza) papauerculum:addit huiuſmodi excrementum modò colo- re cruentum eſſe, modò piceum, modò albidum.Tertius modus, quo vtitur natu- ra in depurando fœtu, eſt poſt aliquod tempus ab ortu. nam Hipp. lib. De ſacr. morb. ſcribit, fœtus editos variis in capite morbis agitari, vlceribus, achoribus atque aliis quæ ſunt veluti germina quædam prauorum humorum: & hos mor- bos inquit tanti referre ad ſanitatem fœtus, vt quicunque exercentur his malis, immunes euadant ab epilepſia:nec vlla alia ratione,inquit,niſi quia per hos mor- bos expurgantur excrementa pituitoſa quæ in vtero contraxit. Si ergo natūra ſa- lutis humanæ ſollicita tot modos excogitauit, vt nō ſemel, ſed iterum atque ite- rum fœtum emundaret ab omni illuuie, quid ſuſpicari debemus in omnibus ho- minibus tanto tempore excrementa ſanguinis menſtrui perdurare? Vana quidem poteſt eſſe naturæ ſolertia in vno, vel in altero, ſed quòd in omnibus hominibus decipiatur, quòd fruſtretur ſemper à fine quem intendit, abſurdiſſimū omniū mi- hi videtur. Quapropter conſtare puto, fieri nequaquam poſſe, vt cauſſa materialis morbillorum, & variolarum ſit ea,quam excogitarunt Arabes. Fernelius vir inge- nioſiſſimus 2.De abditis rerum cauſſis cap. 12. ſuis & ipſe rationibus refutare co- natus eſt placita Arabum, quibus refutandis nouam, ſed ſibi conſuetam ſenten- tiam protulit; videlicet morbillos, & variolas ſuam originem ducere à cæca,& ar- cana aëris vitiati qualitate.Fieri enim primùm ab aëre probauit hac ratione; quia huiuſmodi morbi ſolent interdum ſilere prorſus, interdum magnopere ſæuire in plebem & homines. quæ conditiones videntur ſolummodo in his morbis reperiri qui ab aëre originē ducūt.Fieri deinde à cæca,& nō manifeſtā qualitate, hoc argu-

mento

mento putauit ſe demonſtraſſe,quia variolæ, & morbilli æquè fiũt in temporibus feruẽtiſſimis,atque in ſummo frigore, æquè in humido,atque in ſicco;vt propter hanc rationem dicat non eſſe generationem eorũ adſcribendã manifeſtis qualitatibus aëris, ſed potius abditis & arcanis. Tertia eius ratio eſt ex accidentibus,quæ comitantur hos morbos,ex capitis dolore,grauitate,inflammatione faciei,delirio, difficili reſpiratione;quæ omnia inquit ex eo venire, quòd aër attractus in cor,illud inficit,conſequenter corde infecto & caput & totum corpus inquinat.Quarta eſt in vrinis eorum, qui morbillis tenentur, nullum adeſſe ſignum neque putredinis, neque alterius manifeſtæ qualitatis; & iccirco cum accidentia praua ſint, & nulla ſigna manifeſta, neceſſario colligendum eſſe, hos morbos à praua, & cæca qualitate oriri. Vltima ratio eſt,faciem & corpus tam intrinſecus quàm extrinſecus eorum qui morbillis tenentur, vſque adeo horrendo eſſe aſpectu, vſque adeo fœdi coloris, & habitus, vt nequaquam horrendi huius mali aſſignari poſſit manifeſta cauſſa, ſed potius recurrendum ſit ad occultas, & reconditas; eo maximè, quia tanta eſt huius morbi immanitas, vt ſæpe liceat videre mulieres edere fœtus variolis inquinatos, atque etiam cadauera laborantium variolis ſecta viſcera omnino habere variolis,& morbillis maculata. Hæc ergo eſt Fernelij ſententia, contra quam cum videret obiectionem, quod ſi ab aëris qualitate morbus oriretur, non debere eo magis pueros tentari, quàm ſenes, ac viros: illi reſpondet hunc in modum: qualitatem aëris nobis inimicam non eſſe admodum efficacem, & propterea viros reſiſtere aëris iniuriis; pueros autem nequaquam poſſe. Atque tot fuerunt eius fundamenta: contra quam ſententiam multa ſunt, quæ ipſam ex toto euertunt; illud autem potiſſimum eſt, quòd etſi Variolæ, atque morbilli interdum magis, interdum minus vagentur, attamen nullum eſt tempus, in quo aliqui non capiantur illis: & ego his annis, quibus medicinam facio, ne dicam ſingulo menſe, ſaltem ſingulis annis curaui laborantes variolis. Si ergo fieret hic morbus ab arcana aëris qualitate, conſequens eſſet, vt ſemper hæc qualitas in aëre eſſet; quod non ſolum eſt contra rationem, verum etiam contra ipſum Fernelium, quando ſcribit de accidentibus, & corporis deturpatione quam faciunt variolæ. Contra rationem eſt propter duas cauſſas. Prima, quia hæc omnia originem ducunt à materiæ prauitate. Secunda, quoniam ſi tot horrenda accidentia, quæ ſpectantur in variolis, proficiſcuntur ab inimica aëris qualitate, neceſſe eſſet, vt hæc qualitas & inſignis & efficax ſit. Si ergo eſt inſignis, cur dicit Fernelius immunes eſſe viros ab hoc malo,quia aëris qualitas non eſt admodũ efficax? neque quidquam facit, quod ſcribit in vrinis nullum apparere putredinis indicium, eò quia hoc argumentum non eſt cæcæ alicuius qualitatis, ſed tantùm indicat materiam totam è venis à natura expelli extra eas; propterea cùm ſanguis purus remaneat, conſequenter vrinas quæ exeunt à venis puras & claras eſſe. Miror autem Fernelium doctiſſimum, quòd ſine vlla auctoritate, ſine vllo teſtimonio dixerit exanthemata, & ἐκθύματα apud Græcos medicos diuerſa eſſe, & conſequenter ſub his veteres variolas, & morbillos docuiſſe; quandoquidem omni ſtudio hanc rem perueſtigaui; nec potui inuenire vllam inſignem differentiam inter has duas voces apud Græcos medicos, quemadmodum multum abeſt, vt exanthematibus vllus auctor tribuerit ea, quæ conueniunt variolis, & morbillis. Quis enim ſcriptor dixit vnquam exanthemata omnes homines tentare? quis dixit ea magis pueros afficere? apud quem reperiemus ipſa vſque adeo deturpare omnes homines? nugæ ſunt, quod veteres ſub exanthematibus complexi ſint variolas, & morbillos noſtros. Nec quidquam facit auctoritas illa Hippocratis lib. De vſu humidorum, vbi ſcribit frigidum iuuare

papulas rubras in corporibus teneris,& quæ ſequuntur : quandoquidem ſi cauſſas examinemús eo in loco productas,multũ abeſt,vt variolis noſtris illæ conueniant, præterquam quòd ſcribit Hippocrates frigidum iuuare illas papulas , cùm noſtris variolis nihil ſit magis aduerſum,quàm frigus,vt videbitur quando tractabo curationem. Fuchſius vir laborioſiſſimus ſuum Manardum lib.6.epid.com.2.text.18.& 5.lib. de ratione medendi cap. 9. ſecutus,in aliquibus videtur Fernelium imitatus, ſed in pluribus propriam quandam ſententiam habet,conuenit cum Fernelio,quia & ipſe Manardum ſequens voluit veteres medicos ſub exanthematibus & ἐκθύμασι declaraſſe variolas,& morbillos : diſſentit autem ab eo,quia morbillos,& variolas non ex alia materia generari dicit,quàm ex illa , ex qua dicunt veteres fieri ſua exanthemata, id eſt,ex humoribus omnis generis excrementitiis.Multis autem rationibus vſus eſt ad hanc ſuam ſententiam confirmandam,& in primis auctoritate Galeni 6.aphor. 9. quo in loco ſcribit duo eſſe exanthematum,ſeu papularum genera : vnum altum , aliud verò humile & latum. Genus altum inquit fieri à materia calida : latum autem & humile à frigidiore , & propterea has papulas eſſe ſine pruritu,& conſequenter citò difflari, quia hæc materia dilatata promptius & facilius diſſipatur. Addit Fuchſius exanthemata quæ ſunt altiora,eſſe morbillos,atque vlcera facere : latiora verò eſſe variolas,nec poſt ſe vlla vlcera relinquere;ita vt ſecundum huius viri ſententiam & morbilli , & variolæ noſtræ magnopere conueniant papulis à Galeno relatis.Et vt magis ſuam opinionem confirmet,vtitur teſtimonio Raſis , quem inquit ille ſuum librum de variolis inſcripſiſſe, De exanthematibus, quaſi etiam hic auctor variolas exanthemata eſſe voluerit. In qua re improbat Fuchſius Georgium Vallam,qui transferens hunc librum in linguam Latinam inſcribit, De peſte, non autem, De exanthematibus.Cæterùm hæc doctiſſimi Fuchſij ſententia reprobatur , quia multis erroribus mihi videtur eſſe implicata. Primùm enim omnia patitur, quibus refutata eſt ſententia Fernelij , quòd ſcilicet multum abeſt veteres ſub exanthematibus declaraſſe variolas , & morbillos. præterea patitur & hoc , quòd cùm variolæ , & morbilli ſint nomina ab Arabibus inuenta,æquum eſt,vt eo pacto nos iis vtamur, quibus ipſi ſunt vſi. Iam verò quos vocant ij morbillos, Fuchſius ſuo marte appellari vult variolas:eos verò, quos vocant variolas,ille appellat morbillos. Sed de hoc nomine ipſi indulgeri poſſet,niſi in re ipſa magis erraret : quandoquidem exanthemata,quæ fiunt humiliora,& latiora,vult fieri à materia frigida,atque etiam ſine pruritu,quorum neutrum neque morbillis,neque variolis accommodatur. nam,vt dictum eſt,variolæ fiunt à materia calida,ſed craſſa,& cum pruritu. Morbilli autẽ qui ſunt humiliores, tam abeſt, vt fiant à materia frigida,quàm certiſſimum eſt fieri eos à calidiore & tenui. Accedit verò,quòd ſcribit fieri ſine pruritu, cùm tamen vtriſque pruritus adſit, & præſertim variolis.Quare parcant mihi huius viri manes;neque ipſe intellexit Arabes, nèque experientia cõprobauit differentiã variolarum,& morbillorum noſtrorum. Sed eſt aliud forſan non minori nota dignum,quod ſcribit Raſem librum ſuum inſcripſiſſe, De exanthematibus.Et vt hoc intelligatur,ſciẽdum Raſem librum ſuum ſcripſiſſe lingua Mauritana,ex qua poſtmodum fuit in Græcam trãſlatus,& è Græca in Latinam.Qua voce vſus ſit lingua Arabica non eſt mihi compertum, ſed ſcio librũ Græcum inſcriptũ eſſe περὶ λοίμȣ,id eſt,de peſte.ac poterit liber Pariſiis excuſus conſuli,quẽ tres doctiſſimi viri in Latinum tranſtulerunt,Macherius Mutinenſis,Georgius Valla,& Andercanus Germanus,qui omnes inſcripſerunt librum, De peſte,adeò quòd in hac re,quæ nõ minimi eſt momenti,pateat Fuchſium fefelliſſe. Poſt hos omnes ſurrexit alter medicus auctor doctiſſimus,qui diuersã ab omnibus ſentẽtiã de variolis propoſuit:atque hic fuit Alexãder Petronius,qui Romæ medi-

cinam

cinam non ſine laude exercet:hic enim in libro ſuo De morbo gallico, typis excuſo, conatus eſt etiam copioſiſſimè demonſtrare vnam & eandem originem eſſe lepræ, morbi gallici, variolarum, & elphantiaſis: quos omnes morbos imaginatus eſt originem ducere ab alimento fœtus in vtero putri: inquit enim, dum fœtus eſt in vtero, eius alimentum copioſiſſimum eſſe, & propter copiam putrefieri, atque ita hoc alimento putri nutriri fœtum; cuius praui & putridi nutrimenti inquit ſeminaria toto vitæ noſtræ tempore in corpore ſeruari, & potiſſimum circa cutẽ; & quia hæc ſeminaria ſopita ſunt, inquit opus habere impulſore aliquo, qui illa excitet, & erumpere faciat: impulſorem autem dicit eſſe calorem putredinalem excitatum vel ab Aëre, vel à contagio, vel ab aliquo alio in victu errore. Quam ſententiam vt refellam, non erit mihi opus tot verbis, quot ipſe vtitur; nam clariſſimum eſt eam omnium ſcriptorum auctoritatibus, &, quod peius eſt, euidẽtiſſimæ rationi repugnare, vt enim diximus, potior pars ſcriptorum medicinæ in hanc ſententiam venit, fœtum in vtero, ſi bene valet, ſemper optimo, puro & dulciſſimo nutrimento nutriri; quò fit, vt nutriri putrido alimento ſit rem dicere omnibus ſcriptoribus aduerſam: repugnat etiam rationi, quia, vt optimè ſcribit Gal. 1. De ſympt. cauſis 7. quò plus eſt alimẽti in vtero, dum fœtus in eo eſt, eò magis ipſum nutriri puro ſanguine, quia ſi nutritur interdum impuro, fit tantum propter inopiam, præterea fœtus dum in vtero eſt, imbecillus eſt, infirmus; ita vt niſi alimenti bonitate continuò ſuſtentaretur, periculum eſſet ne corrueret, & interiret. Ridere ergo ſoleo huius viri exemplum: inquit enim hoc putre alimentum eſſe fœtui maximè familiare, quemadmodum eſt putredo ranis, quæ ea victitant, & in ipſa adoleſcunt. Bonus iſte vir miror quo modo ita cæcutiat, nam certum eſt alimentum à natura animalibus tradi ſecundum temperaturæ dignitatem, ita vt ſi animalia ſortita ſint ignobilem temperaturam, ignobili etiam victitent alimẽto, & ignobili loco conſeruentur: quæ verò nobiliorem habent temperaturam, æquum fuit, vt illis traderetur nobilius alimentum. Iam verò nulla eſt temperatura nobilior humana; quò fit vt neceſſe ſit eam ſuſtentari nobiliſſimo alimento, & in loco mundo. Ranæ ſunt donatæ ignobiliſſima temperatura, & forſan propter hanc veteres eas nunquam voluerunt guſtare; quare non eſt mirum, ſi etiam putri alimento veſcantur, & in locis putridis verſentur. Hipp. 4. De morbis longo diſcurſu monſtrare conatur fœtum, ſi vitioſo lacte veſcatur, morbos innumeros & exitiales ſubire: quò fit, vt ſi in vtero nutriatur alimento putri, multò magis debeat & morbos & mortem ſubire. Nec quidquã facit, quòd, vt ipſe ſcribit, hæc putredo fiat in nutrimento, non propter qualitatem, ſed tantum propter intenſam copiam: quoniam, vt dicit Hippocrates in libro De affectionibus, alimenta quanto ſunt meliora, & accommodatiora, ſi propter copiam corrumpantur, eorum corruptela multo deterior eſt, quàm ſit ciborum, qui & minus nutriunt, & deteriores ſunt: vnde forſant emanauit, quòd repletio ex pane ſit omnibus deterior. Quod ſi verum eſt, vt dicit Hipp. ſi alimentum corrumpitur & putreſcit ob copiam, cum alimentũ ſanguis ſit, & qualitate non peccet, debet ob copiam corruptus deterrimam corruptelam aſſequi, & propterea fœtui non familiaris, ſed exitialiſſimus eſſe. Poſtquam aliorum de Variolis ſententias recitauimus, tempus eſt, vt quam ego ſequar, & breuiſſimè, & dilucidiſſimè aperiam; quod vt felicius contingere poſſit, nonnulla neceſſe eſt ſupponere, ex quibus quid ſentiam intelligi poterit. Eſt autem illud primum, variolas, & morbillos à veteribus ignoratos, & alto ſilentio præteritos fuiſſe, Pluribus hoc confirmare conarer, niſi iam à me multa hac de re eſſent dicta, illud tamen tacere non poſſum, tot eſſe huius morbi proprietates, totque habere ab aliis morbis diuerſa, vt ſi veteres huius rei aliquam cognitionem habuiſſent, ne-

ceſſarium eſſet de iis aliquid illos dixiſſe:neque hoc mirũ videri debet, quia ſicuti apud Indos cœpit hic morbus eſſe qui non erat; ſic non eſt præter rationem aliquando eum in regionibus noſtris non fuiſſe,& aliquando eſſe cœpiſſe. Vtrum autem quando cœpit ortus ſit vitio cæli,an aëris,an cõtagio,an aliqua alia re,difficile eſt in tanta rerũ difficultate & obſcuritate decernere. Scio Plutarchum in Sympoſiacis diſputare copioſiſſimè,morbos nouos fieri à victus mutatione:ſcio multos in Italia,& alibi nouos morbos apparuiſſe & contagio,& alia ratione,ſed ſuſpicor vehementer morbillos, & variolas cum primùm eſſe cœperunt,vitio cœli & aëris factas eſſe:quod me ad hoc credendum mouet, illud eſt, Arabes medicos,quorum tempore videtur cœpiſſe hic morbus,prodidiſſe eos peſtem eſſe, fieri in peſte, & à corrupto cœlo oriri.non enim hæc facilè dixiſſent medici illi ſapiẽtiſſimi,niſi euidente aliquo ſigno ad id fuiſſent impulſi.Secundum,quod ſupponi cupio, eſt medicorum omnium ſententia, multos morbos fieri hæreditaria quadam, & paterna proprietate. Magnus Hippocr.2. prorheticorum quatuor morbos eſſe ſcribit, qui in hominibus hæreditate oriuntur,podagram, hydropem,phthiſim,& epilepſiam; de quibus cum loqueretur Plutarchus, ſequutus Hippocratem in lib. De ſera Numinis vindicta,dicit,eos qui oriuntur ex parentibus,qui laborauerunt ſimili morbo, ſtatim eſſe curandos; quaſi dicat, eiuſmodi proprietatem paternam eſſe irremediabilem cauſſam horum morborum in filiis; ſimile quid prodidit etiam Auicennas de nephritide morbo. Tertium ſupponendum eſt, hanc hæreditatem paternam, ſeu proprietatem eſſe potentiam, & aptitudinem quandam filiis ingenitam,propter quam redduntur apti,& diſpoſiti ad ſuſcipiendos ſimiles morbos; id enim vſu venire in morbis veriſimile eſt, quod conſpicimus quotidie euenire in animi motibus, quòd ſcilicet parentes ingenerant filiis aptitudinem & potentiam quandam ad edendas virtutes & actiones quas ipſi habent. Quartum eſt, huiuſmodi proprietates eſſe veluti inſtrumentum quoddam, quo vel natura, vel cauſſa alia effectrix vtitur ad producendos effectus. Quintum & poſtremum eſt, huiuſmodi proprietatem requirere & materiam idoneam, & agens efficax. Materia eſt omnis corporis noſtri humor,vt ſanguis,& pituita,& vtraq; bilis, & omnis ichor: efficiens cauſſa eſt calor, qui prout eſt vel maior, vel minor, ſic etiam modò magis, modò minus agit. His ita conſtitutis, ſtatuo Variolas,& morbillos hæreditate paterna fieri à ſanguine, & ichoribus bullientibus ob calorem, qui in corporibus excitari poteſt variis & diuerſis rationibus. De paterna hæreditate non eſt vt quidquam in controuerſiam reuocemus, quia hoc ſatis euidens, & probatum eſt. Fieri autem hos morbos ex ichoribus ſanguinis bullientibus, multis teſtimoniis adducor vt credam. Primò, quia, vt dixi in initio, exanthema eſt veluti quoddam genus Variolarum, & omnium ſimilium tumorum. Dicit autem Galenus 3. De ſymp.cauſſis 2.tunc fieri prouentum exanthematum, cùm abundant ichores.Præterea probatum eſt à me, & ferè ab omnibus, febres ſynochas ortum ducere ex ichorum ſanguinis ebullitione,aut putredine.In Variolis autem & morbillis ſemper fit febris ſynocha,velut eſt omnium placitum,quare rationi videtur conſentaneum fieri hos morbos ab ichoribus.Accedit etiam & illud, quòd in morbillis, & Variolis fit maxima expulſio, & tamen nullus adſit rigor; quod ſignum eſt,materiam quæ expellitur à venis extrà,non eſſe mordacem;quandoquidem,vt Gal.ſcribit lib.De rigore,& 2.De ſymptom.cauſſis 5.fit rigor à ſuccis acribus,& mordacibus; ichores ſanguinis blandi ſunt,minimè mordaces; iure ergo fit vt in Variolis numquam rigores appareant.Poſtremò ipſamet experientia docet,hos morbos fieri ab ichoribus, quia ſi obſeruetur materia exiens ab ipſis Variolis, non eſt verum pus,ſed ichor,qui planè craſſior eſt in Variolis, quàm in morbillis; quia in his ci-

tiſſimè

tiſſimè diſſipatur,in illis diutius durat.Fieri etiam per ebullitioné non eſt vt quidquam dubitemus, quandoquidem & accidentia, quæ conſequuntur, & calor ille intenſus, & color, ſatis teſtantur fieri hæc omnia à ſanguine feruente. Hoc ergo, ni fallor, firmiter conſtituto,iam ſtrata eſt via diſſoluendi difficillima & pulcherrima problemata,quæ circa hos morbos oriuntur.Primum eſt,cur ſit quod nullus ferè homo hiſce temporibus reperiatur qui ab hoc morbo euadere poſſit? Secundum, cur pueri potiſſimùm hac calamitate tententur, & inter eos alij citiùs, alij tardius? Tertium eſt, cur Variolæ, & morbilli in aliquibus ſint lethales, in aliquibus verò ſalubres? Quartum, cur nonnulli paucis Variolis tententur, nonnulli pluribus, aliqui verò ita immaniter tractentur, vt toto vitæ tempore deturpati remaneant. Quintum eſt, cur Variolæ omnium maximè faciem deforment, & poſt faciem manus, & pedes exerceant? nam cum hi duriſſimam pellem habeant, æquum videtur debere eos mitiùs tractari, quàm ceteras partes. Sextum eſt, cur Variolæ magis infeſtent oculos, vt dicit Rhaſes lib. 6. cap. De viſione, quàm morbilli? Septimum, cur cum morbilli, & Variolæ ſint contagioſi, potiſſimum tamen conſanguineis communicetur hoc malum, ita vt videamus & fratres, & conſobrinos facilè à ſuis inquinari? Octauum, cur aliqui tententur bis hoc morbo,rariſſimè ter,ferè omnes ſemel tantum? Nonum & poſtremum eſt,cur facies,labia, & præputium ita interdum inquinentur, vt in ipſis veſtigia indelebilia fiant? nam hoc experientia compertiſſimum eſt, quotieſcunque remanent veſtigia Variolarum,potiſsimum manere in facie, ſupra labia, atque etiam in ipſo præputio. Ad primum dicendum eſt, nullum ferè euadere ab hac clamitate, quia omnes naſcimur ex parentibus, qui hoc vitio ſunt tentati. Sicut enim iam oſtenſum eſt morbos fieri hæreditate, quia parentes iis morbis ſunt tentati; pari pacto poſſumus arguere omnes homines tentari Variolis paterna hæreditate,quia parẽtes noſtri omnes hac lue laborarunt: id enim perinde accidit, vt id quod ſcribit Hip.in lib. De aquis, aëre, & locis;de Macrocephalis Indiæ populis;nam primum gens illa arte & ſtudio cœpit infantibus capita oblonga facere, vnde cum parentes huiuſcemodi capitibus præditi eſsét,factum eſt,vt filij ab ipſis ſimiles ſint geniti, adeo vt proprietate paterna tota illa gẽs facta ſit macrocephala. Sic propemodum cõtingit in variolis,& morbillis. Initio hic morbus vitio cæli omnes tentauit, aut ferè omnes, qui deinceps hanc proprietatem paternam in filiis inferentes,non eſt mirum,ſi longè,latéque malum propagarint;& hæc proprietas facta ſit nõ ſolũ promiſcua,ſed etiam naturalis.Fiunt autem hi morbi,quod erat ſecundũ problema, in aliquibus lethales, in aliquibus ſalutares, propter diuerſas cauſſas, ſed potiſſimùm propter cauſſas tum internas, tum externas. Propter internas, quia ſunt aliqui ita prauo corporis habitu præditi,ita ſordidis excrementis repleti,vt bulliente ſanguine,vnà cum ichoribus fiat ignis inextinguibilis in corpore, & putredo irremediabilis. Fiunt etiam lethales propter cauſſas externas, ſcilicet propter morbidi cæli iniquitatem,nec non ob errores victus mẽdicorum,& adſtantium. Fiunt autẽ ſalutares, potiſſimũ in iis, in quibus præter ichores nihil eſt prauum,nihilque putridum, & in quibus nulla cauſſa morbifica externa operatur;non aër, non,victus, neque quidquã aliud.Quoad tertiũ problema,cur pueri tententur potiſſimum hoc malo,fit propter varias,& diuerſas rationes.Prima eſt,quia corpora eorum ſunt referti ſsima ſanguine & ichoribus;adhæc abundãt maximo calore:vnde cùm præter proprietatem & aptitudinem paternã habeãt in ſe ipſis fomitem illum, & materiã, & commune agens efficax,rationi conſentaneum eſt, illos debere præ cæteris hac ægritudine tentari. Abundare pueros ſanguine, & ichoribus, ex eo facilè conjicitur,quia ſunt proximi principiis ſuæ generationis;fit enim generatio animalium,

& præſer

& præſertim hominis, penè tota ex ſanguine; vnde iure pueri omnes ſanguinei ſunt. Eſt & alia ratio; quia pueri nondum excernunt ſemen, vt ob hoc in iis totus penè ſanguis conſeruetur. Atque Hipp. quidem in lib. De genitura dicit pueris, & virginibus impediri ſeminis excretionem, quia vaſa eorum corporum ſunt anguſta, exilia, ita vt non poſſit per ipſa ſemen, ſeu ſanguis ei deſtinatus excurrere, & propterea in iis non fieri agitationem humidi, nec pruritum; quæ omnia ſatis manifeſtè indicant in pueris magnam ſanguinis copiã reperiri. Et quod dicit Plato in Timæo, & Gal. 6. De locis affectis, arbores, & plantas ægrotare propter copiam humidi, & alimenti; ſic dicendum eſt de pueris, ſcilicet eos obnoxios eſſe huic ægritudini, propter immenſam ſanguinis vbertatem. Ichores etiam abundare in ipſis, veriſimile eſt, quandoquidem ea ætas eſt vorax, & innumeras cruditates committit. Iam verò certum eſt ichores ipſos, vt aliàs dixi, nil aliud eſſe, niſi partes tenuiores & crudiores ipſius ſanguinis. Calorem etiam in ipſis abundare manifeſtiſſimum eſt, tam naturalem quàm accidentalẽ. De naturali eſt oraculum Hipppocratis, pueros habere plurimum calidi innati: de accidentario etiam probari poteſt, quia hæc ætas in perpetuo eſt motu, perpetuo clamat; & tandem nihil agit pueritia, quod non ſit potens calorem in ipſorum corporibus excitare; quo fit, vt illi, qui pluribus ichoribus abundant, qui plurimum mouentur, qui magis ſunt ſanguinolenti: etiam tententur citiùs his morbis, quàm illi, qui minus ſunt ſanguinei, qui minus mouentur, minus clamant, & pauciores cruditates committunt. Nam Theophraſtus in libro De ſudoribus dicit eruptiones & papulas in noſtris corporibus fieri propter tres cauſas; propter tempeſtates, propter motum corporis, (qui in corporibus noſtris calorem excitare ſolet) & poſtremò propter excrementorum redundantiam, aut aliquid aliud, quod cauſſæ mouentis rationem in corpore habere poſſit. Quarti problematis ſolutio eſt, eos qui multis ichoribus abundant, conſequenter pluribus morbillis, & variolis tentari, qui verò paucioribus, rationabiliter etiam paucioribus variolis, & morbillis tentari, pari pacto in quibus ichores pauci ſunt, & tenaces, in iis quoque turpiſſimæ cicatrices relinquuntur, atque etiam perpetuæ depilationes. Relinquuntur turpes cicatrices, quòd quemadmodum qui laborant liene, vt dicit Ariſt. 9. problem. 5. nigras & turpes cicatrices ex vlceribus habent ob ſanguinem morbidum; ſic in quibus ichores praui ſunt, ſit vt ab vlceribus Variolarum relinquantur turpes cicatrices. Fiunt pariter perpetuæ depilationes, quia vbi ichores craſſi, & praui ſunt, dum feruent, carnes ipſas mirificè exedunt, quibus abſumptis, fit, vt non ſolum cicatrices duræ remaneant, ſed etiam pabulum piloſum omnino deſideretur; atque hoc eſt, quod dicit Ariſt. 16. problem. 31. in cicatricibus hominum non oriri pilos, tum propter denſitatem cutis, tum maximè propter inopiam alimenti. Ad quintum reſpondendum eſt, in variolis, & morbillis potiſſimum & citiſſimè tentari faciem propter tres cauſſas; quarum prima eſt, quia in his morbis ebullitio fit in toto corpore; vnde ſicuti videmus ex humoribus feruentibus vapores ſurſum eleuari; ſic ſtatim atque incipit ebullire ichorum & ſanguinis maſſa, ſimul vapores in caput atque in faciem tolluntur. Secunda eſt, quia in hac ebullitione motus ichorum maximo impetu fit; vt iure dixerit Auenzoar febrem hanc eſſe impetuoſam; impetus autem duo præſtat. 1. efficit, vt humores ſurſum tollantur. 2. vt neque cerebrum, neque ſpiritus, neque aër reſiſtere poſſit; ex quo licet in facie ſint ſpiritus, & hæc pars expoſita ſit aëri, nihil tamen horum aduerſum impetum humorum poteſt. 3. cauſa eſt ex Ariſt. 36. problemat. 3. quo in loco ſcribit varos fieri potiſſimùm in facie, quia locus humidus, & rarus eſt. Quare cum humiditas, & raritas diſponat partes ad recipiendum, conſequenter efficit, vt materia morbillorum in iis magnopere valeat.

cœli valeat. De manibus, & de pedibus, cur ſcilicet hæ partes potiſſimum in variolis tententur, ſunt & cauſſæ accommodatiſſimæ & veræ. primò enim lædũtur manus, & pedes, quia totus hic morbus fit tantùm à iecore, tum à partibus iecori proximis; quandoquidem in illis partibus tamquam in propria ſede collocata eſt naturalis facultas. Iam verò inter iecur, & pedes, atq; manus eſt maxima ſympathia, quod vnuſquiſque intelligere poteſt ex eo, quia qui calido iecore ſunt, & manus, & pedes ſemper calentes habent. ratione ergo huius ſympathiæ fit, vt cum facultas naturalis conatur ab internis partibus ad externa materiam protrudere, potius in manus, & pedes eam tranſmittat; tùm quia hæ partes longiſſimæ ſunt, tùm maximè, vt dixi, propter hanc cogeneritatem, vt ſic dicam. De hac iecoris cũ manibus, & pedibus ſympathia Rhaſes 17. continentis, vbi loquitur de iecore, & Auic. 14.3. tract. 1. cap. 3. & 30. necnon & 2.1. doctrin. 3. cap. 1. dicunt breuitatem digitorum indicare paruitatem iecoris, & conſequenter ab eorum longitudine indicari eius magnitudinem; quanquam Auer. 4. collectorum capite de ſignis iecoris, irrideat hac in re Auicennam, quaſi ignorarit quæ, & vbi ſit virtus verè formatiua. Poteſt addi his rationibus, manus, & pedes calore valere potiſſimum propter motum continuum harum partium, propter quem calorem Plutarchus in quæſtionibus naturalibus ſolebat dicere pedes & manus vrſarum eſſe iucundiſſimas; quia in hoc animali cùm manus & pedes maximè exerceantur, calore quoque valere, & ob calorem ſuccos apprimè in eis concoqui veriſimile eſt. Sic nos dicere etiam poſſumus, quòd cum in iuuenibus, & pueris in perpetuo motu manus & pedes ſint, rationabiliter vehementer calent, & ratione caloris dilatati attrahunt; vbi ſimul concurrunt & ſtudium naturæ expellentis, & aptitudo partium ad recipiendum, & attrahendum. Ad ſextum reſpondendum eſt, oculos, licet membra ſint ſat imbecilla, tamen propter ſui præſtantiam à natura donatos eſſe mira quadam facultate externis iniuriis reſiſtendi: quod cũ cognoſceret Ariſt. 31. problem. 22. dicebat oculos ſolos non rigere, neque gelu tentari. Propter hanc igitur vim reſiſtendi iniuriis externis, vbi materia ſubtilis eſt & tenuis, facilè eam à ſe repellit. Vbi autem craſſior, & tenacior eſt, nequaquam repelli poteſt, aut multo minus repellitur, & ideo cum in morbillis tenuis & ſubtilis ſit materia, ea oculorum vi repellitur: in variolis, quia craſſior & tenacior eſt, nequaquam repelli poteſt, aut multo minus repellitur, & iccirco magis offenduntur in iis oculi quàm in morbillis. Ad ſeptimum, iam in tractatu de peſtilentia copioſiſſimè de contagio diſputaui; nunc illud tantum dicam, morbillos & variolas contagioſos eſſe propter duo potiſſimum. Vnum eſt, quia hoc malum fit ex feruente ſanguine, à quo longè lateque mittuntur vapores, qui aliorum corpora ingredientes, facilè ipſa contaminant, quemadmodum in ophthalmia contingere ſolet. Alia ratio cur hi morbi ſint contagioſi, eſt proprietas illa paterna, & hæreditaria, quæ in omnibus reperitur, vnde cum conſanguinei habeant hãc proprietatem penè ipſis ſimilem, cum etiam in ipſis humores ſint ſimiliores, iure ſit, vt iſti promptius, & facilius ab infectis coinquinentur; quæ etiam ratio facit, vt in peſtilentiis familiæ deſtruantur propter hanc humorum ſimilitudinem. Ad octauum dico, hæreditariam hanc huius mali proprietatem tantiſper in hominibus permanere, donec partes ſeminariæ, quibus implantata eſt, durant: verumtamẽ quia hæc proprietas ex ſe nihil habet, niſi quia diſponit, ſit, vt potiſſimum in pueritia ſemel, vt plurimum, homines tentẽtur: quia ichores, qui ſunt fomites huius mali, ob ſui tenuitatem promptè inflammantur, & vbi pars eorum inflammatur, facilè incendium toti maſſæ communicatur; & vbi ſemel communicatum eſt, tota quoque conſumitur. Exemplum eſt de aceruo pa-

leæ,cuius ſi aliqua particula accendatur, protinus totus ardet, atque etiam conſumitur. Quòd ſi forte fortuna tota maſſa ichorum,neque vna vice inflammetur, neque conſumatur, fit vt malum redeat; quia præter proprietatem hæreditariam relinquitur ſimul fomes.Sed quia,vt dicebam,rariſſimè fit,vt inflammata vna parte ichorum, tota maſſa non inflammetur, & conſequenter conſumatur, fit etiam conſequenter rariſſimè, vt contingat aliquem ſecunda vice, aut tertia hoc morbo corripi; propter quod damnandus eſt Auerr. qui 4. colliget. dicit hunc morbum abſolutè ſemel in vita contingere. Sed video aliquē ex me percunctaturum, nunquid hæc proprietas hæreditaria ſit facta nobis ita naturalis, vt quemadmodum perpetua eſt in indiuiduis,ſic quoq; perpetua ſit in ſpecie; adeò vt licet hic morbus inceperit, numquam tamen deſiturus ſit. Ex vna parte ratio, quam modò dixi, ſatis efficax videtur; ex altera,ſcimus pleroſque morbos nouos tandem deſiiſſe. Celebre enim eſt,maiores noſtros laboraſſe mentagra, ſceletyrbe; qui morbi noſtris regionibus tempore Plinij noti fuerunt, & tamen tandem ſunt finiti. Dixi etiam aliàs, dum agerem de morbo gallico,eum eſſe aliquando deſiturum, vt iam videmus illum inclinari; & multi probarunt non adeò vehementem & immanem eſſe, vt erat exactis iam temporibus. Quare idem videtur dicendum de Variolis; tamen hæc res ſatis difficilis eſt intellectu,quia ea eſt animi noſtri imbecillitas, ea futurarum rerum profunda obſcuritas, vt non poſſimus quidquam certi aſſerere; puto tamen poſſe fieri,vt voluentibus annis, quemadmodum hic morbus aëris iniquitate nos vexare cœpit,ſic etiam beneficio cæli ceſſaturus ſit; ita vt vel ex toto finiantur hi morbi,vel ſaltem in aliquos mitiores conuertantur. Ad nonum & vltimum dicendum eſt, maximè deformari à veſtigiis Variolarum genas, labia, & præputium propter multas cauſſas. Prima habetur apud Ariſt.3. De hiſt. animal.11. quo in loco Philoſophus ſcribit,quòd vbi cutis oſſibus immediatè adhæret ſine carne, vel vbi eſt per ſe ſine carne, aut cum pauca, in iis partibus vulnera difficulter coaleſcant. Vnde cum in genis cutis ferè ſine carne ſit proxime os, aut ſaltem cum pauca carne; cum etiam labia, & præputium ſint veluti cutes ſeparatæ ſine carne,& ſine oſſe;non eſt mirum, ſi cùm vlceribus variolarum dilacerantur, aut nullo modo, aut turpiter, & ægrè coaleſcant. Si dicit Trallianus 1. problem.med.3. vlcera in capite non admodum dolorem inducere, quia in parte capitis omnis cutis,vel eſt prorſus ſine carne, vel cum pauca. Secunda cauſſa eſt, quia in facie facultas naturalis reſiſtendi admodum imbecillis eſt, quoniam tota illa pars dicata fuit à natura virtuti ſenſitiuæ; vt ob id cùm vix poſſint eſſe ſimul facultas animalis valida,& naturalis,neceſſe fuerit facultatem naturalem in facie infirmam eſſe,& proptèrea non poſſe optimè vlcera ipſa corrigere,& illam defœdationem auertere. Tertia eſt,quia in facie maior fit humorum putrefactio, quàm in aliis partibus, quæ cum exedat vehementer & cutē & carnes, fit vt vlcera grauiā relinquant in ipſis veſtigia indelebilia. Quod autem in facie potiſſimum humores corrumpantur,ratio colligi poteſt ex magno Ariſt.4. De hiſt.animal.19.vbi loquens de ſanguine,dicit,& ſanguinem, & partes ſanguineas citiſſimè putreſcere circa oſſa; cuius rei rationem adferens Albertus Magnus lib.3. De animal.6. dicit idcirco id fieri, quia oſſa calida ſunt; eſſe autem calida probat teſtimonio Empedoclis,qui,vt habetur apud Ariſt.1. De animal. textu 77. dicit in fabricatione oſſium, aliorum elementorum ſingulorum partes fuiſſe duas, ignis verò quatuor. Quare cum in genis ſint oſſa, & adhæc pauca caro, multa pellis,vel cutis,fit vt hi humores & ichores ad hanc partem fluant, & citiſsimè & inſigniter putrefiant. Atque hæc experientia ipſa comprobat; quia ſicut celerrimè omnium in facie ap-
parent

parent Variolæ:ſic etiam celerrimè ſuppurantur.Igitur ex hoc noſtro diſcurſu poterit facilè intelligi, cauſſam immediatam morbillorum, & Variolarum eſſe ichores ipſos ſanguinis,qui prout eſt melancholicus,vel pituitoſus,vel bilioſus, ſic facere ſolet variolas modò purpureas, modò albas, modò violaceas, modò nigras, quemadmodum dicit Auicennas, atque etiam omnes Arabes. Ceterùm cauſſæ Variolarum internæ & mediatæ complures ſunt; imprimis complexio calida & humida, habitus corporis adhuc tener,& obeſus,ætas puerilis primùm, deinde iuuenilis, & hoc eſt illud,quod dicit Auicennas, corpora calida,& humida, præſertim puerilia, eſſe maximè præparata ad ſuſcipiendos morbillos, & variolas. Addit Raſes puerorum corpora magis eſſe obnoxia, quàm puellarum, nec immeritò; quia etſi eadem proprietas, & materia æquè ſit in his & illis, diſpar tamen eſt calor; hic enim cum maior ſit in pueris, conſequenter eorum corpora debent eſſe his morbis paratiora. Cauſſæ externæ ſunt aër calidus & humidus, conſtitutio auſtrina, tempus vernum, regio calida & humida; propter quod iure dictum eſt à medicis Arabibus, hos morbos ſequi peſtiferas conſtitutiones temporum. Eſt autem hac in re nonnihil controuerſiæ, quia Raſes 18. continentis videtur in ea fuiſſe ſententia, quòd autumnus ſit magis ferax morbillorum, & variolarum quàm Ver; cuius contrarium manifeſtiſſimè ſcribit Auicennas. Pro qua re ita decernendum eſt, autumnum ſua natura nequaquam feraciorem eſſe horum morborum, quàm Ver, quandoquidem ſiccus eſt; ſed ſi in Autumno auſtri dominentur, planè ſolent & variolæ, & morbilli copioſiſſimè exoriri; & hoc eſt, quod voluit Raſes intelligere. Adhæc exercitationes corporis immodicæ, ſupercalefactiones omnes inter cauſſas externas referuntur; maximè autem morbillos ſolet efficere vſus vini meracioris, ciborum calidorum, pinguium, dulcium; quod cùm intelligerent Auicennas & Raſes, dixerunt eos facilè tentari his morbis, qui veſcuntur cibis dulcibus, & præſertim lacte camelarum, equarum,& dactylis; cuius generis ſunt multi populi Orientales, & etiam magna pars Tartarorum. Illud aduertendum, ad confirmandam ſententiam noſtram de cauſſis horum morborum, magnopere conferre id, quod dicunt Arabes de lacte camelarum, & equarum; quandoquidem lac horum animalium, vt docet Galenus 3. De alimen. facult. 18. & libro De cibis boni & mali ſucci 4. aquoſum maximè & ſeroſum eſt, propter quod non ſatis intelligere poſſum, quid voluerit ſignificare Ariſtotel. cùm 6. De hiſtoria animalium 26. dicebat conſueuiſſe potatores lactis camelarum admiſcere illi aquam, ſicut nos vino admiſcemus; ſed vtcumque ſit, lac horum animalium aquoſum, & ſeroſum eſt. A quo fit, vt vſu horum multiplicentur ichores, & occaſio præbeatur generationi horum morborum. Adnumerantur quoque cibi corrupti, & putridi, ſed poſſumus etiam connumerare contagium. Atque hæc de cauſſis dicta ſufficiant: nunc remanet vt de ſignis agamus. Aduertendus autem nouus modus, & ordo ea inueſtigandi: ſi quidem effectus omnes morborum, vel ſunt immediati, vel mediati; immediati vel ſunt affectus permanentes, & in actu; vel ſunt actiones læſæ. Effectus mediati vel ſunt excrementa mutata, vel ſunt affectus præter naturam. Nec miretur quis me affectus præter naturam facere modò mediatos effectus morborum, modò immediatos; quia hoc etiam factum eſt à Galeno lib. De differentiis ſymptomatum, immò rei natura ipſa hoc docet. Appellantur effectus immediati morborum, quia immediatè ab ipſis proficiſcuntur, & interdum hac ratione vocantur à Galeno ſymptomata prima. Effectus verò mediati dicuntur à Galeno, qui à morbis proficiſcuntur medio aliorum ſymptomatum, id eſt, vel medio

affectuum præter naturam permanentium,vel medio actionum læſarum; atque hi affectus dicuntur à Galeno ſymptomata ſecunda. Quare ex his effectibus morborum conſtituuntur tres fontes ſignorum.Primus actionum læſarum.Secundus excrementorum mutatorum. Tertius affectuum præter naturam. Dicuntur enim ſigna & ſymptomata vera, quia verior & certior cauſſas cognoſcendi ratio eſt capienda ab effectibus eorum, fuit enim hoc Chriſti oraculum; Ab effectibus eorum cognoſcetis eos. Sed quia effectus poſtcedunt ipſas cauſſas, hinc fit, vt ab his duntaxat cognoſci poſſint morbi iam præſentes. Quare ſi comparanda ſunt ſigna futurorum morborum, alia ratione quærenda ſunt;& modus quærendi eſt à cauſſis morborum,non à morbis; quia cauſſæ quæ producunt hos effectus,ex his cognoſcuntur tamquam productrices morborum, quæ ſpeculatio in praxi diligenter eſt notanda. Horum morborum medici Arabes rei natura ducti proponunt nobis multa ſigna, quibus cognoſcere poſſumus variolas, & morbillos futuros eſſe; quia hæc ab iiſdem cauſſis promanāt,id eſt, à ſanguinis ebullitione, à qua manant etiam hi morbi; vt raucedo, quæ fit, quando ex ebullitione circa partes ſpirituales exſiccantur partes vocis; capitis dolor, oculorum & faciei inflammatio; pandiculationes, lacrymarum fluxus, ſternutatio frequens,ſubitus tremor. Obſeruaui etiam ego inter hæc eſſe dolorem ventris & tormina; atque hæc omnia ſunt effectus earūdem cauſſarum,quarum ſunt etiam morbi,& propterea vel comitātur eos immediatè, vel præcedunt. Sed his etiam poſſumus addere quædam ſigna extrinſeca, vt eſt contagium. Si enim quis conuerſatus fuerit cum laborantibus ex Variolis,ſuſpicandū eſt ne & ipſe corripiatur.Si morbi hi vagentur,hoc etiam ſignum eſſe poteſt futuri,morbi. Iam verò ſigna,quæ indicāt præſentes eſſe morbos, petuntur ab actionib.læſis; & ſunt delirium, quod poſui,tum quia Auenzoar hoc adfert, tum quia experientia ferè perpetua probaui, quo tempore erumpunt hi morbi,ægros ferè ſemper delirare, & iure,propter inſignem illam agitationē,quæ fit in corpore;adhæc inſomnia terrifica,pauores in ſomniis, dolor gutturis, & pectoris, difficultas anhelitus, tremor pedum, & manuum. Ab excrementis mutatis ſigna capiuntur hæc; fluxus lacrymarum, qui poteſt eſſe & ſignum præcedens, & ſubſequens; vrina alba,pura,& ferè ſanis ſimilis; retentio fæcis ferè cōſummata. Nam cum humor aliò mittatur à natura,fæces exſiccatæ remanentes iure retinentur in inteſtinis. Ab affectibus præter naturam hæc ſunt ſigna; febris ſynocha,ſeu concluſa, quæ modò eſt ſine putredine, modò cum putredine; & aduertendum fabulas eſſe, quòd diſputant nonnulli, an variolæ, & morbilli poſſint eſſe ſine febre; quia ſi veræ ſint variolæ, & morbilli, fieri nequaquam poteſt quin adſit febris, ſaltem priuſquam erumpant; adhæc faciei rubedo, & aſperitas totius corporis, pruritus narium, oculorum, & alia. Sed maximum omnium indicium eſt, quia apparent tubercula in morbillis rubra, non alta; in variolis primò apparent veluti capita acuum, mox maiora fiunt & rubra, ſicque in dies augentur, quouſque tandem ſuppurantur, albeſcunt, exulcerantur, & exſiccantur, variolæ autem & morbilli ſolent plerumque ad ſalutem terminari, eò quod plerumque etiam eſt veluti criticus naturæ motus; ſed interdum etiam terminantur ad mortem, præſertim quo tempore inſtar peſtis vagantur; quemadmodum hoc anno intellexi in pluribus Italiæ ciuitatibus multos & pueros & grandiores extinctos eſſe. Quare non eſt dubitandum, quin hic morbus acutus ſit, eò quia eſt cum vehementi motu, atque etiam cum periculo, quos duos eſſe characteres morborum acutorum docet Galenus ex ſententia Archigenis in lib. de temporibus morborum. Neque obſtat, quod dixi ex Auicenna eſſe hunc motum

veluti

veluti motum criticum, quandoquidem; vt locupletiſſimè declarat Gal. in libro De criſibus, criſis dicitur æquè bona, atque mala; vt iure dicere poſſimus & motum eſſe criticum, & etiam periculoſum. Vtile ergo eſt cognoſcere poſſe per ſigna ſua, quando hi morbi lethales, & quando ſalutares ſint. Si variolæ & morbilli albi ſunt, ſi pauci apparent, & ſine vllo alio accidente: vel ſi multi apparent, & febris diminuatur, atque alia accidentia; ſi facilitas anhelitus adſit, proculdubio indubitatum argumentum ſalutis eſſe ſolet. Sic ſi variolæ violaceæ ſint, aut nigræ, aut virides; ſi vel paucæ, vel multæ appareant, & nihilominus reliqua exacerbentur accidentia, proculdubio exitiale ſignum eſt, & eo maximè ſi anhelitus adſit difficultas. Scribit Auer. 4. collect. 37. ſignum expertum eſſe, quòd vbi in febribus fiunt in cute tubera, id totum malum promanat à cauſſa peſtifera, præſertim ſi vlceratis tuberculis illis fiant eſcharæ ſimiles combuſtioni ignis. Eſt vnum conſiderationedignum, quod prodidit Auicennas, eos qui moriuntur propter variolas, ob duas potiſſimum cauſſas perire; vel quia ſtrangulantur angina, aut alia inflammatione; vel quia propter alui fluxum virtutes omnes languent, & ita ægri pereũt. Ex quo loco notandum, quomodo intelligendum ſit illud, quod aliàs dicit Auicennas 2.4. tract. 2. cap. 98. vbi ſcribit interdum contingere, vt ægri in declinationibus Variolarum pereant; eſt enim conſtitutum, & à Gal. 2. de criſibus, & ab Auic. in 1.4. & aliis, fieri nequaquam poſſe, vt ægri in declinationibus pereant, & tamen dicit Auic. interdum mortem contingere in declinatione variolarum. Habetur ex dictis Auic. huius rei ſolutio, quandoquidem variolæ interdum videntur declinare, & non declinant; eo quia materia reuertitur ad partes nobiles internas, quo fit, vt exterius quidem videantur declinare, ſed nequaquam verè declinent. Immò verò poteſt eſſe, vt variolæ verè declinent, & tamen ægri pereant, hac quidem ratione; quia cum materia non potuerit tota protrudi à natura ad cutem, fit vt pars protruſa ad cutem exſiccetur, & quantum eſt ex ipſa ſanitas inducatur. Verumtamen materia, quæ remanſit, contingere poteſt vt vel à natura, vel erroribus medicorum, aut ægrorum deflectat ad viſcera, vbi inſignes inflammationes, fluxus, & dyſenterias faciens, & conſequenter vires iugulans mortem inducit. Illud notandum, morbillos vix vmquam medicamentis externis tractari ſolere; variolas verò, & morbillos habere ferè remedia & præſeruatoria, & curatoria eadem; quo fit, vt quæcumque dixero de curatione variolarum, ea quoque dicta putari velim de morbillis. Auenzoar in lib. De peſte videtur hanc ſententiam ſequutus, quòd variolæ etiam opus habeant præſeruatione, perinde ac omnis peſtis. Ceterum ſi rem exactè æſtimemus, multum abeſt, vt vlla præſeruatio his morbis debeatur: quandoquidem ſtatim atque præcognoſcitur hoc genus morbi, duos tantùm ſcopos ſolent habere medici: vnum, vt auxilientur naturæ expellenti; alterum, vt præſeruent quo minus in hac expulſione partes internæ & externæ corporis aliquid detrimenti patiantur. Solent autem, qui à medicis curantur in his morbis, eſſe duûm generum; vel enim ſunt lactentes, vel non lactentes. Lactentium cura poſita eſt tota in medicatione nutricum, loquor de remediis internis. Hipp. enim 6. epid. ſect. 5. tex. 34. ſcriptum reliquit, mulierem, & capram nutritas elaterio, vel cucumere ſylueſtri eſſe pueris purgationem; quam ſententiam cùm Galenus interpretaretur, duo ſumma animaduerſione digna nos docuit. Primum eſt, ab Hippocrate elaterij nomine intelligi omne genus medicamenti, etiam ſubductorium ſeu lenitoriũ. Secundum eſt, ipſum hoc breui oraculo duo documenta nobis attuliſſe, quorum alterum ad vſum medicinæ pertinet: alterum verò ad phyſici dogmatis definitionem. Pro vſu medicinæ documentum eſt, vt ſi purgandi, au medicandi ſint pueri,

ſolum purgentur per nutrices. Explodendi ſunt ergo iſti carnifices, qui lactenti-bus ore medicamentum dare non erubeſcunt. Pro definitione dogmatis phyſici, quia controuerſum eſt inter veteres, numquid lac facultates & vires ciborum re-tineat; aliis negantibus, quòd ſcilicet in tot permutationibus & coctionibus non poſſint conſeruari: aliis verò affirmantibus, controuerſiam omnem tollit Hip-pocrates, qui docet vires & medicamentorum & ciborum conſeruari in lacte & in ſanguine; quam ſententiam confirmat etiam Galenus compluribus exemplis, vt ibi videre eſt. Vt ergo ordine tota hæc curatio perficiatur, primò videndum eſt, quando in initio huius curationis præſeruanda ſint à venenis membra pa-tientium externa, & interna. Externa cuſtodienda in his morbis ſunt oculi, au-res, nares, & fauces; quas liceat mihi ponere inter externa, quia viſu conſpi-ciuntur. Interna ſunt iecur, pulmo, & potiſſimum ipſa inteſtina: oculi plerum-que & feruore & ichorum tenacitate ita ſolent cruciari, vt vlcerentur. quaprop-ter ſtatim vigilandum eſt, vt hæc pars nihil detrimenti ſuſcipiat; quod facilè conſequi poterimus, ſi quamprimum ab oculis ſtudebimus repellere impetum ichorum, quod fit rebus refrigerantibus & moderatè adſtringentibus; vt eſt aqua roſacea ſimplex, cui ſumach ſit immaceratum: aqua plantaginis ſola, vel cum ſumach: aqua pura, in qua ſit extinctum aurum. Soleo ego vti huiuſmodi aqua. Recipe aquæ roſaceæ, plantaginis an. vnc. v. ſumach vnc. s. immacerentur per noctem, & cum modico albumine oui fiat miſtura. Vſus eſt, vt modicum goſſi-pij, vel bombacis immaceretur in hoc liquore, quo deinde oculi crebrò made-fiant. Quod ſi dolor vrgeat, vti ſoleo lacte chalybeato, lacte cum aqua roſacea commiſto: poteſt etiam ipſi lacti & aquæ roſaceæ immiſceri modicum myrrhæ, quia pruritum & dolorem illum magnopere leuat. Omninò autem cauendum eſt, ne oculi ipſi ſcalpantur, quandoquidem hoc pernicioſiſſimum eſt. Sic ſi au-res patiantur dolorem, vel pruritum; curandum eſt, ne manibus contrectentur; & ſi fluant, vt ſæpè ſolent, dimittendum eſt & curandum vt apertæ maneant; ſed quando dolor vrget immaceranda eſt ſpongia in aqua tepente cum oleo roſaceo, & ita detinenda ſuper aurem dolentem. Vbi nares malè afficiuntur, ita vt timea-tur ne vlcerentur, optimum eſt attrahere poſcam naribus, adhibere odoramenta ex roſis, plantagine, myrto; hæc enim omnia bullire debent in aqua, & fumus tepidus attrahi naribus. Pari pacto pro defendendis faucibus magnopere vtile eſt vti gargariſmatis factis ex rebus adſtringentibus & refrigerantibus, vt eſt illud. Rec. aquæ hordei lib. 1. s. foliorum plantaginis, florum roſarum an. p. s. ſumach, ribes an. vnc. 3. bulliant ſimul, & cum decocto colluatur os; cui poteſt addi ſuccus granatorum, berberorum, aranciorum. Ego ſoleo maximo ſucceſſu commendare, vt grana granatorum ſæpè ore teneantur, & etiam deglutiantur: hæc ſunt quæ ne-ceſſariò fieri debent pro defenſione externorum membrorum. Quæ conueniunt pro defendendis internis membris, eadem ſunt, quæ in tota curatione vſurpantur: quandoquidem cardo huius curationis eſt hic, vt à partibus internis ad externas reuellantur ichores morbidi. Sunt verò, quæ conueniunt pro curatione trium ge-nerum; alia ſunt remedia diætetica, alia chirurgica, alia pharmaceutica. De remediis diæteticis ita conſtituo, vt eligatur in primis aër temperatus, vel potius calidus; detineantur ægri optimè tecti pannis, quemadmodum omnes faciunt, rubris: cauendus verò abuſus, quoniam mulieres interdum copia pannorum ſtrangulant penè ægrotantes, & ad ſyncopen deducunt; ſat erit prouidere, vt par-tes extimæ potius caleant quàm refrigerentur: & ſi præ caliditate videatur lin-gua nigreſcere, anhelare ægrotantes, & ſyncope imminere, curandum vt

prope

prope os ægrotantis ſit vas aqua frigida plenũ, à qua poſſit inſpirari aër frigidus; &,ſi opus erit,etiam detergenda erunt corpora,modò frigus non ſentiant; moderatus ſomnus eſſe debet, & potius vigilandum, quàm dormiendum, quandoquidem ſomno cohibentur omnes euacuationes. Animi motus compeſci debent: fugiendus eſt timor,neque ægrè ferendum eſt, quòd ægri interdum iraſcantur; quia ira nonnihil confert ad extrudendos humores in corporis ſuperficiem. Vitanda eſt repletio, & inanitio. Si aluus adſtricta ſit, leniſſimis clyſteribus, aut glandulis vtendum eſt. Laudo in hoc magnopere Raſem, qui conſuluit,ne pro aluo lenienda vteremur cibis laxantibus; quandoquidem periculum eſt,ne alui fluxus ſequatur, qui ſolet eſſe pernicioſiſſimus, & multo magis etiam omne medicamenti genus fugiendum eſt. Corpora continenda ſunt in ſumma quiete, & ſi quid agendum eſt, moderatè fricare pedes & corpus conueniet, quia hæc fricatio confert ad extrahendam materiam à centro ad circumferentiam. A vino abſtinendum erit, donec penitus finita ſit febris, & omnia accidentia. Pro potu vtendum eſt aqua chalybeata, aqua hordei; quibus miſceri poſſunt modò ſuccus citri, modò limonum, modò ribes, aut granatorum, quod ſi pueri, vt moroſi eſſe ſolent, vinum velint, concedendum eſt parciſſimè pauciferum,atque in ipſo immaceranda ſunt olera refrigerantia, vt lactuca, endiuia, acetoſa. Cibi omnes craſſi vitandi ſunt, acres, ſalſi, pingues, potiſſimum autem cauendum eſt à dulcibus omnibus & in potu & in cibo. Nam Auenzoar in fine ſui libri ſcribit, eos qui vtuntur dulcibus, vix poſſe ſeruari, & hoc periculum aliquando ſe ipſum ſubiiſſe teſtatur. Sic debent etiam omnes amari cibi vitari; præſertim in infantibus, quos dicebat Auer. 5. collect. 27. enecari vſu ciborum amarorum, eo quia amara cùm ſicca ſint, maximè aduerſantur & complexioni & vitæ eorum, quæ poſita eſt tota in humido. Quare vtendum eſt cibis facilibus concoctu, refrigerantibus, vt eſt ſuccus hordei; nihil enim æquè præſtans inueniri poteſt. Conueniunt etiam brodia, in quibus coctæ ſint herbæ refrigerantes, panatella, & alia. Soleo ego interdum vti ficubus aridis pro cibo, etſi quandoque Raſes videatur damnare ficus, quia inducunt affectus cutaneos; ego propter hoc maximè laudo, quia facultate quadam ingenita propellunt noxios humores ab internis ad externa. Duo Arabes circa cibum digna conſideratione docent. Vnum eſt, nullam carnem, neque etiam pullorum conuenire in hac curatione; immò etiam damnant vitellos ouorum, priuſquam febris finiatur, & ſupparentur puſtulæ, & ſquammæ cadant. Alterum eſt, magnopere in cibis conuenire lentes, quod intelligendum non eſt de iure ipſarum lentium; quia, vt dicit Galenus 8. De ſimplic. huiuſmodi ius laxat aluum, quod fugiendum eſt:ſed intelligendum eſt de ſubſtantia. Circa primum videtur Arabum documentum inutile eſſe, plerumque enim laborantes ſunt pueri, quos dicit Hipp. 1. aphor. indigere pluri alimento. præterea antequam ſquammæ incipiant cadere,ſolent interdum præterire aut decem,aut quatuordecim dies: tãto autem tempore ſuſtinere puerulos ſine optimo alimento videtur valde pernicioſum. quare ego nequaquam hoc Arabum conſilium ſequor. Sed vbi video periculum omne euaſiſſe ægrotantes, ſoleo liberalius ipſos alere, ita vt ſuſtineantur vires, & ſolidorum partes reſtituantur, & tunc exhibeo vitellos oui in iure cum omphacio, vel ſucco limonum;iubeo etiam fieri aquam carnis cui vitellos oui addo,& hac ratione curationis poſſum teſtari neminem in manibus meis periiſſe, ex quo facio medicinam.Circa alterum,dubium eſt an conueniant lentes;quia Galenus 1.De alimentorum facultatibus 18.dicit eas eſſe craſſi ſucci,& ſi pluſculum quis veſcatur illis, conſequi elephantiaſim,cancros, & alios prauos tumores, propter

quod non videtur debere haberi in frequenti vſu, quod præcipiunt Arabes. Dico lentes conuenire, quia Gal. loco citato inquit vtiles eſſe, vbi in corpore eſt cachexia aquoſa. Iam verò dictum eſt hos morbos fieri ab ichore aquoſo, ſed definienda eſt hæc res hoc pacto. Si lentibus ſolis vtimur, contingit id, quod ſcribit Gal. ſed ſi aliquid illis admiſceatur, quod poſſit craſſitiem eorum incidere, vt dicit Gal. loco citato, maxima ex parte vitatur omnis noxa; quod cum intelligerent ſapientes Arabes, voluerunt vt lentes coquerentur aceto. Quare & in hoc caſu ſi quando vti placebit ipſis pro cibo, ſemper acetum commiſcendum erit. Quantum ad Chirurgiam, dicunt omnes conuenire ſanguinis miſſionem in hac curatione, & certè ſi reſpicimus ebullitionem, ſi plenitudinem corporis, quæ plerumque ſolet hos morbos comitari, proculdubio indicationem habebimus mittendi ſanguinis, quare niſi aliquid obſtiterit, vel ætas, vel aliquid aliud, ego quoque ſuadeo, vt is omnino mittatur. Nec quidquam obſtat, quod Gal. 6. aphor. ſect. 2. text. 29. in caſu Simonis videatur quodam pacto hoc negare, atque ſimul docere huiuſmodi operationes contrarias eſſe motui naturæ; quia ſi rectè aduertatur locus ille Gal. videtur conſulere, vt vbi adeſt materiæ multitudo, minuatur; quo natura alleuiata onere poſſit vehementius expellere. Sed videndum eſt quibus conueniat, nám clarum eſt non conuenire neque debilibus, neque pueris lactentibus qui proximè nati ſunt. Scio equidem laudari Auenz. 7. colliget. 3. qui filio ſuo ſanguinem minuit tertium annum agenti; ſcio etiam Raſen præcipere, pueris lactentibus, ſi quintum menſem exceſſerint, apponendas eſſe cucurbitulas. Sed hæc res magna prudentia eſt tractanda, quia Arabes illi audaciſſimi fuerunt interdum in vſu ſectionis venæ, & medicamentorum. quare niſi pueri ſint corpulenti, ſanguinei, maximeque robuſti, abſtinendum ab omni ſanguinis extractione, præſertim ante nonum, vel decimum menſem; ego enim non ſoleo ante hoc tempus quidquam audere. Mittendi ſanguinem tempus definitur ferè ab omnibus ante quartum diem: ego verò non iudico expectandum illum eſſe, ſed ſtatim prima die viſitationis, eò quod medicus ſemper vocatur, quando iam cœpit ebullitio; quare ad remittendum feruorem, & ad leuandam naturam, magnopere eſt vtile ſtatim ſanguinem minuere, ſi minuendus eſt. Locus eſt varius, & diuerſus apud ſcriptores: plerique laudant venam communem, quam ego etiam laudo in iis, qui exceſſerunt 14. annum, & qui ſanguinei & robuſti ſunt. Sed potius laudo vt mittatur ſanguis à partibus inferinis, à natibus, à poplitibus, à cruribus, ab hæmorrhoidibus, præſertim in melancholicis, & ego ſoleo ferè adhibere in omnibus cucurbitulas, præſertim lumbis, natibus, & poplitibus; & hoc facio non ſolum priuſquam apparere incipiant, ſed etiam poſtquam apparuerunt; quandoquidem hoc maximè confert ad extrahendam materiam ad partes externas. Quantitas debet eſſe moderata, nec video occaſionem dari, vt, quod voluerunt alij, mittatur ſanguis vſque ad ſyncopen: illud verum eſt, his quidem, qui ſunt pleniores, plus mittendum eſſe, minus verò iis, qui minus ſanguinis habent. Tandem modus eſt varius, per venam ſectam, per cucurbitulas, per hirudines. Venam ſecare raro ſoleo, ſed potius vtor vel cucurbitulis, vel hirudinibus, & præſertim in pueris, in quibus ſi non licet vti cucurbitulis, poteſt adhiberi vna vel altera hirudo, quæ idē faciunt. Præter ſanguinis miſſionem aliud eſt chirurgicum remedium, quo vti licet in curatione variolarum, & eſt perforatio tuberculorum. Auicennas & maior pars Arabum volunt, vt quando variolæ ſunt iam dealbatæ, acu aurea perforentur, atq; ille ichor & ille tabus extrahatur; cuius cõſilij hanc habent rationem, quoniā ſi materia in aliqua parte diu retineatur, periculum imminet ne exedat carnem & partē illā, atque ita vlcera profunda euadāt.

Opitu

Opitulari huic conſilio,& rationi videtur etiam Gal.3. lib.de fract.tex. 48. ſcribit in phlyctænis, ſeu in puſtulis ſe conſueuiſſe acu perforare pellem, atque ita per vices plures extrahere aquam & ichores,vt pellis integra remaneat. Ex altera parte fuerunt, qui huiuſmodi conſilium & inutile & ſuperuacaneum exiſtimarunt.Et ego, vt liberè dicam quod ſentio, ſicuti numquam ſoleo curare vt perforem, ſic etiam mihi videtur penè res ſuperuacanea & moleſta: moleſta quidem,quia ægri eo tempore maximè cruciantur; ſuperuacanea etiam, quia certum eſt non debere eas perforari, niſi quando iam factæ ſunt albæ: quo tempore iam clariſſimum eſt, humorem damnum id totum feciſſe quod facere poteſt; quia quo tempore albebo ita apparet, iam ceſſauit feruor & potentia illa exedendi carnes,quare,vt dicebam,ſatius eſſe exiſtimo abſtinere ab hac perforatione,& eo maximè,quod quamprimum albæ apparent, ſimul etiam exſiccantur & decidunt ſquammæ. Illud tamen eſt veriſſimum, ſi perforandæ ſunt,melius eſſe perforare auro, aut ære, quàm ferro;& ratio eſt deſumpta ab Ariſt. auctoritate 1.problem.34.vbi dicebat,vulnera facta à ferro difficilius ſanari,quàm ab ære,propter duas cauſſas. Prima,quia ferrũ magis lacerat. Secunda, quia æs facultatem habet quandam & conſtringendi & glutinandi,idem quoque de auro dicendum eſt,ſcilicet melius eſſe in perforatione vti acu aurea, quàm ferrea. Circa vſum pharmacorum reperio auctores medicinæ partim concordes, partim diſcordes, in hoc conueniunt, nequaquã eſſe vtendum medicamentis vehementioribus:diſcrepant autẽ,quia aliqui exiſtimabant in principio medicamentis lenitiuis vtendum:alij verò non in principio, ſed in fine.Fuerunt etiam, qui nullo pacto in fine vtendum eſſe voluerunt,vt Raſes lib. De peſte, c. 14. Ego autem omnino ſum huius ſententiæ, in principio nullo medicamenti genere vtendum eſſe,tum quia,quemadmodum etiam dixi, medicus ſemper vocatur,quando iam feruor, & ebullitio eſt in ſanguine; tum quia medicamenti operatio turbat materiam ab opere; cum enim motus ille ſit penè totus criticus,præceptum habemus à medicis omnibus mouẽte natura nihil agendum eſſe, niſi ipſa imperfectè moueat; intelligere verò an perfectè moueat in initio non poſſumus. Quare ego ita ſemper ſoleo abſtinere in principio ab omni medicamentorum genere: vtor autem clyſteribus & glandibus ad aluum ipſam ſubducendam., clyſtere autem hoc vti ſoleo.Recipe aquæ hordei lib.1.s.aut lib.1.aut minus,videlicet ſecũdum ætatem,olei violacei vnc.4.butyri vnc.3.ſacchari rubri vnc.1.miſce. Et quia hæc quantitas clyſteris nimia eſt, puerilis ſit deinceps pro captu infantis & pueri. Pro glandibus vti ſoleo vel ſicu arida, vel collyrio ex ſapone,vel glande communi vocata; ad vehementiora numquã progrediendum eſt. Neque poſſum ſatis mirari Nicolaum Florentinum, qui apparentibus variolis non vult vtẽdum eſſe clyſteribus; eſt enim ridiculum exiſtimare in clyſteribus impediri naturæ motum,quia ij in inteſtinis tantùm operantur; motus autem naturæ eſt & prope cutem,& in ipſis venis:neque etiam adeo deiiciunt vires clyſteres,vt timere debeamus.Vbi manifeſtè inclinauit malum, videndum eſt, an penitus materia tota ſit expurgata, quod cognoſcitur ex patientis tranquillitate, ſi enim omnia tranquilla videantur, nulla euacuatio tentanda eſt;ſed ſi in corpore aliquis adhuc tumultus & turbatio appareat,laudo vt aliquo leniẽte ille tumultus ſedetur;vt eſt manna,tamarindi,ſebeſtẽ. & vt habeatur forma;Recipe tamarindorũ vnc.s. ſebeſten num.15.hordei p.s. florum cordial.m.1. fiat decoct.ſ.a. deinde recipe di.de.vnc.4.mannæ electæ vnc.3. s. m. f. po. hæc eſt doſis mediocris medicamenti, quam pro ætate poſtmodum licet augere,vel minuere.Reliquum curationis horum morborũ totum videtur eſſe poſitum in auxilianda natura expellente. Quapropter diligenter erit cogitandum, an

ipſa prõptè & valẽter expellat,an ſegniter operetur. Si ſegniter,ea quæ adhibẽtur, neceſſe eſt vt habeant non ſolum facultatem refrigerandi & adſtringendi, ſed etiã aperiendi, propterea miſcetur aut radix fœniculi, aut capillus Veneris, aut radix apij,cum lentibus,caricis,& aliis, quæ poſſunt expellere.Exempli gratia,rec.lentiũ vnc.1.caticas num 10. foliorum capilli Veneris p.1.radicis apij vnc.s. foliorũ aceto ſæ p. 1. s. Fiat decoctio ſecundum artem, cuius decoctionis capiantur mane & veſperi ante cœnam modò vnc.4.modò vnc.5.modò vnc.6.pro captu patientis. Si natura ſatis validè operetur, licet abſtinere ab iis rebus, quæ aperiunt, & maximè proprer febrem;cum enim hæc ſit inſignis,non eſt deueniendum ad aperientia,niſi cõſtet naturam ſegniter expellere;quod intelligitur tum ex paucitate variolarum, tum etiam ex tarda eruptione. In expellenda materia vtendum erit huiuſmodi decocto. Recipe lentium p.1. ficus num.15.hordei p.s.foliorum lactucæ,aceroſæ an. m.1.fiat decoctio ſecundum artem,prædicti decocti capiantur,vt dictum eſt,mane & veſperi vnc.6. vel 7. vel 8. Cui etiam poteſt miſceri, vt magis iucundum ſit, vel ſuccus granatorum,vel ſuccus ribes,vel mororum. Sic etiã licebit vti trochiſcis de ſpodio, de camphora, quæ omnia maximè conferunt ad expellẽdam materiam. Et aduertenda duo circa vſum lentium,nam plerumque mulieres ſolent indiſcrimina-tim vti primo earum decocto,quo nequaquam vtendum eſt; ratio eſt,quia,vt tradidit Dioſcorides,& Galenus 1. De alimentorum facultatibus, laxat aluum; vnde fit,vt cum pernicie ægrotantium ſequantur fluxus exitiales. Alterũ eſt;non eſſe vtendum lentibus ſolis, nec etiam pro medicamento, quia craſſitiem,& adſtrictionem nimiam habent; & ob id optimum eſt admiſcere hordeum, caricas, & alia huiuſmodi. Extrinſecus nihil aliud agendum eſt,niſi prouidendũ vt ſemper corpus calidum ſit; abſtinendum autem maximè ab oleis omnibus,à narcoticis,atque etiã ab emplaſticis:ab oleis quidem, quia in his corporibus faciliter flagrant, & ſubinde incendium augent; propter quod Gal. 3. De ſimpl.med. damnabat in eryſipelate vſum olei extrinſecus; abſtinendum etiã eſt à narcoticis,à refrigerãtibus,quia repellunt materiã intrò,& conſequenter fluxibus inteſtinorũ occaſionem præbẽt. Dãno etiam emplaſtra omnia,quia obturant,& impediũt quò minus materia poſſit expelli.Quod ſi dolor & cruciatus vrgent,laudãt Arabes,vt medulla aliqua,veluti vitulina, aut etiam bubula,illinantur illæ partes feruidæ & duræ,quò dolor mitigetur.Poſtquã apparuerint,dixi ſentẽtiam meam de perforatione: ſed ſunt aliqui, qui efflagitant à medicis,vt curent puſtulas citiſſimè exſiccari;pro qua re in vſu eſſe ſolent quædam remedia extrinſeca,quæ citò ſolẽt eas exſiccare,in primis eſt ſalitio dicta ab Arabibus, circa quam duo ſunt animaduertenda. Primũ eſt,vt ea nõ adhibeatur,niſi perfectè dealbatæ ſint puſtulæ, quia ſi ſint adhuc rubentes,irritantur vehementer,& cruciatus augentur.Secundum eſt,vt non vtatur quis ſolo ſale, ſed aliquibus etiam aliis,quæ poſſunt acrimoniã eius obtundere,veluti ſi fiat hæc aqua.Recipe aquæ fluuialis l.2.ſalis vnc.s.hordei,lupinorum an.p.s.croci drach.1. bulliant ſecundum artem,& deinde cum goſſipio in huiuſmodi aqua macerato tãgantur puſtulæ.Quæ ſi ſint minores,ita vt non egeãt tanta exſiccatione,poteſt fieri aliud decoctum. Recipe foliorum tamariſci, florum roſarum an. m. 1. ſandalorum omnium an.vnc.2. hordei p.1.ſalis vnc.s. fiat decoctum. Ad hanc eandem intentionem ſolent fieri ſuffumigia ex iiſdem rebus,quarum vſus eſt,vt tempore hyberno detineatur ſuffumigium ſub tegumentis cum igne, tempore autem æſtatis ſolus aër cameræ ſuffumigatur.Sunt etiam qui laudant ad exſiccandũ,vt ægri dormiant ſuper culcitras factas ex farina milij,hordei,lupinorũ, ex puluere tamariſci; ſed nugæ ſunt,potiſſimum quia corpora ægrorum eo tempore vſque adeo dolẽtia

ſunt,

ſunt,& turbata,vt vix culcitras plumeas ſuſtineant:quare inutile mihi videtur hoc auxilij genus. immò ſi ſint ægri obſequentes, & qui ſuſtinere pauliſper queant, multo ſatius eſt permittere, vt ſponte tubercula exeant. Quòd ſi própté non maturentur, laudo vt decocto ficuum, & maluæ cum goſſipio tangantur ſæpe; quia huiuſmodi decoctum tepens adminiſtratum ſolet ſimul & moleſtiam omnem lenire, atque etiã accelerare maturationem. Ceterum duo ſolent contingere in declinatione horum malorum. Vnum eſt, quòd interdum relinquuntur vlcera, quæ propria, & peculiari curatione opus habent. Quare vnguentum de ceruſſa,de lithargyro, hoc in caſu vtile eſt adminiſtrare ad conſolidanda vlcera relicta. Aliud eſt,quòd veſtigia variolarum & turpes cicatrices relinquuntur, pro quibus ſolent matres & patres,atque etiam ipſi ægri ſolliciti valdè eſſe,& à medicis poſtulare vt maculæ illæ omnino deleantur. Sed quia veſtigia duo peccata habere conſueuerunt,& fœdum colorem,& foueas,aut diminutionem carnis;pro colore reſtituendo multa ſolent fieri, atque etiam cum fructu. Ego autem ſoleo ita facere ad reſtituendum colorem. Vbi ſquammæ decidunt, laudo vt ſingulo mane & veſpere abluatur facies,& manus hoc cremore. Recipe lupinorum, fabarum, hordei an.p. 1.s.cõtundántur omnia craſſo modo,& in ſufficienti quantitate aquæ bulliant,vſque quò perueniat aqua ad craſſitiem veluti pultis. Vbi hic cremor factus eſt, abluatur eo facies, & manus;mirificè enim ſolet vſus huius remedij colorem reddere. Eſt etiã & aliud,quod vſum hunc præſtare poteſt.Recipe limonem vnum vel alterum,foliorũ ſerpẽtariæ p.2.pedes vitulinos duos,incidãtur omnia minutim,& ad alembicũ vitreum ponantur; ſuccus,qui exit per alembicũ illitus faciei & manibus ſummopere prodeſt ad colorẽ reſtituendum. Ad repletionẽ fouearũ laudãt plerique vsũ pinguedinis humanæ,pinguedinis vrſi,cinerẽ radicum cãnæ arũdinis. Sed,vt liberè dicã,hæc & omnia alia vix prodeſſe ſolent,quia harum partũ cicatrices,& deperdita ſubſtantia nõ facilè emendatur.Vt tamen habeatur aliquis modus ſatisfaciendi petitionibus,ita ego ſoleo facere; Iubeo vt partes deturpatæ fricẽtur panno aſpero,deinde vbi rubent,mando apponi picẽ,vbi tamen non ſunt pili,quæ pix deinde auellitur aliqua vi.Vt autem ita factum eſt ter,quaterve,vt modò apponatur pix, modò auferatur, iubeo inungi partes illas hoc linimento. Recipe olei oliuarum dulciſſimi vnc. 1.s. ſucci limonum vnc. 3. lithargyri loti, cineris teſtudinum combuſtarum an. vnc.1.s. pulueris radicum cannæ vnc.2. pinguedinis gallinæ vnc. s. miſce, & veſperi illinatur; mane autem facies abluenda eſt aqua, in qua decocti ſint lupini.

De Macie.

CAPVT III.

POſtquam vniuerſalem morbum tractauimus, qui à plenitudine originẽ ducit, tranſeundum ad eum,qui potius ab euacuatione oritur;nã ſiqui ſunt alij morbi vniuerſales,qui videntur ſequi plenitudinem,ij aut ſunt alibi à nobis copioſiſſimè tractati, aut ad præſentem tractationem nequaquam pertinere videntur: eſt enim hic morbus communis quidem & pueris & adultioribus,ſed interdum adeò ſolos pueros torquet, vt & medicos & miſeros parentes valdè ſollicitos habeat. Quocirca etſi de macie, vt eſt communis omnibus hominibus, ſim tractaturus, præcipuus tamen meus ſcopus erit in tractanda puerorum macie. Dicitur autem hic morbus à medicis Græcis ἰσχνότης, λεπτότης. Latini vocant maciem, macilentiam, gracilitatem, tenuitatem; ſunt etiam qui vocant macritudinem. Eſt autem macies ſiue macilentia, priuatio pinguedinis & carnis præter naturam in toto corpore,

corpore actiones lædens primò & per ſe. Dixit primo loco, eſſe priuationem pinguedinis,quia in macilentia illud quod primò cõſumitur,eſt cõmune pinguedinis & adipis genus;propter quod Ariſt.5. problemat.4.& 5. dicit in animalibus primò gracileſcere ventrem,eo quia totus plenus eſt pinguedine,dicit etiam in laboribus & exercitiis primùm eliquari pinguedinem,minimè autem carnem.Cur autem vbi macreſiunt animalia primùm pinguedo conſumatur,ea potiſſimùm ratio eſt,quòd, vti ſcribunt medici omnes,ipſa concreſcit à frigore; quod autem hoc modo con-cretum eſt,inquit Ariſtot.4. Meteor. calido facilè ſoluitur,niſi ſit vehementer cõ-cretum. accedit etiam, quòd pinguedinis vſus paruus eſt in vita animalis,quando-quidem nullum ferè alium vſum videtur habere, niſi vt cuſtodiat natiuum calorẽ. Iure ergo dictum eſt à nobis primo loco,eſſe priuãtionem pinguedinis.Dixi ſecun-dò,carnis;quia vbi animalia extenuantur ſeu emaciantur,poſt pinguedinem abole-tur caro, non quòd partes ſeminariæ, vt ſunt venæ & nerui,non imminuantur etiã in macie;ſed licet imminuantur,tamẽ non abolentur,neque conſumũtur,quemad-modum caro,& hoc eſt quod docet Ariſt.3.De hiſt.animal. 16.vbi ſcribit,quòd cũ animalia emaciantur,venæ fiunt venulæ,id eſt,venæ magnæ euãdunt paruæ, nerui fiunt villi,id eſt,ita extenuantur hæ partes,vt multo minores videantur.Sed aduer-tendum,locum illum Ariſt.peſſimè à Gaza fuiſſe traductum,ideo videndus eſt tex-tus græcus,non autem latinus. Cur autem conſumantur carnes in macie,non autẽ partes ſeminariæ,hæc viua & vera ratio eſt, quòd hæ non ſunt neceſſariæ vitæ no-ſtræ, illæ autem ſunt fundamentum eius;& eapropter poſſunt quidem carnes ſolũ conſumi ſalua vita , partes ſeminariæ nequaquam. Hoc autem ita eſſe demonſtrat diuinus Plato in Timæo,& poſt ipſum Gal.1.De vſu partium 13. & 12.De vſu par-tium 3.qui omnes in hanc ſententiam venerunt,carnes eſſe veluti vincula quædam conſtitutionis corporis noſtri, & factas eſſe tamquam propugnacula quædam ad-uerſus frigora,æſtum,& lapſus;hanc autem ſententiam acceperunt Plato & Gale-nus ab Hippocrate in lib.de oſſibus,vbi carnibus ſtructuram corporis noſtri ligari dicit.Antequam autem vlterius progrediar,duo ſcrupuli ſunt eruendi. Primus eſt, quæ carnes potiſſimùm & primò in macie conſumantur;nam fuit ſententia medi-corum,& præſertim Auer.1.collect.8.tria eſſe genera carnis. Primum,quod conſtat neruis,membranis,venis ; atque muſculoſum dictum eſt.Secundũ eſt genus carnis puræ,vt eſt caro,quæ poſita eſt inter dentes,& cuiuſmodi etiam eſt ea,quæ in ſum-mitate penis facta eſt à natura;hanc enim puram eſſe carnem omnes fatentur.Ter-tium eſt glanduloſum genus,vt caro eſt mammillarum,teſticulorum;hæc enim sũt tria genera carnium, quibus corpus noſtrum conſtitutum eſt. Secundus ſcrupulus eſt,quomodo dictum ſit carnes non eſſe admodum neceſſarias vitæ noſtræ,ſed eſſe veluti propugnacula aduerſus externas cauſſas. nam Ariſt. 2. de partibus animaliũ 8.de carne longam diſputationem habens , hanc ſententiam habet, carnes,cũ ſint inſtrumenta ſenſus tactus,quo animal, eſt animal,neceſſarias eſſe ad corporis con-ſtitutionem,immò ad vitę animalium eſſentiam;atque addit non ſolum eas neceſ-ſarias eſſe,verumetiam omnes alias partes, inter quas & oſſa connumerat,quæ sũt carnis ſuſtentamenta; quo fit vt videatur hæc Ariſt. ſententia maximè aduerſa ei quam nos protulimus.Pro primo ita ſtatuendum eſt,carnem muſculorum eam eſſe quæ primùm in macie aboletur; atque illud ſignificare voluit Ariſt.3.De hiſt.ani-mal.16. cum ſcripſit in macie venas, & neruos aboleri penè: quia primò hæc caro ita conſumitur , vt ferè ſoli nerui & venæ appareant, atque illæ admodum exi-guæ. Secundo loco conſumitur caro glanduloſa , nam in macie, & vbera, & alias partes glanduloſas videmus citò abſumi. Poſtremo autem pura caro conſumitur; & ratio huius eſt , quoniam , vt dicit Auer. 5. collect. 8. huiuſmodi caro facta eſt

magna ex parte à natura,vt repleat cauitates,vt cõnectat oſſa;& ideo facta eſt etiã talis & tanta, vt non facilè conſumi poſſit. Pro ſecundo autem dicendum eſt,hac in re fefelliſſe maximè Philoſophum, quia ipſe rationibus quibuſdã ductus exiſtimauit ſolam carnem eſſe primum vitæ noſtræ fundamentum;neruos verò non eſſe fabricatos propter ſenſum,ſed ad temperandam carnem;quæ omnia Ariſt.placita, & medicis, & rationi etiam ipſi maximè aduerſantur ; ſed non eſt tempus longiùs hac in re diſputare.Patet igitur ſumma me ratione dixiſſe macilentiam eſſe priuationem carnis & pinguedinis. Addidi,præter naturam,quia nec omnibus animalibus , neque omnibus hominibus data eſt eadem menſura carnis , & pinguedinis; multa enim ſunt animalia, quæ fiunt valde obeſa, vt ſues ; ſunt inter homines, qui natura ſemper graciles ſũt,vt ſũt Æthiopes,velut narrat Plutarchus fuiſſe M. Tullium Ciceronem, nam licet videre aliquos, qui nulla ope medica, nullo cibo poſſunt à macie liberari, eo quòd ipſis macies naturalis eſt , non præter naturam , vt fuerunt multi, de quibus Athenæus in 12. dipnoſophiſt. Sed de huiuſmodi macie naturali non loquimur,verùm de ea,quæ præter naturam contingit in hominibus, & præſertim in pueris,qui cum priùs fuerant obeſi,& boni habitus,euaſerunt deinde graciles, & macilenti. Dixi,in toto corpore, quoniam ſæpè fit vt aliquæ partes emacientur, modò brachia, modò crura; quemadmodũ contigit Germanico,verũ macies alicuius partis non eſt ea,de qua ſummus tractaturi,ſed macies toti corpori,& omnibus membris cõtingens. Dicitur actiones lædens,quãdoquidẽ ſunt alij, qui fiunt macilenti , ſed alioquin benè valentes omnes ſuas functiones edunt , de quibus non eſt nobis agendum : quoniam, vt colligitur ex Galen. 14.Methodi 14. macies hæc quæ actionibus non incommodat,eſt totius quædam turpitudo potius quàm morbus,& conſequenter potius pertinet ad artem decoratiuam, quàm medicam. Ex quo loco colligi etiam poteſt,carnem non eſſe verum inſtrumentũ ſenſus tactus, vt autumauit Ariſt.quia etſi in quibuſdam ea conſumatur, nihilominus habent actiones tactus illæſas;contrà verò fieri deberet,ſi eſſet inſtrumentũ tactus; quia vt vitiato oculo, qui eſt inſtrumẽtum viſus,vitiatur viſio : ſic ſi caro eſſet inſtrumentũ tactus in hominib. macilentis,neceſſarium planè eſſet vitiari hãc actionem.Dixi denique,per ſe,& primò,quia ſæpenumero copulatur macies aliis morbis,vt febri, deſtillationi,maraſmo;in quibus quidẽ ſunt actiones vitiatæ,ſed non primò à macie,verum potius vel à febre, vel ab aliis morbis,qui maciem inducũt. ergo noſtra macilentia vtrum ſit morbus,an ſymptoma,dubitari poteſt. Gal. l.14. Methodi 14.& 15.manifeſtè adnumerauit eam inter morbos,accedit etiam ad hoc & ratio,quia, vt docui, macies lædit operationes primò & per ſe,quare meritò videtur morbus eſſe vocanda,& habenda.Ex altera parte eſt ſententia eiuſdem Galeni lib. de differentiis ſymptomatum 4.vbi manifeſtè docet atrophiam & maciem, ſeu extenuationem eſſe ſymptomata in genere actionum læſarum ; immò verò 3. de ſymptomatum cauſſis 1.atque loco ſuprà citato ſcribit atrophiam eſſe ablationẽ nutrimenti; ἰσχνότητα verò eſſe diminutionem,& quod magis eſt,non ſolùm maciẽ eſſe ſymptoma,ſed etiam fieri ab alio ſymptomate,vt manifeſta videatur contradictio in verbis ipſius Galeni.Pro ſolutione dicendum eſt,maciem poſſe duobus modis conſiderari, vel pro habitu, ſeu ſtatu quodam corporis noſtri permanente, vel prout dependet ab ipſa vitiata nutritione.Si primo modo conſideretur, proculdubio eſt morbus, atque ſic cõſideratur à Galeno,vbi eã inter morbos adnumerauit. Si autem conſideretur , vt dependet à vitiata nutritione, ſic potius ſymptoma eſt appellanda.Nec mirandum,vnum & eundem affectũ præter naturam eſſe poſſe & ſymptoma & morbum;quia Galen. libro de differentiis ſymptom. 5. dicit carbunculos,

culos, & eryſipelata eſſe morbos & ſymptomata : morbos quidem , ſi conſtitutio corporis permanens præter naturam conſideretur ; ſymptomata verò , ſi colores eorum mutari conſiderentur.Poſſumus etiam aliter reſpondere,maciem, ſi conſi-deretur,vt ſimplex quædam eſt diſpoſitio, proculdubio ſymptoma eſſe. Sin autem conſideretur vt actiones lædit,eſt morbus.quare macies,de qua nos loquuti ſumus, eſt morb.in magnitudine diminuta,tum in adultis,tum potiſſimùm in pueris. Sed quia morbus lædit functiones,cùm in corpore noſtro ſint plura functionum gene-ra,in macie primò offenduntur functiones naturales ; & ratio eſt,quia huiuſmodi operationes omnes fiunt beneficio natiui caloris,qui cuſtoditur,fouetur,augetúr-que à carnibus & pinguedine,quare iſtis vel conſumptis,vel diminutis ſaltem,ne-ceſſarium eſt quoque imminui ipſius caloris natiui operationes.Secundo loco,of-fenduntur operationes animales,& præſertim motrices;quia cum carnes etiã huic rei inſeruiant, vt ſimul colligentur ceteræ partes, quæ ſunt fundamenta vitæ, iure huiuſmodi vinculis imminutis fundamenta infirmiora redduntur,& conſequenter operationes. Gal.2.aphor.28.inter cetera,quæ pertinent ad cauſſas maciei,hoc ha-bet,pueros,atque ſenes maximè omnium macilentia tentari ; quia corpora horum propter caliditatem, & humiditatem facilè diffluunt & conſumuntur ; quod licet veriſſimum ſit,tamen paucæ omnino ſunt cauſſæ,à quibus infantes potiſſimùm ad maciem deducantur , multo plures ſunt illæ, à quibus adulti tentantur , quocirca vtile futurum eſſe exiſtimo,ſi omnes ante oculos poſuero. Gal.2. aphor.28. lib.de differ. ſympt.4. & 5. de ſanit. tuenda 24. & Auic.7. 4. tract.4.& alibi, omnes penè cauſſas maciei nobis propoſuerunt ; ſed ita implicatè & confusè,vt multo melius eſſe exiſtimem,ſi ſub quædam capita ea réduxero. Sunt ergo cauſſæ maciei aliæ in-trinſecæ,aliæ extrinſecæ.Intrinſecæ aliæ ſunt immediatæ & penè continentes;aliæ mediatæ;cauſſa immediata interna gracilitatis,vt colligitur ex Gal.& Auic.duplex eſt,vna eſt nutrimenti accommodati abſumptio ; ſecunda verò, calor conſumens pinguedinem & carnem,nam perſpectum eſt apud omnes,corpora noſtra propter ambientem calorem,& inteſtinam caliditatem continuò conſumi,& imminui;quo fit , vt neceſſarium ſit ſubſtantiam amiſſam continuò recuperare & reſtituere ; id autem fit nutrimenti appoſitione,quod vel maius,vel ſaltem æquale debet eſſe illi quod continuò abſumitur , eapropter ſi huiuſmodi alimentum deſideretur , quis non videt continuò corpora noſtra conſumi & contabeſcere? Iure ergo dixi cauſ-ſam gracilitatis immediatam eſſe carentiam accommodati alimenti. Sic etiam ſi alimenti vbertas nequaquam deſit, cõſumuntur corpora hominum & animalium, modò adſint aliæ cauſſæ,quæ plus conſumunt,& liquefaciunt,quàm ſit alimentũ, quod continuò apponitur. Iam verò alimentum accommodatum deſideratur, vel quia nihil apponitur,vel quia parum,vel vitioſum ; vel quia etſi apponatur & cõ-ficiatur,tamen non vnitur,neque tranſmutatur in ſubſtantiam amiſſam.Parum nu-trimenti, aut nihil apponitur, quotieſcumque propter aliquod vitium ventriculi, aut aliarum partium non appetitur; quemadmodum in inappetentia: aut non cõ-ficitur, quemadmodum in vniuerſali imbecillitate : aut non diſtribuitur à ventri-culo.Sic enim dicit Auer.ſæpè venas meſeraicas propter ſiccitaté vſque adeo coar-ctari & occludi ; vt chylus à ventriculo nequaquam tranſeat in reliquum corpus, atque ita membra extenuentur.Sic etiam quotieſcunque cibus ſeu alimẽtum præ-paratur,& tamen aliò deflectitur, fiunt macilentiæ,quemadmodum in lienteria,in fluxu alui diuturno,in vomitu.In his enim omnibus alimentum quod deberet re-ſtituere partes conſumptas,aliò deflectitur.Sic etiam dicit Gal. in lib. de Theriaca ad Piſonem , & Alexander in epiſtola de lumbricis , corpora ſæpe emaciari , quia lumbricã

lumbrici abſumunt illud alimentum,quod conuertendum eſſet in carnes. Alimentum porrò vitioſum cõmunicatur,quando ſanguis,ex quo reparantur partes amiſſæ,eſt vel nimis melãcholicus,vel bilioſus,vel aquoſus,vel nimis ſalſus,vel acidus; ſic etiam colloſtrati fiunt pueri, quando lacte vitioſo aluntur. Propter ſanguinem melancholicũ fit macilentia in longa melancholia;videre enim eſt hos melancholicos diuturnos veluti laruas euadere. ſic dicebat Hipp.in lib. de locis in homine, quod vbi lien floret,cetera mẽbra contabeſcunt:vbi verò extenuatur,reliquũ corpus floret.Sic dicit quoque idem Hip.in lib.de aëre,aquis,& locis,eos qui veſcuntur aquis lacuſtribus, melancholicos fieri, & conſequenter macilentos euadere. Si ſanguis ſit bilioſus,inducitur macies;quia hic humor vſq; adeò infenſus eſt &abominabilis omnibus membris,vt nequaquã ſanguis conuerti poſſit in ſubſtantiã,vbi bilis eſt admiſta.Pari pacto vbi ſanguis eſt aquoſus, maciantur corpora,vt licet videre in hydrope. Non apponitur autem alimentum, quoties membra ipſa,quibus apponendum eſt,ſunt aliqua intemperie vexata:veluti vbi ſunt arida,nequaquã reſtitui poſſunt,ita enim his contingit,vt parietibus vetuſtis,quib.non poteſt agglutinari calx propter ſummam ariditatem. Sic etiam fiunt macilentiæ propter cauſſas colliquantes & conſumẽtes,in febribus magnis, in maraſmo in ſenio Philippi. In his enim omnibus non tantùm contingit macilentia propter abſentiam accommodati alimẽti,ſed maximè propter cauſſas,quæ & pinguedinem & carnem colliquãt.Hæ ſunt omnes cauſſæ internæ tam mediatæ,quàm immediatæ,quibus inducitur macies:ſed,quemadmodum dixi,maior pars harũ in adultis eſt.In infantibus autem & pueris plerumque fiunt macilentiæ propter defectũ nutrimenti;vel quia multo minus eſt,quàm deceret,vel quia ita vitioſum & deprauatum, vt nequaquã poſſit vtile eſſe. Priuſquã autem cauſſas externas aggrediar,duæ dubitationes ſunt ex animis eruendæ.Prima eſt,quia Raſes lib.6. continẽtis ex ſententia Galeni ſcribit nequaquam emaciari poſſe corpora,niſi iecur malè ſit affectum. Poteſt confirmari hæc auctoritas ratione,quandoquidem ſanguis eſt ille,ex quo & pinguedo,& caro tum generatur,tum conſeruatur. Præterea Gal.in lib.artis medicæ, dicit gracilitatem eſſe firmiſſimum argumentũ ſicci temperamenti. Ad quid ergo tot cauſſas perueſtigaui, cùm præſertim à me nulla penè ſit facta mentio iecoris?Secunda dubitatio eſt, quomodo dixerim ex ſanguine ſalſo membra tabefieri & emaciari; nam ex vna parte Plutarchus in quæſtionibus naturalibus 1.ſcribit plantas nequaquam nutriri rebus ſalſis:quia huiuſmodi alimentum terreſtre eſt,& conſequenter commodum pro alendo eſſe non poteſt. Ante Plutarchum Theophraſtus lib.6. de cauſſis plantarum 14. cauſſam quærens, propter quam in plantis non inueniatur ſapor ſalſus,ſed alij ſapores,inquit propterea eſſe, quòd huiuſmodi ſapor ineptiſſimus eſt alendo. Et quia videbat inſtantiam eſſe de piſcibus,qui nutriũtur in mari, inquit, non nutriri aqua ſalſa, neque ſuccis ſalſis,ſed aut dulcibus, aut acidis, aut aliis quæ inueniuntur in mari. Quare cõſtat ex hac parte optimo iure à me dictum eſſe ſanguinem ſalſum extenuare, emaciare, eo quod ineptiſſimus ſit reſtituendis partibus, quæ quotidie conſumuntur. Ex altera parte eſt idem Plutarchus in eodem lib.quæſt. 3. vel 4. vbi ſcribit, paſtores ad ſaginanda pecora vti ſale. quare ſi pecora ſaginantur ſale, non eſt dicendum à ſanguine ſalſo neceſſariò conſumi corpora. Immò verò addit idem auctor, Appollonium medicum Herophili diſcipulum conſueuiſſe corpora emaciata reficere & impinguare rebus ſalitis; adhæc naues, quæ vehunt ſalem, conſtat multos mures producere,quod quidem fieri nequaquam poſſet, niſi ſal conferret & ad generationem, & ad nutritionem. Ad primam dubitationem dicendum eſt, maciem vel recentem eſſe, vel antiquam;

antiquam ; antiqua contumax eſſe non poteſt,niſi aliquo pacto ſit iecur affectum, & de hac loquebatur Raſes;recens verò complures habet cauſſas,à quibus fit,præter iecoris affectum & ideo non eſt mirum, ſi in omnibus cauſſis à me recenſitis, neque à Gal. neque ab Auic. videtur facta mentio iecoris affecti : quamquam vbi fit mentio alimenti diminuti, & vitioſi,ſimul etiam complectitur iecoris affectus, à quo plerumque ſanguis vitiatur. Sic etiam poſſumus dicere, gracilitatem vel eſſe natiuam, vel adſcititiam ; natiua requirit ſiccitatem temperamenti neceſſariò: acquiſita autem poteſt fieri abſque hoc, quòd totum corporis temperamentum ſiccum fiat.Ad ſecundam dubitationem dicendum eſt,ſalem & res ſalitas poſſe aliquo modo conducere ad ſaginandum,& nutriendum,& aliquo ad conſumendum & tabefaciendum : conducit ad conſumendum & tabefaciendum per ſe, & principaliter, ſcilicet propter cauſſas à Plutarcho & Theophraſto allatas, quandoquidem res ſalitæ ſunt ſiccæ,& propterea alimento contrariæ;quare exſiccant corpora: neque in ſubſtantiam amiſſam conuertuntur. Per accidens autem poſſunt conducere ad ſaginandum,nutriendum & generandum,ſcilicet appetitum excitando, & quod maximè contingit,deuehendo nutrimentum in partes ipſas.Si quidem res ſalſæ ſi aliis alimentis commiſceantur, veluti vehicula quædam ſunt, atque quidā cunei, qui ducunt alimenta ad partes, & illa in ipſis infigunt. Inter cauſſas externas ſunt primò aër ſiccus & frigidus;& ſiccus & calidus,vt dicit Gal.2. aphor. 28. propter quod omnia corpora Æthiopum emaciata penè ſunt: propter hoc etiam videre eſt, plerumque homines in ſumma æſtate conſumi; ſicut hoc potiſſimùm contingit pueris & infantibus. Sic dicit Hipp.in libro de articulis 28.boues in sū-mo frigore maximè emaciari,& iis crura laxari,licet hoc tribuat inopiæ pabuli. Vigiliæ maximè conficiunt corpora,immo verò citiſſimè; curæ itidem,cogitationes, mœrores,ſtudia;& ideo dicit Gal.li.de articulis Græcos appellaſſe curas μελεδῶνας, quaſi edant,& conficiant membra noſtra.Sic etiam dicit Gal.2.aphor. deliria, mētis alienationes conficere corpora : motus quoque immoderatus ea colliquat, vt habet Ariſt.6.problem.1.vbi quærens cur alij ſedendo, alij verò ſeſe mouendo macreſiant;inquit ideo eſſe,quia corpora frigida quæ abundant excrementis,niſi ſeſe moueant,non poſſunt cibum conficere,& propterea conſumuntur ; ſic etiam corpora calida & nullis excrementis referta, ſi immodicè laborent, conſumuntur. Venus immoderata maximè omnium conſumit corpora noſtra;quia,vt dicit Auic. perinde valet drachma vna ſeminis emiſſi,ac quadraginta optimi ſanguinis, vt iure inter cauſſas cōſumētes corpora adnumeretur Venus immodica, ſic balnea naturalia,præſertim quæ exſiccant,cibi paucitas,ſicuti lactis inopia conſumit pueros & infantes,nimia fames, μονοσιτία, id eſt, cibatio vna in die.Sic etiam cibi ſunt nōnulli, qui propria quadam natura maciem & tabem inducere inueniuntur; vt eſt acetum,acida omnia,ſemē rutæ,cyminum,vt eſt apud Plin. maciem inducit.Refert etiam Agatharcides in libro de mari rubro Acridophagos, id eſt, eos qui veſcuntur locuſtis,corpora habere maximè extenuata & macilenta.Hæ omnes ſunt cauſſæ apud Medicos tam internæ quàm externæ, propter quas fit macilentia. Ceterū præter Medicos,vulgus hominum,& præſertim muliercularum,in ea fuit antiquitus, & nunc eſt opinione, corpora infantium à viris, & à mulieribus quas communi nomine Strigas appellamus,ita effaſcinari,vt nō ſolum morboſa euadant,ſed etiam emacientur & conſumantur,de quibus cùm non rarò inter medicos diſceptatio oriatur, haud inutile forſan fuerit pauca quædam de ipſis hoc in loco adnotaſſe: ac vt à nominis ratione auſpicer;Strigas veteribus vocatas inuenio quaſdam aues quæ noctu volare,& interdiu cæcæ exiſtere conſpiciuntur:de quibus fabuloſa

non

nō pauca credidit ſuperſtitioſa antiquitas:ſiue ita dictæ ſint à ſtridore quem emittunt,ſiue à ſtringendo,vt dixit Feſtus. Ad quarum ſimilitudinem appellaſſe videntur ſtrigas veneficas illas mulieres, quæ noctu oberrantes maciem pueris præſertim ac infantibus inferre,eoſque veneficiis,philtris, incantationibus & faſcinationibus peruertere putantur. Quæ de ſtrigibus iam inueterata opinio vtrum vera ſit nec ne, & qua ratione impurum hoc faſcinatricum & magarum genus hæc mala faciat:cùm noſtrum non ſit accuratius hac de re diſputare,vnà cum plurimis iiſque pulcherrimis & difficillimis, quæ circa hanc materiam proponi poſſent, problematibus, lubens omitto, illud vnum aſſerens, ſi verum eſt huiuſmodi facinoroſam artem reperiri, ſi verum nequiſſimos ac impuriſſimos homines poſſe corpora infantum, aut aliorum hominum corrumpere & labefactare: non alia ratione eos id poſſe agere, quàm ea quæ propoſita fuit à Plutarcho 5. ſympoſ. 7. & à Tralliano 2. problem. 50. hi enim grauiſſimi ſcriptores de faſcinatione copioſiſſimè differentes prodiderunt tribus potiſſimum modis poſſe faſcinationes ſeu maleficia fieri; tactu, viſu, atque etiam halitu, immo verò narrat idem Plutarchus, fuiſſe quandam ſuo tempore Tibiorum gentem, quæ viſu, halitu, & tactu corpora infantum fœdabat. Tactu quidem poſſe corpora effaſcinari non eſt quòd dubitemus: quia ſicuti videmus lepram, ſcabiem, & peſtem tactu communicari, ſic non eſt præter rationem morbida corpora mulierculărum, aut aliorum, cùm tangunt tenera infantum corpora, ea fœdare atque conſumere. ſic etiam viſu poſſe corpora contaminari & effaſcinari, ex eo poteſt intelligi, quòd, vt docent Ariſtot. & Galenus, videamus eos, qui ophthalmia laborant, ſi alios attentè inſpiciant, protinus communicare ipſis malum: quinimo vt narrat Ariſtoteles in libro de ſomniis, mulieres menſtruatæ, ſi ſpeculum lucidiſſimum inſpiciant, illud ſtatim maculant & conſpurcant. Fertur ſimile de Baſiliſco, quem ſolo viſu hominem interimere ſcribunt. Halitu etiam ſiue ſpiritu poſſe corpora effaſcinari & lædi, nequaquam rationi diſſentaneum eſt: cùm certiſſimum ſit corpora peſte affecta ſolo halitu propinquos homines venenare, atque etiam interimere. Si quærat aliquis quo modo fieri poſſit, vt ſpiritus in huiuſmodi hominibus ita coinquinentur, vt eiaculati in alios pariter coinquinent: dico hoc poſſe fieri tum vitio corporis, tum animi, tum vtriuſque. Vitio corporis fit, quotieſcunque corpora mulierculărum vel virorum effaſcinantium morbida ſunt & aliqua labe inteſtina affecta: in his enim cùm ſpiritus toti corpori, omnibuſque humoribus ſint permiſti, non eſt dubitandum quin coinquinentur, & conſequenter in alios eiaculati eorum corpora fœdent ac corrumpant. Sic mulieres menſtruatæ corrumpunt teneros pueros, ſi ipſos attentè intueantur: pari pacto vetulæ, ſi vel tangant, vel attentè inſpiciant infantes, poſſunt eos corrumpere. nam ſicuti dicunt medici Arabes, eòs, qui vetulis concumbunt infirmari & offendi, quòd eorum corpora ſint impura: ſic non eſt abſonum, eas impuris ſuis ſpiritibus poſſe infantum corpora coinquinare. Vitio quoque animi ſpiritus faſcinantium corrumpi perſpectiſſimum eſt, & rationi conſentaneum; quandoquidem videmus in iis, qui mœrent, qui iraſcuntur, aut qui aliqua alia animi paſſione tenentur, non ſolùm ſpiritus corrumpi, verùm etiam eorum corpora vehementer affici: haud ſecus qui maligni ſunt, qui inuidia feruent, aut demum aliquo alio animi vitio laborant, poſſunt ſpiritus ſuòs, eóſque venenatos in aliorum corpora eiaculari, & conſequenter ea inficere: atque hoc eſt quod fortè Plato dicere volebat 7. de legibus, cùm ſcripſit filiis nihil perinde timendum eſſe, atque ſuorum parentum imprecationes: quia vbi parentes irati ſunt in

filios, vſque adeo vehemens eſſe ira ſolet, vſque adeo perturbati animi, vt ſpiritus ſuos veneno corrumpant, quos cum intuentes in filios iaculantur propter ſympathiam, & ſanguinis cognationem animos filiorum ac corpora corrumpunt. Quare, vt breuiter hanc rem concludam, ſi verum eſt ſtrigas offendere, non alia proculdubio ratione id faciunt, niſi cùm ipſis infantibus approximantur, ita vt vel tactu, vel viſu, vel afflatu nocere poſſint. Ceterùm quoad illud, quod à pleriſque hoc in loco quæri ſolet, cur ſcilicet exiſtimentur ſtrigæ pueros potiſſimum & mulieres infeſtare? idem omnino dicendum cenſeo, quod olim Trallianus ille dixiſſe legitur 2. probl. 50. huic dubitationi reſpondens; pueros potiſſimum effaſcinari & mulieres, quòd eorum corpora tenerrima ſint, & conſequenter expoſita ac obnoxia iniuriis omnibus, licet poſſit huic cauſſæ adſignari & alia, nempe corpora puerorum cùm ab animis minimè ſuſtententur, neque defendantur, facilè quaſuis iniurias ſubire, paritérque corpora mulierum, cùm ab animis timidiſſimis ac infirmiſſimis gubernentur, facilè iniuriis exponi. ſigna quibus macies cognoſcitur ita ſunt euidentia, vt nulla penè induſtria egeant: nam & carnes, & pinguedines viſibiliter conſumuntur: fit facies cadauerosa, vt dicebat Gal. de cauſſis morborum 7. tota corporis figura deprauatur. Ceterum pro cognoſcendis cauſſis maciei, maius ſtudium adhibendum, tum vt cognoſcamus cauſſas liquefacientes, tum eas quæ ad alimentum ſpectant. Si colliquefacientes maciem inducunt, cognoſcitur ex febribus, deſtillationibus acribus & ſalſis, complexione calida & ſicca, aut enim hæ omnes, aut aliquæ adſunt. Porrò cauſſæ pertinentes ad alimentum cognoſcũtur, vel quia illud exiguum, & minus eſt, quam conueniat, vel quia eſt vitioſum. Si fiat macies propter aliméti defectum, in adultioribus cognoſcitur ex eo, quia eam copiam cibi non capiunt, quæ neceſſaria eſſet; in lactentibus autem cognoſcitur hæc cauſſa aliis ſignis. Primò ex nutricis vberibus, eò quia flaccida ſunt, & lactis omnino egena. Adhæc nutrices ipſæ aluntur malè, appetunt; infantes autem parum mingunt, linteamina nullo modo madefaciunt, plorant, vagiunt; & ſi alimentum offeratur, conquieſcunt, vbera magna auiditate arripiunt. Quare, vbi hæc videbuntur ſigna, certum eſſe debebit maciem dependere ex defectu lactis. Sed ſi deficiat alimentum, quia in alias partes deflectatur, cognoſcitur ex euacuationibus, ex alui ſolutione frequenti, ex vrinæ copia. nam ſæpè euenit pueros macreſieri ob copiam alui fluxionis, quod etiam Hippiatri animaduertentes valdè ſolliciti ſunt in perquirendis iis ſignis in iumentis. Sic ſi lumbricorum copia infans laboret, ſuſpicãdum eſt maciem hinc oriri, cùm ſcriptum ſit à Galeno, & Tralliano, ſæpè lumbricos nutrimentum arripientes extenuare pueros, & infantes. Sin autem deficiat nutrimentum, quia non exactè, neque copioſè præparetur in ventriculo, ſigna ſunt imbecillitas ipſius, frigida ſcilicet, vel calida intemperies, aut aliquis morbus menſtrualis; adhæc vomitus frequentes ſunt, eructationes, inappetentia, flatus. Hæc enim ſigna indicant ventriculum malè habere, & conſequenter inde maciem oriri, quia ab eo non pręparatur ſufficiens nutrimentum; atque tot ſignis cognoſcitur, vbi macies fit propter defectum copiæ lactis conuenientis. Vbi verò fit propter malam aliquam lactis qualitatem, merito cuius non fit alendo accommodatum, aliis ſignis cognoſcitur in pueris lactentibus, aliis in adultioribus. Quæ indicant vitia lactis ſigna, partim ſpectant ad nutricem, partim ad lac ipſum. Quoad nutricem eſt, quòd ea erit vel bilioſa, vel pituitoſa, vel melancholica, ſplenitica, ſcabioſa; nam cum lac nihil aliud ſit, niſi ſanguis optimè concoctus, proculdubio qualis eſt ſanguis, tale neceſſe eſt eſſe lac vitioſum. quare ex colore & habitu prauo corporis nutricis facile eſt iudicare lac vitioſum eſſe. Signa verò, quæ illud

illud conſequuntur, ſunt; quòd ſi non ſit ſummæ albedinis, ſit mali ſaporis, non dulce, ſit mali odoris; proculdubio eſt vitioſum, veluti etiam ſi ſit tenuius, vel craſſius, vel fluidius quàm par ſit. Cognoſcitur verò tenuitas, & craſſities lactis duobus potiſſimùm ſignis. Vnum eſt, vt id ex vberibus recentiſſimè extractum ſuper vnguem digiti maioris fundatur; quòd ſi ſtatim diffluat & albeſcat, ſignum eſt eſſe tenuius, quàm conueniat. Si autem conſiſtat, neque fluat, argumentum eſt id eſſe craſſum. Aliud eſt ſignum, vt lac nutricis extractum in vaſe reponatur, atque modica coaguli copia adiiciatur, tum digitis & lac & coagulum agitetur; deinde reponatur, & quieſcat donec concreſcat. Vbi concretum erit, & ſeri copia ſuperet caſeum, ſignum eſt lac & tenuius & fluidius eſſe. Si autem ſuperet caſeus ſerum, ſignum eſt craſſius exiſtere; debet enim par eſſe proportio ſeri, portioni ipſius caſei. Adhæc ſi lac tenuius & acrius ſit, cognoſcitur, quoniam infantes cruciatibus torquentur, & alui fluxibus; puſtulæ deterrimæ fiunt, præſertim in partibus inferioribus; quemadmodum ſi craſſius ſit lac, vt dicit Aëtius, infantis aluus ſtringitur; fiunt ferunculi, tubercula varia, vomitus adſunt, parum mingunt, difficulter reſpirant & mouētur, mucoſi ſunt toti. His ergo ſignis poterit cognoſci, vbi pueri emaciantur vel propter defectum lactis, vel propter malam qualitatem. In adultioribus autem cognoſcitur vitium alimenti potiſſimùm ex colore; dicit enim Hipp. in principio libri de humoribus, cognoſci potiſſimùm humores dominantes ex coloris ſuperficie. Quare ſi pueri malo ſunt vultus colore, ſi ſcabioſi, aut puſtulis aliis laborantes; ſi membrum aliquod languens & infirmum habeant, vt caput, ventriculum, iecur; atque vel infirmitates adſint, vel intemperies, vel animi motus, certum eſt argumentum eos emaciari, quia vitioſum alimentum generatur. Sic ſæpè vſu venit, vt emacientur corpora propter virium reſolutionem ex aliqua intemperie, & tunc his ſignis cognoſcitur, quia alioqui ſunt pueri flori- do colore, appetunt, comedunt, nec vllam penè querelam habent. Vbi ergo in his macies contingit, certum eſſe debebit, fieri maciem totius corporis ob virium reſolutionem. Tradunt etiam aliqui ſigna puerorum effaſcinatorum, quæ duo potiſſimū ſunt. Primū, ſi nullis remediis naturalibus, nulla arte macies ſuperari poteſt: adhæc ſi nulla alia adſit cauſſa, neque interna, neque externa, nec ex parte nutricis, nec infantis, tunc arbitrantur & dicunt eo eſſe effaſcinatos. Ceterum omnis macies ſubitanea, quæ in febribus fit, vt colligi poteſt 2. aphor. 28. exitialis eſt, non ſolū quia cauſſæ vehementiam, & virium imbecillitatem demonſtrat, ſed etiam, quia, vt dicit Gal. in com. ſequitur & humorum tenuitatem, & totius corporis laxitatem. Fuit Hipp. ſententia 2. aphor. 7. corpora, quæ longo tempore extenuantur, longo tempore refici debere, & quæ breui extenuantur, breui etiam refici. Ex quo loco poteſt colligi, ſubitaneas macies non eſſe ſemper lethales, ſed ſemper eſſe in febribus, & præſertim in prauis. Id hoc in loco ſummopere notandum, maciem & gracilitatem modò à principiis naturæ oriri & naturalem eſſe, modò aduentitiam. Vbi eſt à principiis naturæ, ſemper melior eſt, quàm pinguedo, & obeſitas nimia; & hoc eſt, quod dicit Hipp. 2. aphor. 48. corpora gracilia eſſe longæuiora, quàm pinguia & craſſa; quia vbi gracilia ſunt à natura, capaciora vaſa habent, quare iure vitam diutius protrahunt. Macies autem aduentitia, ſi modum excedat, mala eſt, & peior obeſitate, præſertim verò in pueris; ratio eſt, tum quia huiuſcemodi macies cauſſam ſemper aliquam ſequitur morbificam; tum quia, vt dicit Ariſt. 3. de hiſt. animal. 16. in his venæ, & nerui extenuantur, & contabeſcunt. In pueris multo deterius eſt, non ſolùm quia creſcunt, ob quod etiam plus nutrimēti expoſcunt, ſed etiam quia corporis habitum valdè difflabilem habent; difflatur

autem magis quando vaſa ſanguine, & calore ſunt detecta. Illud tamen eſt memoriæ mandandum, pinguedinem, & obeſitatem, quæ æqualiter perſeuerat, eſſe multo eligibiliorem, quàm ſit immodica macies, eo quia vita noſtra poſita eſt in humido; & vbi humiditas hæc abundat, fugiuntur plurimæ noxæ, illæ ſcilicet quæ ex coitu, ex laboribus, & aliis immenſis euacuationibus contrahuntur. Refert autem multum, vt cognoſcatur quæ corpora poſſint impinguari; & quæ non, nam medici ſæpè laborant in pinguefaciendis corporibus quæ ne Æſculapius quidem poſſet à maciē liberare. Quare ſigna habenda, quibus hæc poſſint præcognoſci; ſcribunt enim & Auic. & Raſes ea corpora poſſe arte pinguefieri, quæ ſunt humida, & mollem cutem habent; ſunt enim corpora omnia mollia apta & accommodata, vt in quamlibet dimenſionem extendantur; ex aduerſo quorum corpora arida ſunt, quorum cutis dura & aſpera eſt, ea vix vmquam pinguefieri poſſunt: præterea ſi cutis non ſolum ſit arida, ſed etiam oſſibus ita adnexa, vt ſpaſmata videatur; vel ſi neque manibus, neque vlla arte poſſit in longum extendi, nulla ſpes eſt pinguefactionis. Ex aduerſo ſi cutis ſit ruffa, leuis, rugoſa, ita vt protrahatur, & veluti ab oſſibus ſeparetur, ſpes eſt omnino hæc à macie liberata iri; & ratio impinguationis in his poſita eſt, primùm, vt cauſſæ omnes, quæ maciem inducunt, arceantur, deinceps vt prouideatur, quò & copioſum alimentum, & idoneum non deſideretur, poſtremò vt alimentum optimum genitum diſtribuatur per vniuerſum corpus, apponatur, aſſimiletur, & vniatur. Sed quamquam hæc videantur eſſe communia tam pueris ipſis, quàm aliis, nos tamen tantummodò rationem curationis in pueris docebimus, quæ poſita eſt in duobus potiſſimùm; tum in remediis puerorum lactentium, tum eorum, qui ſunt adultiores. Lactentes enim cùm ſolo lacte, quod exigua præparatione eget, alantur; remedia, quæ ipſis conueniunt, vel lac ipſum reſpiciunt, vel attractionem, & diſtributionem ipſius nutrimenti, vel correctionem membrorum internorum. De lacte, quia, vt dictum eſt, poteſt eſſe cauſſa, vel quia deficit, vel quia vitioſum eſt, ad vtrumque horum nullum remedium eſt præſtantius, quàm ſtatim nutricem mutare, atque eā eligere, quę vel optima, vel melior ſit. Notæ autem, quibus noſci poſſunt optimæ nutrices, vel habentur ex ipſius lactis probatione, vel ipſo corpore nutricis. Ex lacte iam notas retuli, ex corpore autem hæ ſunt: vt ſit optimo corporis habitu. Ariſt. 3. de hiſt. animal. vlt. laudabat in nutricibus colorem fuſcum magis quàm albidum; ſed his coloribus multo melior eſt ille, qui miſtus eſt ex albo & rubeo; quod quidem ſignum eſt, in corpore optimum ſanguinem fieri, & conſequenter lac accommodatum. præterea debet nutrix eſſe optimorum morum, non iunior viginti annorum, nec ſenior quadraginta; & ſi bis peperit, nec à partu abſit plus duobus vel tribus menſibus, optimum erit. Sic etiam debent eſſe lati pectoris, & mãmas habere, quæ nec magnæ ſint, nec paruæ, ſed medias inter magnas & paruas; quod ſi huiuſmodi nutrix eligi non poſſit, ita vt non liceat mutare prauam, veluti ſæpè magno infantium detrimento contingit, ſtudendum eſt, vt aliqua meliori ratione & copioſum, & optimũ lac fiat, quare tota cura conuertenda eſt ad nutricē, vt ſcilicet teneatur in aëre temperato, prouideatur quò dormiat; nam ſomnus, ſi quid aliud, magnopere conducit ad lactis prouentum. Sic ſtudendum eſt ne nutrices vel ira, vel mœrore afficiantur; vel amore, vel aliqua alia paſſione teneantur; quoniam, vt experientia quotidiana conſtat, huiuſmodi affectus in iis tantum poſſunt, vt magnoperè lac corrumpant; ſic etiam prouidendum, vt non vtantur Venere; hoc enim pernicioſiſſimum eſt, quia ſæpè grauidæ fiunt, & lac colloſtratum præbent, vel ſaltem ex coitu menſes prouocantur, quo fit vt nõ poſſit copioſum alimentum fieri; debet autem

nutrix

nutrix moderatè exerceri ambulationibus. Laudo etiam quod laudat Ægineta, vt leuiter ſingulo mane ante cibum fricentur pectus & mammæ. De potu mea eſt ſẽtentia, aut arcendas eſſe ex toto à vino, aut eo vtendum eſſe quod ſit omnino pauciferum, quod caput minimè grauet; ne ſcilicet dum volumus lac copioſum facere, infantem epilepſia, vel contuſionibus perdamus. Laudo etiam conſilium Æginetæ, vt ſi nutrices debent vino vti, vtantur potiùs dulci, quã alio, videlicet quod ad caput non efferatur, & conſequenter illud non offendat. Debent cibi omnes eſſe optimi ſucci, & multi alimenti, quare omnes cibi acres, vt allia, cæpæ, omnes ſalſi & amari ſunt omnino arcendi à nutricibus; optimus ſit panis; carnes vitulinæ, caponum, auium, oua ſorbilia; piſces nulli, ſorbitiones ex farre, ex amylo, ex oryza, atque omnes cum lacte amygdalarum, vel nucleorum pini. Solent laudare laganorũ vſum ad conficiendum lac copioſum, quod ego quidem laudo, modò fiant talia, vt poſſint optimè confici. Si infans emacietur, quòd lac qualitate peccet, ante omnia prouidendum eſt, vt lactis prauitas corrigatur, idque meliùs fieri non poteſt, quàm ſi nutrix ipſa curetur: quapropter vbi lac frigidum eſt & humidum, atque tenue, aër eligendus eſt calidus; prouidendum eſt vt dormiat, vt exerceatur corpore, vt potet vinum; vtque cibi omnes calefacientes ſuſcipiantur; quo in caſu vſus etiam aromatũ in cibis accommodatiſſimus erit. quare alica cũ aromatibus, oua, & carnes optimi ſucci ſemper erunt nutrici præbendæ. Quòd ſi conſtet eam abundare frigidis, & pituitoſis humoribus, erit corpus eius præparandum, & expurgandũ iis medicamentis, quæ & præparare, & purgare pituitam poſſunt. Sed dicet aliquis, eſt ne quo tempore ſumit nutrix pharmacum, lac eius præbendum infanti? nam ſi verum eſt, quod aliàs docui ex Hipp. lac animalis pharmacum capientis expurgare infantem, videtur rationi conſentaneum, vt dum expurgatur nutrix, cõſequenter infantis aluus ſoluatur, quod tamen eſt inimicum maciei. Hoc ſit perpetuum præceptũ, vt quo tempore nutrix capit pharmacum, curetur, vt biduum vel triduum infans alia vbera ſugat. Sed ſi hoc non licet, non admodum ſollicitandum, quia ſi medicamenta nutrici propinata non ſint vehementia, nec impartiunt facultatem hanc; ſiquidem ſiue offeratur mel roſaceum ſolutiuum, ſiue manna, ſiue etiam rhabarbarum, aut ſerum; horum medicamentorum vis adeò exigua eſt, vt extinguatur, priuſquam lacti communicetur; ſecus autem eſt, ſi medicamenta ſint vehementia; vt ſcammonium, vt colocyntis, turbith. Et hoc eſſe verum ex eo intelligitur, quia Hipp. 6. epid. dum hanc rem docet, exemplum dedit de elaterio, quod animalia quæ capiunt illud, vel ſimile vehemens medicamentum, inficiant lac qualitate huius medicamenti. Si lac fuerit craſſius quàm par ſit, debet victus ratio nutricis tota poſita eſſe in vſu rerum attenuãtium, & incidentium, propterea acetum & ſolum, & aliis miſtum conuenit, hyſſopus, ſatureia, mentha, ſcandix, raphanus, & alia; hæc enim in frequenti vſu habita in nutrice magnoperè attenuant ſanguinem, & conſequenter lac. Laudat Ægineta vomitum cum aceto mulſo factum, quod etiam ego non damno; & forſan ad expurgandum ſtomachum nutricis multo tutior eſt vſus vomitus, quàm medicamentorum. Si lac acre, & calidum extiterit, debet teneri nutrix in aëre frigido, quieſcendum eſt, balnea aquarum dulcium conferunt; abſtinendum eſt ab omni vſu vini, aut ſi concedendum ſit, debet omnino pauciferum eſſe. Cibi conueniunt ex hordeo, & zea, ex herbis refrigerantibus; præſertim verò lactucæ vſus, quippe quæ non ſolùm ſanguinem feruidum, & tenuem corrigit, ſed etiam hac ratione copiam lactis mirificè auget. debet vitare omnia ſalſa, omnia acria, quæcumque aromata; atque hic eſt modus occurrendi, vbi macies propter lactis vitium orta eſt. Quod ſi orta ſit ob aliquod vitium

externum vel ventriculi, vel iecoris,vel alicuius viſceris, ſtudendum eſt vt occurratur iis medicamentis, quæ poſſunt intemperies in infantibus corrigere. Nam ſi purgandus erit infans, tota medici operatio debet eſſe circa nutricem. Sed cùm oritur macies ob ſola vitia interna, debet quidem nutrix accuratè gubernari; ſed potiſſimum ſtudium neceſſe eſt vt ſit circa corpus infantis. Quia autem hæc ætas non ſuſtinet vehementes medicinas; immò verò ori ferè nullæ medicinæ conueniunt, ſtudendum ſolum eſt externis remediis occurrere; & idcirco ſi frigidus, & humidus ventriculus erit, hoc fomento poterit foueri. Recipe foliorum origani, menthæ viridis,an.m.1. calami aromatici,florum roſarum rubearum an.p. s. aquæ calamenti lib.1.vini odorati vnc.2.fiat decoctio, & cum ſpongiola, vel panno fiat fomentum ventriculo; poſt quod erit inungenda illa pars hoc vnguento. Recipe olei maſticini vnc. s. pulueris cinamomi, carlophyl. an. drach.s. ceræ parum miſce; fiat linimentum. Si ob intemperiem ſiccam ventriculi contingit macies, fotus lactis ventriculo factus accommodatiſſimus eſt, accommodatiſſima etiam eſt hæc inunctio. Recipe butyri recentis, adipis gallinæ an. vnc.s. croci grana 4. olei de abſynthio vnc. 3. miſce, & fiat linimentum. aduertendum verò in ventriculo nequaquam ſolis relaxantibus eſſe vtendum, ſed ſemper addendum eſſe aliquid, quod poſſit conſtringere. Si ob incendium macies contingat,poteſt hæc fomentatio tepida adhiberi.Recipe aquæ cichorei,endiuiæ,nymphææ,abſynthij an.vnc.4. aceti vnc.2.cum panno fiat fomentatio iecinori;poſt quam cõuenit hæc inunctio: Recipe vnguenti ſandalini vnc.s.ſucci cichorei, epaticæ an. vnc.2.aceti roſati vnc. 1.s.miſce,& fiat linimẽtum. Si emacietur infans propter alui fluxum,nutrix debet ali cibis, qui poſſunt aluum adſtringere, vt ſunt cydonia,meſpila, granata, ſorba, ius gallinæ antiquum, quod dicebat Galenus adſtringere; ius etiam pedum vitulorum. Præter victum nutricis ſunt etiam adhibenda remedia externa,inter cetera laudatur corallum collo infantis appenſum; Iaſpis etiam lapis conducere putatur. adhæc conuenit huiuſmodi linimentum.Recipe olei myrtini,cydoniorum an.vnc. s. pulueris corallorum rubeorum vnc.2.ſucci corticum nucum viridium, vel ſucci rubi vnc.3. pulueris maſticis,gallæ an. drach.s. miſce. In his etiam caſibus linteamina,quibus inuoluuntur infantes,fumo imbuere conuenit,atque ad hoc commodus erit modus iſte,vt accipiatur puluis, & proiiciatur ſuper carbones; deinde faſcię & alia linteamina eo fumo imbuantur.accõmodatus autẽ puluis hic erit Recipe florum roſarum rubearũ,foliorum rubri,labruſcæ an.m.s. nucum cupreſſi,gallarum immaturarum,nucleorum meſpilorum an.vnc .s .corticum nucum maiorũ, nucleorum pini vnc.1. contundantur omnia, & in puluerem craſſum redigantur. Quòd ſi oriatur macies propter intemperiem ſiccam totius corporis;nullum præſtantius remedium excogitari poteſt, quàm continuum balneum ex rebus humectantibus.laudabat Auicennas balneum factum in lacte.Sed hoc difficile eſt factu, præſertim apud quoſuis;multò melius eſt parare balneum ex aqua fluuij, in quo decoquatur caput caſtrati,malua, lapatium; poſt balneum inungatur corpus totũ oleo amygdalarum dulcium, butyro recenti; nam & veteres vtebantur butyro loco olei ad inungenda corpora,oleum etiam dulciſſimum accommodatum eſt. Quòd ſi præter ſiccitatem ſit intemperies calida in toto corpore ,balneo addenda ſunt etiam quæ refrigerant:vt lactuca,endiuia,nymphæa, papaueris capita,& linimento adhibendum oleum roſarum omphacinum. Quòd ſi ſiccitati coniuncta ſit frigiditas,miſcenda erunt & balneo & linimento ea quæ cálefaciunt moderatè; vt ſunt flores chamæmeli,folia calamenti,oleum anethinum,chamæmelinum; pòterunt etiã in his caſib.crebro infundi clyſteres vel ex lacte,vel ex pane trito in brodio,

dio,vel ex vitellis ouorũ parati.Dicit enim Arnoldus Villanouanus, & optimè, facile eſſe,vt infantes poſſint nutriri per clyſteres , quia proximi ſunt generationi,id eſt ſtatui,quem habuerũt in vtero,in quo nutriebantur per vmbilicum abſque vlla ventriculi confectione, vel præparatione. Solent etiã adhiberi ad maciem curandã picationes,& dropaciſmi;ſed in hac ætate,in qua corpora ſunt penè cerea,omnino debent hæc medicamenta vitari;ſuo enim intenſo calore magis eneruant,& abſumunt infantium carnes.Si pueri effaſcinati putentur,inquit Serenus medicus antiquiſſimus, allium appenſum collo maximè arcere omnes effaſcinationes. ſic etiam multa alia ſunt,quæ exiſtimantur appenſa conferre, vt Carbunculus lapis,Sapphirus;Dioſcorides multum laudat alyſſum herbam;thamnum Plin.Hæc enim inquit Dioſcorides,ſi appendantur in domo,vbi ſunt infantes,arcere effaſcinationes omnes.Mulieres etiam ſuas habent medicinas,& inter ceteras ſolent vti ſuffumigationibus ex cypero,caryophyllis, cinamomo,ligno aloës, ſed in frequẽtiſſimo omniũ vſu habent thus. Sunt qui laudant annulum factum ex vngue onagri.laudãt etiam præ ceteris vſum herbę illius generis ſatirij,quod dicitur orobis fœmina.Sed volo hic obiter quædam notare.puto enim veteres noſtros ſub nomine rei turpis,quam appendebant collo infantis , intellexiſſe hanc herbam ; nam vt eſt apud Marcum Varronem,veteres habebant in vſu collo infantis appendere res turpes,vt vitarent omnes effaſcinationes.Scio multos fuiſſe,qui exiſtimarunt hanc rem turpem fuiſſe formam membri virilis,ſed nugæ ſunt ; puto enim à Varrone pro rẽ turpi intellectam eſſe rem quamcumque turpem,non ſine ratione;quia,vt docui, ſi vlla fiat effaſcinatio in infantib. ſecundum Medicos & Philoſophos, ea eſt, quæ fit per oculos;quotieſcunque ſcilicet mulieres, aut viri venenati, attentè intuentur ipſos infantes.Veteres ergo illi ſapientiſſimi , vt auerterent oculos iſtorum ab aſpiciendis infantibus,iure voluerunt res tupes appendi collo ipſorum, vt hæc fœda & turpia ſpectra facerent, ne mulieres attentè aſpicerent.Atque hæc eſt ratio curationis infantum lactentium,laborantium macie. Vbi puer non lacte, ſed ſolido cibo nutritur, ratio curationis maciei eſt illa, vt præ ceteris omnis cauſſa externa adimatur, vel ſi vnus morbus internus auctor ſit gracilitatis,per ſua remedia extinguatur,ſiue ſit febris , ſiue alius morbus , ſiue intemperies interna. Poſt hæc Medici ſtudium verſari debet, vt optimum nutrimentum præparetur,& præparatum vniuerſo corpori diſtribuatur , vt diſtributum vniatur , & aſſimiletur. quapropter ad hæc omnia præſtanda vnica eſt ratio victus accommodatè inſtituenda.eſt enim aër humidus temperatus eligendus , ſiquidem calidus maximè pernicioſus eſt ; ſic ignis, & ſol fugiendus, & ante cetera cauendum ne pueri emaciati indumẽtorum multitudine calefiant ; ſomnus ſemper optimus , atque etiam ſi longus ſit. Animi omnes motus vitandi ; præterquam quod ſi corpus fuerit frigidius , iram conferre compertum eſt ; exercitationes corporum moderatæ eſſe debent ; fuit enim ſententia Hipp.6.de diæta,& etiam Gal.6.epid.com.3.tex.2. tardas deambulationes pinguefacere,celeres verò extenuare;ſicuti etiam notum eſt,quod ſcribit Ariſt.6.problem. 1. videlicet calida corpora ſedendo pinguefieri, frigida verò pingueſcere motu. Aluus moderatè lubrica eſſe debet ; balneorum etiam vſus vtilis eſt,modò opportunè adhibeatur. Vinum potandum eſt,ſed tenue, odoratum, ſubdulce,non auſterum,quod tamen perpetuo pauciferum ſit. Qua in re laudare non poſſum Raſem & Auic. qui conſulunt , potandum eſſe vinum craſſum ; hoc enim & per ſe obſtruit,nec nutrimenti vehiculum eſſe poteſt.Cibi debẽt eſſe optimi ſucci,pinguiuſculi,ſapidi,non autem acidi,neque ſaliti,niſi tamen ad excitandum appetitum,qui neceſſarius eſt pro impinguatione,requirãtur & ſalita,& acida;propter quod forsã

Appollonius ille Herophili ſectator ad impinguanda corpora vtebatur ſalitis, vt ſcilicet eſſent veluti vehicula,& appetitum excitarent. Quamquam ſcio apud Plinium lib.10.cap.73. ſcriptum eſſe,dari pecori ſal,vt ſitiat,& multum potando pinguefiat. Cibi autem, qui conueniunt, ſunt optimæ carnes gallinarum, caponum, phaſianorum, gallorum Indorum, vituli, turdi, carnes caſtratorum; vitelli ouorum; teſtes gallorum; cerebella hœdi,vituli,ſuis;pultes ex farre,oryza; panis coctus in brodio,oryza cocta in lacte.laudatur etiam cicer in lacte maceratum. Inter fructus ſunt amygdalæ, piſtacea,paſſulæ, quas dicit Auerroës pinguefacere;oleum etiam & butyrum; auellanæ nuces,de quibus dicit Plinius eas plus pinguefacere, quàm ſit veriſimile;& hoc oſtendunt ſciuri,qui hoc genere victus maximè pinguefiunt.laudat etiam Hipp.in lib.de veteri medicina caſeum,quem dicit mirificè pinguefacere.Sed mea ſententia Hip.eo in loco interpretandus eſt de recenti,non autem de vetuſto. Hæc eſt victus ratio, circa quam oritur dubitatio, quandoquidem magnus Hip.in lib. de ſalubri diæta tradens rationem macrefaciendi corpora obeſa,dicit eſſe alenda cibis pinguibus,& adfert rationem, quia pingues cibi citiſſimè ſaturant; propter quod ſaturantur quidem corpora, ſed non replentur. ſubnectit etiam eo in loco, ſi craſſefacere placet, contraria ratione medendum eſſe. Contra autem hanc ſententiam eſt Rhaſes, Auicennas, ſunt ferè omnes Græci, immo ipſe Galenus,qui vnanimiter conſulunt, vt ad corpora pinguefacienda in vſu habeâtur cibi pingues.Pro reſolutione dicendum eſt, vſum ciborum pinguium vel poſſe eſſe moderatum,vel immoderatum, & cibos pingues vel eſſe parum, vel multum pingues. Vſus ciborum pinguium immoderatus, ſeu eorum, qui ſunt admodum pingues,planè multū abeſt vt conferat ad pinguefaciendum,quia illud præcisè ſ[illegible]gant, quod ſcribit Hipp. Ceterum cibi parum pingues, atque vſus horum moderatus confert planè ad corpora pinguefacienda;& de his interpretanda eſt ſententia omnium Arabum,& Græcorum. Præter hæc ſunt genera aliqua eduliorum, quæ proprietate manifeſta:aliqua verò occulta qualitate pinguedini conferre putâtur.Quę conducunt manifeſta qualitate id faciunt, vel quia optimam ciborum coctionem efficiunt,vel quia alimentum concoctum diſtribuunt, vel quia nutrimentum ipsū apponunt, & velut incubant ipſis membris. Bonam coctionem efficiunt aromata ferè omnia,tum quia gratiſſima ſunt ipſi ſtomacho, tum quia calorem natiuum quodam pacto augent & conſeruant,veluti ſunt cinamo. caryophylli,nux myriſtica. Soleo ego in extenuatis corporibus vti hac iucunda confectione. Rec. pulpæ caponum elixorum, perdicis an. vnc. s. nucleorum pini,piſtaceorum in vino maluatico maceratorum vnc. s. amygdalarum dulcium vnc. 1. cinamomi, caryophyl. nucis muſcatæ an. vnc. 1. s. ſacchari fini quantum ſufficit, fiat ſecundum artem vel torta,vel morſelli; hi enim iucundiſſimi ſunt, & maximè conferunt ad impinguanda emaciata corpora.Ad perducendum autem cibum ad membrum, conferūt omnia remedia diuretica,quæ & vias omnes maximè recludūt,& ſunt veluti vehicula deferentia ſuccos,& alimentum ad membrum. Sic etiam confert potus inter cibos factus,id eſt,inter prandium, & cœnam,vel cœnam & prandium. Et qui indiſcriminatim in corporibus emaciatis damnant omnino inter cibos potum,longè falluntur,quia & Galenus ipſe in tabidis corporibus 7.Methodi laudabat,vt etiam à cibo biberetur. Et ferè hoc perpetuum eſt, vt qui inter cibos potare ſolent,obeſi ſint.Ad affigendum autem cibum ipſis partibus,conferunt ea potiſſimum,quæ humectât humiditate quadam viſcida,& tenaci, in corporibus ſcilicet frigidis calida; in calidis & ſiccis frigida. Et hæc eſt ratio, propter quam Raſes & Auicennas laudant ad impinguanda corpora papauer,hyoſcyamū,& alia multa quæ impensè re-

frige

frigerant. Hac etiam ratione dicit Lucretius capras pingueſcere cicutis,quòd ſcilicet hæc animalia ſint calida & ſicca, & propterea frigidis temperetur eorũ calor & ſiccitas, ita vt nutrimentũ conficiant. Non enim exiſtimandum eſt ſola cicuta, aut capras, aut ſturnos pingueſcere, ſed his præſtatur via, & modus naturæ ad pinguefaciendum. Eſt autem illud aduertendum in pueris pinguefaciendis,etſi corpora eorum contingat eſſe calida & ſicca, nequaquam tamen vſurpanda eſſe hæc adeo frigida; quoniam cum ipſorum robur vitale ſit infirmum, facilè collabitur vſu adeo frigidorum. Inter ea, quæ proprietate quadam occulta exiſtimantur conferre ad pinguefaciẽdum à Dioſcoride,& Auicenna proponitur ſarcocolla; nunc apud mulieres eſt in vſu nux Indica, cuius accepta interna medulla teritur quam ſubtiliter poteſt, & vel vnc. 1. vel. 2. vel vnc. s. permiſcetur modò brodio ſimplici, modò pani incocto in brodio, modò pultibus. Auicennas etiam proponit puluerem ad pinguefaciendum, quem nec ego improbo, ſed eo etiam vti ſoleo. Recipe farinæ amyli, ſarcocollæ an.lib.1. fiat paſta cum butyro,& exſiccetur; deinde redigatur in puluerem, cuius accipiantur vn. v. in aqua frigida. Et notandum multos eſſe, qui ad pinguefaciendum corpora laudant vſum aquæ frigidæ.& ego noui duos magnos Principes hoc vſu pinguefactos. Auicen. laudat cibos frigidos: ſed hoc non eſt occulta proprietate,ſed manifeſta;quia in iis conducit hic vſus, qui propter immenſum iecoris calorem ſunt extenuati. Proprietate verò occulta confert ad impinguandum ſemen cannabinum. Atque hactenus de morbis externis puerorum,qui totum corpus occupant

De particularibus puerorum morbis, & primùm de capitis aucta magnitudine.

CAPVT IV.

SEquitur vt de particularibus puerorum morbis agamus, incipientes à capite, cuius non tradam omnes particulares morbos, quandoquidem plurimi explicati à me habentur in libro de morbis cutaneis. Agam ergo primò de aucta capitis magnitudine,quæ ægritudo frequenter ſolet recenter natos tentare.Nam etſi ſcriptum ſit ab Ariſt.4.de partibus animal.10.omnia animalia caput magnum habere reſpectu reliqui corporis,potiſſimum verò hominẽ dum infans eſt,quod mihi videtur eſſe vanum; nihilominus ſolet interdum caput in pueris in eam magnitudinem excreſcere, vt non ſolùm turpitudinem faciat, ſed etiam actiones penè omnes impediat,ita vt medici opera ſit opus. Dicit enim Raſes in lib. de experimentis, ſe vidiſſe puerum, cuius capitis magnitudo in dies ita augebatur, vt tandem ad mortem deductus ſit. Sed optabit aliquis breuiter intelligere, cur ſit,quod omnes in principio ſuæ vitæ caput magnum habeãt reſpectu reliqui corporis; poterat enim natura, vt fecit reliqua membra parua,ſic etiam feciſſe caput,vt meliùs, & feliciùs viure poſſemus. Ratio huius eſt, quia neceſſarium fuit homini ſtatim parare cerebrum magnum; cum verò caput factum ſit propter cerebrum, vt dicit Ariſt.4.de partibus animal.10.& 2. de generatione animal.4.quibus in locis Auer. diligentiſſimè diſputat aduerſus Galenum;æquum fuit quemadmodum cerebrum multum & magnum erat, ſic etiam caput magnum fabricari. Cauſſa verò propter quam indiguit homo in infantia cerebro multo, fuit propter inſtrumenta ipſa sẽſuum,& præſertim oculos,quorum tanta fuit neceſſitas in hac vita, vt etiam perfectos eos homini ſtatim coacta fuerit parare,paratos autẽ eſſe perfectos ex eo in-

telligi poteſt,quia in tota vita oculi vel nihil,vel parum admodum creſcunt. Quia verò inſtrumenta omnia ſenſuum, & præſertim oculi, originem ducunt ab ipſo cerebro; immò verò conſeruantur,&,vt ita dicam, aluntur ab ipſo,eapropter fuit neceſſarium, vt ipſum multum eſſet, quò ſcilicet poſſet ſua amplitudine ſufficere tùm omnibus ſenſibus,tùm potiſſimùm ipſis oculis. Quòd ſi, quemadmodum dicit Ariſt.præ multitudine cerebri,& magnitudine capitis illud ſuſtentare non poſſint,prouidit natura vt beneficio parentum, & nutricum huic detrimento ſuccurratur.Et hæc eſt ratio,propter quam Hipp.4.de morbis,& in epiſtola ad Demetriũ regem dicit,cerebrum radicem eſſe omnium morborum,atque ipſum eſſe omnium corporis partium morboſiſſimum. Capitis autem magnitudo, quam tractamus,nihil aliud eſt,quàm tumor præternaturalis capitis in infantibus potiſſimùm cótingens. Appello tumorem præter naturam; quia etſi magnitudo immenſa naturales vitiatas operationes faciat,verumtamẽ non eſt ita morboſa appellanda, vt auxilio medico indigeat;quandoquidem cum ſit naturalis,fieri nequaquam poteſt,vt corrigatur.Dico capitis in vniuerſum,quia fit huiuſmodi tumor in tota capitis amplitudine.Scio & Aëtium, & Auicennam prodidiſſe,hunc tumorem fieri quandoque in peculiari capitis parte,ſed plerũque tamen fit in toto capite.Addidi poſtremò,in infantibus potiſſimùm,quia videtur hic morbus protinus eiuſmodi ætatem, quæ proxima eſt generationi, infeſtare. Quamquam me non lateat etiam in adultioribus eum fieri,cum Hipp.2.de morbis mentionem faciat hydropis cerebri; ſed quemadmodum dicebam,plerumque contingit infantibus.Volo hic obiter dicere, fuiſſe inter Theologos Theophylactum, & Euſebiũ, qui prodiderunt Iudam proditorem periiſſe hoc morbo,ideſt, hydropem ventris & cerebri ita paſſum eſſe, vt caput eius inſtar dolij eſſet.Sed hæc obiter.Eſt ergo tumor hic,morbus in magnitudine aucta, à quo læduntur operationes tum naturales, tum etiam animales. Et quia omnis magnitudo aucta fit vel propter ſolidorum incrementum, vel propter humoris alicuius additionem, vel propter flatus,hic tumor non fit ob incrementũ partium ſolidarum,ſed tum propter humores additos,tum maximè propter flatus. Si fiat propter humores,dicitur àGræcis communi nomine ὑδροκέφαλος.Hipp.2.de morbis vocauit hydropem cerebri. Humor autem quia poteſt vel intra, vel extra craneum colligi,ſi colligitur intra craneum,Auic.1.3.tract.3. cap. 10. & 11. appellat aquã intra craneum;ſi verò colligatur extra illud,Auic. & Arabes vocant aquã extra craneum. Sed ſi flatus colligantur,ſit morbus, qui dicitur ἐμφύσημα κεφαλῆς à Paulo, nos dicere poſſumus capitis inflationem. De hydrocephalo, qui eſt capitis tumor aquoſus in infantibus, tres potiſſimùm pulcherrimæ & vtiliſſimæ ſpeculationes à nobis ſunt habendæ. Prima eſt, quænam propriè ſit materia à qua fit hic tumor aquoſus. Secunda,in quo loco propriè hæc materia colligatur.Tertia,quãdo huiuſmodi humor in capite coaceruetur. Circa primã inter medicinæ ſcriptores inuenio nonnihil controuerſiæ, auctor lib.def.medicarum hanc habet ſententiam,ὑδροκέφαλος fieri vel ab aqua,vel à ſanguine fæculento.Aëtius lib.6.cap.1.ſcribit hunc tumorem fieri vel ab aqua pura,vel craſſa,vel cruenta.Celſus ſolius aquę in huius morbi generatione meminiſſe videtur. Auicennas non ſolum ex aqua fieri,ſed etiam ex aliis humoribus arbitratus eſt, ita vt facile ſit cognoſcere, de materia hydrocephali non eſſe conſtantem & concordem ſententiã medicorum. Ego autem in hac lite ſum huius ſententiæ, ex ea materia fieri hydropem cerebri, ex qua etiam fit hydrops ventris:etenim hæc ægritudo nomen adepta eſt propter ſimilitudinem quam habet cum hydrope. Iam verò hydrops fit quidem ab aqua, ſed interdum craſſiore. nam vidi in Patauino quodam aquam eiectam è corpore

hydro

hydropico,quæ non minus grauis erat, quàm plumbum, interdum etiam ab aqua tenuiore, interdum cruenta; quapropter materia huius mali eſt ſemper materia aquoſa. Quod cum videret Auicennas, dixit fieri ab humiditatibus aquoſis, non ab aqua ſimpliciter,licet etiam dixerit fieri ab aliis humoribus. Sed intelligēda eſt eius ſententia de ichoribus,ſeu de parte aquoſa ipſorum humorū,non de ipſis humoribus. Sed quid dicemus ad auctorem libri definitionum? Dico illum fefelliſſe, quia ſi naturam huius mali ſpectemus, vix fieri poteſt,vt in tam tenera ætate adeo fæculentus & craſſus ſanguis exeat è venis, qui faciat hunc tumorem. Sed forſan melius eſt, vt ſalua huius ſcriptoris auctoritate, dicamus textum illum deprauatum eſſe, quod facilè cognoſci poteſt ab iis, qui Græcam linguam callent. Quare pauciſſimis mutatis ſententia illius ſcriptoris eadem erit cum Aëtij ſententia, qui enim volunt corrigere Græcum textum, ſcribant, ἀφ' ὑγρȣ̃ ὑδατώδȣς, ἢ αἱματώδȣς, ἢ τρυγώδȣς: & ita in Latinum reddant, ab humido aquoſo, vel cruento, vel fæculento;ita enim correctus contextus Græcus,& Latinus habebit eandem penè ſententiam, quam habet Aëtius. Immo ego exiſtimo, Aëtium mutuaſſe ſententiam ſuam ab hoc libro. Sed dicet aliquis,cur ego ſcribit hydrocephalam fieri ab humore lento? Hic eſt purus Cornarij error, & Montanus meliùs tranſtulit hunc locum; eſt enim ſententia Aëtij, fieri non à lento humore, ſed pigrè & lentè, non acutè moueri. Circa ſecundam ſpeculationem Paulus,& Auicennas in hoc conueniſſe videntur, aquam colligi in hoc morbo tribus in locis. Primò, intra cutem & membranam cingentem craneum. Secundò, inter membranam, & os ipſum cranei. Tertiò, inter craneum, & membranas veſtientes cerebrum, quas aliqui vocarunt omenta cerebri. Aëtius addidit his tribus & alium locum, ſcilicet inter cutem & muſculos temporales; vt ſecundum ipſum quatuor in locis colligatur: ſecundum Paulum verò & Auicennam videatur tantum colligi in tribus. Sed circa hoc eſt grauiſſima & pulcherrima quæſtio, quomodo fieri poſſit, vt aqua colligatur intra craneum,ita vt tumidum caput reddere poſſit;nam intra craneum,& mēbranam veſtientem cerebrum non videtur id ſpatij eſſe, vt poſſit aqua eo in loco contineri, & tumorem patere; præterea os adeſt, quod nequaquam tumorem patitur, immo humores videntur hæc oſſa coërcere, & quaſi in carcere continere. Tertiò, ſcimus omnes peculiare eſſe illis aquoſis humoribus, vt relictis locis planis ad caua labantur. Cùm ergo in cerebro cauitates ſint magnæ,& etiam ventriculi, multo æquius videtur eſſe, vt humores intra craneum præcipitentur in eas cauitates,& apoplexias inducant, priuſquam fiat ὑδροκέφαλος. Poſtremò, hic morbus tentare ſolet pueros nuperrimè natos, ita vt dixerint nonnulli hanc ægritudinem concipi in vtero. In vtero autem, vt ſciunt omnes, nutriuntur fœtus per venas vmbilicales, quò fit vt videatur magis rationi conſentaneum, hanc aquam colligi in ipſo ventre,quàm in capite. Pro ſolutione huius quæſtionis dubitandum non eſt, aquam colligi poſſe in ipſo cerebro; præterquam enim quòd Hipp. 2. de morbis manifeſtiſſimè hoc fieri docet, nulla etiam ratio vetat, quin fieri poſſit, vt monſtrabo. Cùm enim primò dicitur huiuſmodi aquàm non colligi,quia non adſit ſpatium inter membranas & craneum;verum quidem eſt,ſed verum etiam eſt,aquā ſibi ſpatiū parare,videlicet cōprimēdo ſubſtantiā ipſius cerebri,& ipſas mēbranas. Quod porrò dicitur os cranei obſtare,quo minus tumor fieri poſſit;reſpōdeo illud in infantibus vſq; adeo tenerū eſſe,vt cerę cuiuſpiam inſtar poſſit in quamlibet dimēſionē dilatari,pręſertim verò circa cōmiſſuras. Dicit enim Ariſt.& bene 7.de hiſt. animal. 10. cūcta animalia prodire in hanc lucē perfectis omnib oſſib. verū hominē exire iis imperfectis,pręſertim pertinētibus ad caput,quod quidē fit nō ob aliud,

nisi

niſi propter immenſam cerebri humiditatem. Ad tertium autem reſpondeo, verum quidem eſſe, quòd aqua quæ colligitur in cerebro, quandoque præcipitatur in ipſius cauitates,non tamen negandum eſſe propter hoc,quin etiam poſſit colligi,ita vt non penetret in ipſius ventriculos; quandoquidem fieri poteſt, vt membranæ illæ ſua denſitate cohibeant aquam, ne cerebrum penetret. Ceterum illud verum eſt, aquam, quæ colligitur intra craneum, morbum eſſe maximè periculoſum. Dicit enim Aëtius veteres prodidiſſe hanc ſpeciem hydrocephaleæ eſſe perniciosiſſimam, quem deinde ſequuti ſunt Auicennas, & Halyabbas, qui dicebant in hac ſpecie mali non eſſe ingenium curationis. Ad poſtremum autem reſpondendum eſt, huiuſmodi aquam colligi potiùs in vtero, quàm extra vterum, & potius in capite, quàm in aliis partibus ob quatuor cauſſas. Prima eſt ſitus capitis intra vterum; ſcribit enim Hipp. in lib. de genitura, & in lib. de natura pueri homines in eo caput habere inclinatum ad os eius, quo fit, vt cùm proprium ſit ipſius aquæ petere ſemper deorſum,facilè fiat vt à toto corpore fluat in ipſum caput, tamquam in infernam partem. Secunda cauſſa eſt larga & copioſa humiditas cerebri, qua fit,vt nequaquam abſurdum videatur, in capite maximè pleno aquoſis humoribus,colligi etiam poſſe aquam,& fieri tumorem. Eſſe verò humidiſſima infantum capita ex eo patet, quia ſtatim ac in lucem editi ſunt, vt dicit Ariſt.4. de partibus animal. 10. & 7. de hiſt.animal.3.caput ipſum nequaquam continere poſſunt. Tertia cauſſa eſt multitudo, & copia vaporum. Vt enim videmus,vbi & calor, & humiditas eſt copioſa, copioſiſſimos etiam vapores eleuari, & in aquam conuerti: pari pacto in corpore infantum calidiſſimo, & humidiſſimo veriſimile eſt copioſiſſimos vapores fieri, qui ad caput ſublati in aquam vertuntur. Quarta eſt capitis vaſorum amplitudo,& conſequenter potentiſſima vis attractoria. Scribit enim Hip.4.de morbis, & in epiſtola ad Demetrium regem, à natura ſuperpoſitum eſſe caput ventri tanquam cucurbitulam quandam, & propterea attrahere humores aquoſos & pituitoſos à ventriculo,& ab omnibus partibus infernis. Colligitur autem hæc aqua in capite duplici modo:primò,per vapores, quemadmodũ dixi: ſecundò, per exitum è venis, quem conſueuit Hipp. ſæpè dicere vomitum venarum. Fit enim vt quotieſcunque venæ vel propter repletionem, vel propter compreſſionem, vel ob aliquam aliam rationem aperiuntur, vt inquam exeat ille humor, qui magis lubricus eſt, qualis eſt humor aqueus. Et idcirco cùm intra, tum extra vterum contingit, vt vel propter errorem nutricis aut obſtetricis nimis comprimatur caput, vel in vtero caſu aliquo nimis comprimente venæ coarctentur, ita vt effundant ex ſe ipſis humores illos aquoſos; quò fit vt vehementer errauerit Gulielmus ille Placentinus chirurgus, qui exiſtimauit fieri hunc morbum ex aqua ſanguinis menſtrualis. Dicemus autem nos fieri, vt interdum huiuſmodi morbus incipiat in vtero, & tamen poſt ortum per aliquot dies vix appareat. Iam enim dixi,cùm tractarem de Variolis, non inconuenire, vt interdum morbi contracti in vterò lateant per plures menſes & annos. Sed nunc hoc in loco dico ſummo cum errore fieri, vt hic morbus concipiatur in vtero, & deinde poſt exitum ab vtero appareat. Primum enim hoc facere poſſunt errores & obſtetricum & nutricum, vt dixi; ſed poteſt etiam fieri ſine vllo errore & ſponte, eo ſcilicet pacto, quo morbum epilepticum concipi in vtero docet Hipp. ſcribens, quòd dum natura perficit membra intra vterum, expurgat & euacuat, quod neceſſe eſt, ita vt nihil nocui relinquatur;vnde capita augeſcentia ſana ſunt. Sed ſi aliquid in hac perfectione relinquitur,fit vt poſt exitum ab vtero ex illis reliquiis & epilepſia & alij morbi ſuboriantur.Eſt ergo hydrocephalos aquoſus tumor,qui fit tũ extra,

tum

tum intra craneum.Intra craneum quidem fit; tum quia copia aquæ os capitis tenerum flectit, & tumorem licet non inſignem inducit: tum quia ſuturas capitis diſiungit,quibus deinde diſiunctis aqua effuſa intra craneum tumorem parit. Pari pacto fit flatuoſus tumor, qui à Græcis ἐμφύσημα dicitur, cuius materia eadem penè eſt,quæ & ſpeciei illius hydropis,quæ dicitur tympanites.Sicut enim in tympaniti flatus maxima ex parte eſt qui facit tumorē, ita & in hac paucus adeſt humor. Quod ſpectat ad locum, vbi flatus colligitur, eſt ſententia Æginetæ libro 4. cap. 28.in iiſdem locis colligi eum, in quibus colligitur aqua, ſcilicet inter membranas cerebri,& inter craneum, vbi flectere facit os, vel ipſas ſuturas diſſipat, aut colligitur inter os cranei & membranas, aut inter membranas & cutem, vel inter muſculos temporales & cutem. Modus autem generationis huius tumoris eſt, quòd à calore debili ipſius cerebri, cùm non poſſit ſuperari copia humoris, fit vt eius magna pars in flatum conuertatur, qui deinde ea in parte detentus, tumorem inducit. Vt verò detineatur flatus in capite, duo potiſſimùm efficiunt, videlicet flatus ipſius craſſities, & cutis capitis denſitas; propter quam flatus alioquin craſſi erumpere minimè poſſunt. Illud hoc loco aduertendum, hunc tumorem flatuoſum in fœtu tam extra, quàm intra vterum multò rarius contingere quàm hydrocephalon. Ratio eſt, quia plerumque humores aquoſi qui in infantibus exuberāt,tenues admodum ſunt, ita vt flatus qui ex ipſis procreantur,tenues admodum ſint, & facilè propterea diſſoluantur. Sed alia etiam eſt cauſſa, quia licet in infantibus interdum cutis denſa ſit, plerumque tamen rara eſt; & indicium huius eſt, quoniam infantes tùm in vtero, tùm extra eum caput capillis plenum habere ſolent. Scribit enim Ariſt.2.problem.6.& 17. non ſudare multùm caput, neque ſudorem illum admodum fœtidum eſſe, quia foraminulentum eſt; ita vt vapores facilè expirent, & diſſoluantur; eſſe verò foraminulentum ex eo probat, quia in ipſo oriuntur capilli. Quare hac Ariſt. ratione compertum eſſe poteſt rara eſſe infantium capita, propterea quòd in vtero & extra vterum capillati ſunt. Quamobrem ex hoc diſcurſu conſtans poteſt eſſe ſententia, materiam coniunctam vtriuſque huius tumoris eſſe vel aquoſum humorem;vel aquam; vel flatum; vel vt dicebat Auic. calidum aliquem humorem, cuius tumorem appellat aquas infantium. Cauſſæ horum tumorum antecedentes variæ ſunt:in primis autem eſt facultas & calor debilis cerebri infantium,merito cuius contingit,vt larga illa copia aquæ & flatus nequaquam diſſolui poſſit.Paullus addit etiam eſſe rarefactionē vaſorum,propter quam aquoſa materia ex iis refuſa,dum colligitur,tumorē facit. Adhæc eſt inter cauſſas, materni ſanguinis aquoſitas; dixi enim fœtum nutriri in vtero optimo ſanguine, quo fit vt conſumpta craſſa & meliori parte huius ſanguinis, remaneat aquoſa tantum: & conſequenter tumor ſuboriatur: ſic etiam inter cauſſas externas numerare poſſumus cibos quibus alitur prægnans, ſi enim vitiatur nimio aquæ potu,ſiue fructibus,aut aliis cibis aquoſis, aut flatuoſis,facilè occaſionem præſtat generationi huius mali. Hinc ſcribitur apud Ariſt. 7. de hiſt. animal. 4. ſæpè fœtus extra vterum geſtare eſculenta matrum, non ſolùm propter eam rationem, quam habet Albertus Magnus, ſcilicet propter calorem vteri attrahentis cibos incoctos, ſed multo magis, quia ex huiuſmodi eduliis gignitur ſanguis aquoſus,vel talis, qualia ſunt alimenta à matre accepta. Adhæc cauſſæ externæ ſunt nimiæ prægnantium concuſſiones;præſertim circa os vteri;vnde fit, vt ad generationē huiuſmodi morbi in infantibus maximè cōferat importunus Veneris vſus, eo præſertim tempore,quo fœtus in lucem proditurus eſt.Item obſtetricis,aut nutricis imprudentia,nā vbi infans ab vtero progreſſus eſt,ab ipſa caput

eius

eius formatur manibus, propter quod contingit, vt ſiniſtra compreſſione effundantur humiditates in vaſis, & fiat hoc malum. Nutrices etiam interdum imprudenter tractant capita infantiũ, & huic malo occaſionem præbent. Inter has cauſſas recenſet Aëtius plagas,percuſſiones,contuſiones,& alia. Ceterum non eſt difficile hoc malum cognoſcere,quia ad ſenſum apparet eſſe vitium in aucta magnitudine, vt non opus ſit verſari diligenter in inquirendis vniuerſalibus ſignis. Sed de ſignis materiæ & loci magis ſolliciti eſſe debemus, quoniam ſi flatus tumorem fecerit, duobus his argumentis cognoſcitur. Primò,quia vbi leuiter pulſatur caput, inſtar tympani cuiuſdam reſonat. Secundò, ſi digito prematur tumor, aut non cedit, aut ſi cedat, illico ad priſtinum ſtatum redit. Si ab humore fiat, & ille ſit extra craneum, cognoſcitur in primis luciditate; videtur enim caput veluti ſplendere;ſi percutiatur,nullum ſonum edit; ſi digito prematur,facilè quidem cedit,ſed difficulter deinde & tardè ad priſtinum ſtatum reuertitur;ſine dolore eſt,ſine coloris mutatione;fletus tamen & vagitus inducit. Si ſit intra craneum, inquit Auicennas, ægrum quidem grauitatem capitis percipere, cuius merito ſit, vt infantes plorent & vagiant. In adultioribus autem fiunt vertigines,oculi lacrymantur,& ferè claudi non poſſunt,ſed aperti manent,quaſique in vnum ſemper intueri videntur. Verum video aliquem dicturũ, quomodo fieri poſſit, vt in copioſiſſima capitis humiditate oculi non poſſint claudi, nam videtur potius contrarium debere contingere, quia larga & copioſa humiditate relaxantur mẽbra,quibus relaxatis potius contingit, vt in ſe ipſa concidant,quare debet hoc idem contingere oculis, vt ſcilicet ipſorum palpebræ relaxatæ nequaquàm ſubſiſtant, ſed in ſe ipſas concidant.Dico rationẽ ob quã non claudũtur,duplicem eſſe. Prima eſt,quia dura mater valde comprimitur à copia humiditatis,quæ compreſſa cùm tẽdatur,tenſas ſimiliter palpebras facit, vt conſequenter claudi non poſſint. Secunda eſt, quia propter largam humiditatem palpebræ vſque adeò replentur, vt minimè claudi queant. Si ichores aliorum humorum, vt dixit Auicennas,malum faciant; ex colore potiſſimum internoſcitur: quia ſi ab ichore bilioſo, color erit ſubflauus: ſi à ſanguine,rubeus: ſi à melancholia, liuidus. Externæ cauſſæ cognoſcuntur potiſſimum relatione,præterquam quòd ſi ex percuſſione,vel ex contuſione factum ſit malum, adeſt & dolor & color rubeus, aut liuidus. Si ex aqua intra craneum factus eſt tumor, vt dicit Aëtius,malum lethale eſt,nec eſt ingenium curationis, vt ait Auicennas. Sed ſi ſit extra craneum, minus quidem lethalis eſt, verùm neque id vacat periculo,quia omne capitis malum graue eſt; grauiſſimum autem in hac ætate,quæ neque malum,neque remedium ipſius ſuſtinere poteſt. Scribit Auicennas, quòd ſi in capitis inflatione alui fluxus ſuccedat ferè malum irremediabile eſt.Scopus autem omnium remediorum præcipuus in hoc malo eſt,vt cauſſa coniuncta aboleatur, ſcilicet vt flatus omnis diſſipetur atque extenuetur; & aquoſus humor omnis euacuetur.Euacuari autẽ poteſt vel inſenſibiliter,vel ſenſibiliter; & ſẽſibiliter quidem vel poteſt euacuari medicamẽtis hydragogis, vel chirurgica,& manuali operatione. Vtrum autem horum faciendum fuerit,neceſſaria omnino eſt recta victus ratio;quæ,ſi æger fuerit lactens,tota dirigi debet ad nutricem; ſi verò adultior ſit, ad puerum ipſum conuertenda,& idcirco eligendus eſt aër calidus, & ſiccus,in quo & nutrix & infans conſeruetur.Si verò huiuſmodi haberi nõ poſſit, præparandus eſt igne, ſuffumigiis ex lignis odoratis & calidis. In infante lactente prouidendum eſt,vt nutrix potius vigilet,quàm dormiat; & pueris ablactatis permittendus ſomnus,ſed multo minor, quã ſi ſani eſſent;eo quia ſicut vigiliæ ad exſiccandum mirificè conferunt,ſic ſomnus magis humectat quàm par ſit. Exercendum

dum corpus moderatè; & quod dicunt aliqui pectinanda eſſe capita infantiũ,pernicioſiſſimus eſt error. Corpus moderatiſſimè lauandum eſt;aluus lubrica ſeruanda,& ſi non fluat,vel glande ex melle,vel ex ſapone vtendum. A vino prorſus abſtinendum eſt & in pueris,& in nutrice; loco cuius parandum eſt decoctũ factum ex aqua cum coriandro, & aniſis. Cibi omnes ij debent eſſe,qui poſſunt flatus diſcutere, humores diſſipare; & propterea panis modico furfure & coriandro confectus accommodatiſſimus eſt. Carnes omnes auicularum, præſertim montanarum, & aſſæ potius, quàm elixæ. Aromatum vſus moderatus maximè vtilis eſt: ſic etiam vſus modicus ſalis vtiliſſimus eſt; & inter fructus amygdalæ, piſtacia, auellanæ conferunt. Vtilia ſunt coriandra ſaccharo condita; abſtinendum ab omnibus herbis,& fructibus aqueis. Si infans & lacteus ſit puer, videndum eſt numquid nutrix ſit puro corpore, an impuro. Si enim ſit corpore puro, nequaquam eſt ſollicitanda medicamentis, ne ſcilicet lac turbetur. Sed ſi prauis humoribus plena ſit,diligenter expurganda erit pro qualitate & natura eorum humorum,qui ipſam turbant. Infanti verò nulla alia remedia conueniunt,niſi auxilia externa.Et hoc eſt, quod dicit Raſes in lib. experimentorum, ſolam nutricem eſſe purgandam hiera aliqua magna. Ceterum etſi compertum ſit remedia externa conuenire, illis tamen in hac ætate eſt vtendum prudẽtiſſimè, quia facilè hæc ætas à quolibet importuno remedio offenditur. Si ergo tumor ſit flatuoſus, tentandum eſt flatus diſcutere & fomentis, & inunctionibus; fomentum autem poteſt huiuſmodi parari. Recipe foliorum origani, pulegij, ſatureiæ an.m. 1. cymini, aniſorum an. vnc.1. fiat decoctio ſecundum artem, qua ſpongia imbuta capiti apponatur. Poſt fomentum conueniet etiam inunctio,& primò ſat erit inungere oleo chamæmelino ſalito; quod ſi non profecerit, poteſt addi oleum anethinum, & ipſi ſali etiam addi modicum pulueris aniſorum,aut fœniculi,aut vini,vt eo felicius cura ſuccedere poſſit. Sunt etiam aliqua,quæ ſi nutrici exhibeantur, vtilia ſunt, vt eſt hæc confectio. Recipe conſeruæ betonicæ, anthus an. vnc. 1. pulueris coriandri, aniſi an.vnc.1. miſce, & capiat manè, & veſperi vnc. s. huiuſmodi enim confectio poteſt lacti facultatem flatus diſcuſſoriam elargiri. Quod dicunt aliqui conferre etiã gargariſmata,& ſternutatoria,poteſt quidem verum eſſe;ſed hæc remedia penè extrinſeca vt iuuare poſſunt nutrices malè affectas; ſic infantibus ipſis nullum penè adiumentum adferunt; quia per hæc medicamenta lac multis qualitatibus afficitur; atque ſic tractandus eſt tumor flatuoſus, qui ſi in adultioribus pueris erit, valentioribus etiam medicamentis tractabitur. Ceterùm in tumore aquoſo, & puero adulto,qui ſuſtinere medicamenta valet,erit primo purgandum. Quare ante alia ſic lenietur aluus. Recipe mellis roſari ſolutiui vnc. 2. vel 3.pro captu,brodij parum miſce. Lenita aluo ſic præparantur humores. Recipe foliorum artemiſiæ,ſatureiæ,ſtœchados,chelidoniæ an. m.s. fiat decoctio ſecundum artem: deinde, Recipe prædictæ decoctionis vnc. 2.s. vel vnc. 3. mellis roſati ſimplicis, ſyrupi de ſtœchados an. vnc. s. miſce. præparati humores purgabuntur his pillulis. Recipe pillularum aurearum vnc.1.s. caſtorei grana 2.radicis ireos ſubtiliter puluerizati drach.s. miſce, & cum melle roſato ſolutiuo fiant pillulæ num.quinque. Quod ſi puer abnuat pillulas deglutire, poteſt propinari huiuſmodi medicamentum.Rec.radicis ireos,hæc enim euacuat aquam,vnc.1.paſſularum vnc.s.ſeminum fœniculi,coriandri,cinamomi an.drach.s. fiat decoctio ſecundũ artem:deinde Recipe dictæ decoctionis vnc.2.s.agarici trochiſcati vnc.s.infundantur ſecundum artẽ,deinde facta diligẽti expreſsione adde mellis roſati ſolutiui vnc.1.s.miſce.Poſtquam fuerit corpus pueri purgatũ,ea confectio,quã iam nutrici propoſui, accommodata

modata erit; tum ad externa medicamenta veniendum eſt, quæ & lactēti puero, & non lactenti conueniunt. In horum vſu Auicennas præcipit vt diligenter aduertatur, numquid aqua in capite pauca ſit, an multa, & numquid ſit intra craneum, vel extra: & ſi extra, vtrum illic collecta fuerit, an potius in partibus internis ſit vehementer ad externas propulſa. Si enim ſit ab internis ad externa propulſa, monet ipſe non eſſe curationem aggrediendam, eo quòd res penè deſperata ſit. Sed dicet quis, nónne Raſes teſtatur ſe vidiſſe aliquos etiam curatos eſſe? nónne Aëtius ponit huius rei curationem? Dico hoc quidem verum eſſe, ſed ſciendum eſt aquam ab internis ad externas partes effuſam, poſſe eſſe vel copioſam, vel paucam. Si copioſa ſit, ita vt premente digito refluat ad internas partes, actum eſt; ſed ſi ſit pauca, ita vt non refluat dum premitur, tunc curari poteſt: & idcirco Raſem, & Aëtium huius curationem inſtituiſſe exiſtimo. Si materia pauca ſit, & collecta in partibus externis, conandum eſt omni ſtudio, vt ea diſſipetur, quod quidem fieri poteſt & fomentis & inunctionibus. Si dabitur copia aquæ ſulphureæ, aut marinæ, præſtabit in primis hoc auxilio vti, ſcilicet imbuere ſpongias leues hoc liquore, & capiti ſuperimponere; ſic etiam lixiuium vtile eſt, quod ſi paretur cum reb. exſiccantib. eo melius erit. Exempli gratia. Recipe cineris è ligno ficulneo lib. 2. aquæ marinæ, vel communis lib. 20. fiat lixiuium ſecundum artem, quo percolato adde in petia coriandrorum, aniſorum an. p. s. furfurum p. 1. item foliorum pulegij, origani, artemiſiæ an. m. 1. s. bulliant omnia ad conſumptionem partis quartæ, deinde facta colatura in vſum adhibeantur; ſic etiam iuuat parare lixiuium cum ſulphure. ſulphur quoque per ſe tritum, & lana ſicca capiti appoſitum magnopere prodeſt ad exſiccandum. Valentiora exſiccantia remedia valdè formido, præſertim in illis pueris, qui ſunt iuniores. Sic quoque fiunt emplaſtra ex herbis prædictis quæ coctæ atque tritæ ad formam emplaſtri ſuperponuntur capiti. Emplaſtrum etiam ex limaciis tritis maximè prodeſt. Soleo ego oſtreacea quælibet iubere vt conterantur, & cum aqua ſalita fiat emplaſtrum, quod & aquam capitis, & etiam ventris ſolet diſſipare. Sic poteſt inungi caput oleo aliquo, vt, Rec. olei irini, chamæmelini an. vnc. 2. pulueris ireos, ſulphuris an. vnc. 2. ceræ parum, fiat linimentum. Sic quoque laudo, vt auribus infundatur oleum chamæmelinū cum modico iridis: poteſt etiam infundi oleum cum modico ſulphuris, & ſagapeni cum modico caſtorei. Laudat Raſes cerebrum lupi exſiccatum, & cum muſco inſperſum intra nares; nam quæ naribus, & auribus infunduntur remedia, facilè virtutem ſuam cerebro communicant, & maximè iuuant: ſed ſi aqua copioſa ſit extra craneum collecta, vanus ſolet eſſe vſus huiuſmodi remediorum externorum, & internorum; quia ſicut interna remedia valentia non cōueniunt in hac ætate, ſic vel mediocria, vel exigua nihil proficiunt; idem quoque eſt de externis. Quapropter nulla alia ſupereſt ſpes, niſi in ſenſibili humoris aquoſi euacuatione. Fit autem hæc euacuatio per chirurgiam, id eſt, per ſectionem; in qua peragenda illud obſeruandum eſt in primis, quod Aëtius, & Paullus docent, ſcilicet, vt ſi tumor magnum apicem habeat, vna ſectione apex ſecetur. Quòd ſi maior ſit, non vna ſectione, ſed duabus atque tribus pertundendum eſt caput. Aliud quoque obſeruari debet, vt ſemper fiat ſectio in parte decliuiore, eo quia facilius multo & promptius euacuatio fit, vbi aqua locos decliues habet per quos labatur. Facta ſectione laudant omnes, & iure, vt non ſemel, ſed paullatim euacuetur aqua; quòd ſi in hydrope ventris id faciendum eſt, multo magis in hydrope capitis debet fieri, quia ſedes eſt ſpirituum animalium. Facta ſectione, & paullatim aqua educta, imponenda ſunt ea medicamenta, quæ imponuntur vulneribus, vt ſunt lintea oleo & vino madefacta. Illud

aduertem

aduertendum eſt hoc in loco, quod Aëtius monet, ſi pueri ſint robuſtiores, hæc medicamenta eſſe arctè deliganda; ſed ſi ſint teneriores, & debiliores, ſat eſſe leuiter locum pertuſum tegere molli lana, aut pileo molliſſimo & leuiſsimo; & hoc modo intelligendus eſt ſermo de ligatura apud Auicennam. Contingit interdum, vt educta aqua, & curato ipſo vulnere, tamen caro ſupercreſcere non poſſit; quod quia contingit aliquo oſſis vitio, ideo blandiſſimè os ipſum radendum eſt, vt ſcilicet parte vitioſa ſublata, facilius ſupercreſcere poſſit caro. Sed ſi aqua fuerit collecta intra cutem & muſculos temporales, aut inter muſculos & cutem, medicamenta nihil proſunt; pertundere enim muſculos temporales lethale eſt. quare Aëtius ex ſententia Leonidæ medici monet tantiſper expectandum eſſe, donec aqua ſubtus muſculos exiſtens ad latera reſtagnet; quo tempore deinde inquit in ipſis lateribus muſculorum faciendas eſſe ſectiones, intactis tamē muſculis, atque deinde manubrio cultelli ſegregandas eſſe partes illas ab oſſe, vel à cute, atque paullatim euacuandam eſſe aquam. In reliquis curandum eſt vulnus, vt dixi, atque hæc eſt curatio hydrocephali ſecundum Græcos, & Arabes. Celſus autem lib. 4. cap. 2. aliam curationem videtur inſtituiſſe, vbi ſcribit primùm vſque ad cutem tundendū eſſe caput, deinde apponendum eſſe aliquod medicamentum cauſticum, illúdque retinendum eſſe, quouſque locus vlceretur; quòd ſi hoc vlcus parum profit, inquit tum ſcalpello eſſe vtendum. Quem ſectati plerique chirurgi, in eam ſententiam deuenerunt, multo ſatius eſſe curare hydrocephalum medicamentis cauſticis, atque non vnum, ſed plura vlcera capiti inurenda, quàm ad ſectionem deueniendum: eo quòd ſi ſectio periculoſa eſt in hydrope ventris, dicunt iſti, multo periculoſiorem eſſe in hydrope cerebri; & Guilielmus ille Placentinus magni nominis olim chirurgus, teſtatur ſe neminem vidiſſe hac medicina curatum. Poſſumus etiā & illud addere, Hipp. 2. De morbis antequam ad ſectionem hydropis cerebri deueniat, prius tentare omnia alia auxilia; quaſi monere velit non niſi in deſperatis caſibus, & poſt tentata cetera auxilia deueniendum eſſe ad ſectionem. Sed negari non poteſt hanc medicationem periculoſam eſſe, & propter ætatem, & propter affectus ipſius magnitudinem. Verumtamen alia eſt ratio hydropis ventris, & alia hydropis capitis; quandoquidem vbi aquā eſt extra craneum, poteſt multo facilius euacuari, quàm aqua in ventre exiſtens. Præterea non video, quomodo vlcerationes in capite toto penè aqueo non ſint etiam periculoſiſſimæ; quia ſicut vlcera in partibus ſiccis facilè ſaneſcunt, ſic in corporibus humidis aut numquam, aut vix ad ſanitatem perueniunt. Quapropter non ſum ex iis, qui abhorrent hanc medicinam à veteribus propoſitam. Illud verum eſt, illam aquam eſſe paullatim vacuandam, neque faciendam ſectionem in iis, qui nuperrimè ſunt nati, ſed in grandiuſculis, in quibus non vſque adeo periculum magnum imminet. Si ſit factus tumor ab ichoribus aliorum humorum, qui tumor Atas ab Auicenna dicitur, monet ipſe, vt nutrix alatur rebus refrigerantibus, vt ptiſana, & aqua hordei; vt capiti ſupponatur oleum violaceum, & vt caueat omnino à balneo, eo quòd balneum aquæ calentis ſolet caput & alioquin calidum plus calefacere; quod ſi timeatur alui fluxus in hoc morbo, conuenit cibus factus ex hordeo torrefacto, ſpodio, ſemen portulacæ, aut plantaginis torrefactum. hæc enim deglutienda dantur pueris ad aluum ipſorum moderatè conſtringendam. atque hæc de curatione hydrocephali ſufficiant. Ordo & inſtitutum noſtrum poſtulat, vt reliquos capitis morbos perſequamur. Sed quoniam hæc tractatio aliàs à nobis copioſiſſimè habita eſt cum morbos cutaneos tractauimus, exiſtimo ſatius eſſe ad alios nondum tractatos properare. Aggrediar ergo tractatum cuiuſdam morbi, qui in pueris

frequentiſſimè oriri ſolet circa collum, & communiter ſtruma dicitur. Eſſe verò hunc morbum puerilem & externum clariſſima habemus teſtimonia Hipp. & Galeni. Hipp.enim 3. aphor.26. manifeſtiſſimè eum numerat inter morbos pueriles, quemadmodum & Gal. in commen. Eſſe verò morbum externum idem Galenus explicatiſſimè docuit lib. 1. de differ.

De Struma.

CAPVT V.

EXternos morbos pleroſque tractaui inter cutaneos morbos. Nunc agam de frequentiſſimo pueris morbo, qui Struma dicitur;quam Hipp.3. aphor.26.refert inter pueriles, & Galenus in comm. Eſt verò morbus externus, quoniam Gal. lib. 1. de differentiis morborum 5. eum inter euidentes morbos numerat. miror ergo eos, qui de puerilibus morbis tractantes hunc omittunt. Hic verò morbus à Latinis dicitur Struma,à Græcis χοιρὰς vocatur,à barbaris ſcrophula.Aëtius lib.15. c.5.Auic.3. partic.tract.2.cap.9. nominis rationē oſtendunt; vel quia hoc in morbo multæ fiunt in collo veluti propagines quædam, vel quòd ſues, quemadmodum ſcrophæ multos partus edunt fœminæ, quæ ſcrophæ dicuntur, eo ſolent vehementer tentari. Subdubitari poteſt,ſi hic morbus eſt familiaris ſuibus, cur Ariſt. 8.de hiſt.animal.21.tractans de morbis ipſorū nullam faciat mētionem de ſtrumis. Reſpondeo,quia loquitur eo in loco de illis morbis,qui interficiunt ſues;hæc autē ægritudo non eſt exitialis, ob id præteritur ab illo;verū in eo loco eſt error Gazæ. nam vbi Ariſt.ſcribit ſues laborare cancro, & grabra;atq; grabram dicit eſſe capitis grauitatē & alui profluuiū,hic tranſtulit grabram ſtrumam,quemadmodum etiam fecit c.23.eiuſdē libri. Verùm toto cœlo aberrauit, diſtant enim hi morbi ab inuicem.Deceptum verò puto Theodorum errore Plinij lib. 8.cap. 61. qui & ipſe forſan malè intelligens Ariſt. dixit ſues laborare ſtruma & angina. ceterum ſtruma nihil eſt aliud,niſi tumor præter naturam durus,naſcens potiſſimùm circa collum, & ceruicem,maximè puerorum. Dixi tumorem præter naturam durum, quia Gal. lib.de differen.cap.5.& lib. de tumoribus præter naturam eum ita appellat, quemadmodum etiam facit Auer.7.collect.33.quo in loco dicebat ſtrumas,ſeu ſcrophulas eſſe apoſtemata dura in carne molli. Dixi etiam hoc ad differentiam glandularum induratarum,quæ prout diuerſæ ſunt à ſtrumis,in diuerſis etiam locis tractatę inueniuntur à medicis.Sed dicet aliquis, quomodo ergo auctor libri definitionum medicarum ſcribit ſtrumas eſſe carnem ſiccam, & ſolutu difficilem? Præterea cur eſt,quòd Aëtius lib.15.cap. 5.ex ſentētia Leonidæ medici definiens hunc morbum, dicebat eſſe carnes ſubalbas in folliculo contentas? Reſpondeo, niſi hi ſcriptores pro carne intellexerint materiam carni ſimilem, aut,vt dicit Auic. 3.4.tract.2.cap. 9.cum carne ſuſpenſam,magnopere decepti ſunt; quandoquidem materia, ex qua fiunt ſtrumæ,valde diuerſa eſt,vt videbitur ſuo loco,à materia ex qua fit ſanguis & caro. Immo verò idem Aëtius loco citato inquit ſtrumas interdum fieri ex carne, ſed raro, & ipſas glandulas interdum conuerti in ſtrumas. Ex quo loco facilè intelligi poteſt ſecundum ipſum longè diuerſam eſſe materiam carnis à materia ſtrumarum. Dixi,in collo potiſſimum,quemadmodum & Celſus lib.5.cap.28.& Paullus lib.4.cap.33. & Gal.& Auic.locis citatis manifeſtiſſimè dicunt, hoc morbi genus oriri potiſsimum in collo,ſeu ceruice;ſed oriri etiam ſub alis,& inguinibus,& in aliis locis.Immo verò idē Celſus ex ſententia Megis chirurgi antiquiſsimi,cuius etiam

etiam meminit Gal. 6. Methodi 7. ſcribit ſtrumas oriri quoque in mammis mulierum. Sed, vt dixi, licet in omnibus his locis oriantur, potiſſimùm tamen, & maximè in collo. Quare ex his omnibus intelligi poteſt ſtrumas morbum eſſe in magnitudine. nam teſte Auicenna, & experientia, ſæpe fit, vt ad immenſam magnitudinem hi tumores excreſcant. Lædit autem hic morbus actiones naturales, & animales, præſertim motricem: & lædit tum impedita facultate, tum etiam læſa ab intemperie frigida. Locus affectus, vt dixi, propriè eſt collum, atque hoc ſignificatum habemus ab Hippocrate in lib. de glandulis, vbi ſtrumam dicit eſſe potiſſimum colli morbum. Sed quia modò dicebam etiam aliis in locis fieri hos morbos, melius eſt dicere locum affectum eſſe ipſos adenes in vniuerſali; quod cum cognoſceret & Paullus, Galenum imitatus 14. Method. 11. dicebat ſtrumas eſſe ἀδένας ἐσκληρωμένους, induratos; quod etiam dixit Gal. 1. de locis affectis 3. Cauſſa immediata, & materialis ſtrumarum, planè humor eſt: nunquam enim fit hic morbus à flatu; ſed quis ſit humor, à quo fiunt ſtrumæ, non eſt certum inter medicos. Hipp. lib. de glandulis, & lib. de affectionibus ſtatuit cauſſam materialem ipſarum eſſe fluxionem copioſam, glutinoſam & lentam; quem ſequutus Gal. 3. aphor. 36. dixit materiam ſtrumarum eſſe pituitam frigidam; & nullo modo fieri ex materia calida. Ceterùm Celſus loco citato ſcribit eas fieri ex materia ſubtus cutem concreta, commiſta ex pure & ſanguine. quam ſententiam videtur quoque mutuatus Plutarchus 4. quæſt. conuiua. 2. vbi ſcribit ſtrumas fieri à calore & humore ſanguineo. Videtur ergo contradictio inter Hippocratem, Galenum & Celſum. Gulielmus Placentinus chirurgus, Theodoricus, atque ferè omnes barbari chirurgi videntur hanc ſententiã habuiſſe, quòd ſtrumæ fiant & ab humore pituitoſo & melancholico. Verùm hæc grauiſſimorum ſcriptorum diſſenſio videtur hoc pacto tolli poſſe, nempe ex natura ipſius rei perſpecta. Diximus locum affectum eſſe glandulas, quæ cùm ſint veluti ſedes excrementorum, non alia excrementa debent hos morbos efficere, niſi ea, quæ in iis locis colliguntur. Iam verò ſi nutrimentum glandium ſpectemus, eſt ſanguis pituitoſus & frigidus. Si humores ad ipſos decumbentes, eſt materia pituitoſa. Rationi ergo conſentaneum videtur, excrementa, quæ colliguntur in his locis, non eſſe alia, quàm pituitoſa. Hippocrates igitur & Galenus cum ſpectarent ipſius rei naturam, iure conſtituerunt fieri tantum hos morbos à pituita viſcida & lenta. Ceterum Celſus cum reſpiceret materiam remotam, quæ ſanguis eſt, eo quòd in ſanguine continentur omnes humores, voluit ab ipſo ſtrumas fieri; quæ etiam quoniam ſæpe in pus conuertuntur, non eſt mirum ſi puri ſanguinem addidit. Alij verò chirurgi veluti indoctiores, & inelegantiores conſueuerunt appellare quemlibet humorem craſſum & terreſtrem melancholiam, vt non ſit mirum, ſi dixerint etiam fieri ex melancholia, quamquam minimè negandum videtur quin etiam interdum ipſi pituitæ copulari poſſit humor melancholicus. Sed hic oritur pulcherrimum problema, cur fiat, quòd ſtrumæ interdum folliculum habeant, interdum non. Cui reſpõdeo, primò ſciendũ eſſe folliculos nihil aliud eſſe, niſi veſiculas quaſdam membranoſas, in quibus varij humores ſolẽt reperiri, modò ſebacei, modò gypſei, modò mellei, modò etiam alterius naturæ; mẽbranæ verò hæ, vt habetur apud Hip. in l. de carnibus, fiunt ex parte ſanguinis ſicciore, & magis glutinoſa, à frigido congelata. Scribit enim ipſe eo in loco membranas omnes fieri à principio ortus, dum aſſata materia glutinoſa à frigido congelatur. addit etiam ibidem, quòd ſi corpus hominis ſecetur, ſanguinem, qui fluit, calidũm eſſe & liquidum, vbi verò congelatur, obduci veluti quadam pellicula, quæ ſi detrahatur, aliam iterum naſci, &

ſi hæc etiam auferatur,tertiam oriri; ita vt ſit Hipp. ſententia, huiuſmodi cuticulas membranoſas fieri à frigido congelante partem humoris, ſeu ſanguinis, glutinoſam & frigidam.Igitur in ſtrumis,vbi materia expers eſt viſcoſitatis,& glutinis, licet concreſcat, & congeletur, non tamen fit cutis hæc membranoſa. Sed vbi in ea reperitur pars glutinoſa,cum congelatur à frigore partis,ſeu glandis,fit circumcirca cutis, & conſequenter veſica; in qua poſtea materia contenta pedetentim craſſeſcit, ſcilicet parte ſubtiliore illius loci tepore abſumpta. Inter cauſſas ſtrumarum antecedentes primùm adfertur ætas puerilis & iuuenilis; addere etiam poſſumus ætatem conſiſtentiæ; quandoquidem, vt habet Hipp.in Coacis prænotionibus,à quadrageſimo ſecundo anno ætatis,vſque ad ſexageſimum tertium,neque ſtrumæ,neque lapis renalis,neque deſtillationes dorſales,neque morbi renales gignuntur,niſi tamen antecedente ætate factæ ſint,& deinde veluti continuentur. Temperatura etiam corporis frigida & humida, habitus laxus, & in quo collum breue ſit; quandoquidem, teſte Auicenna 3. 4. tract. 2. cap. 9. qui habent collum ita conſtitutum, facilè recipiunt ſtrumas, eo quia à capite in eas partes humores facilè labuntur, & lapſi tenaciter hærent. Ceterum non eſt prætereundum hoc in loco quod ſcribitur lib. 1. veterinariæ medicinæ cap. 20. vbi Abſirtus, & Hierocles tradiderunt iumenta caſtrata non tentari hoc morbo, quod etiam in hominibus obſeruatum eſt plerumque contingere, vt ſcilicet qui carent teſtibus, hoc morbo non tententur. Cauſſæ porrò externæ complures ſunt, in primis verò regiones frigidæ & humidæ, otium,potus aquarum crudarum & craſſarum; vſus caſei, lentium, leguminum; & tandem omnium ciborum craſſorum. Sed præ ceteris maximè confert ad generationem ſtrumarum voracitas, propter quam & pueri & infantes maximè laborant hoc morbo. Immo verò ſcriptum eſt ab Auicenna,& Raſe 13.continentis, non ob aliud hunc morbum maximè infeſtare ſues, niſi propter voracitatem. Fiunt autem ſtrumarum plurimæ differentiæ, quarum aliæ capiuntur à magnitudine, aliæ à materia,aliæ à conſtitutione, non autem ortu,vt interpretatur Cornarius, aliæ à loco, aliæ à copia, & vaſorum complicatione. A magnitudine capiuntur, quia ſtrumarum aliæ magnæ, aliæ paruæ, aliæ mediç ſunt. Raſes enim in lib.de diuiſionibus ſcribit eas interdum inchoare à magnitudine ciceris, & euadere vt melones. A natura differentiæ ſumuntur, quia aliæ benignæ,aliæ malignæ ſunt;benignæ quidem ſine dolore,ſine inflammatione,cum moderata duritie, media ſcilicet inter ſcirrhos, & ſteatomata. Malignæ verò cum dolore, cum inflammatione, & duritie inſigni. A conſtitutione captæ differentiæ ſunt, quia aliæ ſtrumæ eleuatæ ſunt, & huc atque illuc mouentur; aliæ verò ſunt veluti inſertæ, & penè immobiles. A loco capiuntur differentiæ, quandoquidem aliæ ſunt in parte anteriore colli,aliæ in poſteriore; veluti ſunt cutaneæ quædam, atque profundæ, & circa nobilia & inſignia vaſa poſitæ. A copia denique, quia, vt Auicennas dixit, quandoque cumulantur in aceruum, quandoque non; vt à vaſorum etiam complicatione differant, quia interdum complicatæ ſunt magnis venis & arteriis, interdum verò minimè. Signa quibus ſtrumæ cognoſcuntur, alia ſumuntur à viſu,quoniam circa collum,vel circa inguina,vel alas apparent tumores modò rotundiores, modò oblongi; modò eiuſdem coloris cum ſuperficie; modò rubicundiores;præterea duri,plerumque ſine dolore. A tactu autem ſumuntur ſigna,quia ſi tractentur,duriores ſunt,neque facilè huc atque illuc mouentur. Dicebam ſuperius magnam ſimilitudinem intercedere inter ſtrumas, & glandulas induratas;danda eſt ergo opera,vt poſſit cognoſci quando ſint glandulæ induratæ, & quando ſtrumæ; ſimiles enim ſunt & loco & materia, loco quidem,quia etiam

ſtrumæ

ſtrumæ fiunt in glandulis illis; materia verò, quia ex iiſdem humoribus generantur.differunt tamen inter ſe;& primò,quia materia glandularum ſubtilior eſt & tenuior; ſtrumarum verò craſſior & viſcidior,& magis contumax. & hinc eſt, quòd quotieſcunque materia tenuis & ſubtilis incraſſatur, fiunt ex glandulis ſtrumæ. id quod intelligere voluit Galen. 1. de locis affectis 3. quando dixit glandulas interdum tranſire in ſtrumas;quam ſententiam etiam mutuati ſunt Ægineta,& Auicennas. Secundò,quia glandulæ induratæ magis ſeparatæ ſunt à carne vicina,ita vt liceat faciliter cognoſcere ipſam tactu à glandulis; ſtrumæ verò ita propagantur in carnem vicinam,vt perarduum ſit dignoſcere ipſam à glandibus. Tertiò, differunt inter ſe,quoniam hæ ſemper,aut plerumq; folliculum habent,illæ ſunt ſemper folliculi expertes.Rogerius Chirurgus modum quendam propoſuit ad diſtinguendas glandulas à ſtrumis,& eſt,vt capiantur folia hederæ,atque citri,& ſimul piſtata ſuperponãtur tumori;quòd ſi ſpatio trium dierum deliteſcat tumor,ſignum eſt glandulas eſſe,non ſtrumas;ſed ſi medicamento exacerbatur,ita vt rubeat & doleat,ſignum eſt non glandulas,ſed ſtrumas eſſe.Celſus ſcribit ſtrumas & ægros & medicũ maximè defatigare,quia quocumque modo tractentur,exaſperantur,& ſi curari videantur,tunc iterum reuertuntur. Non ergo eſt dubitandum, morbum hunc difficillimum eſſe.nam ſtrumæ infantium,& puerorum,vt dicit Auicennas,ſunt faciliores curatu, atque etiam tractabiliores; iuuenum verò multò pernicioſiores, & lethaliores, quia ſæpe in cancros & alia vlcera peſſima mutantur. Paruæ ſtrumæ ſuperficiarię & benignæ ſunt magis ſalutares,faciliúſque curantur:ex aduerſo magnæ,profundæ,malignæ,exitiales ſunt,immo penè irremediabiles habentur.Apud Aëtium inuenio vnum,quod magnam mihi difficultatem adfert,dum inquit loco citato, ſtrumas quæ fiunt in collo, facilius curari, quàm reliquas. quæ ſententia mihi ſanè placere numquam potuit. Primò,quia nemo eſt,qui ignoret huiuſmodi ſtrumas difficillimè ſuppurari, & ſi ſuppurentur,quandoque tamen frequenter redire; vt taceam turpitudinem illam, quam videmus relinqui ab hoc morbi genere. Secundò, eſt ſententia ferè omnium Chirurgorum huiuſmodi ſtrumas difficillimas eſſe, & propterea neque medicamento acuto, neque ferro, vllo modo tractandas,eo quòd corroſio irremediabilis ſæpe contingere ſoleat. Immo verò lib. 1. medicinæ veterinæ habetur etiam ſtrumas in iumentis in collo non eſſe neque ferro, neque igne tractandas. Tertiò, quis non videt inguina, & alas locos eſſe multo ignobiliores, nec vaſis inſignibus ſcatere? Ex aduerſo in collo ſunt venæ iugulares,& carotidæ, propter quas ſæpe fit,vt etiam dicit Gal. 1. de locis affectis, vt ex imperita curatione chirurgorum,denudatis arteriis,venis,& neruis, vox ipſa amittatur. Quid ergo dicendum eſt ad ſententiam Aëtij? ſanè non fallitur ipſe, ſed decipit nos interpres Cornarius, quandoquidem in textu Græco manuſcripto quem ego habeo, nequaquam hoc reperitur; quòd ſcilicet ſtrumæ in collo facilius curentur. Immo verò plura ſunt in eo capite errata eiuſdem Cornarij, quæ non æquum eſt latere,nam Græcus codex habet, periculum imminere, ſi vel incidantur,vel auferantur ſtrumæ in collo, ne denudentur nerui recurſorij, atque vt ex illa denudatione vox vitietur, quæ, vt dicebam, fuit ſententia Gal. 1. de locis affectis cap.6.Veruntamen in textu Cornarij Latino longè diuerſa ſententia reperitur. Obſeruandum poſtremò illud etiam eſt,quòd ſtrumæ etiamſi exactiſſimè curentur, iterum atque iterum reuertuntur, mirum enim eſt de hoc morbo. Fuerunt aliqui ex iſtis bonis chirurgis, qui exiſtimarunt huiuſmodi reditum attribuendum eſſe lunæ motui, quia vt videmus reliquos humores in plenilunio augeri & exacerbari, ſic etiam par eſſe dicunt ob lunares motus ſtrumas quæ ſunt ſoboles hu-

morum augeri debere. Neque inficior id aliquando poſſe fieri: verùm vt hoc ſemper fiat,abſonum eſt , quia interdum videntur redire ſtrumæ poſt annum , poſt menſem,poſt biennium, vt non videatur hoc adſcribendum motui lunæ. puto ergo huius euentus duas eſſe cauſſas: prima eſt materiæ,ex qua efficiuntur craſſities & viſciditas & contumacia : quia etſi omni diligentia & ſtudio nitamur euellere radices & exſtirpare materiam ſtrumarum,tamen tanta eſt ſua cõtumacia,craſſities & viſciditas, vt plerumque aliqua portio materiæ relinquatur; quæ cùm ſit veluti fomes quidam, non ſolùm contaminat partis temperiem , ſed etiam nutrimentum accedens partibus commaculat & corrumpit , ita vt copioſum fomentum ſuggeratur huic malo. Hoc enim eſt perinde ac illud quod memoriæ prodidit Gal. 3. prognoſticorum 37. vbi reddens rationem reditus febrium, dicebat,in ipſis ſæpe relinqui cineres quoſdam , qui ſupercalefacti corrumpunt proximos humores & inflammant;atque ita febres fiunt. Secundò eſt folliculus, qui tenaciter infixus eſt,ita vt vix poſſit euelli;vnde relictus hic cùm repleatur iterum materia , ſeu humore prauo , præbet occaſionem nouæ generationi ſtrumarum. Immo licet induſtria artificis hic euellatur folliculus , ſemper tamen remanent radices veluti ligamenta, ex quibus is denuo pullulat,& conſequenter malum.Nam ſi,quemadmodũ dicit Hippocrates,pellicula illa ſanguine congelato obducta ſæpe renaſcitur,etiãſi auferatur : quanto magis poteſt renaſci folliculus, ſi aliqua radix , aut aliquis eius ſurculus remaneat? Curatio ſtrumarum valde neceſſaria eſt propter turpitudinem fugiendam, tum magis propter perniciem quæ hunc morbum ſequi ſolet. Eſt autẽ in eo potiſſimùm poſita, vt materia quæ fluxa eſt,radicitus euellatur,& quæ eſt in fluxu,coërceatur ne fluat. Circa materiam fluxam diligentiſſimè cogitandum eſt, vtrum ſit ſola pituitoſa,an etiam calida. Si miſceatur materia calida,ſuppurationẽ tentandam eſſe confirmant omnes; ſin autem tantum pituitoſa ſit,rurſus cogitandum eſt,num ea ſit maximè craſſa, an mediocriter. Si maximè craſſa & viſcida ſit, non alia ratione ſperari poteſt curatio,niſi putrefactione,ferro, & igne. Sed ſi mediocriter craſſa fuerit,curatio in hoc poſita eſt, vt emolliatur materia, diſſoluatur & diſſipetur. Hos omnes ſcopos cùm ſpectaret Auer. 7. collect. 31. dicebat ſcrophulas ſi fiant ex materia ſubtiliore & tenuiore,curandas eſſe medicamentis emollientibus,atque incidentibus, & diſſolutiuis. Sed ſi fiant à craſſiore & duriore,curandas eſſe medicamentis purgantibus , atque etiam ferro & igne tractandas ; ſed hoc nequaquam agi debere,niſi cum timore & prudentia. Hæc ergo eſt sũma ſcoporum,quos ante oculos habere debemus in curandis ſtrumis;qui vt perficiantur, ante omnia inſtituatur recta victus ratio,aër ſit ſiccus,& calidus,potius quàm frigidus;& qui attenuare, & euacuare ſua facultate poſſit: vitetur aër craſſus, & humidus. Somnus parciſſimus ſit, neque dormiat ſupra fauces & faciem, vbi ſtrumæ ſunt in collo.exerceatur moderatè corpus;vitandæ ſunt omnes exercitationes,quæ fiunt capite inclinato. Sic omnes frictiones partium ſuperiorum, præſertim colli, ſunt pernicioſæ;frictiones,ſeu pectinationes circa collum ; geſtationes ponderum ſupra caput.Et tandem omnes hi labores vitari debent,qui & collum offendere,& materiam ad eam partem præcipitare poſſunt.Omnes animi perturbationes malæ ſunt , præter iram, quæ ſi moderata ſit, cùm calefaciat caput, ad diſſipandam materiam conferre poteſt ; aluus mollis ſeruari debet , aut clyſteribus liquari , vina generoſa , craſſa & turbida fugienda ſunt,parciſſimè autem eſt vinum bibendum, atque id aquoſiſſimum, ac puriſſimum.Cibi,vt dicit Auicennas, omnes attenuatorij & exſiccatorij eſſe debent.quare panis ex furfure,ex ſpelta commodus eſt,modicè ſalitus,vel aniſo aut coriandro conditus.Carnes pullorum & auium omnium

monta

montanarum, atque illæ potius aſſæ, quàm elixæ,piſces ſaxatiles, piſciculi parui ſaliti,cappares,piſtaceæ,paſſulæ.Inter herbas ſatureia, mentha, pulegium,maiorana. Sunt inter practicantes, qui etiam commendant aromata;ego autem ſum alterius ſententiæ,nam ſi Hippocrates in mulieribus timebat aromata,quia caput tentant; multo magis timenda ſunt in pueris, quorum capita facilè replentur. quare & illa vitari debent, & cibi omnes craſſiores viſcidi, frigidi; vt carnes animalium magnorum, bubula omnia,lac, caſeus,oua frixa,dura; caſtaneæ, legumina omnia, ab his enim cum ſint craſſi ſucci, rationi conſonum eſt augeri & foueri ſtrumas. & hæc eſt ratio, propter quam pueri pauperum magis tentantur illis, quàm diuitum;quia iis cibis victitant qui maximè ad generationem illarum conferunt:quod etiam contingit in illis regionibus,vbi habitatores hoc cibi genere veſcuntur. Victu inſtituto, conuertendum eſt ſtudium omne ad materiam ipſam & impediendam & euacuandam; & quia materiæ fomentum præſtat corporis impuritas,ideo ante omnia corpus eſt purgandum; ſi quidem, vt iure dicit Auicennas, radix totius curationis eſt corporis purgatio. Et quia pueros tractamus, erit ipſis aluus hoc modo lenienda.Recipe mellis roſati ſolutiui vnc. 3.decoc. fruct.cum vnc.1.foliorum ſenæ vnc.2.s.miſce. Vt autem præparentur humores,hoc medicamento agendum eſt. Recipe foliorum ſcrophulariæ, plantaginis ſiccæ, betonicæ, menthæ an. m. s. fiat decoctio ſecundum artem. deinde Recipe dictæ decoctionis vnc. 3. ſyrupi roſati recentis,oxymellis ſimplicis an.vnc. s.miſce.præparati humores hoc medicamento purgabuntur. Recipe agari trochiſcati drach. 2. ſquinanti gr.2. infundantur in aqua betonicæ, deinde facta expreſſione adde mellis roſati ſolutiui vnc. 2. electuarij de pſylio vnc. 1. decoctionis cordialis cum vnc. 1.polypodij vnc. 2. miſce.Aduertendum circa puerorum purgationem,cùm ætas puerilis ſit ſatis infirma, eam omnino blandiſſimis medicamentis eſſe tractandam,& potius iterum atque iterum repetendas conſulo purgationes leues, quàm vt grauia medicamenta exhibeantur: ſic enim ego curaui nobiliſſimum puerum à ſtrumis, ideo qui laudant pillulas fœtidas de euphorbio, & huiuſmodi medicamenta in pueris, non ſunt audiẽdi,in adultioribus quidem fateor tolerari poſſe.De ſectione venæ neque ætas, neque morbus patitur vt loquamur, niſi tamen ſtrumæ non ſimplices ſint, ſed cum materia calida; & niſi æger adultus ſit; quibus in caſibus interpretanda eſt Auicennæ ſententia, quando in curatione ſtrumarum laudat ſectionem venæ; non damno tamen vſum cucurbitularum, quas licet Raſes 13. continentis ſcribat exaſperare malum, & efficere vt reuertatur, eius tamen ſententia, vt ego puto,intelligenda eſt de cucurbitulis, quæ applicantur ceruici, aut partibus ceruici proximis; non autem de iis, quæ partibus longinquis adhibentur,cuiuſmodi ego laudo. De vomitu diuerſas inuenio ſententias. Aëtius, quem ſequutus eſt Auicennas, laudat frequentem vomitum; ſunt alij, qui ex toto eum damnant. Inuenio nonnullos; qui media via incedentes, dicunt illum ante purgationem non conuenire, ſed tantum poſt purgationem. Ego autem in hac ſum ſententia, nullo pacto in ſtrumis tentandum eſſe vomitum;& adducor in hanc ſententiam hac ratione,quia etſi materia antecedens aliquo pacto vomitu minuatur,impacta tamẽ materia tantum abeſt vt auferatur, vt potius magis exacerbetur; præterea certum eſt vomitu maximè caput repleri. nam ſi videantur vomentes, iis venæ iugulares extuberant, tumet & caleſcit totum caput,vt non ſit dubitandum ex vomitu caput magnopere repleri.quod cũ intelligeret Hipp.in lib.de locis in homine magnopere damnauit vomitũ in affectibus aurium & oculorum. Vt qua ratione non conuenit is in affectibus aurium,non etiã conueniat in affectibus eorum locorum, qui ſunt proximi

auribus. Peracta corporis purgatione,peragẽdũ eſt in materia, quæ fluit, cohibenda. Pro cuius cohibitione conueniunt frictiones, cucurbitulæ, veſicatoria capiti adhibita; & ego, vbi aduerto in pueris tumores fieri circa collum, nullum remedium magis præſentaneum inuenio, quàm capitis cutem exulcerare; hæc enim eſt diuerſio accommodatiſſima, & deriuatio, & euacuatio; ſed aduertendum eſt, ne in pueris cantharidibus exulcerentur capita, quia, vt ego ſæpiſſime obſeruaui, cauſſant in hac ætate & magnos cruciatus & ſanguineos mictus;melius eſt autem hoc facere vel ſinapi,vel vrtica, vel flammula Iouis,cum moderantia tamẽ ſemper & prudentia.Eſt hoc in loco dubitatio,vtrum in cohibenda materia quæ fluit,vtile ſit adhibere medicamenta adſtringentia,& repellentia;& eſt dubitatio nec viſa, nec animaduerſa ab vllis,qui ſcripſerunt. Gal.2.ad Glauconem in calce alloquens ipſum Glauconem,ait,ſe ipſi aduerſus ſtrumas medicamenta dediſſe adſtringentia, & vt interpretatur Martinus Achakias,repellentia. Ex quò loco quiſque colligere poteſt adſtringentium, & repellentium vſum conuenire poſſe in ſtrumis, nec alia ratione,niſi inchoantibus ipſis.preterea apud Raſem lib.de apoſtematibus habetur ex ſententia Alexandri plantaginem maximè conuenire in ſtrumarum curatione. iam verò plantago eſt medicamentum, quod adſtringit & repellit, quapropter videtur vſus horum medicamentorum cõuenire in ſtrumis curandis.Ex altera parte ſunt & rationes, & auctoritates;rationes,quia ſiue materiam ſpectemus,ſiue locos patientes,multum abeſt, vt adſtringentibus & repellentibus vnquã vti debeamus; materia enim frigida, craſſa, & impacta eſt;iccirco nequaquam repelli poteſt. loci etiam ratione non conueniunt,quia ſi videamus materiam eſſe ſubtiliorem & calidam,cum ſit locus glandularum,atque proximus ipſi cerebro, numquam materia ex his locis repellenda eſt, ne ſcilicet ex loco ignobiliori impellatur in cerebrum. quod cùm cognoſceret Gal. 3. de localibus medicamentis 2. dicit in parotidibus numquam eſſe vtendum medicamentis repellentibus. præterea auctoritate etiam hoc confirmatur,Gal.enim 14.Methodi 11.explicatiſſimè docet ſtrumis non aliam curationem deberi,niſi eam,quæ debetur ſcirrho,& tumoribus induratis;quomodo autem ſcirrhi, & partes omnes induratæ ſint curandæ,docet Gal.in eodem lib. paullo ſupra antè; vbi tantum emollientibus & diſſoluentibus agendum eſſe monet, & hanc ſanè viam ſequuti ſunt omnes medici, vt ſolùm in ſtrumis adhibeant medicamenta emollientia,& diſſoluentia. Immo ait Aëtius inchoantes ſtrumas in pueris eſſe molliendas, diſſoluendas & diſcutiendas, vt nullus locus relinquatur etiam illis, qui putant in initio ipſarum poſſe conuenire vſum medicamentorum adſtringentium. Grauiſſima videtur hæc contradictio,& eo magis quòd à nemine ipſam animaduerſam video. Sed qui Galenum vident propria lingua loquentem; facilè ſcrupulum hunc fugere poſſunt: nam interpretes omnes hoc in loco feſellerunt. Vocem enim, qua vtitur, τὰ δὲ προςέλλειν, peſſimè tranſtulerunt adſtringere, quia hoc potius ſignificat compeſcere, ſeu imminuere, aut complanare: vt ſententia Galeni ſit eo in loco, ſe medicamenta tradidiſſe, quæ compeſcant, & complanent ipſas ſtrumas; & hoc verum eſſe facilè ex eo colligi poteſt, quia eodem in libro cap. 4. vtitur eadem voce, & interpres eo in loco optimè tranſtulit. Non eſt ergo exiſtimandum oculatiſſimum Galenum in re adeo manifeſta fallere potuiſſe, vt adſtringentia adhibuerit in ſtrumis.Sed quid ad Raſem dicemus? Dico plantaginem poſſe adhiberi vel viridem, vel ſiccam. In viridi vis abſterſoria penè tota obſcurata eſt ab humiditate, in ſicca verò magna eſt.quod cum doceret nos Gal. 6. de ſimpl. medic. cap. de arnogloſſa, dicit folia & radices plantaginis exſiccata valere ad obſtructiones iecoris, & renum aperiendas. Itaque quando

laudat

laudat plantaginem Raſes, laudat ſiccam, quia hæc abſtergit, diſcutit,& diſſoluit. Pro debellanda materia, quæ iam fluxa eſt, & tenaciter hæret, cogitandum eſt vtrum ea ſit viſcida, & craſſa, & vtrum mediocriter, an inſigniter. Si enim ſit mediocriter viſcida & craſſa, ſcopus præcipuus hic eſſe debet, vt diſſoluatur, & diſſipetur;quod perfici poteſt tum internis, tum externis remediis. Inter interna magnopere confert ſemen lentiſci in puluerem redactum, ac vino albo ſubtili acceptum; hic etiam puluis accommodatiſſimus eſt. Recipe radicum pentaphylli, philipendulæ,agrimoniæ an. vnc. 1. euphorbij drach. 1. miſce. doſis eſt huius medicamenti vnc. 1. & ſumitur cum vino ſubtili albo. Sed hoc aduertendum eſt in pueris minui poſſe doſim euphorbij, atque etiam totius compoſitionis. Scribit Celſus experimentum fuiſſe ruſticorum, ſi quis edat anguem, à ſtrumis liberari. Aëtius enim inter cetera hoc etiam celeberrimè laudat, ſi quis viperam comedat. & ego ſequutus auctoritatem hanc ſcriptorum ſoleo feliciter vti trochiſcis viperinis;atque etiam ipſa theriaca. hæc remedia intus ſumuntur pro expurganda materia,quæ iam fluxa eſt.In vſu remediorum extrinſecorum hic præcipuè habendus eſt ſcopus, vt materia, quæ dura eſt emolliatur: deinde accommodatis præſidis emollita diſſoluatur & diſſipetur. Pro emollienda conuenit diachylon cum gummis appellatum œſipus,& ſimplex,& cum oleo amygdalarum dulcium, radix iridis. Eſt etiam hoc vnguentum accommodatiſſimum. Recipe diachylonis vnc. 4. œſipi vnc. 1. radicum iridis ſubtiliter puluerizatarum vnc. 4. miſce,& cum modico ol.amygd.fiat vnguentum,quo vti poterimus pluribus diebus, donec viſum fuerit materiam emollitam eſſe; tum dimiſſa emollitione tentanda eſt diſſolutio remediis accommodatis;inter quæ ſunt tres gradus,quoniam alia ſunt mitia,alia vehementia, alia vehementiſſima. mite remedium eſt ficus arida piſtata, & ſuperpoſita ſtrumis; ſic etiam emplaſtrum factum ex melle, & oleo antiquo, radix cucumeris ſilueſtris cocta, & cum oleo antiquo ad formã emplaſtri redacta efficax eſt. Immo verò experientia compertũ eſt oleum cucumeris aſinini,ſi auri inſtilletur,qua parte eſt ſtruma, maximè valere ad eam diſcutiendam, vel diſſoluendam. Sic ſtercus vaccinum cum melle;mel & ammoniacum,vt docet Oribaſius; lens cocta in aceto magnopere commendatur à Dioſcoride. Sed dum Romæ ego medicinam facerem, ſcio quendam Germanum medicum feliciter curaſſe ſtrumas hoc ſolo medicamento.groſſuli,id eſt,fructus caprifici,etiam ad hoc valent; cinis oſtrearum vnà cum melle mirificè facit ad diſſipandas ſtrumas.Laudat Galenus adiantum,verùm hoc tenuiſsimum eſt. valentius medicamentum eſt illud, quod proponitur ab eodem 3. de localibus medicamentis 2. & componitur ex farina lupinorum in melle coctа cũ modico calcis viuæ. cinis caulium melle confarctus maximè etiam facit ad diſſipandas ſtrumas.fimus columbinus,caprinus, ſi melli commiſceantur,ad idem quoque valent. hoc etiam mirificè conducere ſolet. Recipe ſtaphiſagriæ, nitri an.vnc.2.erucæ vnc.4.cum reſina,quantum ſufficit, fiat emplaſtrum. puluis ſerpentis cuiuſlibet vſti cum aceto etiam exiſtimatur conferre. Valentiſſimum omnium eſt,quod fit ex calce, & nitro pari pondere vnà cum adipe porcino. Sed aduertendum in tractandis pueris maxima prudẽtia opus eſſe. Primò, vt ſemper mitiora adhibeantur. Secundò, vt valentiſsima medicamenta fugiantur, quia periculum eſt,ne & febres accendantur, & carnes ipſorum teneriores valde lædantur. Si materia ſit valde viſcida & contumax,dictum eſt nullam aliam ſpem eſſe niſi in igne,& ferro, & putrefactione. ſcribit Auic. & iure, ſtrumas magnas neque ferro, neque vllo graui medicamento eſſe tractandas. Et hoc eſt perpetuum,vt quotieſcumq; ſtrumæ vel colli,vel mammarum,vel inguinũ his remediis tractantur, ſem-

per in cancros exitialiſsimos conuertantur. Illud etiam aduertendum eſt, quod idem monet, non eſſe neque ferro, neque igne ſtrumas tractandas, quæ ſunt prope arterias, aut neruos præcipuos. Addo ego in pueris omnino fugiendum eſſe hoc genus medicamenti, & præſertim circa collum. nam vt præclarè monuit Gal. 1. de locis affectis 6. & hunc ſequutus Aëtius, ſæpe contingit, vt dum ferro, aut igne tractantur ſtrumæ colli, nerui illi reuerſiui aut tangantur, aut denudentur, aut aliquo alio pacto tendantur; vnde fit, vt ex toto vox aboleatur, aut vitietur. Vbi ſectio eſt facienda, ferè omnes chirurgi docent modum, ſed fuſiſſimè, & explicatiſſimè Aëtius. Quare cùm ſit opus hoc chirurgicum, de eo nihil tractabo. Id tantum addendum, vbicumque ferro exſcindendæ ſunt ſtrumæ, ſemper ſatagendum eſſe vt folliculus euellatur, quia niſi eius radices fuerint euulſæ, facilè malum reuertitur; multo verò tutior eſt ea medicatio, quæ fit medicamentis putrefacientibus. nam cauſtica, & putrefacientia adhibentur vſque quo fiat penetratio ad locum materiæ, quæ poſtmodum paulatim educitur, & vbi educta eſt, atque ex toto conſumptus folliculus, ad cicatricem perducitur. pro qua re laudat Auic. vnguentum Chriſtianorum, ſeu Apoſtolorum. Sunt & quædam, quæ à proprietate exiſtimantur ſtrumas curare; & inter cætera eſt mira illa facultas regum Gallorum. eſt enim apud omnes quaſi compertum ipſos hac facultate eſſe donatos diuinitus, vt ſi ſigno crucis tangant ſtrumas, ipſas curent, quod vtrum verum ſit ignoro. Deus benedictus poteſt hoc, & plura facere.

De ſciſſuris, ſeu fiſſuris labiorum in pueris.

CAPVT VI.

SOlent pueri præter ſtrumas ſuſtinere etiam quoſdam alios morbos externos, & inter alios, quaſdam ſciſſuras labiorum patiuntur, quæ non ſolum dolorem faciunt & cruciatus, ſed etiam impediunt quo minus lac ſugere poſſint, atque Græcè appellantur ῥαγάδες, vel ῥαγάδια τῶν χειλέων. noſtri vocant ſciſſuras labiorum: Albucaſis pilos, ſeu ſitulas, vt etiam vulgus muliercularum appellare conſueuit. & eſt hic morbus nihil aliud, quàm diuiſiones quædam labiorum cum puſtulis, aliquando etiam ſine puſtulis. quo fit vt communis ſit & ſimilaribus, & inſtrumentariis partibus, quia eſt ſolutio continui. Actiones læſæ ab hoc morbo ſunt plures, ſed potiſſimùm tactoria propter dolorem, & actio ſugendi lac. nam Galenus 10. de vſu partium dicit, quòd natura in conſtruendis labiis ſpectauit quidē & decorem, & pulchritudinem, ſed ſimul etiam vſus, & actiones, quemadmodum in reliquis partibus conſtituēdis feciſſe eam certū eſt. dubitatur autem quomodo fiat, vt labia affecta vitient ipſam ſuctionem; nam Ariſt. ſecundo de partibus animalium 16. docens vſus & commoditates labiorum, ſcribit in brutis ea facta eſſe propter oris & dentium tutelam: in homine verò & propter hoc, & propter ſermonem. eoſdem vſus refert Auic. 8. 3. cap. 81. Ariſtotelem ſecutus, de labiorum ſuctione nihil dicens. quare auctoritate horum virorum non videntur labia affecta poſſe incommodare, ſed tantùm ſuctionem fieri opera linguæ. In hac difficultate dicendum eſt, Ariſtotelem in tradendis vſibus labiorū mancum fuiſſe, eo quòd inter alios vſus habeat etiam hunc, vt neque edere, neque etiam commodè bibere animalia ſine ipſis poſſint. Id teſtatur etiam Gal. 4. de adminiſtr. anat. 1. & Celſ. li. 7. c. 9. vnde Auer. in com. illius loci Ariſt. videns ipſum mancum fuiſſe, addit labia inter ceteros vſus hunc habere, vt actionem potandi ſigillent. Hipp. etiam, & Gal. 1. de articulis, textu 25. & 26. adferentes rationem, propter quam Homerus dixit boues hieme emaciari, inter

ri, inter alias hanc referunt, quòd cùm animalia cornigera careant altero ordine dentium, atque craſſa labia habeant, non poſſunt hieme humiles herbas rodere, & depaſcere, quod faciunt oues, propter labiorum tenuitatem. Ex quo loco colligendum Ariſt. defeciſſe, & à nobis rectè dictum eſſe ſciſſuram labiorum impedire actionem ſugendi. Fiunt autem à multis cauſſis, quarum aliæ immediatæ ſunt, aliæ mediatæ. immediatæ ſunt intemperies calida & ſicca, & frigida & ſicca. Sunt etiã intemperies cum humoribus coniunctæ, & præter has etiam humores acres ſalſi, biliosi; nec non vapores tùm acres, tùm mordaces. Loci autem, à quibus ad labia perrumpunt humores & vapores, ſunt in primis totum corpus, vt in febribus caput, ſtomachus, iecur, pulmo, &, vt vno verbo dicam, omnia penè viſcera corporis. Sed video multos efflagitare, quæ ſit cauſſa, cur in pueris potiſſimum & vapores & humores in labiis ita firmentur, vt eas ſciſſuras & vlcera faciant. Sunt profectò huiuſmodi cauſſæ plures: in primis motus cutis, quæ frequenter mouetur; vnde fit, vt à corpore ad os & humores & vapores trahat. altera cauſſa eſt, quia labia ſunt ventriculo & partibus ſpiritalibus ſuperpoſita, & ipſi capiti ſuppoſita, quo fit vt ſine labore multo vapores & humores in hanc partem ruant. poſtrema eſt mollities huius partis; ſi quidem mollities partes omnes præparat ad recipiendum facilè: vnde fit, vt ob teneritudinem labiorum puerorum facilè recipiantur & vapores, & humores irruentes; propter has cauſſas fit, vt elephantiaſi laborantibus labia ſemper craſſiſſima fiant, vt eſt apud Gal. 1. de ſympt. cauſſis 7. Scribit Ariſt. 2. probl. 6. & 7. metuentibus omnibus & iratis, præſertim pueris, pendere & tremere labium inferius, propterea quòd huiuſmodi pars mobilis eſt, minimè ſanguinea, & ob hoc refrigerata: quo fit, vt cùm deſtituta ſit à calore ſuſtentante pondera, facilè tremat. Externæ cauſſæ mediatæ ſunt potiſſimùm frigiditas & ſiccitas aëris. dico potiſſimùm eſſe frigiditatem, & ſiccitatem, quia tametſi à calore quoq; aëris exſiccantur labia, ita vt poſſint exulcerari, non tamen adeo facilè & frequenter, vt à frigiditate & ſiccitate; ratio eſt, quia calor ſcindit conſumendo humidum, frigus verò comprimendo, & repellendo: iam multo facilius eſt humidum repellere & exprimere quàm ipſum annihilare & conſumere; & hoc multo difficilius eſt in partibus mollibus, ad quas continuo manant humores, vt ſunt labia. iure ergo dictum eſt potiſſimùm fieri hoc malum in pueris à frigido ſicco aëre. His cauſſis adnumeratur vſus rerum calidarum, vt cæparum, alliorum, ſinapis; præſertim vſus lactis ficuum. Sic quoque recenſeri poſſunt quædam venena, à quibus labia ſcinduntur, vt dicit Nicander in Alexipharmacis de cantharidibus, de toxico, & ephemero colchico. Signa manifeſta ſunt. nam adſunt vlcuſcula, & aperturæ in labiis, adeſt dolor, & pruritus, & ploratus puerorum; atque ſic cognoſcere facile eſt cauſſas externas. Si fiat à vaporibus, vel inflammationes adſunt, vel febres magnæ; ſi ab humoribus, adſunt deſtillationes, vlcera manant ſucco aliquo, vt etiam intemperies cognoſcatur ſuis propriis ſignis. Ceterùm hoc malum non fit exitiale, niſi incuria aut medici, aut aliorum fiant inde vlcera ſerpentia & praua. ea autem, quæ fiunt in febribus, aut poſt, non modò praua non ſunt; immò ſalutis ſigna eſſe ſolent, vt habetur in canon. Auicennæ. Curatio verò in duobus poſita eſt, in inſtauratione humidi continuatiui, & in agglutinatione, ſeu vnione partium diuiſarum. Sed quia neque humidum continuatiuum reſtaurari poteſt, neque partes vniri, niſi prouideatur ne materia noua ad eas partes fluat, videtur eſſe maximè neceſſariũ, vt corpus purũ reddatur; & pro hoc ſcopo adimplendo, ſi puer lactens ſit, optimum eſt, niſi cutis capitis aperta ſit, aliqua ratione blandè aperire cum vitice, vel ſinapi, deinde ſuperponendo maluam. nam, vt docet Hippocr. lib.

de ſacro

de ſacro morbo , quoties in pueris capita manant aliquo humore ex vlcere , ſemper retrahitur fluxus ab aliis partibus, quæ conſequenter incolumes remanent. Si pueri ſint adultiores,erunt blandiſſimè purgandi.nam purgatio confluxum humorum cohibere poteſt. modus autem purgandi eos ſæpius traditus eſt, vt non ſit repetendus.ſic ſi ſanguis exuberet,vtile erit per cucurbitulas ſpatulis & dorſo affixas humores ad labia fluẽtes reuocare.Pro humido continuatiuo reſtituendo,& vniẽdis partibus ferè interna remedia parum proſunt; ſola victus ratio eſt, quæ humorem illum reficit, propterea nutrici,vel ipſis pueris præſcribatur victus talis, ex quo boni ſucci,& nulla excrementa gignantur.Externa remedia erunt primò,quæ ſint prædita aliquo lentore, merito cuius poſſint parti adhærere. Secundò modica adſtrictione, & exſiccatione ſine vlla aſperitate, teſte Auicenna , quare in cauſſa calida conueniet oleum roſatum omphacinum, tragaganthum, ſuccus gallæ, granatorum , adeps gallinæ antiquus, butyrum,medulla vitulina, vt exempli gratia: Recipe adipis gallinæ antiqui vnc. 1. olei roſati omphacini vnc. s. ſucci granatorum vnc. 3. pomi acidi vnc. v. miſce , fiat linimentum , quo inungantur dormituri,ſeu cubitum euntes. In cauſſa frigida conueniunt mel roſatum,tragaganthum, gummi arab. maſtix,thus,myrrha ; quæ omnia poſſunt miſceri vel cum ſucco granatorum,aut roſarum : vel Recipe tragagan.vnc.3.Maſticis vnc.2. Myrrhæ vnc.1. cum ſucco gran. quantum ſufficit, fiat molle linimentum. Accidit verò ſæpe in pueris , & aliis corporibus tenerioribus, vt hæc blandiora nihil proſint ; accedendum ergo ad ea,quæ magis ſiccant, ſed tamen in illis cauendum eſt à valde ſiccantibus. Laudat Ægineta terebintinam cum melle, & adipe anſerino æquali portione miſtam ; quæ compoſitio eſt probata à Galeno lib. de remediis facilè parabilibus ; propoſitis non conferentibus , addantur paullo magis ſiccantia , vt ceruſſæ lotæ vnc.s.vel lithargyri plus minúſvé, prout res poſtulare videbitur. Si dolor, vt fit, maximè infeſtet, poterit vnum , atque alterum granum opij modico lactis mulieris miſceri & illiniri,nec hic timeatur vſus opij,quia extrinſecus tantum adhibetur. Celſus lib.7.cap.9.& 10.ſcribit ; ſi cetera non proficiant,& malum ſerpere videatur,deueniendum eſſe ad ignem,quod laudo propter Hippocratem,qui dicit,quæ medicamentis ſanari non poſſunt, ferro & igne,&c. nam videmus in actu practico pueros vix natos ſæpe igne curari. Rhaſes lib.de decoct. proponit quoddam remedium ad ſciſſuras labiorum, tamquam mirabile,ſed potius deridendum. Scribit enim,ſi bombyx acceptus mergatur in oleo; & puero dormienti ſuper vmbilicum ponatur , mirabiliter curare ſciſſuras ; ceterùm cauſſam non intelligo.

De Tumore Vmbilici.

CAPVT VII.

INter morbos pueriles, qui ſenſibus apparent , eſt tumor , qui ſolet vmbilicum obſidere,qui duplex eſt,alter cum inflammatione,alter ſine inflammatione.Qui cum inflammatione eſt, nihil aliud eſt niſi magnitudo aucta, ſeu tumor durus calidus cum dolore & pulſu. Et vt intelligatur natura & generatio huius mali,ſciendum eſt omnia animalia dum in vtero ſunt, nutriri, non ore , vt quidam malè putarunt,quos redarguit Gal.lib.de fœtus formatione,ſed per vmbilicum;& ob hoc naturam alligaſſe fœtum vteri venis , vt per illas tamquam per canales duceretur alimentum ad ipſum ; hæc quidem vaſa omnia animalia habent,ſed iure differunt ab homine.Primò,quòd bruta ſecundum Ariſt.10. probl.48.in hanc lucem oriuntur perfecta,quod cognoſcitur,quia ſtatim ambulant,& ſua ſponte ſeſe gubernant.

Secundò,

Secundò,quia dum adhuc in vtero ſunt, vaſa, quibus alligantur vtero, ſponte rũpantur, & exilia euadant, ita vt poſtmodum orta vmbilicum paruum, & minimè morboſum habeant : ſecus autem eſt in homine, qui cum ab vtero imperfectus exeat,quippe qui neque ambulet,neque ſeipſum gubernare poſſit,neceſſario fit,vt in exitu vaſa illa penè adhuc integra rumpantur; per quam fractionem fit,vt magna cura,& diligentia opus ſit in abſcindendo, & concinnando vmbilico, ob quam rem cùm adhuc ſanguinolentus penè ille ſit, fit vt facilè inflammationem, & tumorem incurrat ; vt non immeritò tumor hic inflammatorius morbus infantilis dici debeat. Alter autem tumor, qui occupare ſolet vmbilicum,& ſine inflammatione,abſque duritie,& pulſu.Et vt in priore triplex eſt genus morbi, intemperies ſcilicet aucta,magnitudo, & ſolutio continui,ſic in hoc nullus penè morbus repe-ritur, ſed magna ex parte ſymptoma eſt in genere præter naturam affectuum. Differt vterque hic in tribus,in nomine,in materia,& in generatione. In nomine, quia prior à Græcis dicitur φλεγμονή,vnde φλεγμονώδης ὄγκος:à Latinis modò inflammatio,modò tumor inflammatorius. Poſtremus verò dicitur à Gal. lib. de humoribus præter naturam 16. ἐξόμφαλον,quam vocem & Dioſcorides,& Aëtius,& Paulus vſurparunt. Celſus appellat vmbilicum prominentem. Plinius vmbilicum prociduum, Barbari ferè omnes dicere conſueuerunt eminentiam vmbilici; chirurgi etiam aliqui vocant herniam vmbilicalem. Differunt porrò in materia, quia in tumore inflammatorio tota materia penè ſanguinea eſt, nec modò ſanguinea; ſed etiam feruens, in ἐξομφάλῳ, ſeu in hernia vmbilicali ea multiplex eſt, interdum aqua,interdum flatus,interdum inteſtina,interdum omentum, aliquando caro,aliquando ſanguis. Hernia, quæ fit ab aqua, à barbaris medicis dicitur hernia aquoſa; quæ fit à flatu,flatuoſa; quæ ab omento,zirbalis;quæ ab inteſtinis, inteſtinalis; quæ à carne, carnoſa, quam dicit Celſus lib.7.c.14. ex ſententia Soſtrati chirurgi eſſe modò carnem integram, modò carcinomati ſimilem. Quæ verò fit à ſanguine, cùm ſit inſtar aneuriſmatis, dicitur indecoro quodam nomine, à chirurgis hernia emboliſmalis.Habent autem omnes hi tumores illud commune, vt dicit Celſus, quod indecorè faciunt vmbilicum prominere. Tertiò differunt generatione, quia tumor inflammatorius ea ratione generatur, qua pleriſque in locis dicit Galenus generari inflammationem,ſcilicet vt dum pars vmbilici dolore afficitur, eo trahatur, & ducatur ſanguis,qui in anguſto loco coarctatus, dum feruet, inflammationem facit: propter quam Ariſt.7.De hiſt.animal.10. monebat, vt diligentia adhibeatur, dum ab obſtetrice proſcinditur vmbilicus, ne aliquid peccati committatur.ἐξομφάλου autem generatio diuerſa eſt, quia fit vel ob relaxationem, vel propter fractionem peritonæi circa vmbilicum. Vtro verò modo afficiatur ea pars ſemper aliqua materia de prædictis,eò propulſa impellit pellem ad partes externas,& ita tumorem facit. Multis verò de cauſſis rumpi, & relaxari peritonæum conſueuit; ſed illæ potiſſimum ſunt in pueris,fletus, vociferationes, riſus, cantus, curſus,ſaltus, equitatio, eleuatio ponderis, & vſus ciborum flatuoſorum; ab his enim omnibus ſolet aut rumpi,aut relaxari peritonæum, vt facilè deinde ſuboriatur tumor,quemadmodum his cauſſis,& etiam caſu, & percuſſione, non modò ij tumores gignuntur; ſed & aneuriſmata;quando arteriæ aut relaxatæ,aut ruptæ in parte vmbilici,tumore, & hoc morbo laborare ſolent. Qui autem fit à carne hanc generationem habet, quòd vbi malè præſcinduntur, & concinnantur vmbilici, vel caro ſupercreſcit, vel malè curata inflammatione oritur caro, quæ modò integra eſt, modò cancroſa, prout bonis, vel malis ſuccis repletur. Cognoſcuntur hi tumores propriis ſuis indiciis. nam qui fit cum inflammatione, rubet, calet, cum

dolore

dolore eſt,cum pulſu; reliqui ſine dolore ſunt,ſine pulſu.Sed quia,vt dixi,pleræq; ſunt ſpecies tumoris non inflammatorij, oportet etiam vt vniuſcuiuſque ſpeciei propria habeantur ſigna. In qua re quia Græci ſcriptores, & Celſus inter ſe varij videntur,primò docebo ſigna ſecundum Celſum. quare ſi tumor fiat ab inteſtinis, tumor ille neque durus,neque mollis eſt,ſed quodammodo medius;frigore minuitur,calore & ſpiritus retentione augetur,interdum ſonat; & vbi ægrotantes reſupini iacent,tumor ferè totus conſidet,vt nihil appareat,quia inteſtina in propriam ſedem labuntur.Sic ſi omentum faciat zirbalem,omnia ſigna in ipſa apparent,quæ etiam conſpiciuntur in inteſtinali. Sed habet & hic tumor nonnulla particularia indicia. Primùm, mollior eſt ab vna parte, & latus, in vertice autem magis anguſtus; & ſi quis manibus tumorem apprehendere nitatur, facilè elabitur. Quod ſi tumor fiat & ab inteſtinis,& ab omento,indicia miſta erunt. Qui fit à carne cognoſcitur, quoniam tumor multo durior eſt, & ſiue æger ſupinus iaceat, ſiue reſupinus,ſiue ambulet, ſemper tumor apparet,& prementi digito nullo modo cedit, cùm & inteſtinalis, & zirbalis aliquo modo cedat, & hæc ſunt ſigna carnis integræ facientis tumorem.Si vitioſa ſit caro,cognoſcitur illis indiciis,quibus cancer, colore ſcilicet nigro, brachiis nigricantibus,& ſeparatis, & aliis ſignis quæ manifeſtant cancros.Porrò flatuoſa hernia cognoſcitur,quia tumor prorſus cedit,ſed ſtatim etiam recurrit,corpore reſupinato tumor in eadem figura manet, vbi verò ab humore fit,dum premitur,humor ſub digitis circumfluit. Et hæc ſunt ſigna horũ tumorum tradita à Celſo. Paullus & Arabes diligentiores diuerſa quodammodo ſigna attulerunt. dicunt enim ſiue fiat ab omento tumor, ſiue ab inteſtinis, ſiue à flatu,colorem cutis nihilo diuerſum eſſe in ea parte à colore reliqui corporis.Differunt verò huiuſmodi omnes tumores à tumore facto ab humore, quoniam in tumore humorali maior quædam albedo,& tranſparentia apparet,quæ tunc magis conſpicitur, & manifeſtatur,quando candela,aut lumen apponitur. In facto à ſanguine,id eſt,in aneuriſmate, dicit doctè Paullus colorem paullo vergere aut ad rubedinem, aut ad nigredinem. Præterea reliqui omnes tumores ſi tangantur, leues quodammodo videtur,etſi alij magis,alij minus.Facta autẽ à flatu hernia,dura eſt, remittens,& ſi digito pulſetur,inſtar tympani reſonare videtur;adhæc tumores facti ab omentis,& inteſtinis,vbi tanguntur,diuerſitatẽ quandam elationis,& demiſſionis, necnon leuitatis habere videntur in toto tumore,in reliquis tumor penè eſt æqualis.Amplius qui fit ex omento,prorſus eſt ſine dolore, & ſine multa rotunditate,alij dolorem aliquem obſcurum facere videntur,& figuram rotundiorem præ ſe ferunt.Iterum tumores facti ab inteſtinis & omento,dum ægri balneo ſe lauant, vel fricantur,vel rebus emollientibus tractantur,vel corpora motu vehementi mouent,incrementum inſigne ſuſcipiunt,reliqui non ita augentur.Accedit poſtremò, quod qui fit tumor ab omento,prorſus digito abſconditur, & cedit facilè ſine rugitu.Factus verò ab inteſtinis,& flatu,cedit quidẽ, ſed redit cum rugitu,& inteſtinalis præſertim rugitum facit, cùm inteſtina vel plena ſunt flatu, vel fæcibus;reliquæ herniæ ſi premantur, nullo pacto abſconduntur. Tumorum vmbilici alij ſunt faciles curatu,alij difficiliores.Inflammatio,ſeu tumor inflãmatorius in pueris non modò eſt morboſus,ſed & periculoſus; tum quia febres graues ſemper iũctas habet,tùm maximè quia hæc tenera ætas dolores & cruciatus difficillimè poteſt ſuſtinere.; flatuoſam herniam dicit Celſus medicinam non admittere, in qua re non mihi ſatisfacit eius ſententia, quoniam ſi ſpectemus huius rei materiam, cum ſit flatus, medicamentis diſſoluitur & diſſipatur. Si ſpectemus etiam locum affectum, ſiue fiat relaxatione, ſiue fractura, non eſt ita impoſſibile ipſum perſanare.

ſanare. quare, vt dixi, ſuſpectum mihi eſt Celſi iudicium. At ipſum laudo, cùm ſcribit cancroſas hernias non ſine magno periculo tractari. Parua hernia recens in corpore tenero puerili facilè curatur. Sic & leues tumores, maiores verò periculoſi ſunt,& etiam difficulter curantur; magna aliqua hernia in corpore duro difficilè curatur. Vbi facta eſt per fracturam, in pueris quidem ob corporis teneritudinem,poteſt per medicamenta curari. Sed vbi eſt in corporibus adultioribus, nequaquam poteſt curari,niſi manuum opera. nam,vt dicit Hippocrates, peritonæū diſciſſum non coaleſcit; quod intelligendum eſt in corporibus non mollibus, ſed potius durioribus. Ceterùm tumoris vmbilicalis, ſi ſit inflammatorius, curatio tota penè poſita eſt in dolore auferendo, eò præſertim quòd, vt dictum eſt, malum hoc peculiare ſit pueris nuperrimè natis.Quia verò dolor ab intemperie, & à materia originem ducit,ratio poſtulat, vt intemperies corrigatur, & materia à loco affecto auferatur. Sed quia corpora patientia tenerrima ſunt, omnia blandè ſunt tractanda. Quare quod ad victum ſpectat, ſtudendum erit vt nutrix tanto tempore victu vtatur refrigerante,& humectante; puero autem patienti intrinſecus adhibenda ſunt quæ & dolorem lenire, & materiam depellere poſſunt, cuiuſmodi eſt oleum roſaceum lumbricatum, quo vtendum erit ſupra vmbilicum, vſque quo initium inflammationis prætereat. Vbi deſinit inflammatio, addendum eſt oleum chamæmelinum, roſ. & quanto magis recedit initium inflammationis, eo magis vtendum diſcutientibus; ita tamen, vt ad eam arcendam non tranſeatur oleum anethinum aut chamæmelinum lubricatum. Pro ſuppuratione ſat erit, vel vti pane cum lacte, vel maluis lacti incoctis. nam quæ vehementius ſuppurant, magis etiam pueros excruciant. Si tumor ab alia fiat materia, quæcunque ſit,ſemper duo ſcopi ſunt ante oculos habendi. Vnus, vt materia à loco affecto tollatur; alter,vt peritonæum circa vmbilicum, ſi ſit relaxatum,conſtringatur, & confirmetur; ſi fractum, vniatur, & conſolidetur. ac primò recta vitæ ratio inſtituenda eſt ita,vt fugiantur omnes aëris intemperies,præſertim venti, & omnia tempora humidiora. Fugiendus eſt motus omnis,curſus,ſaltus,eleuatio ponderum, præſertim fletus,& etiam cantus,& vociferationes: nam cum pueri ſint, qui plerumque hoc morbo laborant,debent matres omnia facere,vt ploratus omnis inhibeatur; quandoquidem ſicut à ploratu malum efficitur, ita quoque factum conſeruatur, & augetur.Balnea etiam fugienda,quæ peritonæum maximè relaxant;præ cæteris vigilandum eſt,vt aluus pueri ſit liquida; quoniam vbi laborant in egerendis fæcibus, mirificè morbum hunc augere ſolent. Erunt ex vſu, ſi aluus non fluat huiuſmodi inter clyſteres. Recipe foliorum conſolidæ, maluæ, plantaginis, an.m.s.fiat decoctio ſecundum artem, deinde Recipe dictæ decoctionis vnc.10. olei chamæmelini vnc.3.butyri,ſacchari rubei an.vnc.1.miſce.Pro potu vtendum eſt vino ſubadſtringente,vel aqua,cui incoctum ſit aliquid aromatum, præſertim ſi à flatu fiat,incoquatur aquæ vel aniſum,vel fœniculum.à cibis abſtinendum humidis,frigidis,flatuoſis,& ventoſis.quare legumina,piſces, fructus, & herbæ omnino debent vitari. A lacte abſtinendum,à caſeo,&,vt vno verbo dicam,ſiccco potius,& aliquo modo attenuante victu vtendum, quàm humidiore & craſſiore. Inſtituta victus ratione ad remedia tranſeundum eſt,quæ & intrinſeca,& extrinſeca ſunt;ſed quia non expedit vllum adhibere remedium,niſi corpus expurgatum ſit ab excrementis; ideo erit leuiter purgandum; ſed primò ita præparabuntur humores. Recipe chamædryos, ſerpilli montani, chelidioniæ, menthæ an. p. s. fiat decoctio ſecundum artem; huius decoctionis Recipe vnc. 3. ſyrupi de artemiſia, de betonica an.vnc. s. miſce. Pro expurgatione, in his caſibus præfertur omnibus aliis medica-

mentis

mentis electuarium Indum, & quod diacatholicon dicitur, optimum eſt : poterimus ita inſtituere.Rec.diacatholiconis drach.v.electuarij Indi drach.2.miſce.quod ſi puer potum nolit admittere, ita poterit ordinari. Recipe foliorum conſolidæ, meliſſæ an. m. s. ſebeſten numero 6. myrobalanorum Indorum drach.1. fiat decoctio ſecundum artem,huius Rec.vnc.3.electuarij Indi drach. 3. miſce, fiat potus. Expurgato corpore, quoniam totum ſtudium conuertendum eſt ad ipſum peritonæum confirmandum, vel vniendum, ad quos ſcopos implendos ſemper vtiliſſimum erit materiam ipſam, quæcumque ſit, diuertere ligaturis, frictionibus, cucurbitulis ſiccis; immo verò ſi ætas ferat, conducent etiam cucurbitulæ ſcarificatæ. Quæ autem conueniunt in hoc morbo remedia interna, complura apud ſcriptores reperiuntur, quæ modò in puluere, modò in decocto, modò in vino vſurpantur. Ego ſemper magis laudo, vt potius in puluere cum vino ſumantur, quàm cum aqua, cuiuſmodi eſt ſerpyllum montanum,rubus caninus, coralli rubei, ſumach, burſa paſtoris,buccina; præ ceteris probatur mumia, & maſtix. Soleo ego his in caſib. vti his pillulis. Rec. limaturæ ferri vnc. 1. nucum cupreſſi drach. 3. mumiæ,ſanguinis draconis, thuris, corallorum rubeorum an. drach. 1. conficiantur cum melle; & harum pillularum & mane & veſperi pro captu puero tradātur vel ſcrup.2.vel drach. s. Poſt quas poterit etiam exhiberi ſtatim modicum vini ſubadſtringentis; ad ſimilitudinem hanc ſunt etiam electuaria; & quæ pueris ſuauiora videtur quàm pulueres.poterit ergo hoc electuarium parari.Recipe radicum conſolidæ maioris,caudæ equinæ,burſæ paſtoris,rubi canini an.m.1. decoquantur optimè in vino adſtringente, & diligenter deinde piſtentur, poſt adde maſticis, corallorum rubeor. boli armeni, nucum cupreſſi an.drach.1.s. cinamomi ſcrup. 1. cum melle optimè depurato fiat electuarium; cuius poteſt qualibet vice dimidiū parui cochlearis ſumi, atque hæc intrinſecus ſunt adminiſtranda. Extrinſecus verò multa quoque in vſu eſſe poſſunt, ſed duo ſunt in vſu horum remediorum obſeruanda. Primum eſt, vt priuſquam exhibeatur vllum remedium externum, ſemper prouideatur, vt vel inteſtina, vel omentum, ſi ab his malum fiat, ad ſua loca manibus impellatur. Alterum eſt, vt curetur ægros reſupinos iacere, quouſque hæc remedia adminiſtrantur;quæ verò extra adhibentur, ſunt mumia,maſtix,galla immatura,nux cupreſſi,ſchœnanthum,rubus,bolus armenus,lapis hæmatites,ſanguis draconis,folia cicutæ torrefacta; gummi arab. acacia,ſpodium. hæc enim ſola vel miſcentur, vel applicantur inſtar emplaſtri, ſed magis adhærent & proſunt cerata, quàm emplaſtra; propterea ceratum de pelle arietina vtiliſſimū eſt.Si particulare creatum optetur haberi, hoc fieri poterit. Recipe gummi arabici, tragacanthæ,maſticis,boli armeni,ſanguinis draconis,collæ piſcium,collæ de corio bouis an.drach.2.thuris, mānæ an.drach.3.picis græcæ drach.1.picis naualis drach.2. liquefiant primo ad ignem pices,deinde liquefactis addantur collæ; tum vbi fuerint omnia incorporata, auferantur ab igne,& inſpergantur pulueres, & fiat magdaleon; hæc enim eſt ars componendi cerata. Vſus autem erit, vt corium rotundum capiatur, & ſuperextendatur ceratum, & ſupra vmbilicum apponatur; ita vt non modò complectatur partem affectam,ſed vicinas etiam.hæc remedia ſi contulerint, optimum eſt; ſi non conferant, deueniendum eſt vel ad inciſionem,vel ad vſtionem. Circa inciſionem modus ferè vniformis traditur à Celſo, à Paullo, ab Albucaſi, & omnibus medicis; quo fit vt non ſit tempus terendum in hac explicanda.illud memoria tenendum, quod docuit Celſus, nequaquam incidendos eſſe infantes lactentes,ſed pueros adultiores.Aliud etiam obſeruandū eſt,non omnia corpora puerorum idonea eſſe inciſioni,ſed ea, quæ ſunt boni habitus, quæ ſine

ſine papulis, & omni impetigine ſunt. nam corpora mali habitus,& malorum ſuccorum ſi incidantur,difficulter coaleſcunt, immo periclitantur, ne ad gangrænam perueniant. Præterea obſeruandum eſt non quodlibet tempus idoneum eſſe incifioni,ſed tantum vernum;non autumnale,non hyemale, nec etiam æſtiuum. Vſtio autem,quæ in his caſibus conuenit , poteſt dupliciter adminiſtrari,vel igne viuo, vel cauſtico. Modus vtendi igne viuo traditur ab Albucaſi , & ſumma hæc eſt , vt peractis purgationibus & omnibus aliis neceſſariis æger reſupinus ponatur, deinde impulſis vel inteſtinis,vel omento ad loca interna, inueniatur locus ruptus,qui vbi inuentus eſt,atramento ſignetur,& ſignatus vratur vno, vel duobus, vel etiam tribus locis. Vbi vſta eſt pars, inungatur butyro vſque quo cruſta cadant, & deinde curetur quemadmodum alia vlcera; facit enim huiuſmodi vſtio cicatricem in loco affecto ita duram, & ſolidam,vt à ſe in poſterum repellat & inteſtina, & omnem aliam materiam. Modus verò vtendi cauſtico idem planè eſt. nam inuenitur locus fractus , vel relaxatus , & ſignatur , atque ſignato ſuperponitur cauſticum ; deinde ſuccurritur cum butyro vſque quo cruſta cadant , ac curatur vt ad vnionem veniat. Quòd ſi caro ſit cauſſa, hic modus curandi eſt, vt vel putrefactorio , vel cauſtico ea materia auferatur ; & ſi ſit aneuriſma , curatur vt cetera aneuriſmata.

De tumore Scroti , id eſt, Ramice.

CAPVT VIII.

PAtiuntur pueri ſimilem affectum circa ſcrotum , in quo debellando ſæpe laborant medici.namque pueri,qui nulla ratione vitæ vtuntur, & motu,& aliis rebus ſeſe fatigant, ſæpe hos ſcroti tumores incurrunt , qui à Latinis dicuntur ramices,vel,vt dicit Celſus,indecoro nomine,herniæ. Græci variis nominibus vſi ſunt, ſecundum varietatem materiæ , vel loci affecti. nam ſi fiat malum in inguinibus, βουβωνοκήλη à Græcis dicitur.ſi autem in ſcroto, atque hoc fiat ab omẽto, vt eſt apud Gal.in lib.de tumor.præt.natur.c.16. dicitur ἐπιπλοκήλη : ſi ab inteſtinis, ἐντεροκήλη: ſi ab aqua,ὑδροκήλη : ſi à carne, σαρκοκήλη : ſi à flatu, ἐμφύσημα , vel inflammatio. Locus affectus , vt inquit Gal. eſt peritonæum , vel muſculi. Fiunt autem omnia hæc mala ab iiſdem cauſſis , à quibus hernia vmbilicalis ; præterea à vociferatione , à motu, ab eleuatione ponderis ; à quibus modò peritonæum frangitur,modò relaxatur. Cognoſcuntur differentiæ ſingulæ facillimè , & curantur eodem modo , vt hernia vmbilicalis. Sed aduertendum, licet facilis ſit curatio, præſertim in pueris; tamen non eſt inueterandum malum , nec etiam facilè permittendum erit, quod facere amant iſti chirurgi , vt teſtes auferantur ; quia præterquam quòd ablati teſtes generationi incommodant , dicit Auenzoar, perdere etiam intellectum ; vt caſtrati homines ſapientiſſimi penè dimidium intellectus habeant.

De imperforatione, id eſt, de clauſura meatuum vrinæ,& fæcum.

CAPVT IX.

QVandoque pueri meatus vel vrinæ , vel fæcum ita habent clauſos , vt nequaquam excrementa reddere poſſint; aut ſi reddunt , vel debiliter , vel

per alienas vias id fit: ſicut hoc tempore in hac vrbe reperitur puella Hebræi, Teutonici dicti, quæ fæces per vuluam emittit. Laborantes hæc ægritudine appellat Ariſt.4. de generatione animalium 4. πεπηρωμένους, id eſt, orbatos, atque inter monſtra recenſet.medici appelllant ἀτρήτους,id eſt,imperforatos. Michaël Epheſius, vt narrat Sueſſanus, in prædicto loco Ariſt. tradidit hanc affectionem dici à medicis marmoream.Sed hic notandum eſt,hanc clauſuram,ſeu imperforationem meatuum,differre ab ea quæ φίμος & φίμωσις dicitur, & cuius meminit Galenus 2. ſecundum loca 6.& 2. De officina medica vltimo;quoniam hæc imperforatio naturalis eſt. φίμος autem & φίμωσις eſt potius accidentaria, vel ob cicatrices, vel ob tumores,vel ob carnem ab vlcere derelictam;ſicuti poteſt intelligi ex Paullo lib.7. cap.73.quamquam Celſus lib. 7.cap. 25. nullam differentiam videatur feciſſe inter imperforationem,& phimoſin.Sed ſciendum in loco Gal.de officina medica textu vlt.corruptam eſſe lecturam, quia ſcribitur χέρωσις, cùm ſcribi deberet φίμωσις. quem litteræ Galeni errorem,neque etiam Vidius doctiſſimus cognouit. Dubitatur hic quomodo fieri poſſit,vt qui hos meatus habēt clauſos,ſuperuiuere poſſint. nam certum eſt naturam ſalutis noſtræ ſollicitam neceſſariò has vias fabricaſſe,vt poſſint excrementa quotidie excerni. quare ſi hæc non excernuntur, quî fieri poteſt vt reperiantur aliqui vixiſſe imperforati? Reſpondeo hoc veriſſimum eſſe, quod & exemplum hoc hodiernum puellæ Hebrææ demonſtrat; præterquàm quòd Albertus Magnus, & Sueſſanus narrant ſe huiuſmodi viuos homines vidiſſe. Immo Ariſtoteles quarto de generatione animalium quarto, refert vaccam fuiſſe Perinthi, quæ non ſolum vixit cum hac imperforatione, verum etiam quoties ope medici aperiebatur,toties iterum claudebatur. Cauſſa verò, propter quam poteſt in hoc infortunio vita protrahi, poteſt eadem eſſe quam aſſignat Ariſtoteles loco citato,quia ſcilicet natura excrementa ſicca extenuans euacuat ea per veſicam; addo ego etiam euacuari per ſudorem, ac inſenſibilem tranſpirationem. Sic vbi clauſa eſt via excrementi humidi, poteſt natura ea conuertere ad inteſtina, ſicut conuertit ſicca ad loca veſicæ. eſt autem hic affectus morbus inſtrumentarius, & in via; quia quæ deberent eſſe apertæ viæ, clauſæ ſunt.actio verò quæ offenditur in hoc morbo, eſt facultatis expultricis, quæ fruſtratur à ſuo fine,quia impeditur, non autem eſſentialiter læditur. Cauſſa nulla alia eſt, niſi error facultatis formatricis,qui contingit ab aliqua materiæ turpitudine,vel propter motum, vel propter alium caſum.Neque adeò arduum eſt hoc malum cognoſcere,vt valde difficile eſt illud curare.primùm quidē,quia nulla alia curationis detur via,niſi per nouam perforationem,& inciſionem;inciſio verò periculoſa eſt, quoniam periculum imminet, ne dum perforatur anus, lædatur muſculus ſphincter, atque ita nouum malum oriatur.præterea etſi abſque læſione muſculi fiat perforatio,adhuc tamen periculum imminet, ne iterum coaleſcat, atque vanus ſit omnis labor; & hoc eſt, quod dicit Ariſtoteles loco citato, periculum maximum imminere, vbi virgines non perforatæ curantur. Curandi ratio in hoc ſolùm poſita eſt, vt quia impedita eſt facultas expultrix à ſuo munere, ex toto huiuſmodi impedimentum auferatur,quod quidem non medicamentis fieri poteſt, ſed ſolùm operatione chirurgica,quæ nequaquam timenda eſt;propterea quòd ſit citra periculum,cùm magna pars orbis circumcidat puellos teneros. Sed dicet aliquis: cur ergo Galenus nono ſecundum loca ſexto, proponit remedia ad eos, qui non ſunt perforati? Si enim ſolo opere chirurgico hoc fieri poteſt, cur hæc proponit? Dico perforationem, ad quam proponit medicamenta Galenus, non eſſe hanc naturalem, de qua agimus, ſed eſſe adſcititiam, & phimoſin, quæ ſicuti facta eſt caſu & morbo, ita

 medica

medicamentis tolli poteſt. Vt autem modum huius curationis tradamus, primùm de meatu primario clauſo loquemur, qui in viris dupliciter contingere poteſt, vel quia præputium coaluerit, vel quia glandis foramen ſit occluſum. Vbi morbus ſit propter præputium; ante cetera purgandum eſt corpus blandiſſimè; & præ ceteris, dicit Celſus, abſtinendum ab ambulatione, & hoc ſit perpetuum,ne videamur medici circumforanei, vt ſemper ante quamcumque operationem chirurgicā corpus purgetur, &, ſi opus eſt, ſanguis mittatur. nam ad euitandam inflammationem nihil magis neceſſarium eſt, quàm purgatio, vel ſanguinis miſſio. Vbi autem purgatum eſt corpus, primò tentanda eſt facilior curatio, vt ſcilicet præputium ferro perforetur. Circa quam perforationem debent duo notari. Primum, vt ferrum ſit rotundum; ſecundum, vt ſit ignitum; quia ferrum rotundum facit vulnus rotundum, atqui vulnera rotunda, vt dicit Caſſius medicus, & Alexander 1. problem. difficillimè coaleſcunt, quod optatur in hoc caſu. Præterea, vbi ferro ignito fit vulnus, duo bona fiunt. primò, fluxio ſanguinis inhibetur, ſecundò, vulnus dum ſanatur, duriorem callum contrahit, vt non facilè iterum coaleſcat,& hæc albo lapillo ſunt notanda, quia non ſunt vulgaria. Vbi ſic facta fuerit perforatio, habenda eſt cannula plumbea;quæ in foramine tam diu eſt detinenda, donec ſanatum ſit vulnus & callum contraxerit. Sed ſi hæc ars non iuuat, vt mihi Romæ nō profuit in nobili iuuene, quid agendum eſt? nihil aliud,niſi vt incidatur præputium ferro ignito, vt fit in verpis, & in circumciſis. Vbi autem error eſt in ipſa glande, ſimiliter glans ipſa perforanda ferro rotundo ignito, atque detinenda eſt ibi cannula vel argentea, vel plumbea, quæ extrahatur vbi mingendum eſt,& iterum reponatur vbi nulla fit mictio; atque hæc eſt ratio, quæ ab Albucaſi chirurgo data fuit.Ceterùm Celſus lib.7.c.25.præter hanc rationem demōſtrauit & aliam, ſed potius conuenientem phimoſi quàm imperforationi. ſolent autem etiam puellæ hoc foramen clauſum habere,ita vt etſi mingant, non poſſint tamen concumbere,quas,vt dixi, vocant velatas. Sed ratio curandi has cùm tranſcendat tractatum morborum puerilium, ad nos non pertinet, niſi forſan etiam à principio natiuitatis hic morbus ſeſe oſtendat; quo in caſu non aliter agendū eſt, quàm quo modo dixi etiam in maſculis. nam fuit ſententia Albucaſis debere obſtetrices ſtatim natos pueros accuratiſſimè perſpicere,& ſi foramen clausū habeāt, digito blandiſſimè,vel ferro aperire,& deinde lanam vino & oleo perfuſam ſuperponere,tum vnguentis curare,ac prædictam cannulam plumbeam immittere & retinere. Quod dico de meatu vrinario clauſo,idem dicendum eſt de ano. & primò diligenter notandum, numquid poſſit anus perforari citra periculum ſphincteris; quia ſi forte fortuna coaluerit totus muſculus, atque facta ſit via à natura ad ipſam vuluam,vt in puella prædicta vidimus, non eſt tentanda perforatio, quoniam certiſſimè muſculus læderetur, & ex vno malo aliud deterius ſequeretur. Sed ſi appareat aliqua ratione tantùm pellem ſupra muſculum eſſe obductam, tunc ſignato loco diligentiſſimè eſt ferrum rotundum immittendum:&,vt in aliis dixi, ſic etiam hic agendum eſt medicamentis, & cannulis.

De ani procidentia.

CAPVT X.

IN pueris etiam accidit malum, à Galeno 9. ſecundum loca πρόπτωσις vocatum, à Latinis ani procidentia, quæ eſt exitus foras recti inteſtini vnà cum muſculo

ſphinctere. eſtque morbus inſtrumentalis, ſcilicet in ſitu, quia inteſtinum rectum quod deberet intus perpetuò latere, foras progreditur, in qua egreſſione non modò læditur expulſio, ſed etiam ambulatio, & interdum ſenſus tactus propter dolorem, qui excitatur. Cauſſa huius eſt intemperies humida cum materia pituitoſa & bilioſa, vt dicit Hippocrates in libro De fiſtulis. Locus affectus eſt potiſſimùm muſculus ille, qui à natura fabricatus eſt ad retinendum inteſtinum rectum intus. hic enim vbi intemperie humida relaxatur, ſi quando fæces cum impetu egerantur, nequaquam retinet inteſtinum, ſed permittit vt exeat, neque amplius reuertatur; quamquam etiam interdum ſponte redeat, vbi relaxatio muſculi non eſt inſignis. hæc ergo eſt cauſſa coniuncta huius mali, quo fit, vt inter cauſſas antecedentes iure ponatur ætas puerilis & infantilis, quia huiuſmodi corpora vbique humida & laxa ſunt, vt faciliter etiam muſculos prædictos languidiores & laxiores habeant. Senes verò abundant & ipſi humiditate excrementitia circa omnes partes, ſed ita habent inteſtina & muſculos illos exſiccatos, vt ab hac humiditate excrementitia circa omnes partes irrigentur, ſed non relaxentur. Humiditas porrò, quæ relaxationem facit ipſius muſculi, multas cauſſas habere poteſt & internas & externas. Inter internas primò ſunt abſceſſus & inflammationes, propter quas cùm materiæ humidæ, & copioſæ à toto corpore fluunt ad partes internas inflammatas, iure accidit vt muſculi imbibant hanc humiditatem & ita relaxentur. Externæ ſunt, humiditas & frigiditas ani, quo fit, vt pueri ſedentes ſupra ſaxa, ſeu ſuper locum humidum, huiuſmodi ægritudine tententur. Sic etiam violenti nixus in egerendo fæces ſolent hunc morbum efficere, propter quod fit, vt poſt fluxus alui graues & longos, ſoleant huiuſmodi nixus conſequi, & conſequenter egreſſiones ani, quæ ſatis ex ſeſe manifeſtæ fiunt, quia oculis conſpiciuntur; apparet inteſtinum rubrum, eſt anus modò paruæ, modò magnæ longitudinis, & vidi ego exiſſe longitudine palmæ vnius. Cauſſa verò externa ex relatione adſtantium vel ægri habetur. Quòd ſi fiat ab inflammatione, & aliquo abſceſſu, cognoſcitur dolore, rubore, calore, & tumore; vt ſi neque cauſſa vlla externa acceſſerit, neque adſit vlla inflammatio, ſignum certiſſimum fit fieri malum à ſola intemperie, & ab humoribus humectantibus. eſt verò malum hoc difficillimum curatu, tùm ratione propria, tùm communi. propria, quia eſt ab humiditate, quæ ſolet difficilè à pueris tolli. ratione communi, quia vt dicit Galenus nono ſecundum loca, omnia vitia ani difficulter curantur. Atque id multis de cauſſis. Primò, quia pars illa excellenti ſenſu prædita eſt, quo fit, vt auſtera & exaſperantia medicaméta non ſuſtineat. Secundò accedit, quòd eſt via, per quam continuò tranſeunt ſtercora, vel fæces aridiores, quæ ſuo tranſitu locum affectum magis irritant & exaſperant. Præterea, medicamenta huic loco ægrè adhiberi poſſunt, & ſi adhibeantur, difficillimè detinentur, neque tempore debito retineri poſſunt, cùm ſæpè propter fæces egerendas auferri medicamenta neceſſarium ſit. Vltimò, locus ille calidus & humidus eſt, & ratione huius poſtulat remedia refrigerantia, & exſiccantia, quæ cùm exaſperét & irritent, difficillimè ab ægris ſuſtineri poſſunt. Dicit tamẽ Aëtius libro 14. cap. 16. partem illam extremam inteſtinorum, quæ prolabitur, admodum ignobilem eſſe, ac dum ſecatur, aut vritur, vel nullum, vel exiguum periculum inferre. Eſt autem omnibus facilior curatù ea ani egreſſio, quæ eſt ſine vlla inflammatione, quæ non inueterata, ſed recens eſt, vt dicit Auicen. 17. tertij tract. primo, capite 17. Curatio tota poſita eſt in retractione ani ad propriam ſedem, & in retétione. quia verò hoc fieri nequit, niſi & intemperies, & materia tollatur, eapropter in primis neceſſarium eſt, & inflammationem, & omnes humores,

mores, à quibus ſit malum,delere. quapropter ſi ſit puer lactens, curetur nutrix in primis; ſi adultior, eſt inſtituenda ante omnia victus ratio, atque eligendus aër ſiccus,& calidus,potiùs quàm frigidus,& ſiccus. Si hic non habeatur, paretur ſuffumigiis ex roſa,cypero,lentiſco,cupreſſo; quæ omnia poſſunt eum, & ſiccum, & calidiorem parare. Dormiendum eſt, & curandum vt pueri ſemper tecti maneant: &,ſi fieri poteſt,vel ſupini dormiant,vel ſaltem cruribus, & coxis eleuatis, ac reliquo corpore ſupiniore. Abſtinendum omnino eſt àb vſu balneorum, quia relaxando malum augent.Hippocr. in lib.de fiſtulis laudat vinum dulce.Aëtius aquoſum;ſed vtrum adhibeatur, conuenit,ſiue aquoſum,ſiue dulcè.Optimum eſt etiam abſtinere à vino, & eius loco vti aqua, cui ferrum candens ſit immerſum. Cibus ſit ſiccus, extenuans; & omnino abſtinendum eſt à fructibus,ab herbis, carnibus humidioribus,& ab his quæ ſolent aluum humectare & laxare. Inſtituto victu diligenter videndum, an pars prolapſa ſit inflammata, an muco aliquo obducta. Si ſit inflammata, inquit Hippocrates,& iure, nutriendum eſſe ægrum cibis tenuibus & leuibus, quia puer eſt, nec opus habet ſectione venæ, loco cuius vtendum cucurbitulis, præſertim dorſo adhibitis, & etiam frictionibus. Quòd ſi fuerit grandior natu, poſſunt ſcarificari cucurbitulæ. præter hæc erit blandiſſimè puer purgandus,exempli gratia,præparabūtur hoc modo humores. Recipe foliorū ſonchi, endiuiæ, polygoni an. m. 1. fiat decoctio ſecundum artem, deinde Recipe huius decoctionis vnc.3. ſyrup. ex roſis ſiccis vnc.1. miſce. hæc potio vtilis erit ad præparandum humores, & refrigerandum. De purgatione quid agendum? Si purgans exhibeamus, proculdubio inflammatio magis incitabitur in exitu fæcum. In hoc ergo caſu,vt aluus fluat blandiſſimè eſt prouidendum,& per vrinam potius eſt purgandum corpus,quàm per aluum. itaque pro purgatione laudo vt capiatur lib.1.s. ſeri caprini optimè depurati, vel bubuli, & miſceatur vnc. 1.s. ſucci ſeminum melonum. hoc enim medicamentum purgabit maximè per vrinam, & ſi etiam aluum mouerit, id aget blandiſſimè, & ſine vlla mordicatione. Interim danda eſt opera, vt quàm citiſſimè, & blandiſſimè dolor leniatur, quod fieri poteſt & inſeſſibus, & inunctionibus accommodatis. Inſeſſio fiat ex aqua fluuiali, in qua bullierit roſa, flos chamæmeli, meliloti, capita papaueris, althea; nymphæam præ ceteris laudat Auicennas, & aduertendum huiuſmodi inſeſſum non admodum calidum eſſe debere, ſed medium omnino, ſic vt neque calore, neque frigore noceat. Vnctio fit ex oleo roſato omphacino lumbricato,ex oleo anethino lumbricato. Capitur etiam veſica & impletur aqua, & deinde ano prolapſo apponitur: vel accipitur etiam ouum, & in vino aliquo odorato coctum apponitur loco dolenti. Sic fieri poteſt emplaſtrum ex oleo roſato lumbricato,modico vino,& ſemine lini.Vbi ſedata eſt inflammatio, conandum eſt digitis blandè pellere anum in ſuam ſedem, & hoc fit, ſi ſupinus collocetur puer, & paullulum coxis eleuetur, & quia nolunt hanc operationem perperi, detineantur à nutrice. Sed inteſtinum minimè ſit inflammatum, verùm muco obductum fuerit, curandum eſt, vt ille mucus omnino eluatur; pro quo agendo laudat muriam Celſus, quam & ego laudo, ſi ſuſtineri poſſit, ac maiores cruciatus non inducat; poteſt fieri aqua huiuſmodi. Rec. aquæ communis lib. 10. ſalis vnc. 1.s. verbenæ, malicorij an. p.1.s. bulliant omnia, deinde ſpongia immaceretur, & inteſtino apponatur. Vbi certum eſt iam omnem mucum eſſe ablatum, intrò pellendus eſt anus digitis,& remediis accommodatis,efficiendumque, vt detineatur ſub muſculis. ad retinendum anum parantur & lauacra, & inunctiones, & pulueres; lauacrum fit huiuſmodi. Rec. aquæ communis lib. 10. roſarum,foliorum rubi,lentiſci an. m.1. corticum granatorum,

acaciæ, lentium an. vnc. 2. nucum cupreſſi, myrtillorum an. vnc. 1. bulliant ſimu ad quartas, deinde ſpongia maceretur, & in loco affecto detineatur. Poſſunt etiam fieri ſuffumigia, veluti eſt ſuffumigium ex cortice pineæ, ex cortice granatorum, foliis rubi. Vel Rec. ſeminum hyoſcyami vnc. s. balauſt. nucum cupreſſi an. drach. 1. corticum pineæ vnc. 3. terantur omnia craſſo modo, deinde prunis ſuperponantur ardentibus, & fiat ſuffumigium. Fiunt pulueres, & olea, vt Rec. olei myrtini, & olei roſati omphacini, & hoc anus illinatur: deinde aſpergatur modicum huius pulueris. Rec. ceruſſæ, antimonij gallarum, aluminis an. drach. 3. puluerizentur, & adhibeantur. Laudatur hic puluis à Raſe, & ego expertus ſum eſſe efficaciſſimum. Sed aduertendum eſt, quod admonuit Aëtius, in infantibus, & in pueris tractandis tenerioribus minimè vtendum eſſe iſtis pulueribus, maximè adſtringentibus, & efficacioribus; propterea quòd magnopere exaſperant & dolores pariunt. quare niſi puer ſit adultus, prædicto puluere vti erit inutile. Habentur nono ſecundum loca multa medicamenta vehementiora, quàm conueniant pueris tenerioribus. ideo magis laudo conſilium Gal. 3. de facilè parabilibus, ſcilicet, vt vtamur aqua fabrorum, & puluere cochlearum vſtarum. Scribit idem Gal. 2. de ſimpl. medic. à multis ſcriptum eſſe torpedinem appoſitam ano prolapſo vtiliſſimam eſſe, ſed ſubdit, ſeſe hoc remedium incaſſum eſſe expertum. puluis quoque ex ſpolio ſerpentum maximè prodeſſe ſolet. Quòd ſi remedia hæc ex toto malum non auferant, Arabum ſectatores commendant, vt fiant duo cauteria in fine ſpinæ, id eſt, prope caudam; vnum ex vna, alterum ex altera parte. quod tamen remedium in pueris tantùm adultioribus vſurpandum conſulo, & vbi cetera non conferunt.

De Intertrigine.

CAPVT XII.

SVperſunt inter morbos externos puerorum duo, qui eos frequentiſſimè exercent; intertrigo, & pernio ſeu bugantia. Intertrigines à Galeno, Paullo & aliis dici conſueuerunt paratrimmata, & fortè ſunt eadem cum iis, quæ à Theophraſto libro de ſudoribus dicuntur enodia. Plinius modò appellat attrita, modò confricata membra. Vocat communi nomine Auicen. excoriationes. Sunt autem hi affectus vlcera quædam cutanea, ſeu excoriationes quædam, quæ infantibus inter femora contingunt; adultioribus verò pueris, & etiam viris non modò in coxis inter femora, ſed etiam in pedibus quandoq; oboriuntur. Patet ergo hunc affectum eſſe morbum & ſolutionē vnitatis, atque etiam morbum in intemperie, quandoquidem plerunque huiuſmodi exulcerationes iunguntur intemperiei calidiori. Lædit verò hic morbus non modò actiones naturales, ſcilicet coctricem, & alteratricem facultatem, ſed etiam impedit animales, præſertim motricem, & ſenſitricem; cum etiam dolor, & cruciatus ab eo inſignis fiat. Cauſſa exulcerationis & intēperiei duplex eſt, alia interna, alia externa. externa eſt lotiū, fæces acres, & bilioſæ, ſordities inuolucrorum; ab his enim omnibus tenerorum puerorū coxæ exulcerantur, & ad intemperiem ducuntur. Intrinſeca verò cauſſa eſt humor acris, & mordax, qui vel in ea parte generatur, vel à toto in eas partes fluit. Cauſſæ antecedentes ſunt vitioſum lac nutricis in lactentibus, in adultioribus victus prauus, præſertim ex cibis calidis, dulcioribus, acribus, & mordacibus. Sic etiam inter cauſſas externas huius mali eſt obambulatio, calceamenta ſtricta, panni aſperi, ſed

ri,ſed præſertim eſt motus importunus.Nam,vt ſcriptum eſt à Theophraſto lib.de ſudoribus, vbi corpus eſt impurum, à motu facilè vlcera inducuntur, eo quia vel humores acres & mordaces à toto corpore ad cutem trahuntur;vel quia excremẽta, quæ in ipſa cute ſunt, motus & caloris vehementia acriora redduntur & mordacia;ita vt cùm nec perſpirare, nec difflari poſſint, neceſſariò cutem exulcerent, & non modò has excoriationes,ſed etiam impetigines,ſcabies,& lepram inducant. Et hæc mala eſt facile cognoſcere, quia oculis apparent. adhæc ſi partes manu vel panno tractentur, ſtatim dolent pueri ac gemunt. Si malum vitio lactis contingat, cognoſcitur his ſignis,quibus cognoſci lac nutricis docui. pariter ſi fiat ab vrina, vel à fæcibus,cognoſcitur, quia fæces ipſæ bilioſæ & ardentes videntur, atque panni,quibus inuoluuntur pueri vrina colorantur.adhæc ſi & diligentia adhibeatur in emundandis pannis, in auferendis fæcibus, aut malum aufertur, aut ſaltem lenitur. Sic cognoſcuntur ceteræ cauſſæ relatu vel ægri, vel aſſidentium; quando ſcilicet ob vrinam, vel ob pannos malum euenit. Eſtque hoc malum facile curatu, propterea quòd ſi diligentia ſtatim adhibeatur, omnino ſaneſcere ſolet citra periculum; dicit Gal.2.de artic. 26. & Paullus lib. 4. cap.14. quòd ſi huiuſmodi vitia oriantur ex immodica ſtrictione, ita vt vlcera profundiora & rebelliora ſint reddita, difficilius curantur, quàm ceteræ aliæ intertrigenes. nam præterquàm quòd huiuſmodi mala faciunt inflammationem,accedit quòd vlcera praua redduntur. Quare ſtudendum eſt, vt partes ſolutæ ad priſtinam vnionem reducantur. quod quia fieri nequit, niſi humiditates, & aliæ cauſſæ auferantur, danda opera eſt, vt in primis omnes cauſſæ externæ remoueantur. Et ſi puer lactens ſit, prouidendum eſt, vt mulier optimo victu vtatur, & abſtineat à motu, à vigiliis,ab ira, à vino, & cibis omnibus ſalſis,acribus & mordacibus: & ſi nutrix cacochymica,& impura ſit, purganda eſt. Sic etiam danda erit opera, vt ſæpe pueri abluantur ac mundentur à fæcibus & excrementis; & panni omnes mundi ſint, & minimè aſperi. Quòd ſi adultior ſit, neque lacte amplius veſcatur, ſic & ipſe nutriendus eſt, vt de nutrice dixi, & purgandus, atque poſſunt præparari humores hoc modo.Rec.foliorum ſcabioſæ,epaticæ, cichorij,lapathij an.m.1.s. fiat decoctio ſecundum artem. Rec. dictæ decoctionis vnc. 3. ſyrupi de fumaria, de cichorio an. vnc. s. Præparati humores hoc modo purgabuntur. Rec. rhabarbari infuſi, & expreſſi ſecundum artem ſcrup. 2. s. ſyrupi roſati ſolutiui vnc. 2. ſeri caprini vnc. 4. miſce. Purgato corpore nihil aliud agendum, niſi vt medicamentis externis pars excoriata curetur. Balneum optimum erit ex aqua fluuiali, in qua decocta ſit ſcabioſa,lapathium,iridis radix,& hordeum.Proponuntur multæ inunctiones à Paullo,& aliis, ſed ex omnibus magis laudo eas, quæ fiunt cum lithargyro, quod dicit Gal.4.de ſimplic. medic.valere ad intertrigenes,vt Rec.medullæ ceruinæ drach.3. ceruſſæ lotę drach.2.s.butyri recentis aqua roſacea abluti drach.2.lithargyri abluti drach.4.myrrhæ drach.1.cum modico terebinthinæ lotæ, fiat linimentum. Item Rec. vnguenti de lithargyro vnc.1. olei roſati omphacini drach. 1.miſce,fiat linimentum. Eſt etiam puluis,qui ad intertriginem maximè valet,& fit ex roſis,myrrha, malicorio, cypero, ſcabioſa, & lupini farina. Galenus octauo ſimpl. laudat etiam piceæ corticis puluerem: & 2. ſimpl. ſcribit coriorum vetuſtorum cineres excellenter intertrigines ſanare.

De Pernione.

CAPVT XIII.

HIs ſimilem & alium pueri pati ſolent affectum, non modò circa pedes, ſed etiam circa manus. Qui circa pedes oriuntur affectus, Gal.lib.de facilè parabilibus appellat intertrigines pedum, barbari medici vocant bugantias, Latini perniones, maior pars Græcorum, vt etiam Ariſt. appellat maligna chimetla, quamquam ſi vſum huius vocis apud Græcos ſpectemus, videatur his tantum accommodata, quæ fiunt à frigore externo; quæ etiam Celſus lib.1.c.28. appellat vlcera à frigore; Latini proprio nomine vocant ambuſta, quod frigus inſtar ignis adurat. Eſt verò hic affectus vlcus ſiccum in pedibus, & manibus puerorum potiſſimùm naſcens. Appello vlcus ſiccum, quia tametſi præcedere ſoleat quidam tumor, cum tamẽ materia, à qua fit malum, ſit ſicca, acris, & mordax, rodit, aperit, & vlcus facit, quod plerumque nulla humiditate ſolet manare, quamquam etiam Celſus dicat interdum exire materiam, quæ videtur aut pus, aut ſaniẽ referre. Dixi potiſſimum in pueris, hi enim cum læſionem frigoris externi minimè ſentiant, fit vt has partes nullo modo defendant, idcirco paſſim, & frequentiſſimè aëre frigido externo læduntur. Eſt hic morbus ſolutio continui, & intemperies frigida, & ſicca, quæ coniuncta eſt cum materia frigida, & ſicca, aut ſaltem ſicca. nam etſi tumor quàm ſæpiſſimè huic malo iungatur, eſt tàmen is ſymptoma potiùs, quàm morbus; quia à tumore, vt tumor eſt, vix læditur vlla actio in hoc morbo. Læditur autem facultas naturalis ab intemperie, quia & alteratrix, & attractrix læſæ ſunt. impeditur verò facultas animalis, cùm & ambulatio læſa ſit, & ſenſus tactus, propter dolorem, & pruritum, quem inducit hic morbus. intemperies verò hæc, & etiam ſolutio continui fit potiſſimùm à frigorẽ aëris externi, propter quod populi omnes Septentrionales magnopere ſolent huius generis affectu infeſtari. Sed cupiet quis intelligere quî fieri poſſit, vt potiùs manus, & pedes hoc genere mali infeſtentur, & non aliæ partes? Dico complures huius rei eſſe cauſſas. in primis eſt, quoniam huiuſmodi partes longinquæ ſunt à caloris fonte, quamquam caput etiam recedat à ſimili fonte: illud tamen hoc habet, quòd cùm poſitum ſit in parte ſuperiori, calor ſuæ naturæ impetu facilè in caput attollitur, quod non contingit, neque manibus, neque pedibus. præterea manus, & pedes ſunt excarnes, propterea nullo munimine defenduntur ab externis iniuriis; adhæc multis neruis, & oſſibus ſcatent, ob quod non modò, vt dicit Hippocr. lib. de affectibus podagricis, dolor maximus euenit, verùm etiam ſua natura redduntur torpidi, & frigidi; propter quam etiam rationem Ariſt. 6. problem. 6. dicit, nos maximè torpere ſecundum manus, & pedes, propterea quòd hæ partes excarnes ſunt oſſibus & neruis multis præditæ. Neque verò ſolùm magis torpemus ſecundum pedes, quàm ſecundum alias partes, ſed etiam ſæpè fit vt pedes à frigore prorſus corrumpantur, & putrefiant; quemadmodum refert Xenophon 4. libro expeditionis Cyri eueniſſe militibus ambulantibus per niuem. quare potiſſima cauſſa huius mali eſt frigus externum aëris. Sed præter hanc cauſſam ſunt etiam calceamenta, quando vel adſtrictiora, vel aſperiora ſunt, quàm conueniat. Sed oritur dubitatio hoc loco, quomodo dictum ſit à me oriri huiuſmodi morbum ab intemperie ſicca. nam omnino dubium eſt, quomodo dixerit Ariſtot. 1. problem. 55. & 56. quærens cur perniones æquè curentur à frigida, vt à calida aqua, & cur æquè ſanentur, & fiant à frigido. Reſpon

Reſpondeo ex eo eſſe, quia hoc malum oritur ex immodica humiditate, quæ & à frigore exprimitur, & à calore diſſipatur. Si ergo Ariſt. ſcribit fieri à nimia humiditate, quomodo verum eſt, oriri à ſicca intemperie, & ſicco humore? Dicendum eſt, humorem vel concretum eſſe poſſe, vel fuſum; perniones autem non fiunt ab humore fuſo, ſed concreto; quem intelligens Ariſtotel. dixit fieri à nimia humiditate; nec inconuenit huiuſmodi humorem concretum appellare ſiccum, quia re ipſa patet hyberno tempore terram grauidam humore ita à frigore cogi, & concreſcere, vt ſicciſſima appareat, cùm tamen ſit plena humiditate; & non modò appareat ſicciſſima, ſed etiam findatur, & quodam modo exulceretur; vt hac ratione etiam contingat partibus his externis, quibus humores à ſummo frigore concreto ad ſimilitudinem terræ ſiccitatem faciunt, & vlcera ſicca. Ceterùm non difficulter hoc malum cognoſcitur, quia, vt dicit Celſus, rubor adeſt cum inflammatione modò mediocri, modò paullo maiore, interdum puſtulæ oriuntur, deinde exulceratio; modicus eſt dolor, ſed pruritus multo maior; exit ichor, vel tabus quidam,qui vel ſaniem, vel pus referre videtur. Malum hoc minimè periculoſum eſt, niſi penitus negligatur, quia ſi negligatur, aut fortè ob neceſſitatem curari nequeat,poteſt & mortificationem pedum in ſummo frigore, & mortem inducere. Curatio non admodum diuerſa ab ea eſt, quam propoſui in intertrigine; id ſolùm videtur habere quaſi peculiare, vt maiore præſeruatione opus habeat, quàm intertrigo; quia ſunt aliqui & pueri,& adulti, qui vſque adeò ſunt obnoxij huic malo, vt niſi magna diligentia ſeſe tueantur, ſingulis annis tententur. Quamobrem, quemadmodum dixi, cùm potiſſima cauſſa ſit mali aëris externi frigus, aut calceamentorum aſperitas, vel ſtrictura,ante cetera curandum eſt, vt qui his malis facilè tentantur, latioribus calceamentis ſemper vtantur, &, quantum poteſt fieri, ſeſe ab externo aëre defendant. Laudat Aëtius pro præſeruatione ab hoc malo ſalem cum melle miſtum, & affricatum pedibus, quod etiam vtile eſt in principio, vbi tumor tantùm apparet, quem maximè quoque iuuat abluere aqua vel marina, vel ſalſa; vel decocto radicis betæ, vel cyclamini. Laudat Dioſcorides ad hunc vſum decoctum ſerpentariæ. Celſus inter alia remedia, quæ proponit pro hoc malo vincendo, illud etiam habet, vt æs quàm calidiſſimum ſuſtineri poteſt, ipſi parti affectæ apponatur. quod conſilium puto captum eſſe ab Hippocr. lib. 5.& 7.epid. vbi conſulit vt perniones magna calefactione, & igne tractentur, & iuuentur. cuius rei rationem adferens Ariſtotel. problem.citato, & etiam problemate 50. ſcribit à calore ſummo curari perniones, quia humor concretus diſſoluitur, & diſſolutus diſſipatur, & euacuatur. In qua re maximè videtur diſcrepare ab Hippocr. & medicis, quia ſcribit etiam curari perniones à frigore, quod vt fieri poſſit, neque rationem, neque experientiam adhuc vidi. Sicuti puto etiam erraſſe Petrum Aponenſem, quia ea loca exponens, pro pernionibus intellexit tumores quoſdam valdè ab his diuerſos, vt morbillos, ignem perſicum, & alios affectus. Decoctum raparum etiam maximè valet ad perniones, nec non rapæ coctæ, & in emplaſtri formam applicatæ. Aëtius libro 14. laudat oleum roſatum in rapa magna excauata poſitum, & ad feruentem cinerem adhibitum. Sic furfur in vino decoctum maximè valet. Inuenio Gal.3. de facilè parabilibus laudare ſalem, cyminum, & oleum; quod remedium potius vbi tumor adeſt, valet. Item rubrica ſinopis, terra cimolia, ſuccus caprifici confert. iuuat etiam abluere pedes decocto ex althæa, chamæmelo, fœnugræco; ita tamen, vt poſtquam exſiccati ſunt pedes,inungantur, vel oleo amygdalarum dulcium, vel oleo vitelli oui: & deinde optimè tecti pannis, aut

lana ſordida teneantur. hoc etiam vnguentum optimum eſt ad præſeruandum. Rec. ammoniaci drach. 1. reſinæ drach. 2. diſſoluantur ad ignem, adde olei communis drach. 6. ceræ communis drach. s. cera diſſoluta fiat colatura, deinde adde farinæ fænugræci, thuris, maſticis an. drach. s. miſce. & hæc videtur eſſe præſeruatio, & curatio tumoris. Vbi factum eſt vlcus perpendendum eſt, an id ſit ſordidum, vel purum. Si ſit valde ſordidum, omnino eſt emundandum, ad quod maximè valet vnguentum Apoſtolorum; vbi mundatum eſt, ita vt in ipſo nulla ſordities relinquatur, ſtudendum eſt ad cicatricem perducere. Celſus laudat alumen æqua portione cum thure, vino adiecto. laudat etiam vinum, in quo malicorium ſit decoctum; hæc enim exſiccant, & adſtringunt, ita vt cicatricem inducere queant. Eſt apud Gal. 3. per genera. 4. medicamentum illud præſtantiſſimum, quod dicitur diacaltheos; hoc quoque, vbi cetera non proſunt, poterit quis feliciter vti. puluis etiam hic maximè valet, vbi mundatum ſit vlcus. Rec. myrrhæ, maſticis, thuris an. drach. 4. miſce, omnia trita inſpergantur vlceri, & deinde ſuperponatur ſtuppa in vino adſtringente macerata. Cancri fluuiatiles in cinerem redacti, & cum melle appoſiti valent. Refert Galenus 2. ſimpl. puluerem ex vnguibus aſinorum maximè etiam conferre ad hæc vlcera ſananda. Sed non eſt prætereundum illud experimentum, quod narrat Clarus Olaus in ſecundo libro rerum Septentrionalium, vbi ſcribit populos eos, qui frequentiſſimè ob frigus aëris hoc malum experiuntur, ſeſe non alio remedio ſanare, quàm puluere pellis leporinæ. nam & hoc experimentum rationem habet, quia, vt notum eſt, pili leporini maximè valent ad vnienda vulnera. Hic eſt finis morborum puerilium externorum.

HIERONYMI MERCVRIALIS DE INTERNIS PVERORVM MORBIS

LIBER SECVNDVS.

De febre puerorum in genere.

CAPVT PRIMVM.

VENIO ad internos puerorum morbos: ſed quia hi multi, atque multorum generum ſunt, vt poſſim præclariſſimum hunc tractatum perficere, deliberaui inſigniores & frequentiores edocere; & erit hæc tractatio vtiliſſima, ſi qua vmquam fuit, quoniam difficilior eſt internorum quàm externorum cognitio. Sunt autem morbi puerorum interni, alij vniuerſales, alij verò particulares. particularium rurſus alij pertinēt ad ſuperiorem ventrem, alij ad medium, alij verò ad inferiorem; ſic enim veteres medicos partes noſtras diſtinxiſſe clarum eſſe poteſt. Vniuerſalis morbus internus, quoniam vnicus eſt, primo loco à me

à me tractabitur; atque hic eſt febris ipſa, quæ quia in pueris accidens ſolet eſſe dentitionis, vt habetur apud Hippocr. 3. aphor. 25. alia verò eſt febris non accidens: de febre accidentali non eſt vt hoc tempore loquar, quia cùm ſequatur dentitionem, tunc loqui poterimus, quando copioſè de hoc affectu verba faciemus. Loquamur itaque de ea febre, quæ ſponte in pueris oritur. Solet autem febris puerorum eſſe omnium generum, & quartana, & tertiana,& quotidiana; ſed quæ maximè propria huic ætati videtur, eſt febris ſynochos, ſiue ſit cum putredine, ſiue ſine putredine. Sed illud memoria reuocandum,cùm de pueris loquor, me loqui de ea ætate,quæ vſque ad decimum quartum annum pertingit.Ratio, propter quam pueri hoc genere febris tentantur,ea eſt, quia huiuſmodi febris fit potiſſimùm in corporibus calidis, humidis & ſanguineis. Iam verò nemo eſt inter Medicos, & Philoſophos qui neſciat pueros maximè calidos & humidos eſſe, vnde Gal.3.prognoſt. 30. dicebat eorum temperamentum eſſe verè & ex natura ſanguineum; & poſſumus etiam huic rationi aliam adiicere, ſcilicet puerorum corpora admodum denſa eſſe.quo fit,vt præ denſitate cùm non poſſit calor liberè expirare, cohibitus augeatur, & febrem inducat. Eſſe verò illa huiuſmodi, teſtimonium eſt Ariſt.10.ſect.problematum,problem.4.vbi ſcribit pueros vitiligini minimè ſubiici, propterea quòd præ denſitate carnium vapores ad cutem penetrare non poſſint. Sed video dubitari poſſe,quomodo dictum ſit à me,omnibus febribus hanc ætatē eſſe obnoxiam, quandoquidem ſi quartanæ generationem & mores ſpectemus,ab ea omnino videtur aliena. nam fit, vt notum eſt,ab humore melancholico, quem in temperamento ſanguineo, vel corporibus humidis & calidis reperiri admodum difficile eſt. Accedit Hippocr. in fine libri de natura humana dixiſſe, quartanam fieri ab ætate viginti quinque annorum, vſque ad quadraginta quinque; vt his rationibus comprobatum eſſe videatur pueros à quartana febre non debere tentari. Reſpondeo, quantum eſt ex temperamento ipſorum, proculdubio hanc ætatem immunem eſſe ab hoc genere mali:ſed ſi res externas, atque etiam internas conſideremus, poteſt fieri, quemadmodum experientia docet, vt etiam quartana tententur. Primùm enim pueri materno ſanguine creantur & aluntur,qui cū poſſit eſſe melancholicus, rationi conſentaneum eſt in eorum corporibus hunc humorem ita poſſe congregari, vt quartanæ occaſio præbeatur. His accedunt externæ cauſſæ, importuni motus,vſus ciborum craſſorum & melancholicorum;ex quibus omnibus cùm in pueris colligatur copia inſignis crudorum humorum, conſequenter etiam fiunt humores melancholici, dum ſcilicet humores crudi in iecinore non conficiuntur, ſed ex ipſis fæx copioſiſſima reſultat. Illud tamen veriſſimum eſt, quod ſcribit Hipp. in loco citato, ſcilicet febres quartanas illis ætatibus extra vigeſimum quintum, & quadrageſimum quintum annum admodum breues eſſe,niſi errorum copia & frequentia diuturnæ reddantur. quamobrem clariſſimū eſt pueros omnes febres experiri, quarum cauſſæ aliæ ſunt internæ, aliæ externæ. Internæ ipſiſſimi humores ſunt, & pituita, & bilis, & ſanguis,& melancholia:externæ verò complures ſunt; inter quas primum locum habet aër, de quo loquens Hip.in l.de aëre,locis,& aquis,dicebat,Si hyems borealis & ſicca fuerit,ver autem auſtrinum & humidum, pueris in æſtate fieri febres. cuius ſententetiæ reddens cauſſam Ariſtotel. 1. problematum ſect. 19. dicebat, iccirco pueris fieri febres ſub his conſtitutinibus, quoniam humor collectus in corporibus eorum calidis, cùm æſtate refrigerari non poſſit, flagrat, inceditur, & conſequenter febres inducit; cui etiam adiicitur aëris æſtus, qui tanquam ignis igni additus, vt dicebat

cebat 4. ſect. problem. 29.efficit,vt in æſtate corpora puerorum ſemper gracilia & tenuia reddantur. Præter aërem, cauſſa febrium puerorum, eſt importuna & immodica corporis exercitatio. pueri enim omni tempore & ſaturi & ieiuni exercentur, vt non ſit mirum humores ipſorum incendi poſſe, & febrem induci. Sed præ ceteris in ipſis faciunt febrem cibi & immodici & praui ſumpti, ex quibus non ſolum crudi humores colliguntur, verùm ij collecti obſtructiones & putredines inſignes producunt. Ceterùm ſunt penè omnes febres in pueris ſalutares, & iure; quia cùm febris, vt dictum eſt, maximè frangat & lædat actiones naturales, in pueris huiuſmodi facultas vſque adeo vegeta & robuſta eſt, vt maximè omnium reſiſtere poſſit cauſſis lædentibus & febriculoſis. Id vnum ex febribus ſolet periculum impendere pueris, ne magnitudine earum, neve difficultate eos gubernandi conuertantur febres in hecticas; vt propter hoc potiſſimùm, & propter alia debeat à medico cura haberi febrium ipſorum puerorum, qui quo tempore lacte nutriuntur, duo curationum genera requirunt;alterum in ipſis nutricibus,alterum in ipſiſmet pueris. Nutrices enim quo tempore pueri febricitant, maxima diligentia cuſtodiendæ & curandæ;& quoad diligentiam ſpectat, pro ratione febriū, in victu tractandæ ſunt;vt ſi infans laboret quotidiana,victus nutricis ſit quotidianæ accommodatus, pari pacto ſi bilioſa, aut alio genere. In omnibus autem ſemper debent nutrices à vino abſtinere, quia pueris lactentibus nihil eſt, quod magis obeſſe poſſit ipſo vino, quod Gal.8.& 9. Methodi dicebat febres in quibuſuis augere. Sed, ne tempus inutiliter conteram, debebunt curari nutrices & alterantibus, & purgantibus medicamentis, prout febris puerorū requirere videbitur. Ceterùm de pueris ipſis lactentibus dubium eſſe poteſt, vtrum, cum febricitant, aliqua ratione ſanguis mitti poſſit. Raſes in lib. de peſte cap. 4. poſt quintum ætatis menſem poſſe pueris cucurbitulas apponi,& ſanguinem extrahi,manifeſtè teſtatus eſt. Ex aduerſo Auicennas 4.1. doctr. 5.cap. 21.cauet ne pueris ante annum cucurbitulæ apponantur. Verùm in virorum horum diſſenſione tutior pars mihi eſſe videtur, vt conſilium Auicennæ ſequamur, ſcilicet ne cucurbitulæ apponantur pueris, priuſquam annum ſint tranſgreſſi,eo quia hæc ætas maximè vinci ſolet à doloribus & moleſtiis,vt iure dixerit diuinus Plato,duos eſſe maximos Tyrannos,quib. trahuntur pueri, voluptate, & dolore. Iam manifeſtiſſimum eſt cucurbitulas inſignes dolores etiam grandioribus inducere, vt propter hoc maximè abſtinendum ſit ab hoc remedio. Poſt annum me vſum fuiſſe fateor, & feliciter, modò obſeruentur duæ vel tres conditiones. Vna, vt iis potiſsimùm pueris adhibeantur, qui maximè ſanguinei, & robuſti videntur. Altera, vt non partibus ſuperioribus, ſed dumtaxat cruribus applicentur; ratio eſt, quia ab ea parte ſanguis miſſus non ita viribus incommodat, neque ita ſpiritus exhaurit, quemadmodum in partibus ſuperioribus. Tertia eſt, vt numquam vncia, vel altera tranſeatur. Præter hoc genus remedij ſunt quædam alia, quæ huic ætati à Medicis proponuntur,quæ & intus & extra adminiſtrari poſſunt. Intus pro febricitantibus ab Auicen. laudatur ſuccus granatorum cum oxymelle, ſuccus citrinorum; poterit autem hoc pacto fieri. Rec.ſucci granatorum vnc.1.oxymellis ſimplicis vnc. s.miſce,cum cochleari indatur in os pueri vna,vel altera drachma, vſque ad vnc.s.& aduertēdum me minorem præſcripſiſſe oxymellis doſim,quia hæc ætas omne genus neruorum maximè infirmum habet; acetum autem, & proinde oxymel neruis obeſſe vtique & Hipp. & Galen. docuit. Sin autem pueri aluum adſtrictam habeant, quid agendum? medicamentis purgantibus vti valde periculoſum eſt, quia cùm ſint ſuapte

natura

natura calida corpora, & à febre magis calefacta, addere etiam calorem medicamentorum periculoſum eſt. quare multo ſatius eſt vti vel clyſteribus, vel glandibus. Clyſter pro puero febriente hic erit. Rec. ſeri qualiſcunque lib. s. mellis vnc. 1. ſalis drach. s. miſce. Glandes autem multæ ſunt, quæ pueris accommodantur, præſertim verò ex ſapone, ex carne & lardo porcino, glans etiam quæ communis vocatur. nam aliis grauioribus vti in febre puerorum inutile eſt. Extrinſecus autem alia ſunt, quæ conueniunt, vt ſudorem prouocent: alia verò vt incendium remittant. Prouocare ſudorem in pueris laudarunt Auic. & Aëtius, & iure; quia corpora hæc, cùm, vt dixi, ſatis denſa, & adſtricta ſint, ſi per ſudorem aperiri poſſint, non eſt dubitandum, facilè præberi aditũ & egreſſum ipſis vaporibus & putridis exhalationibus. Ad prouocandum ſudorem laudatur ſuccus radicum arundinum plantis pedum & vertici inſperſus. nam vehementioribus vti valdè inutile eſt. Ad attemperandum autem feruorem conuenit applicare pectori ſubtiliſſimos pannos lineos madefactos vel aqua endiuiæ, vel roſarum, vel citruli; quæ propter hoc ab Auicen. iure commendantur. Renibus verò & dorſo vtile eſt aliqua applicare, quæ poſſint eius partis incendium remittere, vt eſſet iſtud. Rec. olei roſati vnc. s. ſucci endiuiæ drach. iij. aquæ roſarum drach. ij. aceti modicum, & ceræ, fiat linimentum, Præ ceteris verò in febrientibus pueris maxima cura habenda eſt, vt ventriculus, & iecur poſſint ſua munera obire, hoc eſt, vt poſſint cõcoquere. Quod enim Gal. 11. Methodi 15. dicebat, ſcilicet proſpiciendum eſſe in omni febre, vt ventriculus & iecur concoquat, eo magis ſtudendum eſt in febrientibus pueris, quo hæc corpora, quæ continuo augentur & calida ſunt, alimentum commodum & ſufficiens habeant, quo nutriri poſſint, ea propter cùm corroborantia iecur & ventriculũ adſtrictionem habere debeant, iure merito Galenus in his caſibus vtendum eſſe adſtringentibus docuit, vt malè videantur agere illi, qui in febribus exrinſeca remedia adſtringentia pro ventriculo & iocinore abhorrent. Itaque hoc vſurpari poterit. Rec. olei maſticini vnc. s. pulueris corallorum rubeorum, ſandalorum, rubi ana ſcrup. s. ceræ parum miſce, fiat linimentum. Si puer, qui febre laborat, ætatis fuerit inter ſeptimum & decimum quartum annum, alia ratione tractandus erit, quàm de quã ſum antè loquutus; & quia omni febrium genere tentari poteſt, ne noſtra vagetur oratio, proponam exemplum alicuius febris, vt in ea exercitati poſſint deinceps eadem methodo ceteras curare.

De febre Synocho.

CAPVT II.

SI itaque puer in hac ætate conſtitutus laboret febre ſynocho cum putredine (huiuſmodi enim febre ſæpè pueros laborare certum eſt) cùm ortum ducat ex obſtructionibus factis à craſſis humoribus, atque in corporibus calidis & humidis & ſanguineis, ſitque putredo vel in vaſis omnibus, vel in maioribus, videtur rationi conſentaneum fieri, propterea quòd tota ſanguinis maſſa putreſcat ſaltem ſecũdum ichores. Ratio itaque curationis poſita in eo eſt, vt totum ſtudium conuertamus ad tollendas obſtructiones, & ſimul ad tollendum feruorem febrilem. quamobrem inuenienda ſunt remedia particularia. & vt primum à viuendi ratione incipiamus, erit puer detinendus in aëre frigido, omnes motus animi & corporis vitandi; ſi aluus non fluat, excitanda clyſtere, vel glande. Potus ſit aqua ſimplex, & aqua hordei. Victu in ſimili febre Galen. 9. Methodi cap. 4. ſatis tenui vtebatur.

nam

nam præter mulsã,& cremorem ptiſanæ nihil ferè dabat vſque ad perfectam morbi inclinationem. Similiter ergo etiam vbi dabitur hæc febris, prouidebitur ſuſtinere ægrum ptiſana facta ſaltem in brodio pulli;& quia durum eſt temporibus noſtris apud populum ſuſtinere ægros hoc ſolo victu, poterunt indulgeri & alia, vt panis cum brodio, interdum vitellum oui, modò hoc obſeruetur, ne nimium nutriatur; quia,vt dicebat Hipp. & Galen.ſæpe ſimul nutriuntur & vires & morbus. Hora cibandi erit,quæ eſt conſueta tempore ſanitatis ipſi ægro. Inſtituto victu,inter remedia videnda ſunt primum chirurgica,numquid conueniant, & de ſanguinis miſſione habetur à Gal.lib. de curatione per ſanguinis miſſionẽ cap.13. & 10. Methodi cap.14.vbi ſcribit,in pueris ante decimum quartum annum nunquam eſſe ſecandam venam, eo quòd id quod deberet facere ſanguinis miſſio, ſpóte natura ipſa facit, quæ ſcilicet quotidie multam puerilium corporum ſubſtantiam conſumit. quare periculoſum illud eſt conſilium, quod videtur reliquiſſe Auenzoar, qui,vt dicit Auer.7.collect.3.ſcripſit,ſe filiolo ſuo trium annorum venam incidiſſe;loco autem ſectionis venæ, quia in his febribus præſtantiſſimum remedium eſt ſanguinis euacuatio, licebit vel cucurbitulis, vel hirudinibus vti. nam hirudines cùm oſculo ſubtiliſſimo venam rumpant, non ita cauſſam præbent, vt ſpiritus vitales exhalent; poteſt autem hirudo applicari cruribus,& melius erit & tutius: vel etiam ipſis brachiis.Sunt præter hirudines cucurbitulæ,quibus in hac ætate in febre numquam erit vtendum in partibus ſuperioribus, ſed inferioribus, quia poſſent attrahere materiam à toto corpore & ad cor & ad locos, vbi eſt poſita putredo, quare multo ſatius erit & lumbis & natibus,aut etiam ipſis cruribus eas applicare: atqui ſi Galenus poſt decimum quartum annum non concedit,vt ſanguinis pluſquã libra extrahatur, multo minus ſemper extrahendum erit infra decimum quartũ annum,vt numquam plus extrahatur, vel ſemilibra, vel vnc.iiij. aut v. Vnũ memoria dignum adnotari debet,quod ſcriptum eſt ab Hipp.in lib.de Medicina & ab Oribaſio,ſcilicet cucurbitularum formam debere eſſe oblongam,nec admodum ventricoſam,atque poſſe habere vel os ſtrictum,vel amplum. Cucurbitulæ quæ habens os ſtrictum, vt ego obſeruaui apud Erronem in lib. de ſpiritalibus, vocabantur apud Medicos oua medica, eo quia referebant veluti ouorum formam, atque his monet Hipp. vtendum eſſe quotieſcunque medicus optat attrahere à partibus profundis. Quæ verò habent os latius,vſurpandæ ſunt, vt monet ipſe,quotieſcũque attrahendum à partibus vicinis, atque remotis,ſecundum latitudinem; & hoc poſſit eſſe documentum, vt quotieſcunque applicantur cucurbitulæ cruribus, debeant habere os latum & amplum, vt poſſint à remotioribus attrahere; quemadmodum vbi applicantur & lumbis & natibus,debent eſſe ore ſtrictiore. Vbi itaque conſtitutum erit vel cucurbitulas,vel hirudines applicandas eſſe,primò videndum eſt an aluus ſit adſtricta, an verò ſoluta. Si ſoluta ſit,ſtatim deueniendum ad ſanguinis euacuationem. Si autem ſit adſtricta, lib.1. tract. 8. cap.18. Auenzoar iubet prius ſoluendam eam eſſe, hoc eſt,fæces ab inteſtinis eſſe ducendas. Miſſo ſanguine deinceps incumbendum eſt deobſtructioni, quæ fit medicamentis & internis, & externis,incidentibus & detergentibus,citra tamen inſignem caliditatem. Intus poterunt humores attenuari, & incidi hoc pacto. Rec. hordei p. s. foliorum hyſſopi m.s. fiat decoctio ſecundum artem: deinde Recipe decoctionis vnc. ij.s. oxymellis ſimplicis drach. v. miſce, & fiat potus. Vbi erunt præparati humores, expurgabuntur; & cauendum eſt in ea ætate à vehementibus medicamentis omnibus; eapropter non erit pertranſeundum hoc. Rec. ſebeſten num. x. paſſularum drach.ij.foliorum hyſſopi,florum boraginis ana p.1.fiat decoctio ſecundum artem

deinde

deinde Rec. dictæ decoctionis vnc. iij. mannæ electæ, mellis roſati ſolutiui ana vnc.1.s. miſce. Poterunt verò augeri,vel minui medicamenta lenientia, prout corpus ægri perſuadebit. Extrinſecus autem conueniunt, quæ poſſunt deobſtruere, ſed mitia,vt eſt farina hordei affricata cuti, atque mulſa tepida. Pectori autem applicari ea poterunt,quæ poſſunt humectare & refrigerare,vt aqua hordei, cui miſtum ſit modicum olei amygdalarum dulcium. nam huiuſmodi oleum & aqua ſimul miſta prouident ne partes pectoris alioquin excalefactę accendantur magis. Poterimus etiam,vbi malum inclinare videtur,vti balneo aquarum dulcium; quia ſi quod eſt corpus,cui balnea huiuſmodi conueniant,planè eſt corpus pueri;atque modus hic, quem demonſtraui, poterit etiam obſeruari habita ratione humoris peccantis, & in febre tertiana, & quartana.

De Epilepſia.

CAPVT III.

SVpereſt, vt dimiſſo vniuerſali interno puerorum morbo, aggrediamur particulares, qui ſcilicet & contemplatione & ipſa magnopere praxi iuuabunt. Et quia dixi morbos internos particulares vel pertinere ad ſuperiorem ventrem, vel medium, vel infimum, ordo poſtulat vt ordiamur à morbis ventris ſuperioris: ſed quoniam verſamur circa actiones capitis, cuius actiones vel ſunt animales,vel naturales, primùm de morbis animalium loquar, quorum tria ſunt genera; aliæ enim actiones ſunt ſenſuum, aliæ motricis facultatis, aliæ ratiocinatricis. Vitia facultatis ratiocinatricis in pueris, & præcipuè ante 7.ætatis annum,neque medici tractarunt, neque forſan nouerunt. nam neque de inſania puerorum, neque de phrenitide, & præſertim de lactentibus quidquam tractarunt. Ratio clariſſima eſt, quoniam, vt dicebat Ariſt.8. de hiſtoria animal. cap. 1.anima pueri nihil differt ab anima belluæ; dum enim infantes ſumus,brutalem vitam omnes degimus; propterea quod ratio veluti obruta & ebria multo humore non poteſt operari. Quare nulla quoque fiunt circa ipſam vitia. fiunt autem quo tempore facultas ratiocinatrix emergens ex humore incipit operari. Itaque dimiſſis his vitiis tractabo illa, quæ pertinent ad motricem facultatem, quæ trium generum ſunt, prout tribus modis hæc actio vitiatur. nam vel motus ex toto deperditus eſt, vt in apoplexia; vel deprauatus, vt in epilepſia, & in ſpaſmo; vel diminutus, vt in torpore, in balbutie, quemadmodum ſigillatim docebo. Incipiamus à motu deprauato, qui in pueris frequentiſſimè contingit: atque appellatur & conuulſio, & epilepſia. Epilepſia in pueris multa nomina apud medicos habet; vocata eſt enim primò morbus puerilis. Ariſtotel. 30. ſect. problematum problemat. 1. appellat ecſtaſim puerilem. Magnus Hippocrat. 6. epid. comment. primo, text. 5. videtur appellaſſe fulgorem. Arabes medici non ſolùm appellarunt morbum puerilem, verùm etiam barbaro nomine nuncuparunt matrem puerorum. Ratio propter quam vocatur morbus puerilis, nulla alia eſt, quam ea, quam propoſuit Hippocrat. lib. de ſacro morbo, & multi alij, ſcilicet, quia pueri frequentiſſimè hoc morbo capiuntur & interimuntur. Sed quæ eſt ratio, propter quam hæc ætas hoc morbo corripitur? Gal. 6. epid. com. 1. tex. 5. & Auic. lib. 3. capite de epilepſia ſcribunt, pueros maximè tentari hac ægritudine tum propter frigidam intemperiem cerebri, tum potiſſimùm propter largam humiditatem. Vocatus eſt

hic

hic morbus etiam in pueris à nonnullis morbus ſacer, quemadmodum Hippocr. teſtatur libro de aëre,aquis,& locis cap.2. Inuenio etiam vocatum eſſe lunaticum. nam ſi licet ſacra prophanis miſcere,habetur apud Matthæum Euangeliſtam c.26. parentem quendam præſentaſſe Chriſto puerum lunaticum, qui, vt ſuo loco demonſtrabo ſuis ſignis, erat epilepticus. Cur autem epileptici vocati ſint lunatici, ratio habetur apud Serenum medicum in lib. de Medicina, vbi ſcribit, quòd qui oriuntur ſeu concipiuntur in interluniis, quando luna in coitu eſt cum Sole ſine lumine, fiunt epileptici. Eſt verò hic morbus nihil aliud quàm contractio, & retractio omnium muſculorum,& neruorum interpolata præter naturam, & præter voluntatem.Dico contractionem,& retractionem, quoniam,vt ſcriptum eſt à Gal. 3. de locis affectis cap.6. quemadmodum in motu voluntario muſculi contrahuntur,& retrahuntur verſus propriam originem; ità quoque in conuulſionibus ipſis accidit.Dixi,muſculorum,quandoquidem ſi rem ipſam omni auctoritate poſtpoſita expendamus, nerui non mouent partes, ſed ſunt muſculi:nerui autem ſunt veluti canales, per quos facultas mouet ipſos muſculos, ſiue enim per ſpiritus, ſiue inſtar luminis hoc fiat, non eſt locus diſputandi. Non eſſe autem neruos, qui moueant, hac vna demonſtratione conuinci poteſt, quòd ſi capiantur nerui ſtatim atque mortua ſunt animalia, nerui, inquam, muſculis implantati, facillimè diſcinduntur, vt non ſit rationi conſentaneum in motibus vehementibus animalium poſſe os tanta vi conuelli & commoueri. Sunt itaque muſculi, qui verè contrahuntur,& retrahuntur.Dixi,omnium,propterea quòd in hoc morbo omnes muſculi mouentur,& conuelluntur, eo quia,vt dicit Gal.5.de locis affectis cap. 7. principium neruorũ totum ſe ipſum quatit, vt ſit neceſſarium ſeſe quatiente cerebro, hoc eſt,principio neruorum, omnes muſculos moueri & conuelli. Dixi, præter naturam & voluntatem,quia à natura comparatum eſt,vt muſculi obediant voluntati; qui vbi præter voluntatis imperium mouentur, non ſolùm hoc ſit præter voluntatem, ſed etiam contra naturam. Addidi, interpolata, quemadmodum addit Galenus & Auicennas, quandoquidem hoc conuulſionis genus interpolatum eſt; ceteræ conuulſiones cõtinuæ ſunt,& magis permanent. Patet igitur morbum hunc puerilem pueri eſſe ſymptoma in genere motus deprauati, & quia actio deprauata animalis eſt iuxta regulam Gal. 1. de locis affectis in fine, læditur huiuſmodi actio,vel læſa parte,vel læſo principio; cùm autẽ actiones naturales ſemper lædantur, læſa prius parte,in hoc morbo non læduntur partes motæ. Itaque læditur principium.eſt autem illud ipſum cerebrum,quod cùm lædatur,lædi poteſt vel per eſſentiam,vel per conſenſum; vtro modo lædatur, læditur à morbo inſtrumẽtali, hoc eſt,ab obſtructione, vt dicunt omnes; addo ego,& à ſolutione continui, quia moleſtia illa quæ impedit facultatem ad motum, nihil aliud eſt, niſi vel morſus quidam,vel diuulſio partis, quemadmodum etiam eſt in ſingultu, cui comparat epilepſiam Galenus. Sed cùm conſtet apud omnes ad hunc motum efficiendũ concurrere facultatem expultricem, quæ irritata à morbo noxam depellere quærit,hoc tamen incertum eſt inter veteres, numquid etiam præter expulſiuã ad hũc motum edendum concurrat facultas motrix? Ex vna parte ſunt Galeni auctoritates, in quibus videtur demonſtrare ad hunc motum edendum nihil conferre motricem.Primum enim Gal.3.aphor.39.demonſtrans differentiam inter apoplexiam & epilepſiam,inquit in apoplexia penitus deſinere motum ipſum,in epilepſia motum eſſe, ſed præter voluntatem. Immo verò ponens differentiam inter motũ voluntarium, & conuulſionem, inquit motum voluntarium fieri quidem eo pacto, quo fit motus conuulſionis,ſed voluntariũ fieri à facultate ciente: conuulſionem autem

autem fieri ſine facultate cieute. Hanc eandem ſententiam videtur habere 3. de locis affectis cap.6. ſed clarius 2. de ſymptomatum cauſſis cap. 1.dum ſcribit conuulſionem eſſe ſolius morbi opus; quam eandem ſententiam videtur ſequutus Auic. in capite de epilepſia, & Auer.3.collectaneorum cap.41.quaſi velint omnes hi,huiuſmodi motus conuulſionis à nulla alia vi effici, præterquàm ab expultrice naturali.Ex altera parte ſunt teſtimonia, & rationes; ea in primis ratio eſt, quòd, vt præclariſſimè docuit Galenus in lib. de motu muſculorum, muſculi non mouentur niſi à facultate voluntaria, hæc enim inſtrumenta, vt fusè docet ipſe, ad id ſunt à natura parata, vt ſecundum voluntatis imperium corpora noſtra moueant. Iam verò in epilepſia mouentur muſculi omnes, & eo pacto, vt dixi, quo mouentur à voluntate. igitur ſi mouentur eo pacto, quo ſcilicet naturaliter corpora mouentur, rationi conſentaneum videtur à nulla alia facultate fieri, quàm à motrice. Præter hanc eſt Galeni auctoritas, qui 2. aphor. 45. ponens differentiam inter apoplexiam & epilepſiam, inquit eundem locum eſſe affectum in vtriſque, & eandem materiam;differre autem, quoniam in apoplexia perfecta eſt actionum facultas deperdita, in epilepſia motus deprauatus, ſcilicet facultatis; id enim neceſſariò vult phraſis Galeni, & ita ab interprete tranſlatum eſt; quaſi velit dicere, differre apoplexiam ab epilepſia, quia in hac facultas nihil operatur, in illa deprauatè mouet. Quid igitur dicendum eſt? Dicam breuiter quid ſtatuendum cenſeam. Duplex eſt conuulſio;alia cum motu euidenti & manifeſto:alia ſine motu manifeſto. Cum motu manifeſto & euidenti eſt epilepſia, quando ſcilicet principium motus eſt affectum.ſine motu euidenti eſt,quando pars aliqua contrahitur inſenſibiliter ob tumorem aliquem, aut inflammationem in muſculis obortam. Hanc poſtremam conuulſionem ſeu contractionem fateor quidem fieri abſque vlla facultate motrice,quia cùm propter partis morbum ſecundum latitudinē augeantur muſculi, & ſimul nerui inſenſibiliter contrahuntur, quia inſenſibiliter diminuitur longitudo; & de hoc genere conuulſionis loquebatur Gal.2. de ſympt. cauſſis,cùm diceret, conuulſionem eſſe ſolius morbi. Quæ verò cum motu manifeſto fit epilepſia, eſt in qua tria tempora conſideranda ſunt. Vnum, quando ægri in terram cadunt: aliud, quando iam in terram proſtrati huc atque illuc membra iactant, & ſpumam ex ore emittunt. Tertium, quando iam ſedatis omnibus motibus remanent quieti, & veluti immoti. Primo tempore & poſtremo feriatur prorſus facultas motrix. nam ſi operaretur in principio, in terram non caderent, quia ad hanc pertinet non modò mouere corpora,verùm etiam erecta ſuſtinere. Dū verò membra iactantur,ſum huius opinionis, omnino cum virtute expultrice etiam operari facultatem motricem; atque ita intelligendum eſſe Galenum, quando inquit,epilepſiam fieri propter deprauatum motum facultatis mouentis.Sed cùm dicatur motus præter voluntatem, cur eſt quòd ægri non ſentiunt hunc motum? Dicitur præter voluntatem,quia licet fiat à facultate mouente voluntaria,fit ab ea coacta,non naturaliter operante. do exemplum, Nonne ſæpe aliquem cōtingit riſu detineri etiam præter voluntatem?iſte motus fit à voluntate,ſed coacta ab obiecto riſibili, vt fiat præter voluntatem. Pari pacto non eſt mirum huiuſmodi motum non animaduerti, quia in ſomno plerique mouentur motu voluntario ſine vlla animaduerſione & ſine vllo ſenſu,dicebat enim Gal. lib. de motu muſculorum, ſe interdum dormientem,& nihil animaduertentem ambulaſſe per duo ſtadia, vſque quo tandem excitatus à ſomno ſe ipſum animaduertiſſet. Quare,vt hanc rem breuiter definiam, morbus puerilis fit non ſolùm à facultate expultrice, verùm etiam à motrice,quæ irritata à re lædente,ſimul cum facultate expultrice mouet princi-

pium neruorum, & conſequenter totum corpus. Cauſſa verò huius mali alia eſt interna,alia externa. Inter internas,aliæ ſunt mediatæ,aliæ immediatæ. De cauſſis mediatis conſtat apud omnes,eam epilepſiam,quæ fit per conſenſum,fieri vel propter vapores à parte aliqua inferna in caput elatos:vel, vt dicebat Pelops præceptor Galeni,propter malam aliquam qualitatem ab infernis partibus vſque ad cerebrum propagatam. Sed de cauſſa immediata epilepſiæ, quæ fit per eſſentiam in cerebro, quandam inter veteres inuenio diſſenſionem. Auctor enim libri de flatibus ſub nomine Hip. eius fuit ſentétiæ, cauſſam materialem epilepſiæ eſſe vnum flatum. Maximus etiam Ariſt.in lib. de ſomno & vigilia hanc penè ſententiam ſequutus,putauit eo pacto fieri epilepſiam quo fit ſomnus, & ſicuti fit ſomnus à vaporibus ſurſum ad caput elatis,pari pacto fieri epilepſiam. propterea dicebat pueros maximè tentari hac ægritudine, quia cùm habeant partes ſupernas reſpectu aliarum vaſtiſſimas,ad eas neceſſariò natura continuò inſignem copiam vaporum halibilium tranſmittit, vt propter hoc etiam pueri ſint valdè ſomnolenti,& conſequer epilepſiæ obnoxij. Auer.3.lib.collect.cap.40.placita præceptoris ſui ſequutus, non contentus fuit docere,fieri hunc morbum à ſolo flatu,ſed ex propoſito contra Galenum diſputans probat, non poſſe fieri vlla alia ratione, neque ab alia cauſſa, niſi ab ipſo vapore, hac potiſſimùm ratione vſus, quòd cùm citò fiat hic morbus, & citò ſoluatur, neceſſarium eſt fieri à materia, quæ citò abeat & citò diſſoluatur, & redeat,cuiuſmodi eſt vapor.nam non poſſe humorem citò diſſolui probat Auerroës, quia diſſolutio fit per quandam coctionem: coctio autem fit tempore, non autem ſubitò. Gal. ex aduerſo 3.de locis affectis cap.7. & 2.aphor.45.& aliis in locis,quem etiam ſequuti videntur ferè omnes ſcriptores Græci,dicit,non poſſe fieri epilepſiam ab vlla alia cauſſa, quàm ab humore frigido & craſſo, & quemadmodum Auerroës probat fieri non poſſe niſi à vapore;quia citò fit,& citò diſſoluitur, ſic ille inquit,neceſſariò fieri ab humore frigido & craſſo,quia citò fit, & citò ſoluitur. Et ne videatur rationem attuliſſe incongruam, fundata eſt in hoc, quòd oriatur hic morbus ob repletionem ventriculorum cerebri, quia vt omnia loca caua citiùs replentur à corporibus grauibus,quàm à leuibus, eo quia ſicuti humores ſuo pondere illico præcipitantur in loca caua:ita quoque ex locis ſpatioſis ab impulſore citò educuntur. Fauere videtur auctoritati Galeni in primis auctor ille de ſacro morbo,qui cùm ſcribat oues tentari hoc genere ægritudinis, ac multas periire,inquit ex diſſectione apparere ventriculos cerebri repletos muco & pituita; vt ex hac vna demonſtratione videatur neceſſarium, fieri hunc morbum ab humore. Fauet etiam eidem Auicénas,qui in capite de epilepſia fere eadem verba eius tráſferens, inquit fieri hunc morbũ ab humoribus frigidis & cráſſis, interdum quieſcentibus & obſtruentibus,interdum verò motis. & addit non ſolùm humores frigidos & craſſos, verùm etiam & ſanguinem,& bilem,& omnem humorem obſtruẽtem facere epilepſiam. In hoc diſſidio breuiter dicendum, epilepſiam quæ fit per eſſentiam in cerebro,fieri obſtructis non integrè vel aliquibus, vel omnibus cerebri ventriculis. obſtrui autem hos ventriculos plerunque ab humore frigido & craſſo, cui permiſtus eſt flatus, qui & generari poteſt in toto cerebro, & quemadmodum dicit Auicennas,ex ebullitione & motu humorum in ventriculis;qui flatus & humores cùm, quemadmodum dixi, non integrè obſtruantur, mouentur in ſpatiis illis huc atque illuc;in quo motu cùm percutiantur parietes vẽtriculorum, fit veluti quædam diuulſio & quidam morſus; quos percipiens facultas expultrix & motrix,excitantur; & excitatæ quatiunt totum crebrum,præſertim autem principium neruorum, vnde ſequitur motus. Et hoc licet temporibus poſterioribus,&

Auic

Auic.& alij cognouerint, cognouit tamen diuinus Plato in Timæo, vbi ſcribit pituitam albam flatu plenam, ſi per ſuperficiem diffundatur, vitiliginem parere. Si humori melancholico permiſta ingrediatur cauernas cerebri, facere morbum ſacrum, hoc eſt, epilepſiam. Inter cauſſas morbi puerilis internas immediatas primum locum habet corporis puerorum habitus, de quo loquens Ariſt. 7. de hiſt. animal. c. 2. dicebat pueros εὐτροφεῖς, id eſt, bene nutritos, & obeſos maximè conuulſionibus tentari. Secundum locum habet temperatura corporis frigida & humida. dicebat enim Gal. 6. epid. com. 1. text. 5. intemperiem cerebri maximè omnium hunc morbum generare, & ratio eſt, quia ab hac pituitoſus, & viſcidus humor generatur, à quo fit hoc malum. Tertio loco ſunt partes corporis affecti; ſcriptum enim eſt ab eodem Galen. 3. de locis affectis 3. fieri hunc morbum interdum per conſenſum ab aliqua parte interna affecta. Sed, vt ait ipſe, huiuſmodi epilepſia rariſſimè fit. Quare notandum eſt, ſi vera eſt hæc Galeni ſententia, plerumque decipi medicos, qui epilepticos ferè omnes exiſtimant ægrotare propter alicuius partis conſenſum. Vlt. loco eſt paterna & hæreditaria diſpoſitio; Hipp. enim 2. proreth. multos eſſe dicit morbos, qui paterna hæreditate ingenerantur, inter quos epilepſiam enumerat. Sed dicet quis, quæ eſt ratio, propter quam epilepſia quaſi per hæreditatem acquiritur? Explicat rationem Hipp. in lib. de ſacro morbo, vbi ſcribit phthiſicos fieri à phthiſicis, ſpleniticos à ſpleniticis, epilepticos ab epilepticis, propterea quòd ſemen ab vniuerſo corpore ſecedit, ſanum à partibus ſanis, & morbidum à morbidis; & in toto. Vt intelligatur, ſciendum totam vim diſpoſitionis hæreditariæ non modò in hoc poſitam eſſe, verùm etiam in eo, quòd magna pars ſeminis à cerebro deriuat, non ſolum vt dixit Hipp. verùm etiam; vt apparet ipſa experientia: quia qui immodica Venere vtuntur, dicebat Ariſt. 4. ſectione problematum, & citò caluefcunt, & oculis laborant. Hoc, niſi fallor, cognouit etiam verum eſſe Timæus Locrenſis, qui in lib. de anima mundi ſcribit, medullam ſpinalem ſuppoſitam fuiſſe cerebro, vt per ipſam tanquam per pronum alueum deriuaret materia ſufficiens & ad ſemen, & ad generationem. Quod cùm ita ſit, facile eſt videre cur ij maximè capite laborent, qui à parentibus capite laborãtibus oriũtur. Signa morbi puerilis alia diagnoſtica alia prognoſtica ſunt. Diagnoſticorum alia demonſtrant morbum futurum, alia præſentem. Inter ea, quæ demonſtrant futuram acceſſionem, primum locum habet, ortũ eſſe à parentibus epilepticis. Notandum verò quod ſcribit Plutarchus de ſera numinis vindicta, ſcilicet eos, qui oriuntur ex parentibus epilepticis ſtatim debere curari; quaſi certum ſit indicium, filios etiam futuros epilepticos. præterea in adultioribus futuræ acceſſionis præludia ſunt dolor colli, ſpondylium cordis, pauores in ſomno, motus inordinati in ſomno, exſpuitiones frequentes; his omnibus ſignis poteſt iure colligi futuram eſſe acceſſionem. Signa, quæ demonſtrant præſertim paroxyſmum, illa ipſa ſunt, quæ infelix ille pater apud Matthæum c. 17. propoſuit Chriſto pro puero ſuo epileptico, neque medici alia ſigna proponunt. Nam inquit ille bonus pater; Filius meus ſtridet, clamat, cadit in ignem, ſpumam emittit ex ore, ſine ſenſu eſt. hæc ſunt propriiſſima ſigna huius mali, & vt obiter dicam, dubitauit ſtudioſiſſimus auditor meus hac in re, nunquid ſcilicet ille puer fuerit epilepticus, an dæmoniacus; quia habetur ipſum fuiſſe à Chriſto curatum, eiecto dæmonio. Breuiter dico, duplici modo poſſe reſponderi. Primo, quemadmodum reſpondet Caietanus, ſcilicet puerum illum fuiſſe epilepticum, lunaticum, atque etiam dæmoniacum; vel vt Origenes, fuiſſe epilepticum, ſed morbũ factum in ipſo à malo dæmonio. Ad rẽ redeo; vt dixi, fit ſpuma in epilepſia, quoniã, vt ſcribit Gal. 2. aphor. 43. ſpiritus, & halitus,

qui eleuantur ex pulmonibus;permiſcentur ſaliuæ & pituitæ defluēti à capite;qui halitus & pituita ſimul permiſti,deinde motu agitati,& confracti,euadunt in ſpumam,haud aliter atque contingit aquam maris ſpumeſcere,quando à multis ventis agitata frangitur. Stridor qui fit in epilepticis, non eſt dubitandum quin ſit ſpecies quædam vocis. Vox autem à nulla alia fit facultate,quā à motrice,& volūtaria. igitur adiiciatur hoc argumentum aliis,quòd cùm epileptici aliqui in ipſo paroxyſmo ſtrideant, ſignum eſt hunc motum deprauatum fieri etiam à facultate ipſa motrice læſa. Morbus hic puerilis acutiſſimus eſt, quemadmodum ex Auicennæ ſententia docui; & cum ſit acutiſſimus,etiam exitialis eſt. Cauſſa verò propter quam hæc ægritudo in pueris exitialis eſt, explicatur ab Hipp.lib. de ſacro morbo, vbi ſcribit,pueros facilè perire propter epilepſiam, eo quia venas anguſtas, ſeu, vt dicit Auic. ſtrictas habent; propter quam anguſtiam; cùm pituita alioquin craſſa ab ipſis non recipiatur, permanens in cerebro, huic vitio originem præbet. Sed multo melior, & verior huius rei eſt ratio, quòd cùm pueri valdè abundent humiditate ſecundum cerebrum, ſimulque facultatem motricem & neruos ipſos imbecillos habeant, non poteſt humor ſemel in ventriculo motus, atque copioſus à facultate expultrice & motrice aut diſſolui,aut longè propelli. Ceterùm dicit Hipp. eodem in loco, eos pueros, qui ſemel ab epilepſia ſunt curati, non amplius eo morbo tentari, ſi aliquam partem eo morbo deprauatam habeant. Cuius rei ea eſt ratio, quia vbi ab epilepſia deprauatūr aliqua pars, ex eo fit,quia materia morbifica à natura, & à facultate in eam partem ſemel detruſa eſt,vbi ſemel facultas viam inuenit,qua res noxias deponat, & à ſeſe expellat, in poſterum eandem viam ſeruat,ita vt nō ſinat amplius humores offendentes vel colligi,vel collectos in cerebri ventriculos præcipitari.Occurrit hoc in loco dubitatio,à nemine etiam propoſita, quia Hipp .2.lib. prorhet. enumerans quatuor morbos, qui videntur fieri hæreditate paterna, inquit eos, ſi ſint congenei, hoc eſt, ſi à principio ſint congeniti, eſſe difficiliter mobiles, & iure; quia quæcumque fiunt cum ipſo animali, omnia ferè ſempiterna eſſe ſolent.inter hos autem morbos enumerat ipſam epilepſiam, quaſi hæc hæreditaria ſit difficilis curatu. Ex altera parte idem Hipp.6.epid.com.1.text. 5.inquit, fulgores in pueris ætatis mutatione tolli. quod oraculum cùm Galen. interpretaretur, multa pulcherrima docuit,inter quæ ait,illud vnū reſpondendum eſſe,epilepſiam duplicem generationem habere, alteram ab ortu;alterā verò propter vitæ errata. Eā,quæ fit propter vitæ errata,inquit opus habere medicis auxiliis, eam verò, quæ fit ab ortu, ſponte ætatis mutatione curari, & non faceſſere negotium medicis. Ex quibus duobus locis videtur apparens quædam contradictio, quòd in vno dicatur epilepſiam congenitam difficilem eſſe curatu; in alio verò ſponte curari, & medicis non faceſſere negotium. Cuius ſolutio poſita tota eſt in intellectu verborum Galeni; quæ malè ſunt expreſſa ab interprete, vt videre ſit, quanti referat auctores noſtros legere propria lingua loquentes. Hoc verum eſt, morbos omnes congenitos, nedum epilepticos, eſſe difficiles curatu. Neque huic ſententiæ contradicit Galenus,ſi eum rectè intelligamus. nam mens ipſius eſt,epilepſiam, quæ fit propter errores in victu, ſpontè nunquam curari, ſed beneficio medicinæ, & iure; quia ſicuti error fuit, qui fecit morbum, pariter neceſſarium eſt,vt diligentia, & ſtudium medici curet eum. Ceterùm ea, quæ fit ab ortu, inquit Galenus, etiam ſponte curatur ſine medici auxilio. Ex quibus verbis non negat difficultatem curationis, ſed ſolummodò hoc aſſerit,quod ſicuti alia opus habet medici auxilio ſēper,ita hęc curari poteſt ſine auxilio medici,ſed ſola mutatione ætatis. Verùm dicet quis,quæ eſt ratio, propter quam mutatione ætatis potiſſimum

mum curatur hic morbus:& cur poſt mutationem ætatis,ſcilicet vigeſimum quintum annum contingat,vt difficillimus,& impoſſibilis ſit curatu?Reſpondeo,curari morbum puerilem cum mutatione ætatis duplici de cauſſa. Vna eſt,quia larga illa humiditas,quæ cauſſa eſt huius morbi cōgeniti, ætatis mutatione mirum in modū diminuitur. Alia eſt, quia facultas motrix, & omnis facultas animalis mutatione ætatis robuſtior multo euadit, quo fit,vt diminuta materia & creſcente robore facilè morbus ſuperetur. Ad ſecundum autem breuiter dicam , difficilem eſſe curationem, & impoſſibilem epilepſiæ poſt mutationem ætatis , propterea quòd cùm eo tempore facultates animales ſint robuſtę,cùm etiam ſit diminuta humiditas cōgenita,ſignum eſt, ſi morbus hic ſit, fieri eum à potentiſſima cauſſa ; quæ ſicut apta fuit præter naturam quodammodo morbum inducere , ita quoque potens eſt morbum ipſum fouere & conſeruare;quod quidem propterea eſt,quia humores illi,qui faciunt epilepſiam hanc, ſunt melancholici & ſicci,vt non ſolum per ſe ſint difficiles ſublatu, ſed etiam quia in dies magis ac magis propter ipſam ætatem augentur. Ceterùm pueri,qui hoc morbo exercētur,vel lactētes ſunt,vel adultiores. quamobrem alia eſt curationis ratio,quæ debetur lactentibus,alia, quæ adultioribus. Et quia lactentes, vt aliàs dixi, gubernantur medicatione nutricum , eapropter vna propè eſt ratio victus in hoc morbo curando,quæ debetur & lactentibus,& adultioribus : ac poſita eſt in moderandis & ſuperandis cauſis externis , inter quas primò occurrit aër,qui debet eligi & parari calidus atque ſiccus. nam Hipp.in lib. de aëre,aquis;& locis cap.2.ſcribit eos,qui habitant plagas frigidas,pueros habere qui frequenter epilepſia tentantur. Somnus etiam moderandus eſt,quoniam ſi, vt ſcribit Ariſt.lib. de ſomno & vigilia, epilepſia eſt veluti quidam ſomnus, proculdubio vigiliæ moderatæ magnam vtilitatem præbebunt. Exercitationes quoque importunæ ſunt ablegandæ,ſed præcipuè timores & periclitamenta omnia;quo fit, vt etiam hac in parte ſit laudandus Plato,qui monet in 2.de Republica, ne matres figmentis & fabellis filios terreant,& his diebus ſcriptum eſt ad me è Germania de puella quadam , quæ tantùm ex terroribus facta eſt epileptica. Damnat balnea in epilepticis Galen. lib. de ſectione venæ cap. 9. ſic quoque damnanda eſt omnis repletio,& nimia inanitio,& Gal.loco citato,inter alia , quæ conſentit Eraſiſtrato non cōuenire epilepticis,eſt inedia,quam ait mirificè caput replere.De potu video nonnihil difficultatis,quia ex vna parte Aëtius ex ſententia Poſſidonij laudat propoſuiſſe epilepticis potum & cibum calidum. Inter calidos potus non eſt dubitandum numerari vinum , vt hac ratione videatur ex præcepto Aëtij illud conuenire.Ex altera verò parte & omnes medici,& Ariſt.non ſolum pueris,verū etiam ipſis nutricibus vinum etiam atque etiam interdixere. Nec volo latere, quod facit ad propoſitum,id quod ſcribit Plutarchus in problem.ſapientes Romanos cauiſſe, ne in ſacrificiis nutricum adhiberetur vinum, ſed lac ; ne ſcilicet ex vino ipſarum accederet pueris detrimentum. Hoc itaque ſtatuo , pueris , & nutricibus omnino interdicendum eſſe vinum, & præſertim cùm laborant epilepſia ; quia tametſi calefaciat,veruntamen habet aliud malum, quòd ſcilicet neruos vehementer percellit:pueri verò neruos omnes valdè infirmos habent. Pro potu itaque conueniet & nutrici,& pueris mulſa , vel decoctio facta eiuſmodi. Recipe aquæ communis lib. ij.foliorum betonicæ p.s.coriandri præparati drach. ij. fiat decoctio ſecundum artem : deinde facta expreſſione adde ad idem mellis optimè deſpumati, vel ſaccha-ri vnc.ij. s.& ſeruetur pro potu. Quare cùm Aëtius laudat potum calidum , intelligere debemus non de vino,ſed de huiuſmodi potu, qui vim habeat calefaciendi, nec detrimentū inferat capiti. Cibi debent eſſe calidi,& attenuātes;& ita hi iuuāt,

& Auic.2.tertij c.5. ſcribunt pueros faciliter curari à conuulſione,& triplicem huius rei rationem afferunt. Vna eſt,quia pueri facultatem iecoris naturalem robuſtam habent,merito cuius ſuperātur cauſſæ morbificæ. Altera cauſſa eſt,quia habēt robuſtam facultatem vitalem, propter quam etiam facilè diſſipantur humores facientes conuulſionem. Tertia eſt,quia humiditas qua abundant pueri, eſt aërea,tenuis; eiuſmodi verò humiditates facilè diſſipantur,ita vt inde videatur manifeſta contradictio inter Ariſt.& hos ſcriptores. immo verò pro Ariſt. videtur experientia teſtari,quātum enim ego obſeruaui,multo plures pueri iugulantur ab hac ægritudine, quàm ſeruantur. Ex hac verò dubitatione ſuboritur & alia, quod Galen.5. aphor.1. exponens oraculum Hipp. conuulſionem ex helleboro letalem eſſe; dicit, ſpaſmum, qui fit ex ſiccate, eſſe incurabilem. quam ſententiam omnes medici ſequuti ſunt. Sed ex altera parte eſt auctoritas Auic.2.tertij c.5. quam etiam ſententiam videtur habere Gal.3.prognoſt. dicit enim Auic. ſpaſmum ex ſiccitate in pueris facilè curabilem eſſe; contra quam ſententiam videtur facere ratio, quia ſi in morbis minus periclitantur illi, quorum temperaturæ ſimiles ſunt morbis, magis verò periclitantur, quorum morbi ſunt diſſimiles, proculdubio ſpaſmus ex ſiccitate diſſimillimus eſt puerorum temperaturæ, vt apertiſſima videatur contradictio inter medicos. Ad primam dubitationem reſpondendum puto veram eſſe medicorum ſententiam, ſcilicet conuulſiones in pueris faciles eſſe ſolutu, reſpectu earum, quæ fiunt in viris, ea ſcilicet ratione, quia vt ſcribit Auic. puerorum humiditas aërea, & facilè ſuperabilis eſt. Sed quid dicemus ad Ariſt. ſcilicet, quòd pueri, qui pereunt ex conuulſione, vt plurimum pereunt ante octauam diem ætatis, atque hoc etiam non negabunt medici, quamquam alioquin vniuerſaliter pueri faciliùs liberentur, quàm viri. Pro ſecunda dubitatione dicendum eſt id, quod colligitur ex Gal.5.aphor. 1. nimirum duplicem eſſe ſiccitatem, à qua fieri poſſunt conuulſiones; vel conſummatam, & perfectam; vel non conſummatam. A conuulſione, quæ fit propter conſummatam ſiccitatem, neque pueri, neque viri poſſunt curari, neque aliæ ætates. Ceterum quæ fit à ſiccitate non conſummata, adhuc duplex eſt, vel maior, vel minor. quæ eſt à maiori ſiccitate, difficilis eſt curatu: quæ fit à minori, facilior. Iam verò conuulſio facta ex ſiccitate in pueris, fit dumtaxat à minori, in iuuenibus verò fit à maiori, & propterea iure dictum eſt ab Auic. conuulſionem puerorum à ſiccitate eſſe facilem curatu, ſcilicet reſpectu iuuenum, in quibus fiunt conuulſiones à maiori ſiccitate. Cur autem in pueris fiant à minori ſiccitate, & in iuuenibus à maiori, cauſſa hæc eſt, quòd iuuenes robuſtam neruorum vim habent, cuius merito non poſſunt nerui offendi à parua intemperie ſicca, ſed dumtaxat à vehementi; puerorum autem facultas neruorum imbecilla cùm ſit, facilè à quauis intemperie ſicca nerui læduntur; & quemadmodum leui de cauſſa offenduntur, pari pacto leui de cauſſa liberantur. Sed quid dicemus ad rationem ex Hippocr. quòd in morbis magnis periclitantur quorum complexiones ſunt diſſimiles morbis? Reſpondeo diſſimilitudinem inter morbos, & complexiones duplicem eſſe, vel ſecundum actum, vel ſecundum aptitudinem. inter ſpaſmum ſiccum, & complexionem puerorum eſt quidem diſſimilitudo ſecundum actum, ſed non eſt ſecūdum aptitudinem, propterea quòd pueri propter tenuitatem humoris, quo abundant, maximè apti ſunt, vt facilè corpora ipſorum exſiccentur. Curatio huius morbi alia eſt, quæ debetur cōuulſionibus ex repletione; alia, quæ ex ſiccitate. Quæ fit ex repletione, ſiue fit in pueris lactentibus, ſiue fit in adultioribus, hoc præcipuum habet, vt diligenter ſtudendum ſit calefaciendis, & exſiccandis corporibus. Quamobrem vna eſt victus ratio, quæ vtriſque conuenit, & non ſolùm ipſis, ſed

etiam

etiam nutricibus; & ne idem inutiliter repetam, eadem erit ſeruanda victus ratio, quam præſcripſi in epilepſia, quia eadem materia eſt & idem morbus. Ceterùm quædam ſunt, quæ circa corpora puerorum ſunt agenda. ſi enim ſint adultiores, erunt expurgandi, & præparandi humores eo pacto quo docui in morbo ſuperiori. Si verò ſint lactentes,cùm ipſis non debeatur purgatio,ipſorum nutrices erunt purgandæ. Cura autem, quæ pueris debetur, eſt vt membra contorta, & ſpaſmata diligenter,& blãdè rectitudini manibus reſtituantur,& reſtitutis iis inungantur & nucha, & vniuerſa membra conuulſione detenta. olea quæ conueniunt plurima ſunt;oleum vulpinũ, oleum ſycinium, id eſt,ex cucurbita ſylueſtri,oleum irinum, coſtinum. nam ſolent fieri capitibus puerorum, & præſertim ſecundum partes poſteriores perfuſiones ex eiuſmodi oleis.Laudatur à proprietate etiam heliotropion, & coquitur in aqua, cum qua lauantur corpora puerorum ſpaſmatorum; & poſtquam lota fuerint,& exſiccata,deinde inungũtur prædictis vnctionibus. Nicolaus parat quoddã olei genus,quod appellat moſchelinum, atque hoc mirificè conducit ad conuulſiones puerorum ex humiditate ortas. In rigore ſeu tetano ſolent parari veſicę,& impleri eiuſmodi oleis,atque ita plenæ applicari,modo anterioribus, modo poſterioribus partibus. Sed ſi ſpaſmus fiat à ſiccitate,conuertendum eſt ſtudium ad contrarium; fugiendus aër calidus, & ſiccus; fugiendæ vigiliæ; tota victus ratio poſita eſſe debet, vt corpora humectentur. Pro potu conuenit aqua,pro cibis ptiſana cum lacte amygdalarum dulcium;maluæ coctæ, lapathiũ coctum;iura pinguia & pullorum, & aliorum animalium. Omne genus medicamentorum frigidorum,quod exſiccare poſſit,cauendum; corpora ſpaſmata ſunt in balneo calido humectante ponenda, cuiuſmodi eſſet iſtud. Rec. foliorum maluæ,violarum, lapathij,nenupharis ana m. ij.radicum althææ lib.j.capita caſtrati nu.ij.bulliant in ſufficienti quantitate aquæ, in ea aqua mergantur corpora ſpaſmatorum; quæ demerſa, ſunt ad propriam rectitudinem trahenda,vt ſcilicet paulatim manibus corpora,quæ ſunt antrorſum reflexa,conuertantur retrorſum;quæ verò rigida ſunt,in alterutra parte blandè flectantur. tum inungenda ſunt inunctionibus,quæ poſſunt mollefacere,vt oleo amygdalino dulci, butyro, pinguedine anſerina. Poterit linimentum tale parari.Rec.pinguedinis anſeris,vrſi ana vnc.j. medullæ crurum vituli vnc. s. œſypi drach. iij. maſticis drach. ij. olei amygdalarum dulcium quantum ſufficit, miſce, & fiãt linimentum.

De Paralyſi, & Torpore.

CAPVT V.

Hactenus vitia puerorum ſunt tractata, quæ poſita ſunt in motib. deprauatis. Sequitur nunc, vt tractemus de motibus imminutis, & ablatis. nam ſicuti pueris hæc actio motiua deprauari ſolet, ita conſueuit & ex toto aboleri, & magnopere imminui. Si ex toto aboleatur,vel in vna parte tãtum id fit,vel in pluribus. In toto corpore aboleri hunc motum fieri non poteſt in pueris,quia ſicuti paralyſis particularis fit in ipſis,quoniam ſcilicet vel aliqua pars,vel aliquæ partes priuantur & motu,& ſenſu;ſic nequaquam contingit vt vnquam ex toto aboleatur motus & ſenſus,ita vt fiat vniuerſalis paralyſis, quæ apoplexia vocatur. nam licet Raſes inter morbos pueriles connumeret etiam vniuerſalem reſolutionem puerorum, exiſtimandum eſt tamen, ipſum loqui de ea reſolutione, quæ contingit in plurimis corporis partibus, non autem in toto; eo quia à nemine traditum eſt pueros apo-

loco citato, & Auic. 1.tertij. cap. 8. propter imbecillitatem partium neruoſarum fieri; propter quod fit, vt muſculi præſertim, & nerui facilè exponantur iniuriis morbificis. Similem autem dixi epilepſiæ, quoniam in vtraque hac ægritudine muſculi contrahuntur verſus propriam originem.ſed quanquam hi morbi ſimiles ſint,nihilominus in multis differunt,quia epilepſia citò ſoluitur,ſpaſmus verò non ita citò; ad hæc in epilepſia amittitur ſenſus, in hoc autem cùm cerebrum non ſit ita affectum,minime ſenſus amittitur.poſtremò, epilepſia eſt conuulſio totius corporis,ſpaſmus eſt cōuulſio vel partis,vel partium corporis,vt Auicen.dixerit ſpaſmum eſſe epilepſiam partis, epilepſiam verò eſſe ſpaſmum totius. Sed video dubitari,numquid in hoc ſpaſmo contrahantur dumtaxat muſculi, an verò etiam nerui afficiantur. Ex vna parte Galen. 3. de ſymptom.cauſſis capite 2. videtur ſentire conuulſionem duntaxat eſſe muſculorum, & propterea ventriculum non conuelli,quia caret muſculo.Ex altera parte idem Gal.in lib.2.cap.2.de conuulſion.& palpit.8.manifeſtiſſimè ſcribit,in conuulſione affici & neruos,& muſculos.Dicendum eſt in conuulſione duo ſpectari poſſe, & motum ipſum, & cauſſam motus. Si ſpectemus tantummodò motum,cùm muſculi ſoli,vt aliàs dixi,moueantur ſecundum imperium voluntatis, eos ſolos poteſt dici affici in conuulſione. Sed ſi ſpectemus cauſſam mali,quandoquidem nerui in conuulſione vel replentur, vel exſiccantur, & malum conſequenter muſculis communicatur, hac ratione dici poteſt & muſculos, & neruos in conuulſione affici. Cùm itaque hæc conuulſio ſit contractio muſculorum præter naturam vel vnius, vel plurium corporis partium, videndum eſt, quot genera, vel differentiæ huius mali ſiant. nam partes noſtri corporis vniuerſaliter diuiduntur in anteriores, & poſteriores. quocirca conuelluntur vel anteriores, vel poſteriores, vel vtræque. Si conuellantur partes anteriores, vt contractio fiat colli verſus pectus, appellatur hic ſpaſmus ἐμπροσθότονος, ſeu contractio ad anteriora. Si conuellantur partes poſteriores, dicitur ὀπισθότονος, ſeu contractio ad poſteriora. Sed ſi vtræque partes contrahantur,ſit ſpecies conuulſionis, quæ τέτανος appellatur. Cornelius Celſus, Marcellus medicus, & Plinius appellarunt rigorem, eo quod in ipſo rigida euadant & permaneant corpora. nam ſi effectum conſideremus, hæc ſpecies conuulſionis non poteſt appellari contractio; ſed ſi cauſſam conſideremus, cùm vtrinque muſculi, & nerui æqualiter contrahantur, ſit veluti contractio alternata, & continua: vt veluti in medio quodam ſitu corpora permaneant tenſa & rigida. Eſt hic affectus ſymptoma in genere motus deprauati. Sequitur autem hoc ſymptoma morbum inſtrumentalem multiplicem, ſolutionem continui, auctam magnitudinem, ſitum mutatum, figuram commutatam. De cauſſis conuulſionis ſcriptum eſt ab Hippocrat. 6.aphor.ſect.aphor. 39. fieri eam vel à repletione, vel ab inanitione. Et vt cauſſæ breuiter, & ordinatè habeantur, ſciendum eſt conuulſionem fieri vel eſſentialiter, vel per conſenſum. Per conſenſum, quotieſcunque commorſum ventriculi os,vel alia pars communicant læſionem vel principio neruorum,vel nuchæ;atque ſit conuulſio, quam appellant plerique medici ſpaſmum non proportionatum ad materiam. Per eſſentiam ſit vel à cauſſis internis, vel externis. Internæ cauſſæ duæ numeratæ ab Hipp.ſcilicet repletio, & exſiccatio. nam quemadmodum dicebat Gal. 3. de locis affectis c.6. ſicuti chordæ contrahuntur,& rumpuntur vel quando nimium humore replentur,vel quando nimium exſiccantur,haud ſecus nerui ipſi contrahuntur, vel quando largo humore nimis replentur, vel quando nimis exſiccantur; vt repletionis cauſſa nulla alia ſit,niſi humor imbibitus in ipſis neruis,qui cùm faciat eos ſecundum latitudinem augeri, neceſſariò facit vt ſecundum longitudinem

immi-

imminuantur. Exſiccationis cauſſa interna vna penè ſola præternaturalis ab Hip. 3.prognoſt. & ab Auic. loco citato proponitur, ſcilicet febris praua, & magna. A febre hectica, in qua corpora mirificè exſiccantur,non fit hoc genus mali, propterea quod in ipſa exſiccatio fit pedetentim, & æqualiter per vniuerſum corpus, vt non impetu magno nerui in ipſis exſiccentur.In febre autem praua,& magna cùm non fiat exſiccatio vniuerſalis, cúmque fiat ſubitò, atque magis depopuletur neruos,quàm carnes, propterea fit, vt in hac febre fiant conuulſiones,in alia nequaquam. Inter externas huius mali cauſſas primum ponunt medici aërem humidum; propter quod Ariſtotel. 12. cap.7. de hiſt. animal. dicit pueros maximè omnium conuelli in pleniluniis,eo quod tunc temporis aër humiditate grauidus facilè neruos puerorum alioquin infirmos malè afficiat. Vigiliæ inter has cauſſas ab Hipp. numerantur, & timor. Ratio,propter quam præ timore conuelluntur pueri,luculenter explicata eſt ab Auicenna, quòd cùm in timore magno impetu ab externis partibus ad intimas recurrant ſpiritus,eos quodammodo nerui ſequuntur, & inde fit contractio. Balnea etiam numerantur inter has cauſſas, vnde Michaël Epheſius ſuper locum Auic.adnotauit inſtitutum fuiſſe apud veteres,vt nomina non imponerentur pueris ante octauam diem,quia dum imponebant nomina,lauabant pueros, quemadmodum faciunt Chriſtiani; & quia ex lotione periculum impendet, ne ſpaſmus fiat, iccirco noluerunt vt pueri propter hunc morbum ante octauam diem lauarentur. Alui adſtrictio in pueris mirabiliter hunc morbum excitare ſolet,id quod non ſolum Hip.3.prognoſt.verùm etiam Ariſtot.adnotauit. Potum vini nigri & generoſi inquit Ariſt.hunc morbum maximè facere,ſiue potum ab ipſa nutrice,ſiue à pueris.Sic lac vel copioſè ſumptū, vel craſſum huic morbo occaſionem præſtat, quemadmodum etiam ploratus, vigiliæ, vſus etiam ciborum prauorum in ipſa nutrice mirificè generationem huius mali inducit. Cognoſcitur conuulſio facillimè, quia ipſis oculis apparet corpus pueri contractum, vel in anteriorem, vel in poſteriorem partem, vel rigidum, & tenſum. Vtrum fiat per conſenſum, vel per eſſentiam, cognoſcitur ex eo, quòd quæ fit per eſſentiam, perpetua eſt; ſed quæ per conſenſum momentanea.quæ fit à repletione,cognoſcitur eo, quòd fit ſubitò,vel breui tempore; quæ verò fit exinanitione, paulatim fit & longiore tempore. Duo ſcribit Ariſt. quæ ſunt hic conſideranda. Vnum eſt, conuulſionem quæ incipit à dorſo,eſſe exitialē in pueris; cuius rei cauſſa nec ab ipſo,nec à quoquam eſt propoſita. Sed puto ego eam eſſe,quia quæ incipit à dorſo, originē ducit à ſpinali medulla, quæ eſt maximi momenti in ſuſtentāda vita noſtra,& hæc pars in ipſis pueris infirmiſſima ſemper eſt; vnde & propter infirmitatem, & partis dignitatem, morbus, qui fit in hac parte, exitialis eſt. Memini me legiſſe apud Platonem in Timæo morbum exitialem eſſe eum, qui fit in medulla. Alterum, quod ſcribit Ariſt. pueros ſub conuulſione vt plurimum perire ante ſeptimum diem, ſeptimus hic dies intelligendus eſt à die natiuitatis, non autem morbi; quemadmodū pueriliter interpretatus eſt Albertus Magnus.nam ita eſſe interpretandum Ariſt.illud fidem facere poteſt,quod ab illo ſubiungitur; quia pereunt pueri ob conuulſionem ante ſeptimam diem,conſtituiſſe veteres,vt imponerentur ipſis nomina tranſacta ſeptima die,quia tunc certior eſſet puerorum ſalus.id quod non ſolùm Græci factitant,verùm etiam Romani; cùm ſcribat Plutarchus in problematibus, Romanorum conſuetudinem fuiſſe, vt fœminis 8.die, maribus verò nono imponerentur nomina. Hæc Ariſt. ſententia occaſionem præbet dubitationi,quia ſcribit ipſe pueros vt plurimum perire propter conuulſionē;aduerſam huic ſententiam habet Galenus,Hippocrates,& Auicennas. Hipp.& Gal.3.prognoſt.34.

vt dixerit Galenus, ſe quãdoque ſolo attenuante victu pueros epilepticos perfectè curaſſe. Sylua habetur huiuſmodi ciborum in conſilio pro puero epileptico, modò tamen prudenter eo vtamur. dico, prudenter, quia illud conſilium multis, & mihi etiam fuit ſuſpectum, & forſan non fuit Galeni; quia ſunt ibi multa, quæ ſi examinentur, non admodum conueniunt. Quare vitare debebunt epileptici & nutrices legumina omnia, carnes animalium maiorum, & ſylueſtrium, piſces omnes lacuſtres & graues, & ſummatim debent omnia vitari, quæ ſuccos craſſos gignunt, quæ flatuoſa ſunt & caput proprietate quadam offendunt, atque hæc communis eſt victus ratio, ſeu moderatio cauſſarum externarum. Iam verò in perficienda hac ratione illud ſpectandum, ſi puer ſit lactens, vtrum fiat ex conſenſu alicuius partis: an verò per eſſentiam in capite. quia ſi fiat per conſenſum alicuius partis in lactentibus, vix fieri poteſt vlla alia ratione, quam propter ventriculum. Offenditur autem is in huiuſmodi ætate, vel qualitate, vel copia lactis. Si copia lactis offendatur, ſtudendum eſt, vt nutrix rarò mammas præbeat. Si qualitate, quia ſcilicet lac ſit acre, totum ſtudium conuertendum ad emendãdum nutricis lac; interim tamen non negligendus ventriculus puelli, quod fieri poteſt aliquo cerato, vel linimẽto, & ceratum, quo ego ſoleo vti, iſtud eſt. Rec. pulueris aloës, myrrhæ ana ſcrup. s. pulueris maſticis ſcrup. 1. ceræ cum modica reſina, miſce, fiat ceratum, & apponatur ori ventriculi. Si verò ſit per eſſentiam, quod frequentiſſimè contingit, dicit Aëtius difficilem eſſe curationem; eapropter agendum eſt, quod poteſt fieri in hac ætate, & intrinſecis, & extrinſecis. Intrinſecus laudat Aëtius vſum mellis, ſoleo ego vti pulueribus, cuiuſmodi eſt iſte. Rec. ſeminis pæoniæ ſcrup. s. foliorũ ſtœchados, betonicæ ana p. s. cyperi ſcrup. 1. terantur omnia ſubtiliſſimè. modus verò præbendi medicamenta in hac ætate erit, vt accipiatur cochlear paruum, & accepto puluere immittatur in os: deinde ſtatim porrigatur mamma; puer enim dum ea porrigitur, facilè deglutit medicamenta. Extrinſecus alia conueniunt capiti, alia toti corpori: capiti quidem puluiſculi, qui ſuperſperguntur ceruici, cuiuſmodi eſt iſte: Rec. adianti, ciperi, iridis ana drach. ij. caryophyll. ſcrup. 1. terantur omnia ſubtiliſſimè, & miſceantur. In vſu eſt in pleriſque Italiæ regionibus pueros non ſolum epilepticos; verùm etiam quoſuis ſtatim incendere, vt vocant; nam ferro ignito, aut titione, quemadmodum ſæpè feci, poſteriora capitis in duobus, vel pluribus locis vruntur: hæc enim vſtio mirificè valet ad deſiccandam puerorum humiditatem. & volo hic aliud docere. Refert Herodotus lib. 4. Libyæ populos quoſdam conſueuiſſe omnibus pueris quadrimis ceruicem inurere, atque hoc remedio eos liberare ab omni morbo pituitoſo, vt ſemper in poſterum ſaniſſimi viuant; quod ſi inter vrendum fortè fortuna capti fuerint ſpaſmo, vel conuulſione, dicit conſueuiſſe eos curare aſperſione vrinæ hirci. Totum corpus inungi poteſt vel oleo ſeſamino, chamæmelino, vel irino. Laudatur etiam linteolum aſperſum decocto vngulæ caballinæ, & viſci quercini. Vel Rec. foliorum vngulæ caballinæ m. 1. viſci quercini vnc. s. fiat decoctio ſecundum artem, in qua madefiat lintenrolum, & circumponatur toti corpori loco aliorum linteolorum. laudatur pæonia appenſa collo ita, vt contingat ventriculum. Albertus Magnus in libro de mineralibus laudauit ſmaragdũ appenſum. Sed ſi puer ſit grandiuſculus, atque epilepſia fiat propter conſenſum ab alia parte, primò expurgãdum corpus prout patitur ætas, deinde parti illi, ſiue ſit brachium, ſiue crus, ſiue quodcunque aliud, adhibenda ſunt medicamenta ea, quæ poſſint & intemperiem partis alterare, & materiam quæ eleuatur, diſſipare. Fit autem hoc primò frictionib. mox ſi eæ non proderunt, deueniendum ad ceratum, quod poſſit diſcutere, vt eſt ſacrum ceratum. demum ad ſinapiſmos

piſimos deueniendum,ad vſum cantharidum, & ſi hæc non profint, deueniendum, ad ignem, nam memini me iuuenem curaſſe igne, à cuius coxa eleuabatur vapor, qui faciebat epilepſiam. Si ſit per eſſentiam,purgandus eſt puer, & primò immittendus eſt clyſter huiuſmodi. Recipe foliorum centaureæ minoris m. s. foliorum maluæ m. 1.furfurum in petia ligatorum p.s. fiat decoctio ſecundum artem:deinde Rec.dictæ decoctionis vnc.viij.mellis cõmunis vnc.j.s.olei chamæmelini vnc. ij.s. ſalis drach.s. miſce, & fiat clyſter. Poſt erunt præparandi humores hoc pacto.Rec. foliorum ſtœchados,betonicæ ana m. s. ſeminis pæoniæ drach. 1. fiat decoctio ſecundum artem : deinde Rec. dictæ decoctionis vnc. iij.plus minuſve,prout fert ætas , oxymellis ſimpl. ſyrupi de ſtœcade an. vnc.s. miſce : vbi erunt præparati humores , purgabuntur ; & quamquam in hac ægritudine conueniant vehementia medicamenta , attamen ratione ætatis abſtinendum à grauioribus , aut vtendum in exigua quantitate ; aut ſi placebit vti pillulis, non tranſcendendi ſcrup. 2. pillularum de hiera Pachij , vel pillularum cochiarum. Si autem in potu accipiendum ſit medicamentum, hoc modo præſcribendum. Rec.agarici præparati ſcrup. 2. infundatur ſecundum artem in vnc. 2. aquæ betonicæ , & facta expreſſione , adde mellis roſati ſolutiui vnc. 2. electuarij de pſyllio drach. 1.s. miſce,& fiat potus.Expurgato corpore,quia morbus contumaciſſimus eſſe ſolet, non eſt fidẽdum,etiam ſi per duos,vel tres menſes inducias trahat;quoniam hic morbus conſueuit diu latere , & tandem denuo reuerti , eapropter incumbendum grauiter ipſi curationi. Inter medicamenta,quæ ſolent euincere huiuſmodi morbum,eſt vſus decocti guaiaci ritè facti, & vt habeatur ratio ætatis, ſic faciendum. Rec. ligni guaiaci vnc.2. aquæ betonicæ lib.2.infundantur ſecundum artem,deinde bulliant ad conſumptionem tertiæ partis ; & in fine adde ad bulliendum in panno lineo ſubtili ſeminis pæoniæ drach. 2.viſci quercini drach. 1. s. coriandri drach. 1. deinde ſeruetur colatum pro ſyrupo. Rec. deinde idem lignum , aquæ communis lib. 4. bulliant ad conſumptionem quartæ partis , & in fine adde ab bulliendum ſeminis aniſorum vnc. s. coletur. & ſeruetur pro potu quotidiano. dabitur ſyrupi quantitas vnc. iij. vel iiij. quolibet mane. Victus erit tenuis, & attenuans. Perſeuerandum autem in hac medicatione per quadraginta , aut quinquaginta, vel plures dies. Interim extrinſeca medicamenta adhibenda, quæ poſſint caput calefacere & exſiccare. Sinapiſmis vtendum erit in capite : ſed etiam conueniunt cauteria in brachiis , & in cruribus;præſertim verò conferrent nuchæ facta. Sunt etiam aliqui pulueres,quibus ego vti ſoleo, vt Rec. ſeminis pæoniæ, viſci quercini, ana drach.2.cardamomi drach. 1. cantaridum præparatarum ſcrup. 2. pulverizentur omnia, & cum melle conficiatur bolus,cuius poterit ſumi ſingula vice vel drach. 1. vel drach.s.ſumetur autem tribus horis ante cibum. Habetur apud Meſuem confectionis genus , quod ab ipſo,& aliis mirificè laudatur. Sunt etiam infinita alia , ita vt pauci ſint morbi, qui plura habeant medicamenta à medicis laudata.

De Conuulſione,

CAPVT IV.

Similem alium epilepſiæ morbum incurrunt facillimè pueri,quemadmodum dicit Hipp.3.prognoſt.34.atque Ariſt.3.de hiſt.animal.12.qui à Græcis nuncupatur σπασμός, noſtri vocant conuulſionem,quam dicebat Gal.3.aphor.28.& 3.prog.

plexia tentari,neque etiam experientia comprobatum eſt; hoc mali genus in ea æ-tate fieri. Si diminuatur motus,vbicunque diminuatur in corpore puerorum, ap-pellari poteſt torpor;ſed vbi hic torpor generatur in lingua, fiunt alia vitiorũ ge-nera,quæ ad balbutiem pertinent,de qua polliceor me tractaturum ſuo loco.Nunc itaque duntaxat tractabimus de motu abolito, & diminuto in aliis corporis parti-bus;quorum motuum vitioſorũ alter paralyſis,alter torpor appellatur;& quia hu-iuſmodi morbi differunt tantummodò ſecundum magis,& minus, ſat erit vno ca-pite de his tractare. Sed antequam id inchoëmus, prius examinandum eſt pro-blema à paucis diſcuſſum ; cur ſcilicet fiat, vt pueri qui adeo frequenter epilepſia tentantur, nunquam tamen apoplexia corripiantur. nam quod facit hanc difficul-tatem,eſt quia Galenus 2.aphor.49.& 3.de locis affectis 7.& alibi inquit,epilepſiã, & apoplexiam habere eandem materiam, eundémque locum affectũ;differre verò, quia in apoplexia motus eſt ſublatus, in epilepſia deprauatus. Si igitur tanta eſt ſi-militudo inter hos morbos, quî fieri poteſt,vt pueri altero tententur, altero verò non?Accedit his,quod Hipp.6.aphor.57.ſcribit apoplexiam fieri maximè à quadra-geſimo anno vſque ad ſexageſimum;vt & auctoritas,& experientia perſpectũ red-dat pueros non tentari apoplexia. Ex altera tamen parte videtur ratio exigere, vt etiam pueri tententur apoplexia. Hieronymus Cardanus, qui guſtauit hanc diffi-cultatem in com.ad aphor. Hipp.lib.5.debacchans,vt ſui moris eſt,aduerſus Gale-num, inquit non alia ratione pueros expertes eſſe huius mali, niſi quod apoplexia fiat ab humore melancholico,quo cùm careant,iure merito immunes ſunt ab apo-plexia;atque hanc rem,& rationem,inquit vir ille ignoratã eſſe ab omnibus medi-cis,præterquam ab Hipp.& Ariſt.ab Hipp. quidem, quia cùm ſcribat fieri apople-xiã ab anno quadrageſimo ad ſexageſimum,nihil aliud vult dicere,niſi fieri ab hu-more melancholico. Ab Ariſt.verò,quia is 30.problem.1.ſcribit morbos attonitos fieri à melancholia; ſed poſſumus addere ad has aliam auctoritatem Hippocratis, qui in libro de glandulis ſcribit apoplexiam fieri ab humore cerebrum rodente, cuiuſmodi eſt ipſe humor melancholicus. verùm pace huius viri, falſiſſimum eſt, apoplexiam fieri à ſolo humore melancholico;& vt primùm auctoritate Hipp.aga-mus, is lib.3. aphor. 23. ſcribit hieme potiſſimum fieri apoplexias ; ſi hieme fiunt potiſſimum,Hippoc.quem humorem dixit exuberare hieme,quos morbos fieri?ſa-nè in lib.de Natura humana tunc temporis pituitam abundare dicit, quemadmo-dum autumno melancholiam. Si hieme abundat pituita, & tunc fiunt frequentes apoplexiæ, ſequetur apoplexiam fieri, ſi non ſemper, frequenter tamen à pituita; quæ cum ſit in pueris,alia eſt quærenda ratio.Sed demus Cardano fieri hunc mor-bum ab humore melancholico, pueri nonne tentantur quartana ? atque hæc ſit à melancholia : poterit igitur in ipſis ſimili ratione etiam fieri apoplexia ab humore melancholico. Accedit his, in pueris ex materno alimento colligi ſæpè humorem melancholicum,qui nihil prohibet,quin potens ſit apoplexiã excitare.Quare alia, vt ego puto,ratio eſt,cur pueri nõ tentẽtur apoplexia: & vt mea ratio intelligatur, duo conſtitui debent.Vnũ eſt,ſecundũ genus ſimilẽ eſſe materiã,ex qua ſit epilepſia & apoplexia; ſed differre poſſe ſecundũ magis,& minus.alterum eſt, facultates na-turales in pueris vbique validas eſſe,& in cerebro, & in omnibus partib. ſicuti fa-cultates animales ſunt imbecilles.Cùm igitur dicit Gal.apoplexiã,& epilepſiã eſſe ſimiles tum materia,tum loco ; differre autem, quia in apoplexia ex toto aboletur motus ipſius facultatis,in epilepſia ſit vitioſus, oportet cauſſã quærere cur in pue-ris ex toto facultatis motus non amittatur,ſed dũtaxat vitioſus reddatur. hoc autẽ vel eſſe poteſt reſpectu ipſius facultatis,vel materię.Dico ergo ego,& reſpectu ma-

teriæ

teriæ,& facultatis hoc eſſe,reſpectu materiæ,quia tametſi in apoplexia,& epilepſia materia ſit craſſa,tamen multo craſſior eſt ea,ex qua fit apoplexia, quàm ea ex qua fit epilepſia; quia vbi fit epilepſia,copulatur pituitæ flatus; vbi eſt apoplexia,ſola eſt pituita. propterea cùm, vt dicit Auic. pituita puerorum ſit aërea, & flatulenta, clarum eſſe poteſt ratione materiæ nõ poſſe eſſe apoplexiam, ſed epilepſiam:ratione etiã facultatis hoc fit,quia facultas naturalis cerebri expultrix valida eſt, & cùm ſit valida, efficaciter poteſt aduerſus humorem,ita vt ex toto humor non obſtruat ventriculos cerebri; quod quidem nequaquam contingit in illis ætatibus,in quibus humor craſſior eſt, & minus flatuoſus, & facultas expultrix cerebri imbecillior: atque hæc fuit mea ſententia hac in re. Dixi torporem,& paralyſim affectus eſſe eiuſdem generis,ac differre tantum ſecundum magis, & minus;quia,quemadmodum ſcriptum eſt 2.de cauſſis ſymptomatum 2. torpor eſt veluti imperfecta paralyſis,paralyſis verò eſt veluti magnus quidam torpor; vtrique autem iſti affectus ſymptomata ſunt in genere functionum facultatis voluntariæ læſarum. Læditur autem facultas voluntaria in his morbis, non quidem eſſentialiter, ſed per accidens, ſcilicet à morbo inſtrumentali, qui impedit facultatem, quo minus functiones proprias obire poſſit. Impedit autem hic morbus in paralyſi, & in torpore. In paralyſi impedit ex toto vel partem, vel partes, ne moueantur. In torpore autem non ex toto,& ratio eſt,quia in paralyſi ex toto obſtructæ ſunt viæ facultatum,in torpore non ex toto. & hoc eſt,quod dicebat Gal.5.cap.1.de ſyptomatum cauſſis,ſcilicet paralyſis,& torporis cauſſam continentem eſſe affectum illum, qui impedit facultatem,qui affectus nihil aliud eſt,quàm obſtructio viarum ipſius facultatis. Differentiæ autem eiuſcemodi impedimenti capiuntur ex parte, in qua propriè poſitus eſt affectus; in qua ſi morbus ſit in principio ſpinalis medullæ,omnes partes inferiores læduntur; ita tamen, vt ſi pars dextera ſolùm afficiatur, partes dexteræ afficiantur,ſi ſiniſtra,ſiniſtræ. Si verò morbus poſitus ſit in oſſe ſacro, partes omnes ſuperiores incolumes remanent, inferiores verò læduntur; in omnibus autem,vt dicit Gal.cap.2.ſecundi de ſymptomatum cauſſis,actio vitiatur & diminutè, & ablatè; atque opus eſt non ſolum facultatis, verùm etiam morbi in torpore; in paralyſi autem ſolummodò morbi.nam dum membra torpent, hoc eſt, delebiliter mouentur,iccirco fit, quia facultas operatur quidem,ſed ægrè; ægrè autem operatur propter morbum,cuius aliæ ſunt cauſſæ internæ,aliæ externæ. Internæ ſunt humores, qui in pueris vix alij poſſunt eſſe, quàm pituitoſi; & quãquam Hippocrates in libro de virginibus,& in 1.de morbis videatur tribuere cauſſam corporis ipſi ſanguini,id tamen aliud eſt.& ſciendum qua ratione in paralyſi, & in torpore lædatur facultas. Gal. 5. capite primi libri de ſymptomatum cauſſis dicit,facultatem animalem oculis diſtribui per ſpiritus,qui perforatos neruos pertranſeunt; in aliis autem partibus diſtribuitur facultas eo pacto, quo diſtribuitur per aquam,& aërem ipſa lux. Si aër purus,& ſerenus ſit,nec non aqua lympida & clara,radij ſolares per corpora diffuſi egregiè illuminant, ſed ſi aër, & aqua ſint craſſefacta, quanto magis craſſefiunt,tanto minus per ipſos diſtribuuntur radij, & conſequenter tanto minor ſit illuminatio. Idem contingit, vbi animalis facultas diſtribuitur per corpus, quia ſi nerui ſunt liberi, & puri, integra ſit facultatis diſtributio;ſin autem craſſefacti ſint,prout craſſefactio maior,vel minor eſt;ita etiam facultatis tranſitus modò magis, modò minus impeditur. Iam verò in paralyſi nerui ſunt integrè craſſefacti, & præſertim ſecundum principium; hinc ſit, vt ex toto impediatur animalis facultatis tranſitus; quemadmodum ſi non ex toto ſint craſſefacti nerui,ſed aliqua ex parte,ita vt facultati pateat aliquis aditus,licèt non integer,

integer,fit torpor.Inter alias cauſſas,propter quas etiam craſſefiunt, & condenſantur nerui,eſt ipſa frigiditas,ſiue ſit interna,ſiue externa; verumtamen hac in re nõ videtur rectè Ariſt.ſenſiſſe 6. problemat.ſectionis 6. vbi ſcribit torporẽ nihil aliud eſſe, niſi refrigerationem, quaſi perpetuò fieri debeat à frigefactione. nam ſicuti fiunt aliquando ab ea torpores,ita fiunt etiam ab ipſo humore craſſefaciente ipſos neruos.Cauſſæ externæ ſunt cõpreſſiones, quæ fiunt ex caſu, vel aliqua percuſſione,vel ex ligaturis,vel à tumoribus comprimentibus,vel ab aliqua alia cauſſa, quæ ità poſſit denſare, & conſtringere neruos, vt liber facultatis ingreſſus impediatur. Facile autem eſt cognoſcere hos morbos in pueris,& in aliis, cùm qui paralyſi laborant, nullo pacto membrum paralyticum mouere poſſint; ſed ſi torpore fuerit occupatum,ambulant quidem ac mouentur,ſed ægrè omnino ſecundum partes affectas.Vtrùm verò morbus ſit in initio medullæ ſpinalis,vel in oſſe ſacro,eo argumẽto cognoſcitur,quia vbi eſt in initio ſpinalis medullæ,& brachia,& omnes partes inferiores morbo occupantur.Si autem ſit in oſſe ſacro,ſolùm partes infra illud os laborant.Ceterùm omnis paralyſis,præſertim vetuſta,aut incurabilis eſt,aut difficilis curatu etiam in pueris. Atque ſoleo ego dicere morbos omnes,qui Chriſto curandi fuerunt propoſiti, difficillimos ſua natura curatu eſſe. inter alios autem habetur puer paralyticus Centurionis. Poſſumus ergo hoc argumento colligere, paralyſim in pueris eſſe difficilem curatu, facilior verò eſt torpor,de quo loquens Auic. 2.tertij capite de paralyſi,dicit, ſi paralyſi, atque torpori ſuperueniat febris, aut tremor,optimum eſſe, eo quia à febre materia morbifica diſſoluitur, à tremore eadem materia depellitur à neruis; hoc autem non ſolùm verum eſt in paralyſi, verùm multo magis in torpore. Sed eſt hoc loco pulcherrimũ problema non prætereundum:cur ſcilicet pueri penè omnes magnopere infirmi ſint omnibus neruis, bruta autem ſtatim ac ex vtero exeunt moueantur,& forſan magis quàm cùm ſunt paulo grandiora:nam videtur natura hac in re nouerca fuiſſe, quandoquidem homini, qui nobiliſſimus eſt omnium animalium, debuit concedere, vt & ipſe ſtatim poſſet & brachia, & crura mouere, ſi non magis, æquè ſaltem ac cetera quadrupedia. Cur homo ita corpore,& præſertim cruribus,& brachiis imbecillis naſcatur,atque perduret,cauſſa eſt ſitus, quem habet in vtero. nam cùm deberet ipſe perfectionem aliquam nanciſci in vtero,& propterea in ipſo diu permanere,neceſſarium fuit,vt non rectis membris,ſed contortis,& conglobatis in eo loco iaceret; quemadmodum Hippocrates in lib. de natura pueri,& Ariſt.7.de hiſt.animal.cap. 8. ſcribunt;vt autem poſſet homo conglobatus,& totus flexus in vtero diu manere, neceſſarium fuit naturam totum corpus veluti cereum facere, atque mollibus carnibus circumdare; propter quod cùm ex vtero corpus hominis veluti cereum exeat, & molle, atque flexibile,fit vt diu duret, priuſquam hanc mollitiem deponat, atque duritiem induat;id quod etiam tardius ſuccedit propter ſummam curã, & propter teporem,quo infantes cuſtodiuntur. nam certum eſt barbarorum infãtes celerius exercere ſua membra, quàm nobilium,proprerea quod tenera & mollia ipſorum membra frigore aëris citius indurantur. Bruta verò,& præſertim quadrupedia, cùm, vt Ariſt. loco citato teſtatur, in vtero paruo tempore maneant reſpectu hominis, atque vteros ampliſſimos habeant, fit vt in ipſis ſitum erectum ſecundum membra poſſideãt,ita vt brachia,& crura duriora ab ipſa natura in eo loco fiant,quod eo maximè contingit,quod ſtatim atque exeunt, opus eſt ipſis,vt ſeſe ſuſtẽtare poſſint,cùm parentũ cura non poſſint ita gubernari,quemadmodũ homines.Curatio huius mali,ſcilicet torporis,& paralyſis,tota poſita eſt in remotione cauſſarũ externarum,ſi illæ faciant malum, ſed potiſſimum in exſiccatione, &

conſumptione humiditatis totius corporis, & præſertim neruorum. In qua peragenda vniuerſa viuendi ratio ea eſſe debet, vt exſiccare poſſit, potiſſimùm cuiuſmodi propoſita fuit in morbis ſuperioribus. Quoad chirurgiam, remedia quædam ſunt, quæ accommodantur, vt ſunt cauteria; quæ, ſi ætas patitur, fieri poſſunt in partibus ſuperioribus & inferioribus, præſertim tamen vſtiones factæ ſuper initiũ medullæ, ſiue ſuper os ſacrum,proſunt, vbicunque ſanè morbus fuerit poſitus. in reliqua autem medicatione id primùm cogitandum eſt, quòd cùm paralyſis ſit morbus maior quàm torpor,maioribus etiam auxiliis indigeat;vt debeant quidem in his ambobus affectibus eiuſdem generis eſſe remedia, ſed efficaciora in paralyſi, mitiora in torpore.quamobrem purgandum corpus,vt ſupra dixi.vbi verò purgatum eſt,remediis & internis, & externis agendum eſt, vt exſiccati nerui poſſint tranſmittere facultatem animalem.Intus,decoctum guaiaci, vt dixi de epilepſia,eſt præſentaneum remedium. ſunt etiam aliqua electuaria, quæ cum exſiccent, conferunt pueris, vt eſt iſtud. Recipe mei, aſari, doronici, zeduariæ ana ſcrup.1.cinamomi,cai yophyllorum,calami aromatici ana drach.ſ.foliorum ſtœchados,iuæ ana ſcrup.2.terantur omnia,& cum melle deſpumato fiat electuarium; cuius puer pro ætate capere poterit modò ſcrup.1. modò plus, minuſve. Extrinſecus ſunt multa, quæ conueniunt. balneum artificiale, quod parari ſolet pro pueris ex lixiuio, cui incoctæ ſint baccæ lauri,folia ſtœchados, iua; nam in huiuſmodi decocto demerguntur corpora puerorum, atque in ipſo detinentur dimidium horæ. vbi verò exſiccata ſunt corpora eorum ab hoc malo, inunguntur oleis, veluti oleo vulpino, de euphorbio,irino.Præter hoc artificiale balneum, eſt etiam naturale accommodatum,veluti ſunt aquæ omnes ſulphureæ,quales noſtræ Aponenſes,in quibus demerguntur corpora torpida puerorum, prout neceſſitas exigit:vſus etiam luti vtiliſſimus eſt, ſi pro more ſuperponatur ipſi dorſo, hoc eſt,oſſi ſacro. nam & anno elapſo,& præſenti puellam,& puerum curauimus, qui habebant partes inferiores reſolutas,& torpidas.Hipp.in fine lib.de virginibus laudat,vt ad torporem finiendum detineantur pedes in aqua gelida vſque ad maleolum,eo quòd,inquit, ſtatim reuertitur ſanguis;quæ Hipp. auctoritas mihi ad mentem reduxit quiddam, quod audiui à quibuſdam nobiliſſimis Polonis, qui inquiunt,& eſt res notatu digna,in regione ſua,quæ gelidiſſima eſt,ſæpè fieri vt aures,nares,manus,pedes præ ſummo frigore ita rigeant,& torpeant,vt ſi vel tangãtur manibus calidis,vel approximentur igni,ſtatim decidant; atque vnum eſſe in eo caſu ſummum auxilium, ſi priuſquam ſeſe calori exponant, partes torpefactæ in aquam gelidiſſimam mittantur, cuius euentus breuiter ratio eſt proponenda.Nam definitum eſt ab Ariſt.4.Meteor. corpora,quæ congelantur frigido,& ſicco,vel ſummè congelari,vel minus.ſi ſummè congelata ſint,à nulla re,niſi à vehementiſſimo igne, & rarò etiam poſſunt diſſolui; cuiuſmodi eſt cryſtallus montanus, & adamas,quæ cùm ſint ſummè congelata à frigido, nullo pacto diſſolui poſſunt. Sed ſi non fuerint ſummè congelata, diſſoluuntur tum à calido humido actu, tum etiam ab humido, & frigido. Exemplum eſt de glacie,quæ & à calida aqua,& à frigida diſſoluitur. Sed differentia eſt, quia calida aqua citò diſſoluit, atque etiam conſumit;frigida diſſoluit tantummodò,non autem conſumit. Quamobrem cùm partes externæ à gelu torpeſcant, & congelentur, ſi à calore ſtatim diſſoluantur, ſimul etiam ab eo calore conſumuntur,vt conſumptæ,ſtatim decidant,veluti emortuæ; ſed ſi tractentur aqua frigida, fit quidem pedetentim illa diſſolutio,abſque tamen vlla conſumptione.

De

De vitiis locutionis in genere.

CAPVT VI.

SErmonem, quo dicebat Ariſt. hominem ciuile animal eſſe, motum quendam, ſeu operationem facultatis imaginatricis eſſe, non eſt dubitandum; cùm & voluntatis imperio, & muſculorum miniſterio efficiatur. Quare, vt de ſermone vitiato hoc tempore tractemus, ordo, & ratio noſtræ tractationis poſtulat. ſiue autem ſermonem ipſum à natura eſſe conſtituamus, vt diſputatum eſt apud Platonem in Cratylo, ſiue totum ex diſciplina, & hominum conſuetudine conſtare cenſeamus, aut nihil, aut parum ad negotium noſtrum pertinet, cùm de vitiata locutione tractaturi ſimus, quippe quæ inter morbos pueriles frequẽtiſſima eſſe ſolet. Eſt locutio nihil aliud, quàm vox articulata, qua homines inter ſeſe loquuntur. quoniam Gal.3.in 3.epid.tex.74. dicebat veteres appellaſſe ſermonem, illum, quo homines inter ſe ſe loquuntur, quaſi bruta etiam quadam voce articulata vtantur, qua conceptus proprios exprimant. ſed quia homines ea inter ſeſe minimè vtuntur, eapropter ſermo appellari non poteſt; vt iure dixerit Ariſt. 11. ſect. problematum, problem. 1. vnum hominem ſermonis capacem eſſe, qui litteras omnes profert, cùm bruta vix vnam, aut alteram proferre poſſint. Hæc itaque locutio multis modis in homine vitiari poteſt, vel enim ex toto aufertur, vel difficulter fit, vel deprauatè efficitur. Si ex toto ſermo auferatur, fit vitium, quod à Græcis communiter κώφωσις dicitur. Hipp. vt docet Gal. 3. in 3. epid. ἀναυδίαν vocauit; nos, qui hac ægritudine laborant, mutos appellare ſolemus. quo in loco adnotandum, differentiam eſſe inter aphoniã, atque inter anaudiam, quoniã aphonia eſt vbi vox ex toto amittitur: ἀναυδία verò, ſiue mutitas, vt ſic loquar, eſt quãdo ſalua voce, ſermo tamen amittitur, quod latiſſimè explicatũ habetur à Gal.4. de locis affectis 6. Sed dubitari poſſit, num quando infantes loqui nondum poſſunt, debeãt propriè muti vocari, ita vt etiã in ipſis priuatio locutionis morbus ſit. nam Ariſt.1. problem. ſectionis 11. ſolet appellare infantes mutos. accedit etiam, quòd ſi cauſſas impotentiæ loquendi in ipſis expendamus, vt videbitur ſuo loco, omnes morboſæ ſunt; vt hac ratione videatur ſtatuendum eſſe etiam pueros mutos appellari debere. Sed, ex altera parte non videtur hæc affectio morboſa in infantibus ante debitũ tempus, quia pari pacto morbus eſſet, quando ſecundum rationem nondum operatur, quod tamen à nemine proditum habetur. Ita ſentio ſtatuendum eſſe, infãtiam, hoc eſt, loquendi impotentiam in pueris per ſimilitudinem tantũmodò debere vocari mutitatem, neque morbum eſſe, quia omnes morboſi náſceremur, & conſequenter natura, quod non fecit brutis, hominibus feciſſet, vt vitam à morbo auſpicarentur. Si locutio difficiliter fiat, aliud genus vitij oboritur, quod apud Aëtium lib.8.cap.36. vocatur μογιλαλία, dicere nos poſſumus loquendi impedimentum. Si ſermo deprauetur, fit tertium genus vitij, quod communi nomine ab Hipp.6.lib. aphor.aphor.32. nuncupatur τραυλότης, ſeu τραύλωσις, nos qnoque communi nomine balbutiem vocamus. Huius autẽ poſtremi vitij tres apud ſcriptores inuenio ſpecies eſſe. Prima eſt, quando non poteſt proferri oratio ſtatim, ſed cogitur homo, vel puer repetere aut primam, vel aliquam aliam ſyllabam cum labore. appellatur huiuſmodi vitium ab Hipp. & Ariſt. ἰσχνοφωνία, nonnulli Latini vocant titubantiam linguæ. ſed melius omnibus Theodorus Gaza doctiſſimus, linguæ hæſitantiã dixit. inuenio

etiam

etiam appellatum hoc vitium battariſmum à Batto Cyrenarum rege; qui ſemper primam ſyllabam repetere cogebatur. Alterum vitium eſt, ſeu ſpecies, cùm puer aliquam ſyllabam omittit, hoc eſt, cùm totum verbum, aut nomen minimè exprimere poteſt. Appellat Gal. & cum Gal. omnes alij ψελλότητα: vocat Ariſt. huiuſmodi ægrotantes blæſos; quamquàm non deſint, qui inducti auctoritate Ariſtotel. 2. de partibus animal. cap. 17. exiſtimarunt blæſos propriè vocari illos, qui ob torturam oris etiam verba malè torquere & flectere videntur, ad ſimilitudinem eorum, qui contortos pedes habent, quos ſcilicet Ariſt. 14. particula problematum ait vocari blæſos, quòd habeant pedes contortos, inſtar capillorum criſporum. quam affectionem tentare Æthiopes, & Ægyptios propter regionis feruorem, idem Ariſt. prodidit. Tertia ſpecies balbutiei eſt illa, quæ communi nomine aliorum vitiorum appellatur τραυλότης, & eſt, vt ſcribit Gal. 6. aphor. cùm homo, ſeu puer non poteſt proferre r, ſed mutat in l. vt fit quando quis vult dicere triticum, & dicat triticum; quo etiam eodem genere comprehenditur quando c, mutatur in t, vt cum volunt dicere precium, dicunt pretium; & hæc eſt tertia ſpecies balbutiei, qua memoriæ proditum eſt laboraſſe Demoſthenem & Alcibiadem. ex quo loco poteſt videri magnam eſſe differentiam inter blæſitatem, ψελλότητα, & inter τραυλότητα: vt non poſſim excuſare virum doctiſſimum Leonicenum, qui contra commentarium Galeni aphor. 22. lib. 6. dixit, & ita tranſtulit, vt dixerit inter hos duos affectus nullam eſſe differentiam; quod non ſolum eſt præter omnem rationem, & vſum ſcriptorum, verùm etiam multum abeſt à littera Græca ipſius viri. Sunt hæc omnia vitia ſymptomata in genere actionum animalium læſarum; læduntur autem hæ actiones, vel quia læditur facultas imaginatrix, vel quia læduntur inſtrumenta à natura fabricata propter locutionem. læditur facultas quotieſcunque propter aliquam intemperiem cerebri non poteſt facultas imaginatrix operari, & muſculos mouere, quemadmodum deberet. ſic in phrenitide vitiatur locutio & in lethargo, & vt vno verbo dicam, in omnibus grauiſſimis intemperiebus cerebri. læduntur autem inſtrumenta, quando læditur vel lingua, vel muſculi mouentes linguam, vel labia, vel dentes, vel nares: potiſſimùm autem quando læditur lingua, ſiquidem Ariſtotel. 2. de partibus animalium 17. & Gal. 4. de locis affectis 6. docuerunt has omnes partes inſtrumenta eſſe locutionis, ſed potiſſimùm linguam, vt offenſa lingua maximè omnium offendatur ipſa locutio. Poſſunt autem hæc inſtrumenta affici, prout ſunt partes ſimilares, vel prout inſtrumenta; vt partes ſimilares offenduntur, quotieſcũque muſculi, & nerui, immò ipſa lingua aliqua intemperie corripiuntur, ſiue ſit ſicca, ſiue humida, ſiue frigida; quamquàm multo ſæpius intemperies frigida, & humida lædat inſtrumenta, quàm ſicca. Afficiuntur autem veluti inſtrumenta, quando lingua vel nimis tumida fit, vel nimis longa, vel nimis anguſta, vel nimis lata, nam ita fabricata eſt lingua à natura, vt dicebat Ariſtotel. vt & mollitie, ſui magnitudine ad dentes, & palatum impellens poſſit vocem ipſam dearticulare. Pari pacto laborant hæ partes vt inſtrumenta, quando muſculi vel reſoluuntur, vel tumore aliquo afficiuntur; ſic ſi dentes aut non debito ordine poſiti ſint, aut aliqui deficiant, ſi labia ipſa mutilentur, ſi nares vel polypo, vel aliquo alio morbo detineantur, vt ſcribit Galenus, ipſa locutio impeditur; potiſſimùm autem quando cerebrum vt inſtrumentum, & vt ſimilare ſimul patitur; quo in caſu cùm mens magnopere offendatur, conſequenter neceſſarium eſt vt locutio magnum detrimentum incurrat. ſiquidem, vt optimè docuit Hippocrat. in lib. de carnibus, ſeu principiis, ſpiritus per corpus excurrit, caput verò reſonat; & lingua à mente, & intellectu gubernata ap-

pellens modò ad palatum, modò ad dentes, vocem ipſam dearticulat, & conſequenter ſermonem parit. Hæc ſunt in vniuerſum genera omnium vitiorum, quibus locutio, & ſermo hominis offenditur.

De Mutitate.

CAPVT VII.

Vt huius affectus natura magis percipiatur, vtile puto vniuſcuiuſque ſpeciei particulariter cauſſas indagare, & iccirco incipiemus à mutis, quo affectu dicebat Ariſtotel. ſolum hominem tentari, quia ſolus ſermonis capax eſt. Cùm autem mutitas ſit loquelæ priuatio, & conſequenter actio læſa, vt ſæpe docui, neceſſarium omnino eſt, vt ab aliquo morbo proficiſcatur, qui modò in principio ipſius facultatis eſt; modò verò in aliquo inſtrumento; in principio eſt in apoplexia, in percuſſione ipſius cerebri, nec non etiam in ebrietate. In percuſſione cerebri, quoniam, vt dicit Gal. 7. aphor. 58. vbi percutitur cerebrum, eo concuſſo ventriculi omnino in ſe conniuent, quo fit vt facultas minimè mitti poſſit ad mouendam linguam; in ebrietate etiam idem fit, quoniam, vt habetur 5. aphor. 5. in ſumma ebrietate ita repletur cerebrum, atque etiam nerui mouentes linguam, vt non ſolùm deſtruatur locutio, verùm etiam deſtruatur ipſa vox. vbi autem morbus lædens actionem hanc, eſt in inſtrumentis, vel eſt morbus ſimilaris, vel diſſimilaris. ſi ſit ſimilaris, eſt ſumma intemperies frigida, quemadmodum contingit, vbi nerui ob errores chirurgorum ita denudantur, vt maximè frigeant, & conſequenter vox tollatur. Fit autem morbus inſtrumentalis in paralyſi linguæ; necnon etiam in paralyſi muſculorum mouentium linguam; ſiquidem reſolutis his partibus, minimè fieri poteſt locutio, quamquam interdum fiat vox. Dico, quamquam interdum fiat vox, quia poteſt quidem amitti locutio, ſalua voce, ſed è conuerſo non poteſt locutio ſalua eſſe, ſi ex toto auferatur vox. Fit etiam morbus inſtrumentalis lædens loquelam in ſurditate, quæ plerunque ſolet eſſe cauſſa mutitatis. Immo verò Ariſtot. quarto de hiſtor. animal. cap. 9. ſcribit ferè pueris hunc affectum non ob aliud contingere, niſi quia ſurdi ſunt; fiunt autem ſurdi, eo quod, vt dicebat quidam Arabs, cùm lingua craſſior facta ſit, quàm debuiſſet, auditorij meatus ex toto ſunt obcæcati; nec dubitandum eſt potiſſimam cauſſam mutitatis eſſe natiuam ſurditatem, quoniam cùm locutio ſit opus facultatis voluntariæ motricis, non poteſt ipſa excitari ad mouendam linguam, & dearticulandam vocem, niſi à phantaſmatibus ſimilibus locutioni excitetur. phantaſmata autē hæc non poſſunt recipi à facultate imaginatiua, niſi medio ſenſus auditus, propterea ſublato hoc ſenſu, neceſſariò locutio amittitur, & fit mutitas. Sed hoc in loco dubia duo occurrunt. vnum eſt, an verum ſit ſemper amitti loquelam, vbi amittitur vox. nam ex vna parte hoc videtur omnino abſurdum, quia locutio, ſeu ſermo nihil aliud eſt, niſi vox articulata. quare deſtructa voce, perit ſermo. Ex altera parte Auicennas, qui 10. tertij tract. 2. c. 1. ſcribit ſeruari interdum loquelam deſtructa voce. Dicendum eſt breuiter, aut litteram Auicennæ corruptam eſſe, aut ab ipſo pro voce intelligi vociferationem; alioquin niſi ita intelligendus ſit Auic. meras nugas dixiſſet. nam illud verum eſt, vſque adeo interdum hebetari vocem, vt exigua admodum fiat, & tamen ſermo, & loquela integra ſeruentur. Aliud dubium eſt circa dictum Galeni, qui 4. de locis affectis 6. ſcribit quinque eſſe actiones,

nes, quæ ſeſe conſequuntur. Prima eſt exſpiratio; ſecunda exſufflatio ſine ſtrepitu; tertia exſufflatio cum ſtrepitu; quarta eſt vox; quinta eſt loquela. inter quas actiones ſcribit hunc eſſe ordinem, vt læſa prima, ſcilicet exſpiratione, conſequẽter lædantur aliæ quatuor; læſa verò vltima, ſcilicet loquela, non lædantur aliæ quatuor. item læſa ſecunda lædantur ceteræ tres; læſa tertia, reliquæ duæ; læſa quarta lædatur etiam poſtrema neceſſariò. ita vt velit Galenus ſemper læſa voce, neceſſariò lædi loquelam. Sed hoc falſiſſimum eſt, in raucedine enim læſa eſt vox, vbi autem vox exilis fit, læditur vox, non loquela; quia rauci etiam diſertiſſimè loquuntur. Quid itaque dicendum? Locus hic apud me ſemper difficilis, & ſalebroſus fuit, & niſi intelligamus apud Galenum pro læſione deſtructionem ipſius vocis, neſcio, quomodo ipſum tueri poſſimus. Sed ſi intelligamus deſtructionem vocis, non ſimplicem læſionem, proculdubio verum dicit.

De Balbutie.

CAPVT VIII.

Sequitur impedimentum loquelæ, ſeu μογιλαλία, vel ἀγκυλόγλωσσον, cuius affectus duplex eſt cauſſa, alia natiua, alia accidentalis, & morboſa. Natiua cauſſa, vt docet Gal. 11. de vſu partiũ 10. eſt colligatio innaturalis linguæ cum ſubiectis partibus. quæ colligatio ſæpiſſimè in ipſis pueris contingit; cauſſa verò morboſa eſt vel tumor ſubtus linguam, vt in ranula, vel cicatrix derelicta ex vulnere illius partis; ita vt huius mali nullæ aliæ ſint cauſſæ, quàm propoſitæ, relatæ etiam ab Aëtio lib. 8. cap. 36. Sequitur tertium vitium, quod eſt balbuties, ſeu deprauata locutio, quæ cùm habeat tres ſpecies, vniuſcuiuſque ſpeciei cauſſa vel ad facultatis, vel ad inſtrumentorum læſionem pertinet. Læditur facultas, quando vel cerebrum ipſum aliqua intemperie turbatur, vel quando ipſamet facultas detinetur quo minus tranſcurrere poſſit ad mouendum aptè linguam; fit intemperies in cerebro in ebrietate. nam Galenus 6. aphor. 32. dicebat balbutire ebrios, propterea quòd cerebrum magis humectatur, quàm conueniret, & conſequenter cum eo etiam inſtrumenta mouentia linguam, & ipſa lingua. Fit etiam intemperies in cerebro in phrenitide, in qua cùm calefactum, & exſiccatum ſit cerebrum, facultas imaginatrix nõ poteſt operari, & linguam mouere, vt deceret. Impeditur autem facultas à ſuo munere in extaſi, & in melãcholia; in illa quidem, quia à phantaſmatibus aliò auocata minimè regit linguam, quemadmodum deberet. In melancholia verò impeditur propter tres cauſſas: vna eſt timor, qui perpetuus eſt comes melancholiæ. vnde dicebat Ariſt. 11. ſect. problematum, problem. 30. metuentes balbutire, & hoc eſt etiã, quod dicebat Hip. 2. epid. quãdo ſcripſit balbos fieri melancholicos. Impeditur alia ratione imaginatio, ſeu facultas in melancholia, quia vehementiſſimè mouetur; quod proditum habetur ab Aëtio lib. 6. c. 9. ex ſententa Ruffi, & Poſſidonij. à magno etenim motu imaginationis fit vt ipſa erret; & propter errorem etiam linguam non ea ratione ac deberet, moueat. & hoc eſt, quod dicebat Hipp. in lib. præceptionum, ſæpè linguam balbutire propter mentis errorem. Tertia cauſſa eſt multitudo phantaſmatum, & imaginationum. nam Ariſt. 11. ſectione problematum, tradens cauſſam hæſitantiæ linguæ, inter alias videtur ſtatuere varietatem, & multitudinem imaginationum; quia dum facultas hoc, vel illud phãtaſma perſequitur, lingua minimè poteſt actionem facultatis diligenter perſequi, vnde errat, & fit hæſitantia. atque hæc ſunt genera cauſſarum, quæ pertinent ad ipſam facultatẽ circa balbutiẽ. Quæ verò pertinẽt ad inſtrumẽta, vel ſunt vitia naturalia, vel præter na-

turam ; ſeu , vt dicebat Gal. 4. de locis affectis 6. vel fiunt in ipſa formatione inſtrumentorum,vel poſt formationem. Quæcunque autem ſint hæc vitia, aut ſunt morbi ſimilares,aut inſtrumentales. Morbi ſimilares ſunt intemperies, præſertim frigidæ,& humidæ,tum ipſius linguæ,tum maximè muſculorum linguã, & laryngem mouentium; id quod voluit ſignificare Gal.2.in 1. epid. tex. 68. cùm ſcripſit ἰσχνοφωνίαν fieri ob imbecillitatem muſculorum laryngis, factam à caloris diminutione;id quod ante Galenum docuit nos Ariſtotel. 11.ſect.problematum,probl. 10. 30.35.quibus in locis ſcribit balbutiem,& hæſitantiam linguę fieri à frigiditate,& humiditate. Sed circa hanc ſententiam occurrit dubitatio,numquid ſcilicet à ſola intemperie frigida & humida fiat balbuties.nam Gal. 6. aphor. 32. omnem balbutiem videtur omnino acceptam referre humiditati ; immo verò ſcribit fieri non poſſe,vt vnquam balbuties in pueris à ſiccitate oriatur;id quod etiam videtur voluiſſe ſignificare Ariſt.11.ſectione problem.30.quando dicebat, pueros magis balbutire,quàm viros,ſcilicet ob humiditatẽ.Sed cõtra eſt Hipp.7.epid.circa initium, vbi narrans quandam hiſtoriam ægrotantium,inquit , ipſis propter ſiccitatem linguam fuiſſe ſubalbam ; ex quo loco clarè colligitur balbutiem etiam à ſiccitate fieri. quod idem Auic. 6.tertij,tract. 3. cap. 16. manifeſtè ſcribit. Pro concilianda hac ſcriptorum diſſenſione dicendum eſt , duplicem eſſe balbutiem, aliam naturalem , aliam accidentalem. naturalis non alia ratione fit, niſi qua dicebat Galenus, ſcilicet humiditate.innaturalis autem,hoc eſt, accidentalis,poteſt etiam fieri à ſiccitate,& de hac loquutus eſt Hipp.& Auic. Modus autem, quo humiditas naturalis facit bulbutiem,& cur ſit, quòd aliqui non poſſint proferre r,nec c,eſt,quia ad proferendas has litteras neceſſe eſt vt lingua validè impellatur in dentes,atque in palatum ; lingua autem mollis, ſeu nimis humida , aut imbecilla propter humiditatem muſculorum non poteſt ita vehementer,quemadmodum par eſt, impelli ad dentes, propterea loco huius litteræ proferuntur illæ , quæ cùm ſint ſimiles , non opus habent tanta impulſione. vel dicere poſſumus balbutiem fieri plerumque ab ipſa humiditate,raró autem à ſiccitate;id quod non ſolum ipſemet Auic.expreſſis verbis dicere videtur,verùm etiam Ariſt.idem dixit 4.de hiſt.animal.9.vbi dicebat fieri balbutiem in pueris potiſſimùm ob linguæ humiditatem,& laxitatem.Fit autem balbuties quando lingua vel longior eſt,quàm deberet,quemadmodum dicebat Gal.6.aphor. (licet hoc raró contingat) vel quando craſſior,& tumidior euadit,vel quando dentes aut deficiciunt, aut ordine malo ſunt diſtincti ; vel quando labia ſunt mutilata ; vel quando nares,aut gurgulio ſunt tumore , aut inflammatione obſeſſæ.Ex cauſſis externis vitiatæ locutionis in primis eſt frigidus aër.dicebat enim Ariſt. 11. problematum ſectione , frigus locutionem impedire propter tres cauſſas. Primò,quia frigidum condenſat. Secundò, quia calorem natiuum, & conſequenter motricem facultatem hebetat. Tertiò , quia linguam veluti ligat. nam ad peragendam locutionem dicebat idem auctor 2. de partibus animal. 17. magnoperè neceſſarium eſſe vt lingua libera,& expedita ſit.ſic regio frigida poteſt populos impedire quo minus rectè loquãtur;qua etiam ratione fit,vt in quibuſdã locis veluti hæreditaria quadam affectione in hominibus locutio vitietur. Animi affectus præ ceteris balbutiem inducere ſolent. De timore, & experientia perſpectum eſt,& Ariſt.& Galenus cõfirmarũt. De ira ſimiliter.nam multos videre licet, qui dum præ ira nimis excandeſcunt,interdum non ſolum balbutiunt, verùm etiã mutire coguntur.idem poſſunt profundæ cogitationes,nimiæ vigiliæ, immoderata Venus, quæ cùm cerebrum,& neruos omnes vehementer lædant,conſequẽter locutioni detrimentum inferunt. potiſſimùm autem locutionem impedit aſſidua

ebrietas,

ebrietas,vt Ariſt.3.ſect.problematum, & Gal. 6.aphor. 32. apertiſſimè docuerunt. Sunt etiam cibi,qui quadam proprietate locutioni puerorum videntur officere.nã Rabbi Moyſes 20.aphor. parte ſcribit arcendos eſſe pueros ab eſu nucum, propterea quòd loquelam ipſorum vitiant. Cæterùm non eſt opus ſignis, vt cognoſcantur vitia ſermonis, ſed ad cognoſcendas cauſſas neceſſarium adhibere & ſigna, & induſtriam magnam. nam qui fiunt muti à natiuitate propter ſurditatem, cognoſcuntur, tum quia nullo ſtrepitu,nullo ſono mouentur, tum quia nullum defectum neque in lingua,neque in ore habent.quamquam Ariſt. 2. problemat. ſect. 11.ſcribit mutos naribus loqui,ſeu ſtrepitum edere, propterea quod ſunt cõpreſſo ore; eſſe verò compreſſo ore, quoniam lingua nullo vſui ſibi eſt. Qui autem fiunt muti vel propter vulnus inflictum,vel propter muſculorum linguæ reſolutionem; cognoſcuntur morbis ipſis anteactis, nimirũ apoplexia, aut eiuſmodi aliqua ægritudine, quæ anteceſſit. Illi autem, qui vix loqui poſſunt, & μογιλάλοι vocantur à Græcis,cognoſcuntur,quoniam ſi lingua inſpiciatur,frenum illud, quod philetum vocant vulgares, admodum inconcinnum, & ineptum eſt. nam,vt habetur apud Meletiũ de natura hominis,cùm lingua deberet ſuo expedito motu modò in hanc, modò in illã partẽ efformare litteras,conſtituit natura vt liberè hoc poſſet facere, ne nimis ſoluta,& vacillans eſſet, alligauitque eam ori per quoddã frenum, quod ipſam continet ne labatur; quòd ſi huiuſmodi frenum maius ſit, quàm oportet, ita vt nimis linguam deuinciat, impeditur ne poſſit debitos motus in palatum agens vocem, vt deceret, dearticulare. vbi verò exiguum eſt hoc frenum, cognoſcitur, quia lingua eleuata videtur veluti nulli rei alligata.quemadmodum è conuerſo ſi frenum hoc nimium ſit, cognoſcitur, quia multum linguæ complectitur, atque ipſam arctè detinet,ne moueatur. Hæſitantia linguæ,ſeu ἰσχνοφωνία, quotieſcunque ſit à calore partis diminuto, cognoſcitur euidentiſſimè hinc, quia vbicunque loquuntur pacatè & tardè,ſemper maius impedimẽtum apparet. vbi verò alta voce,& vehemẽter loquuntur,tunc expeditiorẽ ſermonẽ habent; quia ex motu,& voce magna incaleſcunt muſculi linguã mouentes,& propterea faciliùs mouẽtur. Si balbuties fiat ex larga partiũ humiditate,cognoſcitur,quoniã ij ſomnolẽti ſunt, hebeti ingenio,nulla penè memoria,& dũ loquũtur,multũ ſemper ſaliuæ emittũt. Si vitiata ſit locutio vel ob defectũ dẽtiũ,vel ob labia mutilata,vel ob naris aliquẽ morbũ,cognoſcitur hoc faciliter ſuis ſignis.Muti,qui & ſurdi ſunt,nunquã curantur;& propterea ex miraculis,quæ fecit Saluator noſter,vnũ fuit quãdo curauit illũ mutum ſurdũ apud Marc. 7. Sed ſi mutitas, ſeu loquelæ priuatio oriatur ob nimiã reſolutionẽ muſculorũ factã à larga hmiditate, curatur huiuſmodi vitiũ non ſolũ opera medici,verum etiã interdũ ſpõte naturæ.nã relatũ eſt Maximilianũ Friderici Tertij Imperatoris filiũ vſque ad nonũ ætatis ſuæ annũ prorſus elinguẽ & mutum fuiſſe,ſed tamen beneficio naturæ non ſolũ ſermonẽ acquiſiuiſſe, verùm etiã fuiſſe eloquẽtiſſimũ.nã in ipſo exiſtimandũ eſt vitiũ originẽ duxiſſe ex larga humiditate, quæ ætatis progreſſu conſumpta fuit.Sic quando legimus varios vel ob timorẽ,vel ob irã dũ muti eſſent,ſermonẽ ſubitò acquiſiuiſſe, putandum eſt non caſu vllo,aut miraculo id fuiſſe factũ,ſed hac ratione,quia impedimentũ factum ab humiditate ſubtractũ eſt.Sic balbuties oris naturalis, quæcũq; ſit illa, difficilis eſt curatu;quẽadmodũ illa,quæ fit morbo aliquo aduẽtitio, nõ eſt ita difficilis curationis. Sed vt dixi de priuatione locutionis,quæ ſpõte naturæ curari poteſt,& curatur,ita de balbutie exiſtimandum eſt. Circa hoc, priuſquã curationẽ aggrediar,tria problemata occurrũt. Quorũ primũ eſt,cur dictũ ſit ab Hipp. 2. aph.32. balbos alui profluuio tentari.Secundũ,cur idẽ Hipp.2r.epid.in principio ſect.5.& 6.dixerit balbos bonos eſſe.nã Ariſt. quoq; in phyſiogn. ſcribit ſignũ moderati animi eſſe ſermonẽ grauẽ,

& tardum. Tertiũ,cur in iiſdẽ locis dixerit Hipp.balbos morbis melancholicis eſſe obnoxios;id quod etiã confirmatum eſt ab Auic.1.tertij tract.4.c.18.Nam hoc videtur ferè præter rationẽ,vt qui habent cerebrum humidiſſimum,cuiuſmodi ſunt balbi,tentari poſſint à melancholia,quæ eſt ſiccus humor. Ad primũ reſpondendũ eſt,non alia ratione,quàm vt interpretatur Gal.in com.illius Aphoriſmi, nimirum balbos neceſſariò habere aut humidũ cerebrũ,aut humidã linguam.Si humido ſint cerebro,excrementa pituitoſa præcipitata à capite in ventriculũ, & conſequẽter in inteſtina,faciũt alui fluorem;id quod etiã traditũ habetur ab Hip. in lib.de affecti-bus internis. Immo verò dicebat Auic.4.1.doct.5. c.5. etiã balbos propter hanc rationẽ ſæpè tentari cholerica paſſione.Si autẽ balbi tales ſint propter linguæ nimiã humiditatẽ,cùm lingua tunicã cõmunem habeat cũ ventriculo, neceſſariò habent & humidũ ventriculũ;humidi verò vẽtriculi familiaris affectus eſt alui fluor,vt dicit Gal. Ad ſecundũ dicendũ eſt,balbos propterea bonos eſſe,quoniam illi,qui ſunt prauis moribus,propterea ſunt,quia calidos,& ſiccos ſpiritus habent;propter quæ cùm animi eorũ celeriter moueãtur, fit vt rebus minimè,vt deceret, animũ aduertãt,vnde & prudentia carẽt,& cõſequẽter malis moribus ſunt,quo fit,vt in regionibus calidis & ſiccis verſutiſſimi,& praui ſint, in quibus etiam bruta immania & fera naſcuntur.cõtra autẽ fit,vbi ſpiritus humidi sũt,quia cùm celeriter moueri nõ poſſint,cúmq; animũ magis aduertãt,nec celeres motus habeant,iure fit,vt & moderatis animis ſint,atque etiã probis moribus.Difficilius autem omnibus eſt tertiũ & poſtremũ problema,ſcilicet,cur dictũ ſit ab Hipp.balbos melancholicos eſſe, & melancholicis morbis tentari;facit autẽ hanc rem difficiliorem Gal.auctoritas,qui 7.ſect.aphor.40.exponens ſententiã illam Hipp. qua ſcribit, ſi quis repentè linguæ incontinentis fiat,melancholicum eſſe,inquit ſe neſcire qua ratione lingua incõtinens melancholicũ indicet; & tandem quaſi & ipſe confugiens ad rerum proprietates,ſubiungit,forſan hoc eſſe,quia ſicuti ab humore melãcholico fit paroxyſmus quartanarius:ita quoq; à melancholia fit linguæ incõtinentia. Hanc ſententiã cùm difficilem quoq; videret eſſe Hieronymus Cardanus,vanitate quadã ingenij ſui dixit,apud Hip.pro linguæ incontinentia interpretandam eſſe procacitatem, & maledicentiam;quaſi illi,qui ſunt procaci lingua,& qui obſcœna loquuntur,ſint melancholici. Sed tantum abeſt Hipp. pro linguæ incontinentia huiuſmodi rem intelligere;vt ſi hoc dixiſſet, non minus vanus eſſet,quàm Cardanus. Nam Ariſt.qui penè iiſdem vocibus vtitur,quibus Hipp.dicit in pueris linguam fieri incontinentem propter humiditatem, & infirmitatem. Auic.1.tertij tract. 4.c.18.totam hanc cauſſam videtur attribuiſſe cordis calori;quaſi balbi omnes, qui ſunt cerebro humidiſſimo,ſint etiam corde calidiſſimo ;& propterea vbi cor calidiſſimum eſt, ex humiditate,in quam continuo agit calor,fieri humores melancholicos, & conſequenter vbi humores eiuſmodi abundant,facilè ſimul oriri melãcholicas ægritudines.Sed neque hæc ſententia Auicẽnæ problematis difficultatem tollere poteſt. primùm,quia neq; auctoritate vlla veterũ cõpertũ eſt,eos qui ſunt humido cerebro,ſimul eſſe corde calido;immo verò videretur contrarium eſſe debere, vt humidum immenſum cerebri quemcunq; corporis calorem retũderet.Sed dato etiã quòd balbi eſſent calidi corde,non eſt neceſſarium vt fiat humor melancholicus, quia poteſt fieri bilis flaua,quemadmodum ſæpè compertum eſt corde calido eſſe bilioſos.quamobrẽ mihi videtur omnibus aliis melius hoc explicuiſſe Ariſt.3.prob. ſect.30.quo in loco quærẽs cur hæſitãtes lingua ſint melãcholici,ſcribit melãcholicos omnes habere celeres motus imaginationis,& propterea balbos quoq; cùm huiuſmodi motus celeres habeant,melãcholicos eſſe.habere autem celeres motus balbos & hæſitãtes ait idem,quoniam cùm infirma ſint inſtrumẽta ipſius linguæ,

neque

neque poſſint animi conceptus exactè ſequi, fit vt motus animi ſemper anteuertāt motus linguæ, atque hinc fiat linguæ impeditio. Sed neque ex his Ariſt. verbis clarè colligi poteſt, cur balbi verè melancholicis morbis tententur, niſi etiam & illud addamus, quod balbi cùm non poſſint, vt optarent, & vt animus dictat, loqui, quaſi ſibi ipſis iraſcentes, & coram aliis loqui formidantes mœrent, qui mœror & timor non eſt dubiū, quin in ipſis melancholiæ prouentum magnū faciat, & conſequēter melācholicis ęgritudinibus illos ſubiiciat. Curatio locutionis vitiatæ adhibetur in pueris ſolùmodò, quando iam ſunt ablactati; eo quia ante illud tempus ſciri nō poteſt, nū quid ſit vitiata loquela, necne; & eo magis, quod ſæpè etiam contingit pueros vſq; ad ſextum & ſeptimum annum balbutire, & tamen ſpōte curari. quapropter vbi certum eſt morbum non eſſe ſponte finiendum, aggredienda eſt alacriter hęc curatio. Muti, qui ſimul ſunt ſurdi, omnino dimittendi. Sed ſi remiſſa fuerit loquela propter linguæ reſolutionem factam à nimia humiditate, eadem curatio adhibenda eſt, quæ in balbutie adhibetur; & propterea quando de balbutiei curatione tractabo, ſimul etiā habebitur curatio mutitatis. Si puer impediatur in ſermone propter nimiā freni colligantiā, omnis cura poſita eſt in ſola manuali operatione. Gal. quidem ſcribit conſueuiſſe obſtetrices vnguibus abſcindere illam membranā, quę frenum dicta eſt; ſed ſiue ſit propter imperitiam noſtrarum obſtetricum, ſiue ſit quòd interdū hæc ſola operatio nō ſufficit, opus eſt aliā operationē adhibere. Cornelius Celſus rei chirurgicæ peritiſſimus l. 7. c. 12. curationē proponit, quam etiam propoſuit Aëtius l. 8. c. 32. eſt autem operatio huiuſmodi, vt lingua eleuetur verſus palatū, ita vt tangat ipſum, deinde vncino leuiſſimo diſtendatur illa membrana; poſtea cultello acutiſſimo tota diſcindatur, ita tamē, vt venæ nullo pacto violētur. vbi hoc factum eſt, abluendum eſt os poſca, deinde inſpergendus eſt puluis māna, thuris: deinde curandū eſt vulnus, ſi opus ſit, vt cetera vulnera. addit vnum Cornelius Celſus, ſcilicet plerumq; ſtatim abſciſſa hac mēbrana loquelam reſtitui, interdū tamen non reſtitui; quia cùm perpetuū ſit, quod fieri debet, non eſt tamen perpetuū, quod ſequi conuenit. Ceterùm ſæpè vſu venit, vt ex vena violata inter incidendū, timeatur ſanguinis profuſio; quod dum timetur, monet, & prudentiſſimè, Auic. vt membrana ipſa non abſcindatur, ſed circa radicem acu perforetur, & ipſa acu deducatur filum, atque ita ligetur. nam hoc filum, ſi quotidie ſtringatur, breui, & blādè membranā illam amputat; atque hic modus iucūdiſſimus eſt. vbi verò inciſa eſt membrana, ne iterum coaleſcat, vel vnguento Ægyptiaco, vel pulueribus exſiccantibus reliquum membranæ conſumitur. In curāda autem omni balbutie diligenter ſpectandum eſt, quænam cauſſa præcipua ſit, quia ſi polypus naſi eam efficiat, ad illum curandum dirigi debet omnis cura. Si fiat ob labium mutilatum, nulla ſpes ſupereſt. Si fiat propter dentem exciſſum, hæc vnica ratio eſt, vt dens eburneus paretur, atque in loco deficientis ponatur, & reliquis dentibus alligetur, qui dens cū deinceps editur, aufertur. nam maximè inſeruit hoc remedium & pueris, atque etiā viris. Si factum ſit vitium hoc propter vitium cerebri, vel linguę, vel muſculorum, aut vitium oritur ex ſiccitate, aut ex nimia humiditate, & frigiditate. Si ex ſiccitate, vt contingit in febribus, & poſt phrenitides, danda eſt opera, vt omni ingenio humectetur & lingua, & initium ſpinalis medullæ. Ad humectandā linguam lactis mulieris gargarizati vſus vtilis eſt; vtile eſt etiam ſæpè linguam madefacere aqua maluæ, cui admiſtum ſit oleum amygdalarū dulcium; & ſi vnà in aqua coquantur folia nimphææ, maximū iuuamētum afferetur. ſpinæ, ſeu principio ſpinalis medullæ cōueniūt liniméta, quę poſſunt emollire partes illas. Rec. axungiæ porcinæ, aquæ maluæ lotæ, pinguedinis gallinæ an. vnc. 1. olei amygdalarū dulcium, nenupharini an. vnc. s. croci ſcrup. miſce, & in mortario fiat linimentum. Multo maius ſtudium

adhibendum eſt,vbi fit balbuties ex humiditate,& frigiditate linguæ, tū quia frequétiùs hoc vitiū accidit,tū quia vt expugnetur,opus eſt plurimis auxiliis,& quod dicam de huius curatione,idem putandū de mutis,qui fiūt ob reſolutioné à nimia humiditate.Scopus præcipuus in hac curatione eſt,vt lingua, cerebrū , ac muſculi mouentes linguam exſiccentur & calefiant; quia verò exſiccari poſſunt lingua & muſculi,præſertim vel ſi diſſipetur humiditas qua ſunt oppleti , vel ſi eadé humiditas in alias corporis partes deflectatur,eapropter omnibus his incūbendum erit, vt humiditates omnino exſiccentur.Ad hoc verò peragendū auxilia petéda ſunt & à materia diætetica,& à pharmaceutica,& à chirurgica.Primùm igitur,vbi curatio ſuſcepta erit,erit prouidendū,vt æger curandus maneat in aëre calido, & ſicco. & forſan ob hoc apud Herodotū,quando balbus ille conſuluit oraculū, qua ratione balbutiem ſuā curaret,reſponſum eſt ipſi,vt in Libyā iret regioné calidiſſimam,& ſicciſſimá.plus vigilandum, quàm dormiendum. De paſſionibus animi clarum eſt iram eſſe vitandam,quoniam,vt dicebam,relatum eſt multos ſola ira in balbutiem incidiſſe.Ceterùm de timore pulcherrima eſt quæſtio,nunquid medicus in curanda balbutie debeat amare,aut fugere timorem?nam ex vna parte eſt ratio, omnino fugiendum eſſe,quia non eſt dubium timorem frigefacere. quare dictum eſt à me alias timentes interdum balbutire. Sed ex altera parte habentur apud Hiſtoricos exempla,quibus ſolo timore pueros,atque etiam viros cùm prius muti eſſent, ſermonem acquiſiuiſſe fertur.nam narrat Pauſanias Battum quemdam mutum conſpecto in deſerto leone,maximo timore eſſe perculſum , & ſtatim loquelam comparaſſe.refertur etiam de Aty filio Crœſi,qui timens ne pater occideretur à Cyro, ſtatim conſpecto periculo ſermonem acquiſiuit. Quare cùm hæc,quæ referuntur, videantur naturali curſu nullo miraculo eueniſſe , videtur etiam poſſe interdum contingere,vt à medico excitata formidine curetur mutitas,ſiue balbuties.Problema hoc à nemine propoſitum ita ſoluendum mihi videtur; duplicem eſſe timorem, alterum à Græcis appellatum ἀγωνίαν,à noſtris trepidationem. alterum verò eſſe , qui à noſtris propriè timor , à Græcis φόβος dicitur. Trepidatio eſt , cùm homines aggreſſuri aliquam magnam rem , timent ; quod genus timoris eſt maius timore appellato ; in trepidatione, quemadmodum habetur apud Ariſtotel. 11.ſect.problemate 32.& 53.eſt veluti ſpecies quædam pudoris; vnde ſicuti in pudore partes circa pectus , & faciem valde incaleſcunt,vt iudicatur ex rubore, ſic, inquit ipſe , trepidantibus meritò fit calor circa pectus & circa faciem ; propter quem calorem vox grauis fit. In timentibus autem ſecus, quia in iis partes pectoris, & partes ſuperiores refrigerantur ; calor autem partes inferiores petit. Vnde dicebat Ariſtot.8.ſect.problem.4.illis qui timent , ſponte fluere ſemen,vrinam, & fæces, eo quia calor detruſus ad partes infernas illas huiuſmodi excretiones excitat.Hac itaq; reſolutione conſtituta,facile eſt hunc nodum ſoluere , ſcil.timorem ſimplicem non ſolū nō iuuare balbutiem,verùm potius augere;eo quod ab illo refrigeratur & lingua,& pectus,& partes ſuperiores,vt cognoſcitur ex pallore. Ceterùm trepidatio maximè iuuare poteſt & balbutiem , & mutitatem , quia calefacto pectore , & partibus ſuperioribus non eſt dubitandum poſſe tolli & humiditatem illam nimiam , & ſimul imbecillitatem , quæ oritur ex paupertate caloris natiui, vnde trepidationem hanc inducere pueris, omnino vtile eſſe poteſt. Exercendum eſt corpus, quantum fieri poteſt , præſertim verò exercenda eſt vox; & ſi quid eſt, quod poſſit prodeſſe balbis , & hæſitantibus , eſt continua locutio alta,& clara. habetur huius rei exemplum magni Demoſthenis,qui, vt narrat Plutarchus in eius vita,& in libello de decem Oratoribus, ſuperauit balbutié ſola vo-

cis

cis exercitatione, & contentione, nam dedit decem millia drachmarum Neoptolemo Hiſtrioni, qui illum docuit verſus plures vno ſpiritu proferre; ſcilicet vt iniectis in os calculis aſcendens, & currens verſus continuò proferret. Abſtinendum eſt, ſi viri ſunt, à Venere: pueris autem abſtinendum ab vſu balneorum; vnde matres, quæ balbutientibus pueris ſolent caput ſæpè abluere, malè agunt, cùm augeant humiditatem, & cauſſam huius vitij. Curandum vt aluus fluat quotidie, ſi non natura, ſaltem arte, abſtinendum eſt à vino, vel vtendum eſt eo paucifero, & in pauca copia. Vtendum eſt cibis aromatibus ſalitis, acribus eduliis, abſtinendum verò ab vſu paſtitiorum, à nucibus, à piſcibus; & vt vno verbo dicam, debet tota ratio victus exſiccare & calefacere. Qua ratione victus inſtituta puer erit purgandus. Primum enim, ſi aluus ſponte non fluxerit, erit liquanda hac potiuncula. Recip. foliorum ſaluiæ, betonicæ ana m.s. coriandri drach.1. foliorum ſenæ ſcrup.2. fiat decoctio ſecundum artem, deinde Recip. dictæ decoctionis vnc. 3. s. mellis roſati ſolutiui vnc.2. vel vnc. 2.s. miſce, fiat potus. Erit deinde corpus præparandum ad expurgationem. Recipe foliorum ſaluiæ, origani, ſtæchados ana m. s. fiat decoctio ſecundum artem: deinde Recipe dictæ decoctionis vnc. 3. oxymellis ſimplicis drach.2. ſyrupi de betonica, de ſtœchade ana vnc.s. miſce, fiat potus. Poſtquam præparatum fuerit corpus, expurgandum erit, & in hac expurgatione ſi licitum fuerit viti pillulis, erunt aliis medicamentis præferendæ. Recipe pillularum de hiera cum agarico ſcrup. 1. s. pillularum cochiarum ſcrup. 1. miſce, fiant pillulæ num. quinque, quæ vt facilius à pueris deuorentur, poterunt occultati vel in panatella, vel in aliquo iuſculo; ſed ſi pillulas recuſauerint, dabitur potiuncula hæc. Recipe agarici trochiſcati ſcrup. 2. caryophyllorum gran. 4. infundantur in aqua ſtœchados, vel betonicæ, deinde facta expreſſione adde diacatholicon drach. 3. mellis roſati ſolutiui vnc. 1. cum decocto cordial. fiat potus. Purgato corpore deinde prouidendum erit vt adhuc magis illæ partes vnà cum cerebro exſiccentur; & ad hoc agendum conueniunt medicamenta, quæ naribus attrahuntur, & ſternutationes. Recip. ſucci radicum betæ vnc. s. ſucci betonicæ vnc. 1. atque coriandrorum lib. s. miſceantur, & naribus attrahantur. Vbi pauliſper purgatum fuerit pueri corpus, prouidendum eſt, vt & caput & lingua continuo exſiccentur. Exſiccat continuò caput cauterium nuchæ factum, quo remedio in hoc genere nullum ferè inuenitur præſtantius; pari pacto ad exſiccandum caput, magnopere valent veſicatoria poſt aures adhibita, & diu conſeruata. Exſiccandæ linguæ confert, ſi illa fricetur modò melle, modò ſale, ſæpiſſimè verò ſaluia; quam vſu probatum eſt magnopere vtilem eſſe ad tollendam balbutiem. atque hic ſit finis eorum affectuum, qui ſpectant ad motricem facultatem.

De vitiis ſenſus communis.

CAPVT IX.

Reliquum eſt, vt ad ea tranſeamus, quæ pertinent ad ſenſus, & quia communis ſenſus alios antecedit & neceſſitate, & ſede, ab hoc primò incipiemus. Solent autem duo vitia pueris circa hunc ſenſum contingere, quæ omnia ad ſomnum, & vigiliam reducuntur. nam ſomnus in pueris vel nullo modo fit, aut paucus; & vigilia immoderata puerorum nuncupatur, aut fit alio modo quàm fieri deberet; In pueris quidem ſomnus nunquam fit moderatus. quandoquidem, vt dicebat Ariſt. de generatione animal. 1. fœtus quandiu in vtero manet, perpetuo quodam ſomno opprimitur; vbi vtero egreſſus eſt, maxima ex parte dormit, tū quia infans

memor eſt perpetui ſomni, quem habuit in vtero, tum quia corpus habet humidiſſimum. eſt inquam humidiſſimum infantis corpus, non ſolùm quia abundat multis humiditatibus, verùm etiam quia, vt dicebat Alexander 1. libro Medicin. problemate 2. partes eius ſolidæ humidiſſimæ, & molliſſimæ ſunt. quærens enim is eo in loco, cur ſenes, qui abundant humiditatibus, vigilantiſſimi ſint, pueri verò ſomniculoſi, inquit id icciro eſſe, quia etſi ſenes pluribus humiditatibus ſcateant, habent tamen ſolida capitis ſicca, infantes autem humida ea habent. Quare ex hoc diſcurſu colligi poteſt, à natura comparatum eſſe, vt infantes maximè dormiãt, & propterea ſomnos immenſos in ipſis minimè morboſos eſſe. Morboſi autẽ contingunt pueris ſomni, quando fiunt diuerſo ac prauo modo, atque aliter quàm fieri deberent. cùm enim ſomnus à natura animalibus ſit donatus, vt eo ſpiritus, & calor, qui in vigiliis conſumuntur, reficiantur, & recreentur; id vt fieri poſſit, neceſſe eſt ipſum tranquillum eſſe. igitur vbi turbatur ſomnus, proculdubio naturalis eſſe non poteſt, ſed morboſus eſt, atque hunc ſomnum turbatum in infantibus & pueris appellat Hippocrates 3. aphor. 24. sõnos terrificos. Raſes l. experimentorũ c. 6. appellauit proprio ingenio matrẽ puerorum. Eſt autem ſomnus hic perturbatus ſymptoma in genere actionum læſarum ipſius ſenſus communis. læſarum (inquam) deprauatè, eo quod vbi infantes pacatè dormire deberent, inſomniis quibuſdam terrificis vehementiſſimè turbantur. Sed priuſquam vlterius progrediamur, hoc in loco eximendus eſt ſcrupulus, qui forſan ingenia multorum turbare poſſet, eo quia Ariſtoteles 4 de hiſtor. animal. 10. ſcribit infantes ante quartum ætatis annum non ſomniare, & poſt quartum annum paucis etiam inſomnia contingere: quæ ſententia non ſolùm aduerſa eſt communi medicorum ſententiæ, verùm etiam quotidianæ experientiæ refragatur; quoniam compertum eſt infantes multo ante quartum annum ſomniare. Reſpondendum eſt, & nodus Ariſtot. ex ipſomet Ariſtot. ſoluendus, qui 7. de hiſtor. animal. quaſi corrigens priorem ſententiam, inquit ſomniare quidem infantes, ſed tardè inſomniorum memorias conſeruare; vt non ſit dubitandum, quemadmodum tradunt medici, turbari poſſe ab inſomniis infantes, tametſi ipſorum ſomniorum nullam apud ſe memoriam conſeruent. Symptoma hoc ſequitur ſuum morbum, qui morbus in ventriculo poſitus eſt, eo quia, vt copiosè docuit Galen. in com. aphor. 24. lib. 3. fiunt iſti pauores in infantibus nõ ob aliud, niſi proper debilitatem ventriculi, atque oris ipſius inſignem ſenſum; propter quæ omnia corrumpuntur cibi, & ex iis corruptis fiunt iſti pauores. Modum autem, quo fiunt, præclarè propoſuit nobis Auic. li. 1. tract. 3. doct. 1. c. 3. vbi ſcribit ex corruptis cibis in ventriculo triſtitiam oriri, cuius phantaſmata deferuntur ad imaginationem, quam neceſſariò deterrent, & conſequenter faciunt inſomnia terrifica; quæ nihil aliud ſunt, quàm operationes imaginationis circa phantaſmata à ſenſibus oblata. Nec refert quidquam quod Gal. ſcripſerit ſemper ita fieri: Auic. verò vt plurimum; quoniam hic ſpectauit totam ætatem puerilẽ, in qua forſan & ob alias cauſſas poſſunt hæc inſomnia contingere. ille autem ſolummodo infantilem ætatem. Cauſſa interna itaque eſt corruptus cibus in ventriculo; externa verò, vt Galenus afferit, lac, aut cibus, qui ſcilicet copioſior ſumatur, quàm par eſt, ſiue ſit eius naturæ, vt difficiliter conficiatur in ventriculis infantium, & puerorum, ſeu facilè corrumpatur; & corruptus acrimoniam quamdam acquirat, merito cuius vellicetur, & veluti mordeatur os ventriculi; ita vt duo affectuum genera exinde videantur oriri in ventriculo, nimirum ſolutio continui, & intemperies, quæ facit imbecillitatem, à quibus poſtmodum, quemadmodum dicebam, oriuntur triſtia illa phantaſmata; vt etiam ſit hæc vera ratio, qua

ductus

ductus Galenus 6. libro de placitis Hippocratis & Platonis, & 2. de acutis tex. 45. dixerit homines fieri triſtes, & turbatos, quotieſcunque ventriculus grauatus eſt. Cognoſcitur autem hic affectus eo potiſſimùm ſigno, quoniam infantes inter dormiendum gemunt,concutiuntur; excitati verò vociferantur,clamant, nec vlla ratione ſedari poſſunt.adhæc color ipſorum preternaturalis eſt,pariter etiam & calor;ab ore fœtidus manat halitus, quo ſæpè decipiuntur mulierculæ, exiſtimantes illud eſſe indicium vermium,cùm tamen non ſit.Galen.loco citato 3.aphor.ſcribit ſeſe obſeruaſſe huiuſmodi affectionem etiam in prouectioribus fieri, quod quidem veriſſimum eſt, & ſoleo ego dicere huic affectui infantium proportione reſpondere affectum illum, qui fit in prouectioribus, & qui incubus nuncupatur; ita vt ſicuti incubus in adultioribus paſſio grauis eſt, quippe quæ ſit veluti anteſignanus apoplexiæ, ſic ſomnia iſta terrifica ſoleant eſſe argumenta epilepſiæ, & aliorum prauorum morborum. Ex quo ſicuti incubi habenda eſt ratio, pari pacto ſtudendum eſt, vt quamprimum huic affectui occurratur. Ratio verò occurrendi poſita eſt in hoc potiſſimum, vt diligenter proſpiciatur, nec cibi, aut ſucci ventriculo corrumpantur; & quia contingit corruptio tum propter ventriculi imbecillitatem, tum maximè propter errorem alimenti; primùm incumbendum eſt, vt omnis error alimenti euitetur; & ideo ſi puer lactens ſit, diligenter perſpiciendum erit, numquid nutrix ſit proba, vel improba. quæ ſi fuerit improba, mutanda eſt: ſi probæ nutricis habeat notas, exiſtimandum eſt lac vitiatum eſſe aliqua ratione, aut ab ipſa plus offerri, quàm par eſt. Si plus offeratur lactis, ſtudendum eſt vt parciùs mammas porrigat. Sed ſi vitium ſit in lacte, cùm non habeat illud vitium ex nutricis intemperamento,neceſſarium eſt coniicere lac vitiari propter errores vitæ. eapropter prouidendum erit, vt nutrix optima ratione viuat, atque ea, quam ſæpius docui, quæ ſcilicet ſuccum, & lac inculpatum producere poſſit. Pari pacto ſi puer ablactatus ſit, videndum eſt an plus comedat quàm par ſit, an verò prauis eduliis nutriatur. Vtrum fecerit, prouidendum eſt, ne amplius vel in copia,vel in qualitate erretur.Id autem fiet,ſi fructus,cibos duros & graues, nimis calidos,potum vini præſertim meracioris fugiat. Sed quia nō ſolet ſufficere victus ratio ad affectum iam productum tollendū, opus eſt vt cibi corrupti è ventriculo & inteſtinis tollantur. Ad quod agendum laudat Raſes loco citato, atque Auicen. vt mel deglutiendum detur infanti, quod ſua facultate deterſoria aluum eius mouet,& quidquid corrupti iuuenit in ventriculo,& inteſtinis ſecum defert.Si mel non poſſit adminiſtrari,glandes erunt ſubiiciendæ vel ex ſapone, vel ex axungia porcina, vel ex melle. Vtilis eſt & clyſter huiuſmodi: Recipe ſeri vnc.6.vel 8. mellis communis vnc. 1.s.ſalis ſcrup.1.miſce,fiat clyſter,qui maximè poteſt abluere inteſtina,& humores corruptos ducere. Si verò ſit grandiuſculus,poterimus nō ſolum vti vel melle, vel clyſteribus, vel glandibus,verùm etiam hiera, quam laudauit mirificè Galenus ad educendos è ventriculo cibos corruptos. Vbi euacuati ſunt cibi, & ſucci corrupti, relinquitur vt proſpiciatur imbecillitati ventriculi & extrinſecus, & intrinſecus. Extrinſecus quidem ſunt inunctiones, fomentationes, quæ fiunt ex abſynthio, roſis,& vino. Sunt etiam cerata, cuiuſmodi eſt iſtud.Recipe foliorum abſynthij drachmam 1. s. polij montani drachmam 1. ſchœnanthi, ladaniana ſcrupulum 1. s. myrrhæ, aloës ana ſcrupulum 1. terantur diligenter, & cum cera, ac modico terebinthinæ fiat ceratum, quod & ventriculo, & vmbilico apponatur. Extrinſecus vtile eſt geſtare collo appenſum corallum rubrum, quem experientia comprobatum eſt ſecreta qualitate corroborare ventriculum, ſi illum extrinſecus tangat. Vnde non malè faciunt ma-

tres,

tres, quæ puerorum colla, & pectora corallis ornare ſolent. Intrinſecus laudat Raſes confectionem diapliris arcont. laudat etiam ſi diamuſci ſcrup. s. infans deuoret, vel ſi tantundem theriacæ magnæ ſumat. Poteſt etiam parari aliqua rotula, quæ ventriculum pueri confirmare poſſit, exempli gratia. Rec. ſpecierum diamuſci ſcrup. 1. diacalamenti ſcrup. 1. s. ſacchari, & aquæ roſaceæ quantum ſufficit, miſce, & fiant rotulæ paruæ, quarum ſingulo mane poterit vna præberi, & paullo poſt exhiberi lac; aut ſi ſit ablactatus, modicum brodij, vel vini. nam aduertendum huiuſmodi rotulas eſſe in puluerem redigendas, & infantibus, vt monebat Raſes, vnà cum lacte exhibendas.

De immodica puerorum vigilia.

CAPVT X.

Sicut in ſomno, quamuis immenſo, pueri nunquam morboſi fiunt; ſic vbi ſomnus exiguus eſt, vel nullus, neceſſarium eſt ipſos ægrotare, idque cum viris perniciofum iudicetur, non eſt dubitandum multo magis in pueris nocere; quos, vt nuper dicebam, natura comparatum eſt ſomniculoſos eſſe. Cùm igitur pueri neque motu, neque cantu, neque pannorum mutatione, neque vlla alia diligẽtia poſſunt ad dormiendum cogi, fit in illis ea præter naturam affectio, quæ appellatur immodica vigilatio. Diuerſus tamen eſt hic morbus à vigiliis adultiorum. quoniã abſurdum eſt exiſtimare poſſe hunc in infantibus oriri ab ea cauſſa, nimirum propter ſiccitatem, à qua fiunt vigiliæ in adultioribus. Eapropter iure hoc conſtitutum fuit ab omnibus medicis, vbi infantes nimium vigilant, id non aliunde profiſciſci, quàm à corruptis cibis in ventriculo, à quibus cùm vapores acres iugiter in cerebrum ferantur, ij membranas pertundentes ſomnum impediunt. Sed dicet aliquis, cùm & ſomnia terrifica, & immoderatæ vigiliæ fiant ob corruptos in ventriculo cibos, quæ cauſſa eſt, quòd non ſemper vel vigiliæ, vel inſomnia producantur? Facile eſt huiuſmodi diſcrimen intelligere, quoniam vbi à corrupto cibo non feruntur vapores, ſed triſtitiæ phantaſmata, quæ ſolam imaginationem percellunt, efficiuntur inſomnia terrifica. vbi verò vapores efferuntur, atque illi acres, cùm ſõnus impediatur, non inſomnia, ſed vigiliæ ſuboriuntur. Non autem eſt opus ſignis, vt hęc affectio in infantibus cognoſcatur; quia ferè ſemper aut plorant, aut clamãt, nunquam dormiunt. Malum verò eſt hoc ægritudinis genus, nõ tantũ, quia Hipp. 2. aphor. 3. dicebat ſomnum, & vigiliam, ſi modum exceſſerint, mala eſſe, verũ etiã, quia eſt affectio valdè diſſentanea naturæ infantium, & iccirco danda opera eſt, vt omnino hæ vigiliæ tollantur. Poſita autem eſt tota curatio in eo potiſſimũ, vt ventriculus corrigatur, quo cibos non corrumpat, tum vt omni arte ſomnus procuretur. Pro vtriſque autẽ conſequẽdis magni intereſt lacti in primis proſpicere, vt ſcil. quemadmodũ dicebã, & debita menſura præbeatur, & illud ſit debitis conditionibus præditũ. Vnde nutrienda eſt nutrix cibis optimi ſucci, præſertim verò lactucis, ſeminibus papaueris, amygdalis dulcibus, & id genus, quæ ſomnum conciliare apta ſunt. à vino præſertim generoſo abſtinendũ erit, tum ſæpe curandum, vt puerorum corpora mundẽtur, ac abluantur, vt dum clamant, vel motu, vel cantu demulceantur. nã vt obiter doceã, refert Seneca in lib. de prouidentia, Mæcenatem tribus annis integris ſine ſomno permanſiſſe, & tandẽ ab hac ægritudine liberatum eſſe ſola placida & leni harmonia. Vẽtriculo & linimẽta, & vnctiones, & fomentationes, vt monebã, erũt adminiſtrãdæ. Puero verò extrinſecus diapopuleõ tẽporibus inũgatur, ſuccus etiã alterci cũ oleo violato, ſuccus papaueris. Solent quoq; mulieres ad-

uerſus

uerſus hanc calamitatem vti confectione quadam, quæ vocatur requies Nicolai, qua vtendum ſaltem erit quando ſumma cogit neceſſitas. nam ore ſumitur, vbi autem hoc modo nimis frequenter exhibentur hæc opiata, ſolent & corporibus officere, & ingenium puerorum mirificè retardare.

Caput de Siriaſi.

POſtularet hic locus,vt vitia ſenſus auditus, & viſus proſequerer; ſed quia nihil ferè peculiare habent infantes in his morbis, ſatius eſſe duco tranſire ad vitia capitis quæ pertinent ad facultatem naturalem, quæve ſæpius pueros infeſtare ſolent, & quodam modo illorum propria videntur eſſe. ſunt autem huiuſmodi vitia vt plurimum intemperies,& inter has vna eſt, quæ infantes, vt dicebat Alexander 1. problem. medicam. 98. etiamnum perfector exercere ſolet, & vocatur à Græcis σειρίασις. Alexander loco citato appellat καῦμα. Plinius imitatus Græcos appellat modò ardorem capitis, modò deuſtionem. Auicennas de hac tractat ſub nomine eryſipelatis cerebri. Raſes prim. continentis nuncupat σφάκελον. Sed nolo prætere vnum circa hoc nomen σειρίασις.nam Aëtius lib.4.c. 13.vult hanc ægritudinem propterea vocatam eſſe σειρίασιν, quia, vt videbitur ſuo loco, fit in hac ægritudine quædam fouea in ſyncipite infantis. à Græcis autem fouea vocatur σιρός, atque inde ſiriaſis. alij voluerunt σειρίασιν vocatam eſſe à ſirio aſtro, hoc eſt, à canicula, quòd ſcilicet,vt ſcribit Alexander, tunc temporis hæc ægritudo potiſſimũ gignatur. Non deſunt etiam, qui exiſtimant hunc morbum eſſe illum, quem Plautus appellat morbum ſolſtitialem, quo ſcribit tempore ſuo conſueuiſſe perire Syros omnes, id eſt, ſeruos, qui è Syria veniebant. Sed vtcumque ſit, Aëtius loco citato, & Paullus Aegineta lib. 1. cap. 13. definiunt hunc morbum eſſe inflammationem partium,quæ ſunt circa cerebrum,& membranas.ex quorum ſententia patet hunc affectum eſſe morbum in magnitudine: vel,ſi loqui placet ſecundum Galeni conſuetudinem lib. de differentiis morborum cap. 5. eſſe intemperiem cum affluxu materiæ. locum verò affectum eſſe cerebrum ex eo demonſtrat Alexander, quoniam medicamenta refrigerantia cerebro adhibita hunc morbum tollunt. Et quia dixi eſſe intemperiem cum affluxu materiæ, nonnihil diſſenſionis inuenio inter medicinæ ſcriptores in docendo,quodnã ſit genus huius materiæ. Alexander loco citato ſcribit propterea ſiriaſim oriri tempore æſtatis, quoniam capita infantium pituitoſiſſima ſunt, propter quod pituita ipſorum facilè ſub imenſo aëris calore putreſit; qua putrefacta fiunt ardores,febres ardentes, & alui fluxus. Ex quo loco colligitur ſecundum Alexandrum hanc materiam eſſe pituitam, vel humorem pituitoſum. Contrà Arabes ferè omnes ſtatuunt hanc materiam eſſe bilem, non quidem bilem illam deuſtam, ſed mitiorem. atque hanc ſententiam confirmare nituntur ex calore,ex dolore, & ex vultus pallore, quo infantes ſub hac ægritudine afficiuntur. Dicendum eſt pro hoc diſſidio tollendo, materiam, quæ verè facit hunc morbum, neque eſſe veram pituitam, neque puram bilem. Non eſt vera pituita, quia illa frigida, & humida eſt; humiditates autem puerorum ſunt calidæ. quod cùm intelligeret Alexander 1.problem.2. dicebat ſenes caneſcere,quia abundant pituita; non caneſcere pueros,quia in iis pituita, quæ eſt frigida,& humida, non abundat. Non eſt etiam vera bilis, quia in capite humido, & penè aqueo excogitari non poteſt, quomodo calor ante morbum, vel etiam in ipſo morbo poſſit humorem feruidiſſimum producere. Quæ ergo eſt materia? Eſt humor, qui dum putreſit,quodam modo adumbrare videtur naturam bilis, non quòd ſit vera bilis,

aut

aut vera pituita. Cauſſæ externæ ſunt aër æſtuoſus, percuſſiones, caſus, ſac.nam, ſicuti dicebat Lucret.in lib.1.de natura fœtus, teneros caprarum dementari à lacte mero: ſic non eſt dubitandum tenera cerebella infantium à lacte nutricis magnopere percuti, & offendi. Cognoſcitur hic morbus, quoniam in ſyncipite apparet fouea facta,propterea quod ardor inflammationis exſiccat cerebrum, quo exſiccato craneum deprimitur ſuo pondere, & cauitatem facit. adhæc oculi caui ſunt. eadem ratione ardor totius corporis, adeſt febris continua, pallor vultus. addit etiam Alex. imbecillitatem quandam, vigilias, & alui fluorem. Ceterùm malum hoc grauiſſimum eſt, & ſi eſt illud idem, quod Hipp. 7. aphor. aphor. 50.appellat cerebri ſphacellum, proculdubio exitialiſſimus morbus eſt, quippe qui ſoleat infantes triduo iugulare; & Hippocr.inquit,ſi triduum tranſierit, ſpem eſſe ſalutis, quamquam in coacis prænotionibus dicat etiam ſeptima die hunc morbum infantes perimere. Curationis ratio in duobus potiſſimùm conſiſtit, in refrigeratione, & in materiæ fluxæ diſſolutione. Ad refrigerandum hanc cerebri intemperiem operæ pretium eſt diligentia vti,quò nutrix ſolam aquam bibat,& iis cibis vtatur, qui maximè refrigerare poſſint, vt eſt ptiſſana cum emulſione ſeminum papaueris, brodia ex lactuca, & endiuia; præſertim verò in aëre frigido nutrix,& infans tenendi, atque ſimul in ſumma quiete & animi, & corporis. Vſus pharmacorum omnino inutilis,& pernicioſus eſt, quòd ſi tamen aluus pueri non reſpondeat,ſubducenda eſt vel glande communi, vel clyſtere facto hunc in modum. Recip.ſucci ptiſſanæ vnc.3.ſeri caprini, vel qualiſcunque vnc. v.ſacchari rubei vnc. s. miſce. Extrinſecus laudant ferè omnes vitellum oui cum oleo roſaceo, exempli gratia; Recipe vitellum oui crudum num.1. olei roſati vnc.2. ſuccus quoque Heliotropij mirificè commendatur & à Dioſcoride,& ab aliis;conuenit etiam ſuccus ſolatri, lactucæ; ſed præſertim ſuccus citrullorum, qui melones ab Arabibus vocantur,& ſuccus cucurbitarum.nam poterunt capi cortex citrullorum, & caro cucurbitæ, atque ſimul conteri,deinde ſuccus exprimi, necnon folia lactucæ in hoc ſucco immacerari,ac deinde capiti ſuperponi.& ſi deſint folia, loco ipſorum panni ſubtiliſſimi linei capi poterunt. Sed duo debent obſeruari. Vnum eſt, vt non tranſeantur hæc remedia refrigerantia, quia periculum eſt, ne vitantes ardorem incidamus in glaciem, hoc eſt, ne ex graui morbo fiat alter grauior. Aliud obſeruandum eſt,vt hæc medicamenta,quemadmodum omnes monent,aſſiduo mutentur, atque ſemper vel tepida tempore hyemis, vel frigida actu tempore æſtatis vſurpentur; eo quòd ſi diutius detineantur, ſolent exſiccare, & incaleſcere, vnde poſtmodum tam obſunt, quàm iuuant. Ad diſſoluendam materiam fluxam, vbi ſedata erit inflammatio, erunt omnino auferenda medicamenta refrigerantia, & loco ipſorum vtendum erit primùm quæ modicè diſcutiant, deinde quæ paullò efficacius; exemplum primi hoc eſt. Recipe vitellum oui numero 1. olei chamæmelini vnc. 2. miſce. exemplum ſecundi. Recipe florum chamæmeli p.j. foliorum pulegij, anethi ana m. s. furfurum in petia ligatorum p. s. fiat decoctio ſecundum artem: deinde Recip. dictæ decoctionis lib. s.olei chamæmelini, anethini ana vncias 1. conquaſſentur omnia diligenter, deinde adhibeantur tepida capiti.

De Coryza, tuſſi, & anhelitus difficultate.

CAPVT XI.

CApitis intemperiem ſequuntur nonnulla alia ſymptomata, quæ ab Hipp. 3. aphor.34. inter affectus puerorum numerantur; atque ea ſunt coryza, tuſſis, & anhelitus difficultas. nec ſolum Hipp. verùm etiam Ariſt. 1. problem.16. ſcribit, pueros tentari frequenter coryza,profluuio ſanguinis è naribus, & pediculis.Sunt autem omnes hi affectus ſoboles, & effectus deſtillationis. Sed forſan curioſum aliquod ingenium intelligere optabit, an quemadmodum dicebat Socrates 3. de Republica, deſtillationem tempore ſuo fuiſſe nouum morbum,& non niſi tempore Homeri innotuiſſe; ſimiliter deſtillatio puerorum eo tempore fuerit noua ægritudo. Breuiter puto ego huiuſmodi ægritudinem ipſis pueris ſi non naturalem, ſaltem perfamiliarem ſemper fuiſſe, quandoquidem conſequitur penè naturale omnium puerorum temperamentum. Illud quidem verum eſt, magnopere referre parentum morbidum ſemen; quia ſicuti tempore noſtro infantes, qui oriuntur ex parentibus deſtillationi obnoxiis, mirificè hac ægritudine ſollicitantur, pari pacto veterum tempeſtate cùm homines minus deſtillationibus tentarentur,erat rationi conſentaneum pueros etiam multo minus tentari.Itaque deſtillatio cùm ſit defluxus materiæ pituitoſæ in ſubiectas partes,ſi ad nares materia fluat, fit ille affectus, qui vocatur coryza; ſi ad partes pectoris deſcendat, & à ſpiritu exeunte repellatur, fit ille motus,qui tuſſis vocatur. Sed ſi eadem materia magna ex parte in pulmones præcipitetur,& vias ſpiritus obſtruendo,& corpus pulmonis grauando, anhelitus difficultatem inducit. rarò autem hæc materia facit in pueris raucedines, propterea quòd lactentes, vſu lactis aſſiduo detergunt fauces, neque ſinunt in illis partibus pituitam firmari. in adultioribus autem fit etiam rarò raucedo, quoniam ſecundum partes illas pueri valdè calidi ſunt,cuius caloris ratione facilè exſiccatur pituita in illis partibus. Sunt verò hæc omnia,vt dicebã, ſymptomata partim in genere excrementorum mutatorum, partim verò in genere actionum læſarum. Morbus autem quem conſequuntur,nullus alius eſt, niſi intemperies ſemper humidiſſima cerebri,interdum frigida,interdum calida.Frigida eſt,quoniam,vt dicebat Rhaſes in practica ſua, infantes cùm trahant aërem conſueto frigidiorem, neceſſariò ipſis cerebrum refrigeratur.Calida autem fit intemperies in pueris propter varias cauſſas. Primùm, ob proprium temperamentum, quod calidiſſimũ eſt: deinde, ob externas cauſſas, quæ æquè poſſunt intemperiem calidam, atque frigidam producere.Inter externas eſt aër frigidus, atque etiam calidus, ignis, fumus, integumenta nimia,præſertim capitis. & in hac re frequentiſſimè errant nutrices, quæ plus nimio calefacientes capita infantium, & integumentis,& igne, occaſionem præbent deſtillationibus validiſſimis. ſic etiam nutricum importuna ingluuies, præſertim verò crapulæ frequentes puerorum deſtillationes faciunt. Iacobus de partibus in com. ad caput Auicennæ 3.doctr.1.Fen. 3. primi libri ſcribit, Galenum in commen. aphor. 24. lib. tertij tribuiſſe cauſſam tuſſis infantium lactis nimiæ ſumptioni, quaſi lac ſtauſtum vehementi impetu prorumpat etiam in aſperam arteriam. Sed hæc ſententia non habetur eò in loco à Galeno, neque etiam mihi videtur digna, vt adferatur; quia illa tuſſis quæ fit ex lactis hauſtu, non eſt morboſa, neque opus habet medici induſtria, quandoquidem ſponte curatur, vt vna,

vt vna, vel altera vice ſolo lactantis ſtudio extinguatur. Ceterùm facile eſt cognoſcere pueros hiſce ſymptomatibus oppreſſos; ad cognoſcendum autem materiam peccantem, vtrum frigida, an calida ſit,opus eſt aliquibus ſignis.nam ſi calida ſit, frequenter ſtrenuunt infantes,color vultus floridus eſt,fauces rubent, & dū mammas ſugunt, eas magnopere calefaciunt, vt referant ipſæ nutrices ſe calorem ſentire. Contra, ſi materia frigida ſit, rariſſimè ſternutationes fiunt, nulla coloris vultus mutatio,nullus calor in ore percipitur.Malum hoc ſalutare eſt,ſed ſi negligatur,quod quidem fit & à nutricibus,& à pueris,ſolet interdum non ſolùm aſthmata, verùm etiam ramices, ſeu hernias, atque alia mala producere, præſertim verò ſolet mortem interdum adferre. quapropter diligenter infantes ſunt ab hoc morbo vindicandi; & tota curationis ratio in his poſita eſſe videtur, vt prouideatur ne materia fluat ad partes infernas,& vt,quæ fluxa eſt, omnino educatur:deinde vt cerebri intemperamentum corrigatur, quæ omnia vt præſtari poſſint, quod ſæpiſſimè dictum eſt, magna diligentia adhiberi debet,vt ſi infans ſit lactens, nutrix omnino & ſeipſam & puerum cuſtodiat ab omni aëris exceſſu, ab igne, à fumo; præſertim autem dimittat vſum vini, vel eo parciſſimè vtatur. Sic etiam cibos omnes vitet,qui flatulenti ſunt,qui craſſos ſuccos gignunt, & qui caput percutere ſolent: vt ſunt aromata omnia, & ea ciborum genera, quæ cum aromatibus condiuntur. & aduertendum eſt, licet vbi materia calida eſt, poſſint concedi aliquantiſper & aromata, & calidiores cibi; verùm tamen hoc parciſſimè agendum eſſe,eo quia omnia, quæ petunt caput, tum materias calidas, tum frigidas eliquare, & fundere apta ſunt; materiæ verò fuſæ,& liquatæ omnes has ægritudines, atque etiam alias plures inducere poſſunt. Cùm, vt memoriæ mandauit Auicennas, deſtillatio ſit mater omnium ægritudinum. atque quod dixi faciendum eſſe in nutricibus, eadem ratione faciendum eſt in pueris ablactatis: qui ſæpe importuna viuendi ratione & grauedines,& tuſſes, & anhelitus difficultates, ſi non inſanabiles, ſaltem valde diuturnas reddunt. Præter victus rationem ſunt alia remedia,quæ partim ad retinendum fluentem materiam, partim verò ad conſumendam iam fluxam conducunt. Paullus Ægineta lib.1.cap.7.cuius auctoritatem produxit Auic. loco citato, ſcribit ad conſumendam humiditatem capitis prodeſſe, ſi capita puerorum perfundantur aqua calida; quaſi hoc ſit efficaciſſimum remedium ad deſtillationes, & tuſſes puerorum finiendas. Sed pace Paulli & Auicennæ huiuſmodi conſilium mihi probari non poteſt, quia calida aqua affuſa ſi nimium calida ſit, offendit,quoniam & materias magis liquat, & ſenſus infantis imbecillos vehementer percutit. Si autem tepida ſit, clariſſimum eſt eam magis relaxare, magis humectare, & conſequenter ægritudinem augere. Puto autem Paullum hac in re deceptum eſſe,forſan ex malo intellectu ſententiæ Hippocratis, atque Galeni,qui 5.aphor. 22.dixerūt calidam capiti affuſam κεφαλαγίαν,id eſt,capitis grauitatem tollere. & Galenus interpretans ſententiam Hipp. dicebat, calidam affuſam capiti diſſipare & conſumere graues humiditates, à quibus capitis grauitas inducitur. Sed multum differt & capitis grauitatem curare, præſertim in viris, & curare vel tuſſes, vel grauedines, vel difficultates anhelitus in pueris. quocirca ſi eſſet aliquid capiti adhibendum in hac curatione, potius adhibenda eſſent ea, quæ cutim blandè exulcerant. quoniam ſicuti videmus vlcera in capite ſponte nata pueros à ſimilibus ægritudinibus vindicare, ſimiliter rationi conſentaneum eſt vlcera arte facta poſſe eaſdem curare. Ad euacuandā materiam,& diuertendam confert, vt aluus infantis ſit ſoluta, quod fieri poterit vel glande, vel clyſtere. Vomitus etiam maximè conducit ad euacuandam pituitam, quæ & fluit, & fluxa eſt,

eſt. ac propterea Paullus, Auic. & omnes iure ad excitandum vomitum, & eūacuandam materiam,laudant, vt digito melle intincto lingua pueri deprimatur, atque ita vomere quodam pacto doceatur. Sic multa alia ſunt propoſita à medicis, ad euacuandam huiuſmodi materiam, cuiuſmodi eſt mel violaceum cum puluere ocimi, exempli gratia:Recipe mellis violati vnc.1. pulueris ocimi drachm. 1. miſceatur, & ponatur in ore infantis, deinde mamma porrigatur. hoc enim debet eſſe perpetuum,vt quotieſcunque puer debet ore aliquid ſumere, ſtatim eo accepto porrigatur mamma. Mel ſimplex cum ſeſamo etiam laudatur.Raſes in materia frigida laudat myrrham cum melle; in materia autem calida poterit hoc vſurpari: Recipe ſeminum papaueris albi drach.1.tragacanthi drach.s.ſeminum cucurbitulæ drach. 3. contundantur omnia, & cum decocto ſebeſten fiat liquor. Sic diatragacanthum, quod nos parari iubemus cum ſucco farfaræ, frequenter vſurpatum ad tuſſes finiendas mirificè valet. Vſus autem eſt, vt in puluerē redigatur, & pulueris ſcrup. s. miſceatur cum modico mellis violati, atque ita infanti lambendum porrigatur. Valet enim ad tuſſim ſedandam, & ſi difficultas anhelitus aderit, poterit adminiſtrari loco mellis ſyrupus de hyſſopo. Extrinſecus etiam cura gerenda eſt, vt totus thorax infantis mollis conſeruetur, quo poſſit dilatari, & inſeruire eductioni materiæ. quare optimum erit vel butyro aqua maluæ loto, vel oleo amygdalarum dulcium,aut amararum & pectus, & dorſum inungere; immò verò poterit etiam offerri ad deglutiendum ipſi puero oleum amygdalarum amararum, ſi ſuſtineat, aut amygdalarum dulcium.

De dolore, & humiditatibus aurium.

CAPVT XII.

INter morbos pueriles numeratur ab omnibus medicis aurium dolor,qui à Græcis vocatur ὠταλγία. Hippocr. 3. aphor. 24. numerat etiam aurium humiditates. Eſt autem dolor iſte triſtis quædam ſenſatio, quæ partes circa meatum auditorium vehementer afficiat. afficit autem vehementer eo quia aures totæ ferè ſunt nerueæ; & quemadmodum dicebat Hipp. in lib. de affectibus internis, cruciatus podagræ fieri acerbiſſimos propter multitudinem neruorum illius partis: pari pacto dicendum eſt dolores aurium eſſe atrociſſimos, quoniam hæ partes maximè nerueæ ſunt. Sed video dubitari,ſi nerueæ ſunt aures, qua ratione Ariſtot. 32. problem.ſcribat ipſas eſſe partes calidiſſimas,atque iccirco maximè omnium corporis partium eſſe coloratas, & rubore ſuffundi? Dicendum eſt, aures poſſe conſiderari & ſecundum partes internas, & ſecundum externas. Secundum partes internas frigidæ ſunt, ſecundum externas calidæ; quoniam hæ partes & cartilaginoſæ, & carneæ ſunt.& de his loquebatur Ariſt.quando dixit,aures eſſe calidiſſimas.Cæterùm humiditates aurium ſunt ſymptomata in genere excremētorum mutatorū, quæ oriuntur propter vitiatam coctionem cerebri. Vitiatur autem coctio ob intemperiem valdè humidam cerebri puerorum. Dolor verò ſymptoma eſt in genere actionum tactus deprauatarū. Læduntur autem iſtæ actiones propter morbū communem,nimirum ſolutionem vnionis, & propter intemperamentum, quod plerumque cum materia eſt,quæ non ſolùm fouet intemperiem,verùm etiam continui ſolutionem efficit. Cauſſæ internæ & contentiuæ harum affectionū ſunt ipſi humores,aut alia corpora,vt humores,ſeu humiditates variæ,pituitoſæ præſertim,

& biliofæ: pus; ſeu ſanies: flatus, & vermes, nam hæc omnia corpora intra aures detenta magnopere ipſis nocent, vt dicebat Hipp. in lib. de glandulis. Sed priuſquam vlterius progrediamur, duo occurrunt dubia circa has cauſſas, cognitione digna. Vnum eſt, quoniam Gal. exponens verba Hipp. 3. aphor. 24. quærit quam ob cauſſam Hippocr. inter morbos pueriles recenſeat ſolas humiditates aurium, non autem humiditates palati, & narium; & reſpondens, inquit, hoc ideo factum eſſe à ſapientiſſimo ſene, quoniam excretiones humiditatum per nares, & per palatum naturales ſunt, excretiones autem per aures morboſæ. Fauere poteſt auctoritati Galeni etiam auctoritas Hipp. in libello de ſtructura hominis, in quo recenſens vias, per quas natura excernit excrementa, nominat & oculos, & nares; aurium autem nullam mentionem facit, vt eo loco videatur prætermiſſa excretio per aures, quod non ſit excretio naturalis, vt dicebat Galenus. Sed aduerſus ſententiam Galeni eſt alia Hippocratis auctoritas, qui in aureo illo libello de glandulis enumerans vias excretionum naturalium, dum loquitur de auribus, explicitè dicit, excretionem per aures eſſe ſecundum naturam. Facit etiam aduerſus Galenum ratio, quoniam etiam excretiones narium, & palati interdum ſunt morboſæ. nam coryza eſt excretio humiditatum per nares; attamen, vt dixi, morboſa eſt; quo fit, vt quemadmodum hæc excretio interdum morboſa, & interdum ſecundum naturam eſt, pari pacto aſſerendum ſit de excretione humiditatum per aures. Alia dubitatio eſt, an verum ſit vermes poſſe aurium dolores in pueris facere. nam ſi locum auris conſideremus, cùm ſit totus nerueus, & anguſtiſſimus, minimè capax videtur generationis alicuius animalis. Si pariter conſideremus materiam, dicebat Ariſt. 32. ſect. probl. excrementa aurium eſſe amara, quamquam in reddenda cauſſa amaritei multo inferior videatur eſſe ſententia eius ſententia Galeni, de qua alias dixi. Ex materia autem amara non poteſt gigni vllum animal. nam ſolebat dicere Gal. in mari mortuo nullum animal adoleſcere, neque generari, quoniam ea aqua amara eſt. Pro reſolutione primi dubij, quod quidem grauiſſimum eſt, duobus modis reſponderi poteſt. vno modo, quod Hipp. & Gal. 3. aphor. loquuntur tantummodo de naribus & auribus infantium, in quibus excretio per nares nunquam ſit morboſa, ſed ſolummodò excretio per aures. Verum hæc reſponſio non mihi ſatisfacit, & iccirco accommodatius poteſt reſponderi naturam, excernere humiditates vel ſpontè, vel coactè. Excernit humiditates per nares, & per palatum ſponte, propterea iure naturalis nominatur à Galenó hæc excretio. verùm per aures facit quidem natura excretionem, ſed coacta; coacta, inquam, vel à copia humiditatum, vel à loci conditione. Vnde quando Hipp. in lib. de glandulis ait, excretiones per aures eſſe ſecundum naturam, vult dicere fieri à natura, ſed non ſponte, nam eo in loco enumerat vias, per quas natura excernit, tam ſpontè, quàm coactè. Ad ſecundam dubitationem dicendum eſt, vermes in auribus generari ex pituita dulciori, non autem ex parte amara; immò verò humiditates aurium puerorum non ſunt amaræ, quemadmodum ſunt adultiorum, eò quòd in ipſis non ea ſuperabundat bilis, quæ humiditati aurium permiſta, inducere amarorem queat. Neque obſtat loci anguſtia, quoniam anfractus illi aurium etſi ſatis arcti ſint, capaces tamen ſunt puſillorum animalium, quales ſunt vermes, qui in auribus gignuntur. Cauſſæ externæ ſunt frigus, & calor immoderatus aëris, venti, temperatura humida. nam Ariſt. 5. de generatione animal. 2. dicebat aures vehemẽter affici ſub conſtitutionibus temporum humidioribus, à quibus replentur ſpiritibus, ſeu flatibus. Caſus, percuſſiones, fricationes nimiæ aurium inter has cauſſas numerantur. atque eſt dolor aurium vitiũ ſatis graue, & moleſtũ, immò etiam periculoſum; quoniã, ſi vt dicebat

Hipp.

Hipp. in prognoſticis, & in coacis prænotionibus, pertinax aurium dolor cum febre adultos ſeptima die interimit; multo magis poteſt interimere infantes, qui propter totius corporis teneritudinem, & propter ſenſuū imbecillitatem magnopere à quouis dolore affliguntur; & iccirco non eſt huius mali negligenda curatio. ac primo, quoniā iſti dolores ſuſtineri non poſſunt ab ipſis infantibus, neque etiam à pueris grandiuſculis, danda eſt opera, vt quamprimum leniatur; alioquin perſeuerante dolore ſuboriuntur vigiliæ continuæ, à quibus deinde exitioſa mala oriūtur. Modus ſedandi hos dolores varius eſt, & in primis vtendum eſt mitioribus; huiuſmodi eſt aqua, & oleum roſaceum mixta ſimul, in quibus tepentibus immacerratur ſpongiola, & deinde ſupra aurem dolentem ponitur. Sic etiam iuuat lac tepidum pannis lineis acceptum, & ſuper aures poſitum; quibus ſi dolor non leniatur, ad alia tranſeundum eſt, vt eſt decoctum papaueris. nam accipiuntur capita papaueris, & decoquuntur in aqua, atq; eo decocto tepido ſpōgia tepida immacerata ſuper partem affectam detinetur. atque hi ſunt modi, quibus ſtatim neceſſarium eſt lenire dolorem. Sed quia vera curandi ratio poſita eſt in cauſſarum doloris ablatione, diligenter in primis erit conſiderandum quæ ſint cauſſæ doloris. Cauſſæ autem cognoſcuntur aliquibus coniecturis. nam cùm infantes res ſuas narrare non poſſint, coniecturis quibuſdam cum ipſis agendum eſt. Itaque ſi à flatu fiat dolor, cognoſcemus; quoniam dolor modò abit, modò redit. nam ſcire an dolor ſit tēnſiuus, an pungitiuus, impoſſibile eſt in pueris; immo verò dolor in vniuerſum aurium hoc ſolo ferè indicio cognoſcitur in hac ætate, quòd dum contrectantur hæ partes, pueri vehementiùs clamant, & tactum auerſari videntur. Si fiat dolor à cauſſis calidis cognoſcitur rubore, & calore ipſarum partium. Si à frigidis, nulla erit mutatio coloris. deinde etiam calida, vel tepida demulcent, quemadmodum in calidis humoribus frigida. Si fiat dolor à pure, vel à vermibus, cognoſcitur, quoniam hæc exeunt, & ſponte ſeſe manifeſtant. Itaque vbi dolor fit à flatu, victus ratio & pueri, & nutricis eā debet eſſe, quæ flatus diſcutere poſſit: inter cetera vſus coriandrorum nutrici accommodatus eſt: debet autem vitari aër frigidus, & ventóſus, & puer ita iacere, vt ſuper aurem dolentem dormiat, quandoquidem hoc ſitu partis calor auctus diſſipat flatus. Extrinſecus verò poterit infundi in aurem vel oleum de piperibus, vel ſi hoc nimis calefacit, oleū chamæmelinum, anethinum. Confert etiam hæc decoctio cum ſpongia auri adhibita. Recipe florum chamæmeli p. 1. foliorum anethi, maioranæ anā m. 1. aniſorum vnc. s. bulliant ſimul ſecundum artem. Si fiat dolor à vermibus, vel à pure, ſtudendum eſt, vt diligenter aures detergantūr continuò, quod quidem fit vel mulſa, vel ſolo melle; & ad euacuandos vermes ea ſunt auri infundenda, quæ ſuo amarore ſolent hæc animalia enecare; vt eſt oleum amygdalarum amararum, puluis nitri, puluis abſinthij. poterit oleum hoc pacto parari. Recipe olei communis vnc. 2. ſeminum abſinthij vnc. s. nitri drach. s. bulliant in duplici vaſe, deinde fiat expreſſio, & vſurpetur. Si ſint humiditates, atque puer grandiuſculus ſit, ita vt expurgari poſſit, per tres dies ſumat hanc potiunculam. Recipe foliorum myrti, betonicæ, ſtœchados, violarum ana m. s. fiat decoctio ſecundum artem: deinde Recipe dictæ decoctionis vnc. 2. s. ſyrupi de abſynthio, de ſtœchade ana drach. 2. miſce. Poſt acceptam hanc potiunculam purgabitur caput hoc pacto. Recipe pillularum de agarico ſcrup. 2. caſtorei gran. 1. caryophyll. gran. 2. miſce, & cum melle roſato ſolutino, fiant pillulæ num. quinque. Expurgato capite deinde vtendum eſt medicamentis, quæ infunduntur, vt deſiccentur illæ humiditates: & ſi materia frigida fuerit, oleum irinum optimum erit, & oleū ru-

taceum, vel decoctum illud, quod præſcripſi in materia flatulenta. Sin autem materia ſit calida, oleum roſatum cum oleo chamæmelino conuenit, vel huiuſmodi decoctum. Recipe florum roſarum p. s. hordei, lupinorum ana vnc. s. contundantur omnia, & in ſufficienti quantitate aquæ fiat decoctio, in quo decocto immacerata ſpongia apponenda erit. Solent verò iſti cruciatus vſque adeo contumaces eſſe, & graues, vt opus ſit deſcendere ad aliquas operationes chirurgicas. Ideo, ſi ætas ferat, ad diuertendam materiam, quæ dolorem attrahit, conueniet vti cucurbitulis, primò natibus, deinde etiam ipſis ſpatulis affixis: & ego quandoque in extremo dolore expertus ſum mirificè contuliſſe vlcera in capite pueri excitatá, tum quia retardatur fluxus materiæ ad aures, tum quia ipſæ humiditates cerebri, quæ alioquin ruerēt ad aures, ferè per ipſa vlcera conſumuntur. Sed circa vſum horum omnium medicamentorum debet animaduerti, nunquam eſſe humiditates fluentes ex auribus retinendas, eo quia, vbi dicebat Hippocr. huiuſmodi retentio valde incommodet. Præterea debet obſeruari auribus nunquam infundendam eſſe aquam, quantumcumque doleant, eo quia aqua maximè noxia eſt auribus. propter quod dicebat Ariſtot. loco citato vrinatores, dum ſubtus aqua permanere debent, opplere aures oleo; ne lædantur. adhæc debent omnia medicamenta aurium tepida adminiſtrari, non frigida, non calida; non in magna menſura, ſed guttatim; & dum infuſá ſunt, proſpiciendum eſt, vt infantes aurem dolentem ſupinam habeant.

De tonſillis, ſeu pariſthmiis.

CAPVT XIII.

Qvicumque de morbis puerorum tractarunt, copioſiſſimè de iis qui fiunt in ore, ſermonem habuere, & inter alios Omnibonius Ferrarius medicus id fecit in eo libello, in quo breuiter quidem, ſed eleganter, doctè, addo & prudenter, tractauit. Quare & nos aliorum exempla ſequuti, vitia oris puerorum diligenter tractare conabimur. Initium autem ſumam ab eo morbo, quem appellant tonſillas, ſeu pariſthmia; cuius morbi natura vt perſpiciatur, ſciendum eſt naturam ex vtraque parte radicis linguæ glandulas quaſdam feciſſe, vt illæ generantes ſaliuá, irrorarent fauces, ne continua locutione exſiccarentur. Hipp. libro de glandulis exiſtimauit factas eſſe, vt ſuſciperent cerebri humiditates; ſed puto ego ob vtrumque eas eſſe à natura fabricatas. Inter os autem, & gulam eſt quædam via, quæ appellatur à Græcis ἰσθμὸς: & cur ita vocata ſit, luculenter nos docuit Gal. 3. aphor. 26. in his partibus ob defluxum materiæ à capite fiunt in pueris tumores quidá inflammatorij, qui vbi oriuntur in glandulis, vocantur ἀντιάδες. Cornelius Celſus lib. 6. medicinæ ſuæ, & Plinius, atque alij Latini appellarunt tonſillas. Vnus Serenus medicus neſcio quo ſpiritu appellauit tolles. Neque poſſum ſatis hac in re mirari oſcitantiam Altimari in legendo Celſo, qui dubitauit numquid apud Celſum tonſillæ ſint illæ, quæ apud Græcos vocantur ἀντιάδες: quandoquidem ipſemet Cornel. lib. 7. c. 12. expreſſiſſimè dixit hæc verba: Tōſillæ, quæ à Græcis ἀντιάδες vocātur. Si tumores fiant iſthmo, ſiue fiant in muſculis, ſiue in tunica, vocantur ab Hippoc. παρίσθμια. Sed animaduertendum confundi ſępè apud medicos has voces παρίσθμια, & tonſillas, ita vt alter alterius nomine affectus vocetur. Adnotandum etiam ἀντιάδας ſeu tōſillas interdum ſignificare, vt apud Paullum Æginetam, non ſolum

ſolum tumorem inflammatorium, ſed tumores duros, & ſchirrhoſos, quos aliàs vocauit ſcrophulas. Et vt obiter hoc dicam, quando Legiſlatores præceperunt, vt ſeruus laborans antiadibus poſſit reſtitui, intellexerunt non de antiadibus inflammatoriis, ſed de vetuſtis, & induratis, hoc eſt, de ſcrophulis. Eſt hic morbus intemperies cum materia, vt appellat Gal. omnes inflammationes; poſſumus etiam dicere eſſe morbum in magnitudine aucta. atque hoc intelligendum eſt tum de tonſillis, tum de ipſis pariſthmiis eo modo acceptis quo accipit Gal. 3. de ſympt. cauſis 4. & loco citato 3. aphor. Locus affectus eſt & glandula vtraque, & tunica iſthmi, ſeu muſculus ſubtus tunicam. Cauſſæ internæ horum morborum ſunt humores omnes, & ſanguis, & melancholia, ſed potiſſimùm pituita, (loquor autem de pueris, quorum capita maximè omnium pituitoſa ſunt.) Inter cauſſas internas poſſumus adnumerare ætatem. nam Hipp. 3. aphor. 26. videtur exiſtimaſſe tertiam ætatem, hoc eſt, eam, quæ eſt inter tempus dentitionis, & 14. annũ eſſe huius morbi feracem. Sed hoc in loco oritur dubitatio, quæ mota fuit à Galeno in com. cur ſcilicet infantes vſq; ad tempus dentitionis non tententur hac ægritudine. nam cùm ſint capite humidiſſimo & maximè repleto, rationi conſentaneum videtur, vt hic morbus, qui fit à fluxione capitis, in iis frequentiſſimè gignatur. Gal. vt redderet huius rei rationem, dixit ab Hipp. prætermiſſam fuiſſe hanc ægritudinem in primis duabus ætatibus; quoniam vſq; adeo ægritudines graues ſunt in ipſis, vt prius iugulentur, quàm inchoët hæc ægritudo. Simili enim pacto dicebat Ariſt. & Gal. non tentari cor graui vllo morbo, quoniã ſtatim atq; inchoant ſimiles morbi, animalia, & homines intereunt. Sed pace Galeni, non mihi ex toto videtur hæc reſpõſio dubium tollere, propterea quòd conuulſiones lethaliſſimæ ſunt in pueris, quæ ipſos ſtatim iugulant, verumtamen Hippocrates eas memorauit. Præterea non videtur mihi à ratione alienũ, ſi fierent hæ ægritudines in pueris, aut, vt melius dicã, ſi inciperent, poſſe etiam vſq; ad augmentum peruenire; quia ſi iugularentur pueri, iurgularentur propter prohibitam tranſpirationẽ, quæ non ſtatim apparet, niſi tumores ſint inſignes. Non defuerunt, qui alias rationes adferre conati ſunt, & inter alios Hieronymus Cardan. multis verbis quædam propoſuit. Ego autem exiſtimo fidem habendam eſſe rationi allatæ à Gal. quòd ſcilicet ad generationem horum tumorum neceſſarium eſt, vt materia impetu quodam & copiosè fluat; & vt retineatur. Iam verò ſi conſideremus naturam infantium, & puerorum, hoc eſt diſcrimen, quòd in pueris attrahitur copioſa materia ad eas partes, & cùm attracta ſit, non poteſt diſſolui vt par eſſet; vnde neceſſariò tumores ſuboriuntur. In infantibus autem vel non fit attractio ad eas partes, vel nõ fit copioſa; vel ſi fit copioſa, nõ retinetur. Attrahitur materia in pueris, & non in infantibus, quoniã clamãt, currũt partes inclinatas ad terram inter ludendum gerunt, ſoli ſeſe exponunt, quæ omnia mirificè calefacere poſſunt partes internas, & ratione calefactionis attrahere copiosè, & attractam materiam tenaciter retinere. Contra verò infantes non loquuntur, non vociferantur eo pacto, quo pueri, partes capitis non gerunt humiles, ſed ſemper elatiores. quo fit, vt vel non fiat in illis vehemens ad fauces attractio, vel ſi materia attrahatur lubrica, defluat à partibus illis faucium; vt iure cùm hoc ſpectauerit Hippocrates, accedente quotidiano rerum vſu prætermiſerit in prima, & ſecunda ætate hanc ægritudinem. Cauſſæ externæ ſunt aër & calidus, & extremè frigidus, manſio ſub ſole, exercitationes immenſæ, & præſertim capite in terram inclinato, vociferationes, potus meraciores, cibi calidi & actu, & potentia. Cognoſcuntur verò hæc mala, quia ſi os pueri aperiatur, apparent prope radicem linguæ tumores; immò verò ſi ſubtus aures extrinſecus tangantur, facilè ſeſe offe-

runt tumores. his accedit color rubeus faucium, calor vigens, dolor etiam ad externum contactum, difficultas anhelandi, & deuorandi. Si à materia fiat calida, ſiue ſit ſanguis, ſiue bilis, cognoſcitur potiſſimùm colore; quem dicebat Hippocrates in libro de humoribus, & Galenus eſſe verum indicem dominantis humoris. Nam ſi ſanguis fuerit, color erit rubeus, calor magnus; ſi fuerit bilis, color flauus, ſeu pallidus; ſi pituita, ſubalbidus. Vitium hoc grauiſſimum eſt, quoniã terminari ſolet in alias graues ægritudines, in anginas, in peripneumoniam, vt dicebat Hippocrates in libro de dentitione. Si in tõſillis ſuperueniat alui fluor, tuſſim ſoluit, & cum tuſſi intelligebat præcipuum malum, hoc eſt, tonſillas ipſas. Curatio eadem debetur, quæ omnibus inflammationibus; & quia tumores ſunt, qui fiunt à materia, totum ſtudium conuertendum eſt ad materiam, non neglecta tamen ea intemperie, quæ inflammationibus perpetuò iuncta eſt. Iam verò materia partim in fluxu eſt, partim flaxa, & firmata; ea, quæ fluit, reuocãda eſt, quod fit duplici via, repulſione, ſeu repercuſſione, & reuulſione. Ea verò, quæ fluxa & firmata eſt, euacuanda. euacuari autem poteſt vel per diſſipationem, vel per ſuppurationem. Modi verò, quibus his ſcopis ſatisfacere licet, capiuntur ex vſu ipſius materiæ medicæ, in qua quoniam primum locum obtinet victus ratio, hæc ante omnia inſtituenda eſt, vt ſcilicet puer caueat ab omni aëris exceſſu, caueat à fumo, à ſole, ab omnibus corporis exercitationibus, à vehementibus animi motibus; præſertim ab ira; à balneo; & ſi aluus adſtricta eſt, prouidendum eſt vt fluat vel clyſteribus, vel glandibus, quemadmodum aliàs demonſtratum eſt. nam ſoluere aluum vllo medicamento per os ſumpto in hac ægritudine res periculoſa eſt. Abſtinendum à vino, & loco eius aqua ſit cocta vel hordei, vel cum ſucco mororum, cydoniorum, granatorum; qui potus ſunt accommodatiſſimi. Cibi ſorbiles in vſu veniunt, ptiſſana, panis tritus cum brodio, cum ſucco ſeminum melonum; vitellus ouorum in brodio cum ſucco omphacino, vel cum ſucco granatorum. nam acetum, quod forſan in viris maximè prodeſt, in hac ætate maiorem quàm par eſt cruciatum infert. Inſtituto victu, properandum ad ſcopum primum comparandum, ad diſcutiendam & reuellendam materiam. reuellere licebit frictionibus aſſiduis, ligaturis, præſertim verò cucurbitulis & ſcarificatis, & ſiccis. Sed hoc animaduertendum, Galeni conſilium, quod attulit lib. 12. Methodi c. 19. hac in re ſequendum eſſe, ne ſcilicet ſupernis partibus cucurbitulæ affigantur; quoniam cùm in partibus ſupernis ſit morbus, & cùm cucurbitulæ attrahant à capite, facillimè attrahunt ad affectum locum. vnde multo præſtantius auxilium eſt eas applicare & lumbis, & cruribus. Pro repellenda materia in vſu ſolent eſſe & gargariſmata, & pulueres. gargariſmata fiunt ex medicamentis refrigerantibus, & adſtringentibus, cuiuſmodi iſtud eſſet. Recipe hordei p.s. florum roſarum rubearum p. 1. myrtillorum, nucum cupreſſi, caryophyl. ana vnc. s. aquarum plantaginis, endiuiæ ana lib. 1. bulliant ad conſumptionem quartæ partis; dinde adde di amoro. vnc. 4. miſce, fiat gargariſma. hac eadem intentione parantur pulueres, qui fiſtula inſufflantur in partes affectas; & aduertendum, vt puluis ſemper ſit leuigatus, ne partem affectam, & dolentem vllo pacto exaſperet. fieri autem poterit hoc pacto. Rec. foliorum rubi maior. m. s. florũ roſarum rubearum p. s. gallarum, nucum cupreſſi ana vnc. s. puluerizentur omnia & leuigentur. Pro euacuanda materia fluxa, vt diſſipetur, eligenda ſunt ea medicamenta quæ poſſint moderato calore attenuare, & materiam in flatum conuertere; vnde ad diſſipandum huiuſmodi gargariſma vtiliſſimũ erit. Recipe foliorum anethi, florum chamæmeli anim s. furfurum p. s. foliorum origani drachma vj. aquæ communis lib. 1. s. fiat decoctio ſecundum artem, deinde adde ad colaturam mel-

lis

lis depurati vnc.3.miſce,& fiat gargariſma. aduertendum etiam huiuſmodi gargariſmata debere ſemper eſſe potius tepida, quàm frigida, præſertim verò quæ diſcutere debent. Sed ſi materia diſcuti non poſſit, & natura ſuppurationem tentet, ipſi auxiliandum eſt & internis & externis medicamentis. Inter externa eſt diachylon, & alia emplaſtra, cuiuſmodi eſt illud. Recipe foliorum maluæ, violarum ana m. j. coquantur, & piſtentur; deinde, Recipe dictarum herbarum lib. s.butyri vnc. 3. farinæ tritici vnc. 1. s. croci ſcrup. s. miſce,& fiat emplaſtrum. Intrinſecus adiuuare poteſt ſuppurationem decoctum caricarum, vel radicum maluæ, aut poteſt fieri hic gargariſmus. Recipe farinæ tritici in petia ligatæ vnc. 1. caricarum vnc. 2. radicum maluæ vnc. 1.s. aquæ communis lib. 2. bulliant ad conſumptionem quintæ partis, deinde coletur, & fiat gargariſmus. Vbi ad pus tumores peruenerint, ſolent ſponte naturæ rumpi, & pus exire; id ſi non fiat, à dexterrimo chirurgo incidendi & aperiendi ſunt; atque vbi aperti erunt, detergendi primùm mulſa, deinde vino mulſo, & poſtea curandi, vt alia vlcera curari ſolent.

De Aphthis.

CAPVT XIV.

NVmerat Hipp. 3. aphór. 24. inter morbos pueriles quædam vitia orís, quæ à Græcis medicis appellantur aphthæ. Cornelius Celſus lib. 2. capite 1. vlcera oris ſerpentia; Arabes etiam, & præſertim Auicennas vocant alchota, & bothor, quemadmodum vocauit etiam Auenzoar. Aretæus medicus lib. 2. de acutis cap. 9. teſtatus eſt huiuſmodi vlcera vocata eſſe antiquitus Syriaca, & Ægyptiaca. Serenus,& cum eo Iſidorus lib.4. vocarunt hunc affectum oſcedinem;ſed de oſcedine plura habentur in lib.5.variarum lectionum noſtrarum.Sciendum autem, quòd tametſi vlcera oris communiter vocata ſint aphthæ, verumtamen hoc nomen ἄφθα apud Græcos ſcriptores ſignificat vlcus etiam aliarum partium. nã Gal. lib. 9. de medicamentis localibus, & Paullus Ægineta lib. 3. cap. 54. ſcripſerunt etiam vlcera quædam teſtium vocata eſſe aphthas. immo verò Hippocrates 2. lib. de morbis monſtrat aphthas etiam in pulmonibus generari. Ceterùm aphthæ de quibus nobis in præſenti eſt ſermo, vt definiuit Gal. lib. 6. de medicamentis localibus cap.4. ſunt vlcera ſuperficiei oris cum ignea caliditate; & cùm dico,ſuperficiei oris, intelligenda eſt tota interna pars oris, quandoquidem in omni parte fit huiuſmodi morbus. Ex hac deſcriptione vnicuiq;manifeſtum eſſe poteſt,eſſe morbum in mala intemperie, nimirum calida, & humida,atque in ſolutione continui, quandoquidem vlcus eſt. Quæ ſit pars affecta, non eſt vt diſputetur. quia verò in omni vlcere non ſolùm continuum ſoluitur, verùm etiam ſubſtantia aliqua partis deperditur; ſic exiſtimandum eſt in hac affectione aliquam partem amiſſam eſſe. Ceterùm cauſſæ, quæ ſubſtantias, & particulas corporis conſumunt, vt habetur apud Galenum lib. 5. de ſimplic. medic. ſunt omnia ea, quæ acria, mordacia, & exedentia ſunt. quapropter cauſſæ huiuſmodi vlcerum neceſſarium eſt, vt res ſint acres,mordaces, atque exedentes; quæ ſunt vel humores, vel cibi, vel pharmaca. humores quidem, qui efficiunt aphthas, aut ſunt benigni, aut praui, & corrupti; quemadmodum colligere licet ex Gal. 3. 13. epid. com. 12. Benigni humores,hoc eſt,qui nulla inſigni prauitate corrupti ſunt, vel ſunt pituitoſi, ſalſi, vel ſanguinei,

vel bilioſi, vel melancholici. Cibi, à quibus efficiuntur aphthæ,aut ſunt ex genere lactis,aut ex genere aliorum ciborum calidorum, qui vel actu ſunt tales,vel potentia.Lac facit aphthas, vel quia acre,& mordax eſt,vel quia in ventriculoinfantis propter immenſam ſui copiam corrumpitur; & corruptum cùm ſit, veluti ardens humores acres, & mordaces in os mittit,qui partes ipſius exedunt.Cibi calidi potentia auctores aphtharum ſunt, veluti allia, cepæ, & quicquid eius generis eſt.Cibi autem actu calidi ſunt quicunque reperiuntur enim qui non poſſunt ferre, vt cibi calidi refrigerentur. quare ſolent non raró pati aphthas, eo quòd oris partes à cibis calentibus incendantur. Pharmáca pariter faciunt huiuſmodi vitia, tum ea, quæ purgant; tum ea,quæ venenata ſunt atque corrodentia: vt eſt arſenicum, ſcammonium. Poſſumus connumerare inter pharmaca etiam aromata. nam non eſt dubium piper diu ore detentum aphthas inducere,quemadmodum & grana cataputiæ, & alia complura medicamenta,quæ ſua vi calida, & exedente vlcera oris faciunt.atque tot ſunt cauſſæ immediatæ effectrices ipſarum aphtharum.mediatarum verò aliæ internæ ſunt,aliæ externæ.Internarum aliæ ſunt naturales,aliæ præternaturales. Naturalis cauſſa eſt temperatura corporis calida, ætas puerilis, præſertim verò infantilis. Nam vt teſtatum habemus à Galeno 6.de medicam. localibus 4.& 3.in 3.epid. com.12. atq; etiam 3.aph.24.tres ſunt cauſſæ,propter quas infantes potiſſimũ aphthis ſollicitantur. Prima,eſt teneritudo,& mollities palati infantium.Secunda cauſſa,eſt inaſſuetudo ſumendi cibum.nam cùm in vtero,vt aliàs dicebam,infantes ore non nutriantur,ſed per vmbilicum;vbi in hanc lucem veneruntvt entes ore & ad ſugendum lac, & etiam ad deuorandos cibos læduntur, & vlcera hæc incurrunt.Tertia cauſſa,eſt ingluuies ipſorum,propter quam fit vt ſæpè plus lactis ſugant, quàm par eſſet, quod deinceps in ventriculo corruptum huiuſmodi vitium facit. Et hinc adnotandus eſt error noſtrarum nutricum, quæ vt demulceant plorantes infantes, frequentiſſimè mammas præbent; cùm præceptum ſit veterum medicorum, vt lac non præbeatur,niſi ter aut quater in die.Cauſſæ præternaturales, ſed mediatæ aphtharum ſunt febres ardentes, & peſtiferæ, quemadmodum colligitur à Gal. 3.epid. Cauſſæ externæ ſunt omnes illæ quæ capita infantium incendere aptæ ſunt; manſio ſub ſole, tempus calidum, vt æſtas, regio calida. propter quod dicebat Aretæus in Ægypto, & in Syria abundare hæc vitia tum propter aëris incendium, tum propter vſum ciborum calidorum,quibus ea gens continuò veſcitur.Exercitationes;& labores immodici hæc faciũt;crapulæ, & potus vinorum generoſorum,atque tot ſunt cauſæ. Differentiæ autem aphtharũ hæ ſunt, quod aliæ malignæ, aliæ verò benignæ ſunt. Cognoſcere aphthas, non eſt difficile, quandoquidem ipſis oculis conſpiciuntur; & quæ oculis non videntur, veluti illæ,quæ oriuntur in partibus intimioribus,ſeſe produnt dolore, & vorandi difficultate. Ceterùm vt dignoſcantur malignæ à benigniis, opus eſt ſignis: nam malignæ præterquam quòd ſolent conſequi plerunque febres malas, & peſtiferas; habent & hoc quòd fœtidæ ſunt,nigræ,vel liuidæ; dolorem inferunt, profundæ ſunt Ex aduerſo benignæ ſunt ſine tumore, ſine profunditate; & ſi à ſanguine fiant, cognoſcuntur calore, & rubore. Si fiant à pituita, minus calidæ ſunt, minus dolent, colore albo ſunt. quæ verò à melancholia, ſubfuſcæ ſunt. Aphthæ, quæ fiunt à cauſſis externis, ſalutares ſunt ferè omnes; ſicuti illæ, quæ ſunt albæ, vel flauæ, ſuperficiales. econtra, quæ ſunt nigræ, fœtidæ, profundæ, quæ magnum dolorem inferunt, omnes valdè periculoſæ ſunt.Scribebat enim Aretæus lib.2. de acutis 9.miſerrimam & horrendam mortem eſſe eorum, qui ab hoc morbo conſumuntur; eo quòd vlcera hæc depa-

ſcuntur

ſcuntur partes oris internas; atque ſic & ingenti turpitudine, & inſigni cruciatu infantes & pueros perimunt. Ceterùm eſt hac in re contradictio inter Cornelium Celſum, & Galenum. Cornelius lib. 6. cap. 11. ſcribit aphthas in pueris valdè periculoſas eſſe, eo quòd corpora horum ſæpè conſumunt; in viris autem, atque etiam in mulieribus minus eſſe periculoſas. Contra Gal.lib.6.de medicamentis localibus c.4.& 3.in 3.epid.text.12. aſſerit aphthas in pueris faciles eſſe curatu, quippe quæ leuiter adſtringentibus curentur. Dicendum eſt pro conciliatione horũ aphthas poſſe eſſe vel benignas,vel malignas. Benignæ faciliùs in pueris curantur, quàm in viris, eo quia corpora ipſorum, hoc eſt partes palati cùm ſint teneræ, & molles, ſicuti faciliter læduntur, ita quoque faciliter ſaneſcunt. Ceterùm aphthæ malignæ in infantibus periculoſiores ſunt quàm in viris,eo quia,vt Celſus ſcribit,hæc ætas non admittit ea remedia generoſa,quæ neceſſaria ſunt pro expurgandis his vlceribus.viri autem cùm admittant remedia,iure fit, vt poſſint facilius liberari ab aphthis malignis quàm infantes. Scopus curationis varius, & diuerſus eſt, prout variæ ſunt aphthæ.nam ſi ſint benignæ, ſtudendum eſt ſtatim & intemperiem illam mitigare, atque cicatricem inducere, quæ inducitur medicamentis ſiccis & adſtringentibus. Vnde ſi factæ ſint vitio lactis, videndum eſt an lac peccet qualitate,vel copia.ſi propter copiam fiant, prouidendum eſt, ne infantes plus aſſumant lactis,quàm par ſit.Sed ſi lac vitiatis qualitatibus præditum ſit,vel ſtatim mutanda eſt nutrix, vel corrigendum lac. Corrigitur autem, vt docui, & ratione victus, quam tenaciſſimè ſeruare debet nutrix, & purgatiòne corporis facta pro ratione peccantis humoris,quemadmodum mònſtraui.Vt autem vlcera ſaneſcant, duo ſunt medicamenta à Galeno propoſita. alterum, quod fit ex ſucco mororum; & vocatur Diamoron: alterum quod fit ex ſucco malorum granatorum. vtroque licet vti,quia infantes dulcedine medicamenti attracti,facilè illud admittunt.Vſus autem huius eſt,vt nutrix,vel quiuis alius intingat digitos in hoc liquore, & aperto ore aphthas ipſas tangat.quod ſi contumax ſit vlcus,licebit commiſcere vel diamoroni, vel medicamento ex ſucco punicorum modicum pulueris aluminis combuſti. nam hic puluis coërcet ſerpiginem vlceris, nec inſignem vllum dolorem facit. atque hæc eſt ratio curationis aphtharum benignarum in infantibus, quam etiam facilem dicebat Galenus. Si autem ſint grãdiores pueri,& fiãt aphthæ cibis, vel medicamentis, omnes cauſſæ efficientes externæ in primis tollendæ ſunt. deinceps præſcribenda victus ratio, vt ſcilicet abſtineant ab omnibus rebus, quæ caput calefacere poſſunt;ab aëre; ab exercitatione corporis; à vino,ab aromatibus,à ſalſis,à dulcib.& quoniam ſolidi cibi ſolent exacerbare vlcus,vtẽdum eſt cibis ſorbilibus, cuiuſmodi eſt ptiſſana, panis tritus, oua cum brodio, & omphacio. Poſt videndum eſt an vlcera ſint magna,necne.& quia magnas ſæpe ſolẽt inflammationes coniunctas habere,atque conſequenter humores à corpore attrahere, & malum augere: eapropter vtile erit cucurbitulas apponere, ſed natibus, aut in fine dorſi, per quas cucurbitulas licebit euacuare tantum ſanguinis, quantum ætas, & corporis habitudo permittet. Poſt agendum erit medicamentis purgantibus, ſed blandioribus, vt eſt caſſia, ſyrupus roſ. ſolut. & quoad medicamenta localia ſpectat, in hac ætate licet vti & gargariſmo, & linimentis. Linimenta fiunt, vt præſcripſi in infantibus: gargariſmata autem fieri poſſunt hoc pacto. Rec. hordei torrefacti p.j. foliorum plantaginis m.j. foliorum rubi, corticum granatorum, balauſt. an. vnc. j. fiat decoctio ſecundum artem. deinde Rec. dictæ decoctionis lib. vnam, diamoron.vnc.iij. miſce. Si aphthæ malignæ fuerint,atque puer adhuc infans ſit, eſt quidem prauitati occurrendum, verumtamen & ætatis & teneritu-

dinis corporis infantuli ratio eſt habenda. Itaque non licebit in hac ætate iis remediis vti, quæ ſuſtinentur à grandioribus. poterit autem medicamentum inſtitui aduerſus prauas aphthas, hoc modo; Recipe ſcordij ſubtiliter puluerizati drachm. 1. corticum granatorum ſubtiliter puluerizatorum ſcrupul. 2. aluminis combuſti ſcrup. 1. mellis quantum ſufficit, miſce, & adminiſtretur vt docui. Ceterùm aduertendum eſt, ſiue pulueres, ſiue quid aliud ſit adminiſtrandum, neceſſarium eſſe, vt cum aliquo miſceatur, quod ſi ori gratum: nam in palato poſita eſt facultas guſtatoria, vt maxima ratio ſit habenda guſtus: propter quod, vt videri poteſt apud Galenum 6. de medicamentis localibus, veteres medici omnes componebant medicamenta ad aphthas, vel cum ſapa, vel cum melle. Et, vt hoc obiter dicam, in vita Hipp. relatum eſt in eius ſepultura fuiſſe examen apum, cuius examinis mel ſingulari quadam ope curabat aphthas puerorum. Sed ſi ſit grandiuſculus, quoniam maximè refert, vt ſtatim mali prauitas compeſcatur, ne vlcera euadant ſerpentia, ſtatim, inquam, ſtudendum eſt medicamentis grauiorib. prauitatem omnem auferre, ad quod mirificè poteſt ſuccus granatorum, & præſertim acidorum: quem dicebat Theophraſtus mirum in modum à putredine conſeruare. & aduertendum, ne apud Dioſcoridem quis decipiatur, quod Ruellius interpres in capite de malis punicis tranſtulit hanc vocem ἄςομον, perinde atque Dioſcorides dicere voluerit, punica eſſe ori inimica: quod quidem falſiſſimum eſt. vnde ea vox interpretanda eſt, ori ingratum, non inimicum; & hoc experientia conſtat eſſe quid inſuaue & ingratum; veruntamen maximè poteſt ad compeſcendas putridas aphthas. Sed ſæpè vſu venit, vt hoc medicamentum non ſufficiat, vnde ad valentiora deueniendũ. In quo caſu in grandioribus licebit vti vel aqua aluminis magiſtral. vel vnguẽto Ægyptiaco, vel flore æris caſtigato cum diamorone. quæ omnia non ſunt vſurpanda niſi in maxima neceſſitate. Et ratio eſt, quia, vt docet Galenus lib. 6. de medicamentis localibus, in palato duæ ſunt latiſſimæ viæ, quarum vna ad pulmones, altera ad ventriculum incedit, propter quod periculoſiſſimum eſt, ſi medicamentum aliquod venenatum ad eas partes præcipitetur. Id quod cognoſcens Gal. dicebat, in medicamentis ſtomachicis haud vtendum eſſe chalcantho, ob periculum quod imminet, ſi huius medicamenti aliqua pars vel ad ventriculum, vel ad pulmones labatur. præterea etiam quotieſcunque vtendum erit his medicamentis, præſtabit vti in ea forma, in qua nihil poſſit vltra palatum ire; quemadmodum fit, quando aphthæ malignæ tanguntur vel oleo chalcanthi, vel ſulphuris, vel aqua ſublimata; quæ efficaciſſimum remedium eſt non ſolùm aduerſus aphthas ſerpentes & prauas, verùm etiam aduerſus praua, & inueterata vlcera. atque fit hoc modo: Recipe argenti ſublimati gr. 12. aquæ roſarum, plantaginis ana vnc. 3. ponantur ad lentum ignem in duplici vaſe ad conſumptionem medietatis. vſus eſt, vt guttula vna tangatur aphtha, quæ ſi dolorem inſignem faciat, deinceps lacte chalybeato dolor mulceatur.

De Batrachio, ſiue Ranula.

CAPVT XV.

FIt in ore puerorum aliud genus vitij, quod à Græcis nuncupatur βάτραχος, interdum etiam βατράχιον. Latini appellant ranam, & ranunculam; atque hic affectus non ſolum fit in pueris, verùm etiam in pecoribus, & præſertim in bobus; vt habetur apud medicos veterinarios, & præſertim apud Columellam. Aëtius lib. 8. c. 37. & Paullus Ægineta lib. 3. c. 26. definiunt hunc morbum eſſe tumorem quendam

dam inflammatorium partium ſub lingua,& præſertim venarũ in pueris; quæ res vt exactè intelligatur,ſciendum qua parte lingua alligatur palato, ſeu ſubtus ſummam partem ipſius linguæ adeſſe quaſdam venas admodum latas, quæ repleri ſolent interdum ſanguine pituitoſo,interdum melancholico. & qui profitentur cognoſcere lepram futuram in corpore,ſolent à tumore, & nigredine harum venarũ prædicere futuram lepram, aut elephantiaſim. vbi igitur hæ venæ magnopere replentur, ex ipſis humiditas pituitoſa, & ſanguinolenta vel refudat, ve aperto ore exit; ac deinceps collecta intra carnis meatus ibi exiſtentes in tumorem eleuatur, atque hic tumor eſt ille, que appellatur rana. vnde captum ſit hoc nomen, ignoro, niſi forſan propter ſimilitudinem aliquam,quam habet cum rana ſic dictus eſt, aut potius quòd qui laborant hac ægritudine ſolent habere vocẽ parẽ voci ipſius ranæ. ſed vtcumque ſit,eſt morbus inſtrumentalis,& ſimilaris.ſimilaris quidẽ,quia eſt affectus inflammãtorius;inſtrumentalis verò,quia & figura illius partis,& magnitudo aucta eſt,vt ſit etiam morbus in magnitudine,à quo læduntur operationes naturales,& operationes animæ, nimirum motus ipſius partis. Sed dubitabit aliquis,quomodo ſit morbus in magnitudine,quãdoquidem Gal.lib. de cauſſis morborum c.9.videtur ſtatuiſſe morbos in magnitudine fieri à materia vtili,& naturali.Iam verò hæc materia,quæ facit ranunculum,eſt materia excrementitia,& inutilis,vt non videatur poſſe facere morbum in magnitudine.Res hæc difficilis eſt,& altiorẽ diſputationem exigit.Sufficiat breuiter nũc dicere,morbos in magnitudine aut eſſe ſimplices, aut alteri cõiunctos morbo.Simplex morbus in magnitudine fit à materia vtili;& ſic mãmarum magnitudo eſt morbus in ſola magnitudine, item corporis nimia obeſitas. atque hi morbi fiũt à ſola materia vtili,& de his loquebatur Galenus.Ceterùm morbi in magnitudine coniuncti morbo alteri, ſunt omnes tumores præter naturam. quidam nõ ſunt ſimplices morbi,ſed vt dicebat Gal.l.de differentiis morborum 5. ſunt intemperies cum affluxu materiæ, hoc eſt,morbi in magnitudine ex intẽperie.Cauſſa immediata ranũculi eſt ſanguis pituitoſus,vel vt dicebat Auic.eſt humiditas pituitoſa. Cauſſæ externæ ſunt & vociferationes,& inciſiones membranæ linguæ, nec non compreſſiones linguæ à dentibus,quãdo ſcil. inter dentes lingua cõpreſſa veluti ſauciata eſt.Cognoſcitur autem hic affectus primùm viſu;quoniam tumor apparet,& color tumoris,vt dicit Auicennas,eſt veluti commiſtus ex colore linguæ,& venarum;adeſt feruor.addit etiam Cornelius Celſus l.7.cap.12.adeſſe dolorem inſignem.Sed eſt etiam & aliud ſignum,quia qui laborant hac ægritudine,non poſſunt loqui,ſed inſtar ranarum coaxãt.Ceterùm hic affectus ſi prudenter, & tempeſtiuè à medico tractetur, eſt quidem moleſtus, ſed non difficilis curatu.Curatur autem primùm recta victus ratione inſtituta,ſcilicet abſtinentia vini,vſu ciborum qui refrigerent, & quodammodo adſtringant; vt eſt vſus omphacij,aceti,ſucci granatorum,cydoniorum;quibus poſſunt fieri edulia.Si aluus non reſpondet, clyſteribus agendum eſt;dico clyſteribus,quia medicamenta purgantia ore excepta minimè conueniunt, ſed magis conueniunt clyſteres. Si puer grandiuſculus ſit, inter cetera remedia maximè conuenit vſus cucurbitularum,ſcilicet ad auocandum fluxum humorum à parte affecta,& cauendũ eſt ne cucurbitulæ apponantur dorſo; quoniam cùm trahãt à capite vt à toto corpore, atque capita in pueris ſint valdè plena, facilè contingere poteſt vt materia à capite tracta facilè in parte affecta ſiſteretur;erunt itaque apponẽdæ vel natibus, vel cruribus, & pro ratione ætatis ſanguis mittendus. immo iuuabit interdum apponere cucurbitulas non ſcarificatas, fricare extrema,& vti ligaturis. His peractis deueniendũ ad localia,& in primis leuioribus vtendũ.ſal armoniacus affricatus illi parti, apud

ti, apud omnes commendatur: origanum ſimiliter affricatum valet ad detergendam eã materiam.Si hæc non proſint, deueniendum ad valentiora, vt eſt flos æris, tragacanthum combuſtum,alumen;hæc enim redacta in puluerem,& parti affectæ applicata ſolent valere ad conſumendum eum humorem. Sed ſi hæc nullum emolumentum adferant, ſupereſt,vt deueniamus ad ignem,vel ferrum. Modus vtendi ferro, qui proponitur ab omnibus ferè chirurgis, eſt vt vncino capiatur ſummitas tumoris,& cultello abſcindatur radicitus vniuerſus tumor.dico, radicitus,quia vt optimè adnotauit Cornelius Celſus loco citato, interdum hæc materia in folliculo ſita eſt, niſi autem huius folliculi radices prorſus euellantur, facilè poſſet morbus repullulaſcere.Vbi verò abſciſſus eſt tumor,tum vel ſale,vel puluere gallę. & myrti ſiſtendus eſt ſanguis,& ſi non poteſt ſic firmari,deueniendum eſt ad chalcanthum combuſtum. & vbi ſanguis firmatus eſt, vulnus deinceps curandum eſt myrrha,aloë,thure,atque huiuſmodi aliis pulueribus, qui exſiccantes vulnera eadem curant. Sed aduertendum eſt aloë amarum puluerem ſolere reddi, propter quod in multis non eſt facile vti hoc medicamento.

De Dentitione.

CAPVT XVI.

INter morbos pueriles recenſetur dentitio, de qua opus eſt vt nunc tractemus. Sed ſtatim occurrit nobis ſcrupulus qui nõ ſine animaduerſione eſt pretereũdus. eſt autẽ,quomodo dentitio poſſit eſſe morbus,compertum enim eſt naturam non intendere morbos, neque facere; ſed dentitio eſt purum naturæ opus. quare non videtur morbus eſſe appellanda. Dicendum eſt, perfectionem & generationem dentium eſſe quidem naturæ opus,atque hanc vnam ab ipſa intẽdi.Ceterùm quia materia non patitur, vt hoc opus à natura fiat ſine moleſtia, & ſine dolore,hinc fit vt ad generationem dentium conſequatur morbus: non propter hoc tamen dicendum eſt hunc morbum à natura intendi. Ceterùm,quia hoc naturæ opus pulcherrima, & ſecretiſſima problemata habet, priuſquam de morbo, qui ſequitur dentitionem,loquar,deliberaui nonnulla, ſed breuiter, & dilucidè proponere. Primum erit, quid ſit dentitio, & quid ſit dens. Secundum, cur à natura fiant dentes. Tertium, cur animantia bruta naſcantur omnia cum dentibus, vnus autem homo in hanc lucem veniat ſine dentibus.Quartum erit,cur dentes decidant hominibus,& renaſcantur,atq; toto vitæ tempore augeantur,conditio ſanè quæ nullis aliis oſſibus communicata fuit.Quintum erit,quo tempore oriantur dentes, & vſque quò ipſorum ortus perduret.Sextum,quot ſint dentes,& quot ipſorum ordines. Septimum & poſtremum, cur fiat vt vnus homo tot moleſtias & tot perturbationes ſuſtineat,quo tempore dentes erumpunt: poſt quæ omnia modum curandi huiuſmodi moleſtias docebo. Dentitio à Græcis medicis duplici nomine vocata eſt ὀδοντίασις, & ὀδοντοφυΐα. noſtri medici vno nomine dicunt dentitionem, quæ nihil aliud eſt,niſi dentiũ prius in alueolis propriis conceptorum extra gingiuas eruptio: nã cũ dẽtes deberent eſſe ſeparati, coacta fuit natura ſingulis ſingulas & proprias caueas præparare, in quibus primùm conciperentur, qui conceptus appellatur à Græcis medicis ὀδαξισμὸς: vbi verò extra gingiuas iam concepti erumpunt, fit dentitio, quæ appellatur ὀδοντίασις. vtrumque autem fit magna cum moleſtia. Sed ὀδαξισμὸς, ſiue pruritus gingiuarum fit cum minori moleſtia. eruptio autem dentium

tium fit cum maximo cruciatu,ita vt dixerit Galenus perinde fieri,atque ſi gingiuę paxillo pertunderentur. & quia diximus eſſe dentitionem,dentis eruptionem,nunc videamus quid ſit dens.ſunt enim dentes oſſa ſentientia,quæ à Græcis appellantur ὀδόντες,& nos dentes dicimus eo quòd inſeruiant edendo; atque vtraque hæc ſententia,& Græco & Latino vocabulo accommodatur. Nicáder appellauit communi nomine dentes omnes κραντῆρας. quamquam ſic etiam appellari ſint duo poſteriores dentes.Et quia dixi dentes oſſa eſſe ſentiētia, ſciendum eſt inter veteres ſcriptores varias fuiſſe ſententias , vtrum debeant dentes numerari inter oſſa , necne. Hip.5.aphor.in eo aphor. vbi ſcribit frigidum eſſe inimicum oſſibus , & dentibus, manifeſtè videtur ſeiunxiſſe dentes,& oſſa. Ariſt. quoque pluribus in locis,& præſertim 3. de hiſt. anim.c.9. ſeparauit omnino dentes ab oſſibus. Ceterùm Gal.6. de vſu partium , & aliis in locis appellauit ſophiſtas Illos , qui diſtinguunt dentes ab oſſibus. In hac ſententiarum varietate ita puto ſtatuendum eſſe,quemmadmodum docuit ipſemet Ariſtotel. 2. de generatione animal. cap. 4. vbi ſcribit dentes , & oſſa ſecundum genus , & materiam idem eſſe ; differre autem ſecundum ſpeciem, & nomen. Differentia naturæ , & ſpeciei , quæ eſt inter oſſa & dentes , in multis poſita conſpicitur : primùm enim oſſa omnia in primo hominis ortu fiunt , dentes verò multis diebus poſt ortum. præterea oſſa vſque ad certum quendam vitæ terminum augentur,ſiue ſit vigeſimus ſecundus annus, ſiue paullo poſterior;dentes autem toto vitæ tempore augentur : oſſa ſecundum maiorem ſcriptorum partem ſenſu priuata ſunt , dentes non modò ſentiunt , verùm etiam exquiſitè interdum videntur ſentire. oſſa vbi ſemel è corpore extracta ſunt , numquam renaſcuntur (nam fit quidem in fracturis ſubſtantia quædam oſſibus ſimillima , ſed nunquam fit verum os.) dentes verò renaſcuntur poſtquam exempti ſunt è maxillis. Notat etiam Plinius lib.7.cap.16.dentes ſolos inter oſſa igne cremari non poſſe,& tamen putris pituitæ tabe corrumpi. Poſſumus & illud addere , dentes inter oſſa corporis noſtri medulla,& pinguedine carere;propter quod à canibus roduntur quidem alia oſſa , dentes verò nunquam , eo quòd nihil pinguedinis in eis inuenitur, ex quo patet etiam, vt dicebat Cornelius Celſus, eos eſſe corpora duriſſima.Ceterùm cum ſint dentes huiuſmodi,vt dictum eſt, non leuis eſt quæſtio, propter quam rationem non videantur ſuſtinere poſſe frigidum.Quam rem priſquam explicem , videndum eſt, an verum ſit dentes offendi ab omni frigido. etenim Serenus medicus inter alia præcepta , quæ reliquit nobis ad conſeruandos dentes, fuit vt creberrimè abluātur frigida lympha;experientia etiam comprobatam facit nobis hanc Sereni ſententiā, quandoquidem manifeſtiſſimum eſt aquam calidam, ſi frequenter ipſa abluantur dentes, eos magnopere corrumpere ; ſicuti certum eſt experientia, à frigido ſiue vino,ſiue aqua ablutos dentes mirificè conſeruari.Quid igitur dicendum eſt ? debemuſne exiſtimare Hippocratem nos fefelliſſe , quando ſcribit frigidū eſſe dentibus inimicū?Optarem ſanè,vt hanc rem ſatis arduam Gal. non pertrāſiiſſet ſilentio in eo cōmento;verumtamen quia id non fecit,ſum huius ſententiæ,verum dixiſſe Hippocratem, modò tamen accuratè & prudenter intelligatur. Nam frigidum duplex eſt, aliud quod eſt potentia tale, aliud quod eſt actu. De frigido actu non eſt exiſtimandum Hippocratem loquutum eſſe, quia quis vnquam audiuit etiam ſub extremo gelu dentes vnquam aut friguiſſe, aut moleſtiam peperiſſe?quocirca non eſt exiſtimandum Hippocratē de externo frigore,& actuali ſermonem feciſſe,ſed tantummodo de frigido,quod eſt potentia tale,atque non de omni tali frigido, ſed de eo tantummodò,qnod ſummè frigidū eſt;& quę ſit ratio, cur huiuſmodi frigidū magnopere noceat dentibus , præclariſſimè expoſuit nobis

Ariſt.

Ariſt.34. ſect. problematum,probl.2.& 3.quib: in locis quærens Philoſoph. cur:ſit quòd à frigido magis lædantur dentes, quàm caro, inquit eam eſſe rationem , quo niam dentes cùm ſint corpora duriſſima,maximè exiles poros habent,quo:fit vt ex ipſis omnis pene calor exſpirauerit;vnde cùm priuati ſint calore,non poſſunt vali- do frigori reſiſtere. Contrà autem carnes, cùm in ſe ipſis retineant multo plus ca- loris,conſequenter frigori multò magis reſiſtunt. Finis,propter quem geniti fuere dentes , hic communiter ab omnibus aſſignatur , vt poſſet præparari cibus. cùm enim homo,& omnia etiam animalia deberent nutriri cibo valdè diſſimili, neceſ- ſe erat multas tractationes, & præparationes ſubire ; & quia eſſe plerunque debe- bat cibus ſolidus,fuit quoque neceſſe,vt aliqua inſtrumenta pararet natura,quibus ſolidiores cibos frangeret ; & propterea fabricauit dentes, quibus etiam deinceps in multos alios vtiliſſimos vſus vti voluit: nam vt docuit Gal.6.de vſu partium,& Ariſt.in lib.de animalibus, vſa eſt natura dentibus in hominibus ad ſermonem for- mandum ; quandoquidem vbi lingua variis modis ad dentes ipſos appellit , varie- tatem ſermonis facit. vſa eſt etiam dentibus in alium non contemnendum finem, vt dicit Gal. 6. de vſu partium cap. 4. & 6. epid. tex. 23. nimirum ad diſcernen- dos ſapores , propter quem vſum inquit Galenus: eos donatos fuiſſe à natura neruis mollibus. Naſcuntur autem dentes poſt ortum hominis , & in brutis in vtero , non ob aliud quidem , niſi quia in vtero brutorum ſuppetit excrementum ad generationem dentium,in homine nequaquam. Quæ res vt exactè intelligatur, illud ſciendum eſt, quod ſcriptum reliquit Hippocrates in libro de carnibus, ſcili- cet oſſa capitis nutriri humido pingui,glutinoſo,& terreſtri;quo nutrimento cùm oſſa prædicta ſatis ſuperque ſatiata ſunt, excrementum pingue , & aduſtum, quod ſupereſt,natura ad generationem,& continuum augmentum ipſorum dentiū vſur- pat;qui dentes,vt dixi, in omnibus ferè animalibus ſeparati gignuntur;verùm ſunt reperti aliqui viri , in quibus ita continui erant geniti , vt videretur vnus dens; quemadmodum de Pyrrho rege Epirotarum prolatum eſt , & Herodotus de quo- dam alio narrat. Cùm itaque ex huiuſmodi materia generationem ſuam habeant dentes ; in brutis , dum ſunt in vtero, ſuppetit huiuſmodi materia ; quoniam ſan- guis brutorum multo terreſtrior eſt , quàm ſanguis hominis, qui cùm non habeat eiuſmodi ſanguinem , quo alatur , fit conſequenter vt illi non ſuppetat excremen- tum,ex quo poſſint generari dentes. quòd ſi aliqui ſint reperti , qui cum dentibus in hanc lucem venerint, vt relatum eſt de Marco Curio dentato, & de quodā alio Romano,id fuit per accidens ; quia ſcilicet contigit in eo particulari indiuiduo re- periri materiam in vtero, ex qua potuerint dentes fieri. Sed etiam alia fuit cauſſa, propter quam natura animalium ſalutis amantiſſima voluit bruta cum dentibus naſci,& non hominem;ſiquidem cùm deberent animalia ſtatim ac in lucem veniūt, deferri à propriis parentibus, opus erat , vt poſſent ſeſe ſtatim ſuſtentare ; id quod vt agere commodè poſſent,voluit eos dentibus armare;homo autem,quia debebat à parentibus ſuis & amari, & ſuſtentari,multo ſatius duxit ipſum armare dentibus multo tempore poſt ortum, quàm in ipſo vtero;eo maximè quòd nulli vſui,neque eo tempore,neque etiam aliquot menſibus poſt ortum eſſe poſſent. Democritus, à quo Hippocrates noſter multa bona didicit , eam ſententiam habuit , dentes ani- malibus,& præſertim homini decidere,quoniam præter tempus oriuntur,hoc eſt, præter naturæ inſtitutum. Voluit enim hic Philoſophus ortus dentium naturale tempus eſſe ætatem vigentem.Sed quoniam hæc ſententia ſatis refutata fuit ab A- riſt.5.de generatione animal.8.id tantū dicendū eſt,quod & ipſemet Ariſt. & Hip- pocrates in lib. de princip. dixere, decidere dentes , quoniam oriuntur ex materia

admodum

admodum fluxili, minimè tenaci,minimè;durarenaſci autem dentes dicebat Ariſt. eo quia fiunt ex oſſe adhuc naſcente;vt nulla etiam ſit cauſſa aſſignanda augmenti dentium, niſi ea, quòd cùm gignantur ex materia, quæ ſupereſt alimento oſſium capitis, cúmque ſemper huiuſmodi materia ſuppetat, conſequenter ſit, vt, etiam dentes decidentes renaſcantur. Ceterùm finis, propter quem natura comparatum fuit, vt dentes ſoli inter oſſa vſque ad finem vitæ augeantur, hic vnus fuit, vt repararentur, ne prius corrumperentur, quàm homo moreretur. nam quoniam continuo opus eſt dentium vſu in terendis cibis, neceſſarium fuit, vt ſubſtantia ipſorum imminueretur, & ob id niſi continuo augmento repararentur, fierent homines, & animalia ſine dentibus, priuſquam morerentur, atque ita malè conſultum eſſet à natura. Tempus, quo dentes oriri incipiunt, ab omnibus definitum eſt ſeptimus ætatis menſis, ante quod tempus veteres in vſu habuerunt cadauera non cremare; verum quidem eſt nonnullis etiam infantibus ante ſeptimum menſem oriri dentes, cuius rationem ſcripſit Ariſt.loco citato, & 7.de hiſt. animal.c.10.ſcilicet lactis ipſius caliditatem;vt quicumque infantes calidiore lacte veſcuntur, iis properet ortus dentium. Tempus durationis ortus dentium definitum fuit ab Hippocrate primus ſeptenarius annorum, & ſecundus,poſt ſecundum ſeptenarium; paucis enim amplius naſcuntur dentes,præterquam poſteriores,gemini à Plinio vocati, qui interdum oriuntur etiam octuageſimo ætatis anno.quæ forſan fuit ratio, propter quam & Hippocrates, & Ruffus medicus appellarunt hos dentes σωφρονιςῆρας, quaſi tunc oriantur,quando homines iã ſapiunt. Ceterùm de numero dentium inuenio inter ſcriptores nonnihil varietatis. Hippocrates, & Galenus 2.de vſu partium 6. atque omnes ferè, immo verò ipſa experientia docet homini triginta duos dentes innaſci. Referunt autem nonnulli de populis Turdulis vocatis,qui ſunt in Hiſpania,eos habere plures dentes,quàm triginta duos, ſed forſan hoc etiam fabuloſum eſt. Ariſtot.2.de hiſt.animal.cap.3.turpi quodam errore dixit,viros plures dentes habere, quàm fœminas; qui error Ariſt.fecit errare & Plinium, & Albertum Magnum, & omnes qui ipſum ſequuti ſunt, immo verò auctor illius libri ſub nomine Galeni de ordine partiũ corporis auſus eſt affirmare viros triginta duos dentes habere,fœminas autẽ ſolos triginta.Sanè quomodo diuinus Philoſophus in hunc errorẽ puerilẽ lapſus fuerit,ego intelligere non poſſum, niſi forſan, vt exiſtimauit Albertus Magnus, hac ratione deceptus ſit, quòd viri ſint calidiores, fœminæ autem frigidiores. Sed hac ratione deberet mulier plures dentes habere quàm vir; quia cùm debeant dentes inſeruire præparationi ciborum; mulieres, quæ ſunt frigidiores, & conſequenter minus cibos digerunt, iure egent maiori præparatione, & conſequenter pluribus dentibus.Scio & Hippocratem,& Ariſt.prodidiſſe,quæ habent plures dentes animalia,eſſe viuaciora, ſed hoc etiam non ita vſu compertum eſt, cùm elephas ſit viuaciſſimus,& paucos habeat dentes;niſi velimus dicere hanc ſententiam veram eſſe in genere humano tantùm; & iccirco inductum fuiſſe Ariſt.ad exiſtimandum fœminas habere pauciores dentes, quia ſunt minus viuaces. Sed vtcunque ſit, experientia oſtendit tot eſſe dentes mulieribus, quot ſint & viris. Ordo dentium hic eſt, anteriores ſupra & infra quatuor ſunt, qui τομεῖς à Græcis vocantur, noſtri inciſores appellant; atque qui priores oriuntur, fiunt ex materia tenuiori, quæ citiùs ſuppetit, quàm materia terreſtris; & qui fiunt ex hac materia, etiam infirmiores ſunt,vt & prius cadũt ceteris, & facilius frangantur. Proximi his vtrinque ſunt qui appellantur κυνόδοντες, noſtri caninos dentes vocant,quorũ munus eſt frangere; &,vt dicebat Ariſtoteles, ſicuti prius eſt incidere, quàm frangere, ita quoque prius ſunt inciſorij, deinde

fractorij.

fractorij. Proximi his oriuntur dentes molares, vocati à Græcis γομφίοι, ſicuti ortus ipſorum vocatur γομφιασμός. iſti enim quoniam naſcuntur ex duriori materia, & terreſtriori, fit vt tardius erumpant. Poſtremi omnium ſunt gemini, ſeu σωφρονιστῆρες, qui nunquam renaſcuntur. Cur autem tot mala ſuſtineant infantes, cùm dentes oriuntur,iam ex diſcurſu colligere facile eſt. nam ſi orirentur dentes, dum infans eſt in vtero,expers eſſet huius moleſtiæ.quia igitur oriuntur poſt exitum ab vtero, & quo tempore adhuc gingiuæ tenerrimæ ſunt, ac certum eſt, vbi partes corporis noſtri teneræ à re dura pertunduntur,ſuboriri magnos cruciatus, rationi conſentaneum eſt, vt etiam in pueris hoc tempore magni dolores fiant. Vnde ſi affectum ipſum ſpectemus, dentitio eſt ſymptoma in genere actionis tactoriæ deprauatæ. Sed ſi cauſſam continentem ſpectemus, eſt morbus factus à ſolutione continuitatis;& ab ipſa intemperie calida; vt intemperies calida poſterius, ſolutio autem prius fiat. Solutionis autem continui cauſſa eſt motus, & impulſio rei duræ per teneras gingiuarum partes. aër etiam tanquam cauſſa quædam externa magnopere confert ad generationem ipſorum dentium; propter quod Hippocrates lib. de dentitione dicebat, dentitionem, quæ fit hieme, ſalubriorem eſſe illa, quæ fit quouis alio tempore. Raſes autem lib. 10. continentis diuerſas paullo ſententias videtur habuiſſe, cùm ſcribat dentitionem, quæ fit verè, eſſe minus moleſtam; quæ fit autem æſtate, fieri cum pauco dolore. Sed multo potior mihi videtur ſententia ipſius Hippocratis, quamquam dicere poſſimus diuerſa ratione poſſe dentitionem meliorem eſſe verno tempore, & meliorem hieme; ita vt hieme quidem fiant minores dolores;ſed qui fiunt,periculoſiores ſimul ſunt, quàm tempore æſtatis, & veris. Ceterùm non eſt difficile cognoſcere, quando pueri hoc affectu laborant, quoniam clamant, alui fluxu tentantur; dum mammas ſugunt, gingiuis arctè papillas ſtringunt; ora illorum veluti incenduntur, & cùm gingiuæ fricantur, veluti demulcentur. Dicebat Hipp. lib. de dentitione, minus moleſtari conuulſione pueros, quibus in dentitione aluus fluit, etiam ſi febre teneantur; eos autem, qui ſunt pinguiores, magis turbari, quàm macilentiores. Illud tamen verum eſt, quod ſcribit Hipp.3.aphor. 22.à dentitione fieri in infantibus conuulſiones,febres,& alia mala; propter quod non eſt opus negligere huius affectus curationem, quæ tota poſita eſt in hoc, vt dolor ſedetur, & reddatur facilis eruptio ipſius dentis,quod comparatur facillimè, ſi incendium, ſeu illa intemperies mitigetur;& ſi gingiuæ ita laxæ reddantur,vt poſſit citra inſignem perforationem dens extuberare.& ideo ſtudendum eſt, vt nutrix hoc tempore abſtineat ab vſu ciborũ calefacientium,ab vſu vini,& vtatur cibis refrigerantibus: vt eſt lactuca, endiuia, pultes ex hordeo,& quicquid refrigerare poteſt. Quo in caſu debet nutrix curare, vt papillæ ſemper frigidæ ſint;id enim ſolet maximum eſſe refrigerium infanti ſugenti. Vt autem prouideatur ipſis gingiuis,debent nutrices cauere,ne hoc tempore cibum vllum durum mandant; poſt prouidendum eſt ipſis gingiuis, vt refrigerentur,& vt laxæ reddantur. Inter refrigerantia eſt ſuccus maluæ, ſuccus lactucæ; & ſoleo ego huiuſmodi linimentum componere. Recipe ſucci maluæ vnc.s.butyri aqua maluæ loti vnc. 1. dimidium vitelli oui, miſce, & fiat linimentum, quo gingiuæ perungantur. Sed quia ſæpe fit, vt neque hoc remedio incendium extingui poſſit, ad magis refrigerantia accedendum vſque ad ſuccum ſolatri, exempli gratia: Recipe ſucci ſolatri vnc. s. olei roſati drach. 6. butyri aqua lactucæ loti drach. 3. miſce, & cum hoc frigido actu inungantur gingiuæ. & aduertendum quo tempore inunguntur, eſſe etiam procurandum, vt gingiuæ digito pariter fricentur. hoc enim ſolet demulcere dolorem dentitionis. Ad laxandas autem gingi-

uas

uas omnia ſunt in vſu, quæ nonnihil pinguedinis habent, non eius tamen, quæ ſit combuſtibilis, quemadmodum ſunt adipes: eapropter laudatur à proprietate lac caninum. Aëtius laudat mel coctum. Galenus verò, quē penè ſequuti ſunt omnes, 11. de ſimplici medicina mirificè extollit cerebrum leporinum elixum, & ego hoc ſoleo vti; ſed vbi hoc non ſuppetit, cerebrum hœdi, vel gallinarum confert. Præter hæc remedia, quæ intus adminiſtrantur, ſunt alia, quæ extrinſecus collo appenſa, & intus adhibita arcana proprietate proſunt. nam cinis dentis canis rabidi gingiuis affricatus, vt dicunt, facilem reddit dentitionem. Sic dens apri collo alligatus exiſtimatur prodeſſe; dens etiam lupi. propter quod non ineptè faciunt noſtrates mulieres, quæ vnà cum corallis infantium collis appendunt huiuſmodi dentes. Sic exiſtimatur prodeſſe iaſpis viridis collo appenſus, ita vt ſtomachum tangat. dens viperæ maris ſimiliter appenſus iuuat. dicunt quoque radicem colocynthidis ſylueſtris annulo, ſeu canali aureo, vel argenteo incluſam facilem efficere dentitionem. Atque hucuſque ſunt morbi ventris ſuperioris, qui gignuntur in pueris.

De Singultu.

CAPVT XVII.

SEquitur vt ventris inferni morbos pertractemus. Eſt autem infernus vēter vniuerſus ille locus, in quo viſcera naturalia collocata ſunt; quæ tametſi complura ſint, tria tamen potiora ſunt, in quibus pueri ſolent morbos experiri. Primò, ſtomachus, quem dicebat Hippocr. lib. 1. de diæta, inſtar maris dare, & accipere ab vniuerſo corpore. Secundò, veſica. Tertiò, inteſtina. De ſtomachi autem morbis primò loquar, qui duo præcipui ſunt, ſingultus, & vomitus. Singultus, ab hoc enim exordiar, à Græcis ſcriptoribus vocatus eſt modò λύγξ, modò λυγμός: atque inter eos morbos recenſetur, qui frequentiſſimè pueros inuadunt. Sed priuſquam vlterius progrediamur, ſciendum, hoc nomen ſingultus apud Græcos, & Latinos ſcriptores duos affectus deſignare. Vnum, qui fit in ventriculo, & de quo ſolùm locus hic poſtulat, vt loquamur. Alterum in pectore, & in thorace, de quo loquitur Ariſt. 38. probl. ſect. 1. quíque contingere ſolet plorantibus, præſertim verò pueris, & mulieribus; qui ſingultus nihil aliud eſt, niſi interceptio quædam ſpiritus, & vehemens eiuſdem eruptio. Cauſſæ verò, propter quas pueri omnium facillimè vtrumque hunc ſingultum experiuntur, variæ & diuerſæ ſunt. Primùm enim ſingultus ſtomachi fit frequenter in pueris, vt dicebat Gal. 6. aphor. 13. quod pueri inſtar brutorum & lacte, & cibis magnopere repleantur; ita vt vis ventriculi plenitudine coacta hunc morbum edere cogatur. Cur autem pueri potiſſimùm inter plorandum ſingultiant, ea vna ratio eſt, quòd vehementes paſſiones habent, præſertim verò iram, & voluptatem, vt dicebat Plato. vbi autem vehemens fit paſſio, vehemens quoque fit in corde agitatio; ad quod confert maximè ipſius immenſa caliditas, atque vbi magna facta eſt agitatio, ſpiritus magno impetu emittitur; qui cùm confertim exire nequeat, intercipitur, atque interceptus quaſi ſubſultans, dum iterum egredi vult, ſingultus edit; quos etiam ſuſtinere mulieres faciliter ex eo puto, quòd & ipſæ vehementer paſſionibus, & præſertim ira ſollicitantur. Sed de hoc ſingultu, qui eſt affectus thoracis, vt ait Ariſtot. locus non poſtulat, vt dicamus. Sed de hoc loquemur, qui eſt affectus ventriculi, quíque, vt docet

Gal. lib. 3. de ſymptom. cauſſis cap. 2. & 6. aphor. 39. eſt motus conuulſioni ſimilis,quo ventriculus noxas ori eius infixas expellere conatur. Eſt enim ſingultus motus, & propterea res præter naturam; quandoquidem à natura comparatum eſt, vt ventriculus pro perficienda coctione in ſumma quiete, & tranquillitate degat,nec alio pacto vnquam moueatur, niſi à circumferentia ad centrum, atque id blandiſſimè, ſcilicet, vt alimentum coquendum arctè complectatur. In ſingultu autem primùm mouetur ventriculus, & motus eius eſt à centro ad circumferentiam,ſecus ſcilicet quàm à natura ſit comparatum.& quamquam dixerim eſſe motū præter naturam,attamen ſciendum eſt motū hunc non ab anima fieri,ſed à natura; à natura (inquam) non legitimè operante,ſed coactè.Eſt motus ſimilis cōuulſioni, quia,vt dicebat Gal.loco citato,ſingultus nequaquam vera conuulſio eſt,quia vera conuulſio eſt opus muſculorū,iam verò vētriculus muſculis vndequaq; deſtitutus eſt:ſimilis tamen eſt cōuulſioni,eo quia ſit hic motus eo pacto,quo ſiunt ſpaſmi,& conuulſiones.Dictum quoq; eſt ſieri hunc motum ad expellēdas noxas ori ventriculi affixas;dicit enim Gal.6.aphor.39. quæ moleſtant ventriculū,aut poſita eſſe in ſpatio,aut in ſubſtantia vētriculi ipſius.Quæ poſita ſunt in ſpatio,ſolo vomitu eiiciuntur;quæ autē infixa ſunt ſubſtātiæ vētriculi,ſi ſuperficie tenus infigantur,præſertim in ore nauſeas cient;ſed ſi penitus infigantur,nō nauſeas,ſed ſingultus inducunt. Ex his omnibus perſpicuū vnicuique eſſe poteſt, hunc puerilem affectum ſymptoma eſſe in genere actionum læſarum,nimirum in genere motuum deprauatorum.Læditur autem hæc actio proculdubio,quia,vt fuit Gal.ſententia 3.de ſymptom.cauſſis cap.2.læditur facultas, tum expulſiua, tum retentiua; quia facultates lædi ſolent à morbis. atqui morbi ſunt in hoc affectu, & in mala temperie, præſertim frigida, & in continui ſolutione. Locus autem affectus eſt ventriculus, præſertim verò eius os. Sed video aliquem dubitare poſſe, quî ſieri poſſit, vt facultas retentrix in ſingultu lædatur, quia eſt motus conuulſioni ſimilis, & in conuulſione perſpectum eſt ſolam expultricem lædi; atqui ſcimus lædi retentricem, quando non retinet id, quod retineri deberet in ſingultu, cùm res ſit aduerſus materiam pernicioſam, eapropter non eſt vllo pacto res retinenda. ergo non videtur læſa eſſe retentrix. Explicat hunc locum Galenus loco citato, vbi docet in ſingultu primariò, per ſe, & ſemper lædi expultricem: per accidens autem, & non ſemper lædi retentricem. nam vbi in ventriculo altè ſit quidpiam infixum, quod ſtimulet materiam, vix expultrix inſurgit ad eam expellendam. Sed ſi interdum contingat, vt ventriculus, vel lacte, vel quopiam alio alimento plenus inueniatur, ſit vt ex eo motu retentrix offenſa minimè alimentum retinere poſſit, & propterea illud reiiciat. Vnde patet quomodo retentrix facultas in ſingultu non ſemper oblædatur. Cauſſæ ſingultus duobus generibus complexæ ſunt ab Hippocrate, nimirum inanitione, & repletione. Ceterùm in pueris ſiunt ſingultus, vt teſtatur Galen. 6. aphoriſ. 13. & vt colligitur ex 8. lib. de medicamentis local. cap. 3. à copia, vel qualitate lactis, aut nutrimenti: interdum autem, ſed rarò ob inanitionem. copiam lactis & nutrimenti offendere expulſiuam, non eſt opus vt longo ſermone probemus. pariter etiam clarum eſſe vnicuique poteſt, lac, aut aliud nutrimentum, ſi frigidius reddatur, ſiue acre, & mordax, expulſiuam facultatem vehementer ſtimulare, & conſequenter hunc affectum efficere. Internæ autem cauſſæ præternaturales huius mali ſunt longæ febres ardentes; ſluxus ſanguinis, vomitus creberrimi, inedia. Externæ verò cauſſæ ſunt aër frigidus; cibus acris, vt piper, pharmaca calida, & acria. Singultum cognoſcere non eſt arduum; quia ſtatim ipſo adſpectu proditur. nam eſt vulgare prouerbium, nec

ſingul

ſingultum,nec amorem celari poſſe. Sed ſi ſingultus fiat à plenitudine, cognoſcitur,quia pueri voraces ſunt,vomitus ſuccedunt ſingultui,fluxus ſanguinis, & euacuatio ſanat ipſos.Si fiat à frigiditate,cognoſcitur,quia nutrix frigidis eduliis veſcitur. adhæc cognoſcitur ex externis cauſſis prægreſſis ; & ſi ventriculi puerorum vel fomentis , vel pannis calidis foueantur , ſtatim ſingultire deſinunt. Si fiat ab euacuatione, cognoſcitur, quia, vel inediæ, vel fluxus, vel vomitus præceſſerunt. Sed ſi fiat propter acrimoniam , cognoſcitur , quoniam vel cibi in ipſis corrumpuntur , vel cùm ſit lac acre , & mordax , frequenter & dolere , & plorare conſueuerunt infantes. Ceterùm eſt ſingultus in pueris maximè ſalutaris. Sed ſi fiat ex inanitione,eſt exitialis,quia cùm pueri ſint ſua natura humidiſſimi,& pleni, ſi quandoque vehementer exſiccentur , cùm id fiat tantummodò ab excellenti cauſſa, difficiliter reſtituuntur. Pari pacto ſi fiat ſingultus,vel cum epilepſia,vel cũ alio conuulſionis genere , nemo vnquam euadit. Si fiat à frigida intemperie, vnus debet eſſe præcipuus ſcopus , vt ventriculus calefiat tum internis remediis, tum maximè externis. & quia vtraque remedia in hac ætate & iucunda, & facilia eſſe debent , interiùs propinandum eſt modicum vel ſyrupi de mentha , vel de betonica ; exterius verò agendum eſt & pannis calidioribus & emplaſtris,& inunctionibus. emplaſtrum hoc accommodatum erit : Recipe florum chamæmeli, roſarum an. p. 1. foliorum ſiſymbrij , origani , calaminthæ an. m. 1. bulliant omnia in vino , & fiat emplaſma , quod ventriculi ori apponantur. Conuenit etiam huiuſmodi linimentum: Recipe olei anethini,de mentha an. drach.3.croci ſcrup. s. vitelli oui dimidium, miſceantur omnia , & ori ventriculi illinantur. Si fiat vitio lactis, ſpectandum eſt , an copia malum faciat, an potius qualitas. Si enim fiat ſingultus ob nimiam lactis copiam , ſtudendum eſt vt infans modicum lactis ſugat. idem quoque agendum erit , ſi propter nimium cibum pueri ſingultiant, ſcilicet vt parcius alantur. Si fiat ob lactis acrimoniam,purganda eſt nutrix, vt ſæpenumero docui. præterea ore adminiſtrari debet puero aliquid , quod conferat. Auicennas laudat nucis Indicæ medullam vnà cum ſaccharo. Ego ſoleo vti ſaccharo roſaceo cum bolo armeno, vt, Recipe ſacchari roſacei vnc. s. boli armeni ſcrup.s.fiat mixtura , cuius modica quantitas in os infantis mittitur. Si ex euacuatione fiat ſingultus , balnea conueniunt ex aqua dulci , & ex brodio. cibus ſit in adultioribus ex vitellis ouorum , ex teſticulis gallorum , & ex omni ciborum genere,qui & nutriant accommodatè,& faciliter coquantur. Sunt etiã quædam medicaméta peculiaria, quæ ſecreta qualitate putantur finire ſingultus. Dioſcorides enim, & Plutarchus 3.Sympoſiacorum 1.ſcribunt eam herbam,quæ vocatur alyſſum, ſiue manu teneatur , ſiue adſpiciatur , ſiue odoretur , mirabiliter ſingultus finire ; & , vt dixi , hoc facit proprietate ſubſtantiæ , ob quam dicebat Galen. 6. medic. ſimpl. huiuſmodi herbam etiam mederi rabiei canum. Rabbi Moyſes ſcribit eſſe quoſdam motus , qui ſi ab hominibus retineantur , ſolent finire ſingultus. nam quanto magis poſſunt ſeſe abſtinere ab aliquo horum motuum , eo magis vtilitatem capiunt. Sic & à Plat. & ab Hippoc. & ab Ariſtot. ſcriptum eſt, ſternutamentum, potum aquæ, ſpiritus retentionem ſingultus omnes curare ; ſed hæc in pueris, & infantibus difficillima præſidia ſunt.

De Nauſea, & Vomitu.

CAPVT XVIII.

PRæter ſingultum ſcribit Hipp. 3. aphor. 24. frequentiſſimè fieri in pueris duo alia vitia,nimirum Nauſeam, & Vomitum; qui affectus motus ſunt facultatis expultricis ad depellendas à ventriculo noxas. etenim materia, quæ infeſtat ventriculum,aut altè infixa eſt ori vẽtriculi,& ſingultum facit;aut eſt infixa quidẽ,ſed non adeo profundè, & vel in ore ventriculi, vel in tunicis eius, & nauſea fit,quæ eſt vanus vomendi appetitus;aut materia continetur in ſpatio, atque ita vomitum efficit. Tam verò nauſea, quàm vomitus ſymptomata ſunt in genere motuum deprauatorum;ſic enim magis libet appellare cum Galen.3.de ſympt.cauſſis 2.quàm recenſere inter excrementa mutata. Actio hæc læſa fit à facultate, vel eſſentialiter læſa,vel per accidens. Læditur enim eſſentialiter facultas,vt dicebat Gal.1. c. 3. de ſympt.cauſſis,à morbo. Læditur autem per accidens,vel ab humoribus,vel ab alia re externa. Locus affectus eſt ventriculus totus,præſertim verò ſecundum os. Sed priuſquam cauſſas huius mali aggrediar,duo pulcherrima problemata diſſoluenda ſunt.Vnum eſt quod maximè facit ad hanc tractationem,ſcilicet cur pueri, quemadmodum dicit Hippocrates,& Galenus,ità frequenter,& vomitu,& nauſea tẽtẽtur. Aliud,quod quidem pulchrum eſt,ſed veluti obiter dictum, cur ſit, quòd animalia bruta hos motus preternaturales ferè numquam ſuſtineant circa ventriculũ; nam etſi ſine vllo delectu, ſine vlla ratione impleant ſæpe ventriculum ; attamen nulla bruta ſingultiunt,nulla penè ructus emittunt,pauciſſima vomunt. Etſi enim Ariſt.in fine libri de hiſt. animal. ſcribat;animalia,quæ latum pectus habent, eſſe ad vomitum propenſiora; inter belluas tamen paucæ ſunt, quæ vomunt.immo verò Plinius lib. 11. cap. 37.ſcribit ſolos canes vomere, eo quòd inteſtina ipſorum in extremis anguſtiora ſunt,ita vt retenta ob anguſtiam excrementa veluti reſtagnẽt in ventriculum.Sed hæc opinio Plinij falſa eſt,quandoquidem etiam feles,& cati vomunt,& ſues,vt à Columella lib.7.cap.10.ſcriptum eſt.Ariſt.etiam 5.de hiſt.animal. cap. 5. hyænam dicit vomere;ſed vtcumque ſit, pauciſſima ſunt bruta in hac animalium ſylua quæ vomitu tententur. Pro primi problematis ſolutione dicendum veram cauſſam,& à Galeno propoſitam,cur pueri frequenter vomitu tententur,eam eſſe quòd ventriculum maximè laxum, & humidum habẽt,ſicut enim ſiccitas mirificè cõfert ad retinendũ, haud ſecus mollities & humiditas valent ad nõ retinendum.Accedit etiam pueros nihil exſpuere, non emungere nares, & tamen caput excrementis, & humiditatibus refertiſſimum habere, quo fit, vt huiuſmodi copioſa excrementa in ventriculum delabantur, eóque delata huiuſmodi detrimenta inferant. Ad ſecundum autem problema à nemine forſan propoſitum, dicendum animalia bruta ventriculum,& duriorem,& robuſtiorem eſſe nacta,quòd enim duriorem ventriculum habeant præclariſſimè indicauit diuinus Hipp. 4.de morbis non longè à fine;vbi ſcribit Aphricanos populos conſueuiſſe pellibus animalium vti pro indumentis; ventriculis autem pro crumenis; ſcilicet ob eorũ duritiem inſignem. Sed & illud etiam efficaciſſimum argumentum eſt eorum duritiei,quòd cibis ſpinoſis, ſiccis, & duris veſcantur, quæ proculdubio ciborum genera, niſi ventriculos duros reperirent, eos neceſſariò ſauciarent. Habere etiam belluas robuſtos ventriculos, poſſumus & aliis argumentis coniicere. nam vacant

curi

curis, vacant animi paſſionibus, vtuntur plerumque ſimplici cibo, quæ omnia ſolent in homine maximè ventriculum violare;& præſertim curæ animi,& ſtudia.ob quæ ſolebat dicere Cornelius Celſus maiorem partem vrbanorum, & eorum, qui literis operam nauant, ventriculo imbecillo eſſe. His itaque de cauſis animalia ratione carentia motus præternaturales in ventriculo non ſentiunt, quos ſentit homo; & præſertim infans.Peculiariter verò cur animalia non eructent, explicatum fuit ab Ariſt. 10.particula probl. 43.vbi ſcribit,quòd cùm eructatio ſit motus quidam flatus ad partes ſupernas,bruta cùm ſicca ſint,& collum longum habeant, ac propterea ventriculum remotiorem ab ore,fit vt minus flatuum gignant, & etiam flatus genitos potius ad inteſtina, quàm ad os ob itineris longitudinem mittant. Quo in loco non poſſum tacere oſcitantiam Ariſt. qui 33. particula problem. 15. dixit,homines magis dormientes, quàm vigilantes eructare; quæ res licet forſan non ſit ita rationi diſſentanea,eſt tamen aduerſus quotidianam experientiam,cùm vigilantes innumeri,pauciſſimi dormientes flatus per os mittant. Ceterùm cur canes, & feles vomant, longè alia ratio eſt, quàm quæ propoſita fuit à Plinio. ſi quidem huiuſmodi animalia cùm ſiccum,& planè excarnem ventriculum habeāt, neceſſe eſt, vt is ſit ipſis valde imbecillis. Accedit etiam, quòd hæc animalia vtantur oſſibus, ſpinis pinguibus, quæ omnia in ventriculo imbecillo facere vomitum non eſt mirum. Sues autem vomere apud paucos, excepto Columella, reperio; id tamen ſi verum eſt, totum tribui debet & pectoris amplitudini, de qua loquebatur Ariſt. & quia ſemper os ad terram tendunt, & magna parte iacent ventre in terra poſito. De hyena verò ſcribit Ariſt. non hoc animal vomere,ſed vt venetur canes vomitum humanum imitari,quo maximè delectari ſolent canes;verùm, vt dixi, hæc obiter. Cauſſæ vomitus, & nauſeæ in pueris illæ ipſæ ſunt,quæ potiſſimùm à Galeno proponuntur, ſcilicet laxitas, & humiditas ventriculi, copia frigidorum humorum delabentium à capite, copia lactis, vel cibi; acrimonia, & frigiditas ipſius lactis. Cauſſæ verò externæ ſunt, aër grauis, fœtor, & ſapor ingratus, vſus rerum oleaginoſarum, & pinguium. Ariſt.3.ſect.probl.dicebat vinum dilutum nimis excitare vomitum magis quàm vinum, & aquam ſeparatim. Cognoſcitur autē vomitus ſuis ſignis, quoniam eſt motus manifeſtus ſuapte natura; ſed ſi fiat à frigiditate, cognoſcitur ex vita antecedente nutricis, quæ vſa ſit victu refrigerante,aut potu aquæ nimio;cognoſcitur etiam;quoniam vſu calidorum malum leuatur.Sin autem fiat ob acrimoniam lactis, ex eo cognoſcitur, quia & ante vomitum, & poſt vomitum miſeri pueri languent, & affliguntur. Sin autem ob copiam vomitus efficiatur, cognoſcitur, quia facto vomitu malum leuatur. nam dicebat Ariſt. 5.ſect. problem.etiam laxitudinem vomitu finiri, quotieſcunque illo euacuantur illa excrementa, quæ laxitudinem inducebant. Pariter ſi fiat vomitus propter cauſſas externas,cognoſcitur,quia ipſæ nutrices, & alij referunt errata cōmiſſa, in quibus perquirendis laudo, vt diligentia adhibeatur. Ceterùm vomitus facilis curatu eſſe ſolet in pueris,ſed ſi diu perſeueret, in atrophiam, & tandem in mortem deſinere conſueuit, quo fit,vt debeant medici vigilantes eſſe in comprimendo hoc affectu.itaque vomitus,& nauſea puerorum, quæ fit à copia lactis, & alimenti,potiſſimùm curatur lactis & alimenti diminutione,vt dicebam de ſingulu.Quocirca in huius affectus curatione inſtituenda illud primum erit curandum, vt infans moderatam lactis copiam ſumat.Sed ſi fiat vomitus ob acrem lactis qualitatem, primùm nutricis lac corrigendum erit victu, qui poſſit retundere lactis acrimoniam, deinde corporis purgatione, de qua ſæpe, ac ſæpiùs loquutus ſum. Sed ſi purgatio non ſufficiat lactis prauitatem corrigere, ſecundum erit, vt nutrix

quamprimùm mutetur. nam ſunt quædam lactis genera, quæ vſque adeò infantiũ ventriculis ſunt aduerſa, vt nulla induſtria, nullóque ſtudio corrigi poſſint. Verùm ſi ob ſtomachi imbecillitatem huiuſmodi vitium oriatur, paulo maiori cura opus eſt, vt confirmetur ventriculus infantis. Laudabat magnopere Auicennas vſum caryophyllorum, coriandrorum. quocirca poterit nutrix mandere vel caryophyllos, vel coriandrum, atque ita commanſum inſtillare in os infantis modò ſolum, modò permiſtum, aut ſyrupo cydoniorum, aut de granatis, aut myrtino. Extrinſecus multa adminiſtrari ſolent ad coërcendos puerorum vomitus, in primis emplaſtrum de cruſta panis accommodatiſſimum eſt, fit autem hoc pacto. accipitur magna panis cruſta, & ſuper carbonem aſſatur, vbi aſſata eſt, immaceratur vel vino auſtero, vel aceto. deinde ità immaceratæ cruſtæ inſpergitur hic puluis. Recipe thuris, maſticis an. drach. s. coriandrorum, caryophyllorum an. ſcrup. 1. puluerizentur ſimul, & inſpergantur. Hoc ſi non iuuat, fiat pari pacto emplaſma ex albumine ouorũ, thure, maſtice, & bolo armeno; exempli gratia. Recipe albumen oui, boli armeni, thuris, maſticis an. drach. 1. miſceantur diligenter, & panno lineo excepta calida ori ventriculi apponantur. Soleo ego parare ceratum, quod continuò geſtet infans ſupra ventriculum. Recipe olei myrtini drach. 2. ſucci omphacini drach. 1. s. vini auſteri rubri drach. 1. bulliant in duplici vaſe, ad conſumptionem vini; deinde adde maſticis, myrrhæ, acaciæ, thuris an. ſcrup. s. ceræ quantum ſufficit, & reſinæ: fiat molle ceratum. Commendatum etiam eſt corallium appenſum collo, ita vt tangat ventriculum; cuius vſum ego quoque non damno.

De Vrinæ incontinentia.

CAPVT XIX.

SEquuntur vitia veſicæ, quæ omnia penè poſita ſunt in vitiata mictione. Vitiatur autem in pueris mictio dupliciter; vel quia ſponte omni tempore vrina fluit, ita vt contineri nequaquam poſſit: vel alio modo vitiatur, quoniam minimè reddi poteſt. Vrinæ incontinentia, de qua nunc ſum loquuturus, appellatur à Græcis ſcriptoribus ἐνέρησις. Latini dicunt modò immictionem, modò imminge-re, modò immeiere: & eſt affectus præter naturã, quo pueri inuiti vrinam reddunt omni tempore. Dixi non ſine ratione, omni tempore, quia pueri, & præſertim adultiores, quemadmodum etiam & ebrij, noctu ſæpe immingunt, hoc eſt, ſponte vrinam in lectum profundunt; quæ profuſio nequaquaquam morboſa eſt. nam Ariſt. 3 probl. vlt. ſect. quærens rationem cur adoleſcentes, præſertim verò quando inebriantur, magis mingant, quàm ſenes, dicit duas ob cauſſas id contingere. Vna, quia cùm corpora adoleſcentium ſuapte natura humida ſint, copiam potus nequaquam conſumunt, ſed totam in veſicam profundunt, quod quidem ſenibus minimè contingit, quorum corpora cùm ſicca, &, vt ita dicam, bibula ſint, facilè quamlibet potus copiam conſumunt, & ob id minimum ad veſicam profundunt. Alteram cauſſam habet Ariſt. quoniam adoleſcentes natura ſomnolentiores ſunt quàm ſenes. vnde cùm ſomno facillimè demergantur, ſit vt copioſa collecta vrina in veſica ſponte profluat. Ex quo diſcurſu colligi poteſt mictionem factam noctu in ſtratis ſolummodo, & ex ebrietate, nequaquam morboſam eſſe in pueris. Et in confirmationem huius notandum obiter apud iuris perito, legem eſſe, ſi puer ſeruus venalis, qui immingat, vendatur, ſi hoc patitiatur in ſomno tantũmodo, aut

ob ebrietatem,non eſſe redimendum. Adferunt cauſſam prudentiſſimi Iuris periti, quia hoc nõ fit vitio veſicæ. Habet itaque immictio,de qua loquor hic,vt fiat omni tempore,atque huiuſmodi affectus,vt ſcribit Paullus Ægineta lib.3.c.25.pueris eſt familiariſſimus. Modus autem,quo morboſus hic affectus oritur,hic eſt. Natura muſculum circa collum veſicæ fabrefecit, non ob aliud, niſi vt retineretur vrina, ne ſcilicet veſica naturali expellendi facultate irritata vrinam continuò profunderet,atque ita & mores, & animum, & ciuilitatẽ hominis contaminaret.id quod intelligens Gal.lib.6. de locis affectis cap.3.dicebat mictionem eſſe actionem partim naturæ,partim animæ;eò quod à natura fit expulſio,ab anima fit retẽtio,& retẽtionis etiam omiſſio. Quando itaque muſculus hic aliqua ratione ita oblęſus eſt, vt voluntatis imperio minimè obſequatur, fit vt ſemper natura operetur, & conſequenter hoc vitium mictionis fiat. Videri itaque poteſt hunc affectum eſſe ſymptoma in genere actionum læſarum; nimirum retentricis abolitæ. alij recenſent inter ſymptomata excrementorum immodicè; ſed ſiue hoc, ſiue illo modo cenſeatur, non admodum curo. Sat illud ſit locum peculiariter affectum eſſe muſculum circundantem collum veſicæ, qui muſculus affici ſolet dupliciter, & præſertim in pueris. Vno modo per eſſentiam, quando ſcilicet aliqua inſigni intemperie, & præſertim frigida affectus eſt, ſiue illa intemperies nuda ſit, ſiue coniuncta humoribus pituitoſis & frigidis. Solet etiam affici per conſenſum,quando ſcilicet ad eum non mittitur id, quod mitti deberet; nempe facultas motrix. nam præclarè à Galeno indicatum eſt 3.de locis affectis,affici etiam dici partes per conſenſum, quando facultas debita non mittitur ad eas. Cauſſa autem propter quam non mittatur facultas ad muſculum huiuſmodi, eſt obſtructio neruorum, & præſertim circa ſpinalem medullam, vt morbus, ſeu morbi, à quibus hæc actio læditur,ſint modò malæ intemperies,modò obſtructio neruorum circa os ſacrum. Cęterùm horum morborum internæ cauſſæ nullę aliæ ſunt,quàm humores pituitoſi, & craſſi, quibus ſolet mirum in modum abundare puerilis,& infantilis ætas. Externæ cauſſæ huius mali ſunt aër frigidus, cibus frigidus, potus aquæ gelidæ, percuſſiones circa ſpinam, caſus, luxationes vertebrarum. Cognoſcitur autem hic affectus, quoniam pueri adultiores, & ſtrata, & caligas, & induſia ſemper lotio madida gerunt. nam hunc affectum in lactentibus pueris cognoſcere perarduum eſt, quandoquidem illa ætas voluntarię excretionis nulla teſtimonia edere poteſt. Si fiat ab intemperie muſculi, cognoſcitur ex complexione corporis pituitoſa, ex vſu calidorum, quia calida collo veſicæ adhibita iuuant, vel ſi hæc non iuuent,& perſeueret affectus, ſignum eſt cauſſam eſſe in neruis finis ſpinæ. Si fiat à cauſſis externis,cognoſcitur relatione adſtantium, & ipſorum puerorum, qui vel errores victus,& percuſſiones, aut caſus commemorant. Accedit etiam, quod, vt dicebat Hipp.2. prorhetic, affectus,qui fiunt à cauſſis externis & procatarcticis faciliùs & citiùs curantur. Eſt verò hic affectus, ſi fiat ab intemperie,facilior curatu,quàm ſi fiat ab obſtructione, vt Galen.6.de locis affectis 4.teſtatur. Sed ſi fiat ab vlla cauſſa procatarctica,id eſt,externa, letalis eſt, quando præſertim vel caſui,vel luxationi aliqua ſigna copulantur letalia. Et quoniam plerumque hic affectus in pueris oriri ſolet ob humores frigidos, & craſſos, qui vel intemperiem, vel obſtructionem inducunt, ratio curandi in hoc potiſſimùm poſita eſt,vt conſumantur huiuſmodi humores,& omnis frigida intemperies adimatur. propterea ante cetera pueri continendi ſunt in aëre calido,& ſicco : potiùs vigilare debent, quàm dormire. Confert eos ad iram prouocare; confert quoque exercere, & præſertim poſt corporis purgationẽ. Aluus lubrica ſemper conſeruanda,vel clyſteribus,vel ſuppoſito-

riis. repletio omnis fugienda,tam cibi, quàm potus. debet enim parciſſimè vti vino, & potius ſubadſtringente, & craſſiori, ne ſcilicet facilè in veſicam deferatur. Cibi omnes debent eſſe calidi, & ſicci; panis parandus cum furfure, & coriandris. carnes auicularum conferunt ſalitæ; aromata etiam moderatè ſumpta. Abſtinendum eſt à piſcibus, à fructibus, ab herbis omnibus, & ab omnibus eduliis, quæ vrinam prouocare poſſunt. Inſtituto victu, quoniam chirurgicis auxiliis nihil opus eſt, tranſeundum eſt ad expurganda corpora puerorum. Primò itaque, lenita aluo vel glande, vel clyſtere, exhibebitur ſyrupus huiuſmodi. Recipe foliorum calaminthæ, plantaginis, menthæ an. m. s. ſeminum rutæ drach. ij. fiat decoctio ſecundum artem. deinde Recipe dictæ decoctionis vnc. ij. s. ſyrupi de portacula, ſyrupi roſati recentis, ſyrupi de abſinthio an. drach. s. miſce. Poſtquam præparati fuerint humores, purgabuntur vel drach. 1. pillularum de hiera cum agarico; vel ſi puer pillulas non admittat, huiuſmodi potu. Recipe myrobalanorum chebulorum drach. 1. ſeminum rutæ drach. s. florum violarum, roſarum an. p. s. fiat decoctio ſecundum artem. deinde Recipe dictæ decoctionis vnc. 3. agarici præparati ſcrup. 2. s. infundantur ſecundum artem: deinde facta expreſſione adde mellis roſati ſolutiui vnc. 2. miſce. Purgato corpore, deueniendum ad localia medicamenta; & ſiue fiat malum ab intemperie, ſiue ad obſtructione, magnopere confert, pueros immergere, præſertim vſque ad medium dorſi, in aqua thermali, quæ calefacere, & exſiccare valeat; cuiuſmodi eſt aqua noſtra Aponenſis. iuuat quoque adhibere lutum thermale, præſertim oſſi ſacro. Fiunt etiam inunctiones ex oleo coſtino, & vulpino; quæ ſi non ſufficiant, aſcendimus etiam ad oleum euphorbij, ad veſicatoria, atque etiam ad ignem: quamquam corpora puerorum quanto teneriora ſunt, tanto etiam blandius & mitius ſunt tractanda. Galen. 9. de medicamentis localibus, & in libro de facilè parabibilibus, multa remedia proponit, & inter alia proponit cerebrum & teſticulum leporis combuſtos, & potu datos; laudat etiam myrrham, calamintham, cocleam cum ſua teſta combuſtam, & potu datam. Adhæc laudat veſicam ouillam, & ſuillam ſimiliter in puluerem redactam, & potu datam. Dioſc. verò commendat ſemen rutæ in puluerem redactum, & exhibitum. Sed duo hic notanda ſunt: vnum eſt, quod tametſi Galen. nominatim proponat veſicam ſuillam, & ouillam: virtus tamen & facultas harum non eſt ex proprietate ipſius animalis, ſed potius ex proprietate membri; quandoquidem, vt docuit Auer. 5. lib. collect. membra quæque ratione ſimilitudinis iuuare putantur ſimilia membra; vt quodlibet cerebrum cerebro humano confert, quodlibet cor cordi, & ſic de ceteris. Alterum adnotandum eſt, l. 20. c. 13. Plinium latenter damnare Dioſcoridem, quod dixerit ſemen rutæ in hac ægritudine conferre; & damnat auctoritate Hipp. qui lib. 2. de Diæta ſcribit illud prouocare vrinam; vt ſi prouocet vrinam, non videatur conuenire poſſe in ipſius incontinentia. Sed vehementer allucinatus eſt Plinius: primò, quia Hippocrates non expreſsè dixit ſemen rutæ valde vrinam prouocare, verum quòd magis prouocat vrinam, quàm aluum. Sed dato etiam, quòd prouocet vrinam, non inconuenit conuenire quoque in vrinæ incontinentia, quæ cùm fiat à craſſis, & frigidis humoribus, proculdubio ſemen rutæ ſua vi calefactoria & exſiccatoria valde conuenire poteſt.

De Vrinæ ſuppreſſione.

CAPVT XX.

Circa veſicam patiuntur pueri alia quædam vitia non contemnenda, & præſertim incurrere ſolent vrinæ difficultatem, qui affectus duplicem naturã ſortitus eſt. Aut enim nihil planè vrinæ redditur, & appellatur huiuſmodi affectus ἰσχουρία à Græcis; quam definiens quandoque Galenus dicebat eſſe ſuppreſſionem vrinæ cum mortis periculo. Alter affectus eſt, in quo guttatim vrina redditur, & vocatur à Græcis medicis στραγγουρία. Marcus Varro in lib. de re ruſtica appellauit lotium ſubſtillum, & veteres Latini appellarunt quoque ſubſtillationem. Differunt hi affectus inter ſeſe dumtaxat ſecũdũ magis, & minus: quia in ſubſtillatione redditur paucum quid vrinæ, in Iſchuria verò nihil. Sunt autem ſymptomata in genere excrementorum immutatorum, cùm excrementa veſicæ non reddantur, vt deberent. Excrementa verò mutata ſunt ſymptomata à Galeno ſecunda nuncupata, & propterea dependent ab aliquo priore ſymptomate, nimirũ ab actione læſa. Læditur autem actio expulſoriæ facultatis, tum eſſentialiter, tum etiam per accidens. Læditur eſſentialiter ab intemperie frigida nuda, potiſſimùm autem humoribus coniuncta: etenim ab hac intemperie expultrix facultas imbecillis reddita, aut nõ poteſt expellere vllo pacto lotium, aut ſaltem non poteſt eo pacto, quo deberet. Læditur autem per accidens à morbo inſtrumentali, nempe ab obſtructione, quæ cũ canalem veſicę offendat, aut ex toto impedit vrinæ curſum, aut magna ex parte. Fit verò obſtructio in pueris, tum à lapide, de quo mox loquar, tum maximè ab humoribus viſcidis, & craſſis; atque hæ cauſſæ internæ ſunt horum affectuum. Cauſſæ verò externæ ſunt aër frigidus, cibi frigidi, & craſſi; vina craſſa, aquæ lutulenta, potiſſimùm autem lac, ſiue nutricis, ſiue alterius animalis. nam dicebat Hipp. 4. l. de morbis, quod quale eſt victus genus, quo nutrix alitur, tale euadit & lac; & quale eſt lac, tales fieri pueros qui illud ſugunt. Vt ſi lac ſit pituitoſum, craſſum, & terreſtre, ſimilia lotia in pueris gignãtur. adhęc caſeus, lagana, ſeu craſſa edulia, legumina & piſces, præſertim lacuſtres & paluſtres, inter has cauſſas recẽſentur. Facile eſt hunc affectum cognoſcere, quia pueri, vel nihil vrinæ reddunt, vel illam guttatim, & cum gemitu emittunt. Quod ſi fiat propter intemperiem frigidam, ex eo cognoſcitur, quoniam ſi fricetur pecten, ſi calefiat, ſi comprimatur, vrina protinus redditur. Ex aduerſo ſi fiant hi affectus ex obſtructione, cognoſcitur, quia quantumcũque comprimatur pectẽ, nihilo ſecius vrina impeditur. Cognoſcitur etiam ex antеacto victu, & deinde ex eo quoque quòd pueri antea aſſueti ſunt vrinas reddere turbidas, & lutulentas. Eſt verò vterque hic affectus grauis & difficilis, quandoquidem in pueris omnia naturalium facultatum impedimẽta valde periculoſa sũt; & idcirco feſtinandum eſt in horum curatione. Primùm itaque danda eſt opera, vt victus, aut nutricis, ſi lactens ſit puer, aut ipſius pueri, ſi ſit adultus, corrigatur. Vnde fugiendum eſt otium, omnis repletio, vina craſſa, aquæ impuræ, legumina, edulia craſſa, lac, caſeus; & præſertim fugiendus eſt aquæ mineralis potus, quam dicebat Auicennas efficere vrinæ difficultatem. Præter victum, cùm ſcopus ſit vrinam omni ingenio prouocare, ſtudendum eſt in primis, vt excrementa, quæ ſunt in ventriculo, & in primis viis, expellantur; & propterea neceſſe erit primùm vnc. ij. vel iij. mellis roſati ſolutiui lenire aluum. Poſt præparandi erunt humores hoc

liquore. Recipe mellis roſati ſimplicis, oxymellis ſimplicis,ſyrupi de betonica an. drach.iij. miſce. hoc enim aut ſolo vti debebimus, aut admiſto modico brodij. ſat enim eſt,vt præparentur humores exiſtentes & in ventriculo, & in primis viis; qui poſtquam præparati fuerint, euacuabuntur hoc bolo. Recipe floris caſſiæ drach.v. ſpecierum hieræ drach.j.s.miſce.vel ſi potus erit exhibendus, ita componetur.Recipe mellis roſati ſolutiui vnc.ij.electuarij lenitiui drach. iij. decocti cordialis vnc. ij.miſce,& fiat potus.Poſtquam humores hunc in modum erunt blandè expurgati, nihil aliud ſupereſt, niſi vt ad diuretica, & ad prouocandum lotium omni ingenio properetur, tum medicamentis internis, tum externis. Intus maximè laudo decoctum ſenecionis, vel centinodij, vel ſaxifragæ. decoctum etiam cicerum maximè laudo. poterit etiam hoc decoctum parari. Recipe radicum aſparagi p. s. foliorum ſaxifragæ, capilli veneris an.m. j. cicerum rubeorum p. j. fiat decoctio ſecundum artem; cuius vnc. iij. exhibeantur cum modico ſacchari, & corpore ieiuno. Exterius,vbi vrina à puero reddi non poteſt, primò vnguibus oleo ſcorpionum perunctis fricandus eſt diligenter pecten, atque etiam comprimendus; ſi non iuuat, decoquenda eſt parietaria in oleo rutaceo, & factum emplaſtrum pectini imponendum. radix mei decocta in oleo rutaceo, deinceps contuſa, & impoſita pectini, ad idem valet. Soleo ego accipere cucurbitam, in qua diu conſeruatum fuerit oleum, & eam curo poni in aqua feruente, ac deinceps virgam pueri iubeo coniici in os cucurbitulæ, & huiuſmodi remedium efficaciſſimum eſſe expertus ſum ad prouocandam vrinam puerorum.

De Calculo veſicæ, & Satyriſmo.

CAPVT XXI.

Nter alias cauſſas,quæ faciunt difficultatem mictionis in pueris, dixi eſſe lapidē veſicæ,qui à Græcis vocatur λιθίασις.Hipp.4.de morbis appellauit lithidem; noſtri medici communi appellatione modò calculum, modò lapidem veſicæ. De quo, priuſquam tractemus, videndum eſt an hic morbus ſit homini proprius, an communis cum ceteris brutis. Ariſt.10.ſect. problematum probl. 12.ſcribit calculum veſicæ fieri tantummodò in homine,in brutis verò numquam;& affert rationem,quia bruta,vel non habent veſicam,vt piſces,& aues;vel ſi habent,canalis veſicæ ipſorum amplus eſt,vt facilè vrinæ terreſtria excrementa exeant;homo autem, inquit Ariſt. anguſtum habet canalem veſicæ. Cui ſententiæ adſtipulatus etiam fuit Abſyrtus & Hierocles Medici veterinarij, qui, vt habetur in libro Medicinæ veterinariæ, cum diligentiſſimè perſcrutati ſint vitia mictionis in belluis; nullam mentionem fecerunt lapidis veſicæ;quo fit vt credibile ſit hos inſignes ſcriptores, nec experientia, nec ratione didiciſſe hunc morbum fieri in iumentis. Ex altera parte eſt Vegetius lib.1. Medicinæ mulorum cap.12. vbi non ſolùm commemorat hunc morbum in brutis;verùm etiam & ſigna,& curationem edocet. Petrus etiam Aponenſis in com. problematis nuperrimè citati ſcribit, ſe vidiſſe calculum in veſica ſuis.Sed eſt etiam & ratio,quia bruta continuò vrinam reddunt craſſam, lutulentam, & ſimillimam vrinæ hominum laborantium calculo. adhæc compertiſſimum eſt bruta ſcatere excrementis terreſtribus, & craſſis;vt rationi conſentaneum videatur,etiam ipſa tentari huiuſmodi ægritudine. Dicendum eſt breuiter ſenten-

tiam

tiam Ariſt. intelligendam eſſe vt plurimum, eo quòd ſicuti frequentiſſimè homines calculo laborant, ita rariſſimè fit propter rationes antedictas, vt cetera animátia ſimili morbo capiantur; id quod intelligens Vegetius, noluit ſilere huiuſmodi affectum. Quod ſi verò obiiciatur, bruta vrinam habere craſſam, & excrementa terreſtria, non eſt mirum, quia excrementa, quæ in lapidem conuerterentur, partim per amplum veſicæ canalem exeunt, partim in cornua, roſtra, & vngues conuertuntur; adeò vt manifeſtum eſſe poſſit hunc morbum peculiarem eſſe homini. In genere autem humano peculiariter afficiuntur calculo pueri, vt prodidit Hipp. 3. aphor. 27. & cum Hippocr. Galenus, Auicennas, & reliqui Medicinæ ſcriptores. Eſt tamen hoc intelligendum de pueris tantummodo maſculis, nequaquam autem de puellis, & mulieribus. nam diligentiſſimus Auicen. 18. 3. tract. 2. cap. 12. ſcribit, neque puellas, neque mulieres faciliter tentari lapide veſicæ propter tres cauſſas; quia ſcilicet habent canalem veſicæ breuem, latum, & rectum, non autem anfractuoſum. adeo vt ſententia Hippoc. ſit interpretanda de pueris maſculis, qui frequenter lapide veſicæ tentantur. Sed hac in re eſt dubitatio. nam omnes ſcriptores comparantes lapidem veſicæ, & renum, tum in pueris, tum in ſenibus, dixerunt pueros frequenter lapide veſicæ laborare, & frequentius quã ſenes; lapidem verò renalem ſenibus eſſe magis familiarem. Iam verò huic ſẽtẽtiæ quotidiana experientia refragari videtur, quandoquidem multo plures conſpiciuntur ſenes, qui lapide veſicæ laborant, quàm pueri. Alexander etiam ſiue Trallianus, ſiue Aphrod. videtur dubius hac in re fuiſſe. nam lib. 2. probl. 4. ſcribit & pueros, & ſenes æquè laborare calculo veſicæ. Ceterùm lib. 1. probl. 109. & 110. quærens rationem quamobrẽ pueri calculo veſicæ magis tententur quàm ſenes, inquit ex eo eſſe, quia pueri poros vreteres habent anguſtiores, & facultatem expulſiuam robuſtam, quo fit vt materia non poſſit retineri in his locis; ſed cùm ſtimulet vehemẽter facultatẽ expulſiuam, à renibus exploditur in veſicam, vbi concreſcens in lapidem euadit. Senes verò inquit Ariſt. cùm habeant meatus vreticos latiores, cumq; habeant facultatem expulſiuam infirmam, fit vt vrinæ craſſamenta detineantur in renibus, & cõſequenter ibi in lapides concreſcant. adeò vt videatur hæc res controuerſa, vtrũ pueri magis, an ſenes calculo veſicæ laborent. Pro reſolutione itaque huius rei dicẽdũ eſt, calculum veſicæ duplicẽ generationẽ habere. Altera eſt, qua lapis primùm fit in renibus, deinde exploſus in veſicã per acretionem augetur; quẽ vnicũ modũ generationis omniũm veſicę lapidum cùm Fernelius eſſe voluerit, longè latéq; deceptus eſt. Alter modus generationis eſt, quo immediatè lapis in veſica generatur. His conſtitutis dicendum eſt pro quæſtionis reſolutione, lapidem qui immediatè efficitur in veſica, frequẽtius in pueris fieri, quã in ſenibus; atque de hoc interpretandũ eſſe tum Hip. tum aliorũ ſententiam. Lapidem verò, qui non immediatè fit in veſica, ſed primò in renibus generatur, hũc verum eſt frequentius in ſenibus reperiri, quemadmodum quotidiana experientia comprobatũ eſt. Cur autem pueri potiſſimùm laborent lapide, qui in veſica immediatè generatur, explicuit Gal. 3. lib. aphor. 26. & 3. in 6. epid. com. 15. Quibus in locis ſcribit, própterea pueros huiuſmodi ægritudine magis infeſtari, quàm ſenes, quoniã vtraq; cauſſa generationis lapidis multo maior & efficacior in eis eſt, quã in ſenibus. Nã cũ pueri voraciſſimi ſint, innumeros crudos humores cumulant; qui in veſicã delapſi, fiunt materia lapidis generationis. Adhæc pueri natiuo calore robuſto admodũ valẽt, qui materiã in veſica repertã faciliter in lapidẽ indurat, vt dicebat Hipp. 4. de morbis indurari ferrũ igne. Senes autẽ etſi abundẽt crudis & terreſtribus humoribus, quia tamẽ ipſorũ calor imbecillis eſt, fit vt in veſica, vbi facultas caloris minor eſt, lapis minimè gignatur.

gnatur. Ceterùm, præter Galeni rationem, Auic.loco citato attulit tres alias cauſſas. Vnam, facultatis expultricis robur. Alteram, vaſorum anguſtiam. Tertiam, humorum tenuitatem. Eſt verò lapis in veſica morbus, & morbus in numero. Sed hoc etiam in loco dubitari poteſt, vtrum verè ſit morbus in numero. nam Gal. in arte medicinali, cap. 91. manifeſtiſſimis verbis repoſuit inter morbos in cauitate, prætere rea videtur potiùs lapis eſſe cauſſa morbi, nempe obſtructionis, quàm morbus. Eſt enim regula Gal. 2. cap. lib. de differentiis morborum, quod non eſt ſubiectum ſanitatis, non poteſt eſſe ſubiectum morbi: atqui lapis in veſica non poteſt eſſe ſanitatis ſubiectum; igitur neque ægritudinis. Dicendum eſt pro ſolutione, non inconuenire eundem morbum ſub pluribus generibus contineri. nam lapis in veſica poteſt eſſe tum morbus in cauitate, ſi ſpecterur locus vbi poſitus eſt; tum morbus in numero. Eſt enim omnium medicorum receptiſſima ſententia, morbos in numero fieri modò ex materia vtili, & naturali, vt eſt ſextus digitus; modò ex materia toto genere præternaturali, qualis eſt lapis. Itaque huius morbi cauſſæ internæ materiales ſunt humores craſſi, pituitoſi, atque tenaces. Cauſſa autem effectrix eſt caloris magnitudo, non quidem perſeuerantis, vt videtur cenſuiſſe Paullus Ægineta, ſed naturalis. Cauſſæ etiam internæ, ſed mediatæ huius mali ſunt in primis anguſtia canalis, deinde proprietas hæreditaria. nam Auic. in fine capitis præcitati docet, hunc morbum etiam fieri paterna hæreditate. His cauſſis addere poſſumus etiã lac nutricis. Namque Hipp. lib. 4. de morbis, loquens de hoc morbo, præclaram & memoria dignam doctrinam nobis reliquit, vbi ſcribit, lapidis veſicæ originem vniuerſam ferè pendere ex lacte, quod homines in infantia ſugunt; quod lac, ſi impurum ſit, non ſolum lapides, verum etiam alios morbos inducit. Impurum autem ait fieri lac, quando aut nutrix veſcitur cibis pituitoſis & craſſis; aut quando ſuapte natura eſt vel pituitoſa, vel bilioſa, vel aquoſa, vel ſanguinea. Et notandũ eo in libro Hipp. ſub nomine aquæ ſæpius intellexiſſe humorem melãcholicũ, vt aliàs docui. Iam verò à nutrice huiuſmodi affectio imbibi poteſt, vt Hipp. inquit, cùm lac impurum ab infante exſugitur: ſi enim venas latas habeat, quæ à ventriculo in veſicam tendant, huiuſmodi impura materia in veſicam defertur; vbi cum vrina ſubſidet, perinde atq; aqua turbida in vaſe aliquo cõquaſſatur, & deinde quieſcẽs ſedimentum in medio facit; quod deinde ſedimentum vrinæ à pituita inſtar collis conglobatur, & tandem conglobatum indureſcit, haud aliter vt videmus indureſcere ferrum in fornace. atque hic eſt modus generationis lapidis ex lacte relictus ab Hippocrate. Cauſſæ externæ ſunt illę omnes, quas propoſui, dum tractarem de Iſchuria, & Stranguria. Quinque ſigna proponũtur ab Hippocrate, quibus cognoſcitur præſertim in pueris lapis veſicæ. Vnũ eſt, quòd cũ dolore & gemitu mingunt. Alterum, quòd guttatim mingunt. Tertium, quòd ſæpe vrinæ ſanguis commiſtus exit. Quartum eſt ſabulum in vrina perpetuò ferè apparens. Quintum & poſtremum, inflammatio veſicæ. poſſumus addere his & aliud ſignũ, nẽpe preputiũ pruriẽs; ob quod videmus pueros hac ægritudine affectos frequẽtiſſimè ſcalpere genitalia. Ceterũ in pueris hic affectus nõ ſolet eſſe exitialis, quandoquidem ſi nõ aliis remediis, ſaltẽ exciſione curatur. Illud verum eſt, niſi curetur exciſione, pueros plerunque conſueuiſſe mori, eo quòd in hac ætate mirificè augetur lapis, ita vt creſcẽtibus annis à natura minimè ſuſtineri poſſit. In curatione huius vitij inſtituendã debent medici ante omnia alia diligenter animaduertere, nũ pueri ſint orti ex parentib. calculoſis, quia quod dicebat Plutarchus in lib. de ſera numinis vindicta, filiòs podagricorum eſſe ſtatim curandos, idem quoque dicere par eſt de filiis calculoſorum parentum. Eſt autem huiuſmodi curatio poſita in recta victus ratione; &

propterea

propterea ſtatim prouidendum eſt, vt pueri abſtineant ab importunis motibus, præſertim à cibo,vt fugiant omnes cruditates,crapulas,vina craſſa, aquas impuras, cibos viſcidos, & craſſos; vt caſeum,lac coagulatum,cerebella,& extrema animalium: præſertim verò incumbendum eſt, vt dum lac ſugunt, nutrix vtatur victu extenuante,& ab omnibus craſſis & viſcidis abſtineat.Ceterùm ſi præter paternam diſpoſitionem iam lapis in veſica eſſe appareat, diligenter cogitandum eſt vtrum lapis ſit tener,& vix inchoatus;an verò ſit diuturnus,& durus. Vbi malum in initio eſt, conandum eſt medicamentis manifeſtis & arcanis lapidem comminuere, & expellere.plura autem ſunt; quæ ad hoc magnopere valere putantur, vt eſt ſanguis hircinus,anonis,ceterachum,ſaxifraga,radix petroſelini,fœniculi;lapis ſpongiæ,lapis Iudaicus; lapis qui inuenitur in felle bouis; nam redacti in pulueres, & cum vino tenui,aut decocto anonidis proprinati,lapides recentes & teneros comminuere conſueuerunt. Soleo ego exhibere pueris drach.2.vel 3.terebinthinæ lotæ liquatæ,& cum vnc.2.aquæ anonidis commiſcere.Alexan.1.lib.problematum medicinalium 108.quærens cur ſit quòd in lapide pueri, qui calore condenſatur, vtamur potius medicamentis calidis quàm frigidis, cum ſecùs eſſe debere videatur, duas cauſſas adfert. Vnam, quòd exuſtio magnopere confert ad lapidum diminutionem, cùm videamus omnia ea,quæ comburuntur,in minutas arenas & in cinerem plerumque comminui. Aliud inquit Alexander, interdum medicos vti etiam refrigerantibus medicamentis,tum ad mitigandű renum incendium,tum maximè ad facultatem expulſiuam corroborandam. Sed pace huius grauiſſimi auctoris nihil horum mihi ſatisfacit. nam etſi medicamenta calida aduerſus hanc ægritudinem adminiſtremus, non tamen ea adhibemus, quæ exurant, & ratione exuſtionis lapidem in minutas arenas conuertant; quia ſicuti videmus hoc opus fieri ab igne vehementiſſimo, & flagrantiſſimo; ita quoque eſſet neceſſe euenire in veſica; quod tamen citra exitiale detrimentum ſuſtineri non poſſet. Adhæc minimè faciendum eſt frigida conferre in hac ægritudine, eo quòd facultatem expulſiuam corroborent;quoniam huiuſmodi facultas non frigore,ſed calore pro inſtrumento vtitur. Quamobrem multo ſatius eſt, vt dicamus non quælibet calida medicamenta in hac ægritudine exhiberi, ſed ea tantummodo, quæ tenuium partium ſunt, eo quòd medicamenta huiuſmodi tenuia potentiſſima ſint ad lapides recentes frangendos;vt non ratione caliditatis hæc remedia quærantur, ſed potius gratia tenuitatis partium. Ad frangendum autem hunc lapidem proprietate valet guttur gallinę combuſtum,& in puluerem redactum;cum vino exhibitum;eryngij etiam decoctum ea proprietate valet. Sed illud operæ pretium eſt, vt intelligatur, quotieſcunque libebit vti huiuſmodi medicamentis, quæ vel manifeſta, vel occulta facultate proſunt, prius corpora puerorum aliquot diebus eſſe immergenda in balneo aquæ,in qua cocta ſit malua,aut lapathium,aut radix althææ; vt ſcilicet emollita aliquantiſper materia faciliter obſequatur medicamentorum viribus. Si autem lapis magnus ſit atque durus, ita vt nullis medicamentis vinci poſſit,deueniendum eſt ad exciſionem, & prius pedibus eleuatis agitandus eſt puer, ac deinceps eo pacto facienda eſt exciſio quo docuit nos Paullus Ægineta; & aduertendum, vt etiam prædixi, huiuſmodi opus non uſque adeo verendum eſſe in pueris, vt in viris: quia tutius & facilius ſit hæc ſectio; immo retulerunt mihi Nurſini lithotomi ſe non rarò accipere pueros è media via impurgatos, atque ab iis lapides ferro extrahere citò & tutò;vt non ſit vſquequaque audiendus Auenzoar,qui pręcepit medicis,ne vnquã intereſſent huic operi.Fuit enim ipſe doctiſſimus, & exercitatiſſimus Medicus, ſed, vt ipſemet de ſe narrat lib. 1. tract. 8. cap. 23. ita timi-

dus

dus erat,vt in ſyncopem incideret, quotieſcunque videbat aliquem vulnerari; ob quod dicebat ſeſe chirurgiam exercere noluiſſe.

De Satyriſmo.

CAPVT XXII.

PRiuſquam finem imponam tractationi de morbis veſicæ, optimum erit, vt ſcrupulum quendam adimam. Nam Hippocrates libro tertio,aphoriſmo vigeſimo ſexto, inter alios puerorum morbos, quos recenſet,adnumerat ſatyriſmum; quid autem per ſatyriſmum intellexerit, diuerſas video fuiſſe ſententias. Aliqui recentiores putarunt Hippocratem intellexiſſe priapiſmum, qui eſt morbus, ſeu tentigo præternaturalis ipſius pudendi.Nam etſi ſatyriſmos apud Ariſtotelem tertio de generatione animalium, capite decimo,& apud Aretæum, atque Galenum ſignificet frequenter elephantiaſim, ſignificat tamen etiam priapiſmum;quamquã Paulus Ægineta videatur paullo diuerſam propoſuiſſe differentiam & priapiſmi, & ſatyriaſis. Et quia poterat aliquis obiicere huic ſententiæ, non poſſe in pueris fieri priapiſmum, ſeu hanc tentiginem, quoniam ſemine carent, reſpondemus ex Hippocrate in libro de genitura, pueros habere quidem ſemen, ſed illud non erũpere propter vaſorum,ſeu venarum anguſtiam. Ad cuius rei confirmationẽ poteſt adduci illud, quod à Diuo Hieronymo memoriæ proditum eſt, nempe nutricem quãdam prægnantem redditam fuiſſe à puero decem annorum,quem ipſa aluerat, & cum quo conuerſata fuerat. Alij exiſtimarunt ſub nomine ſatyriſmi ab Hippocrate intellectam fuiſſe ipſam elephantiaſim;& inter hos fuit Braſauola, & Fuchſius. Alij probare conati ſunt,primùm non poſſe elephantiaſim ab Hippocrate intelligi,eo quòd non ſit morbus proprius puerorum;deinde aſſeruerunt hanc vocẽ apud Hippocratem ſignificare tumores quoſdam,qui oriuntur in glandibus auriũ, cuiuſmodi depinguntur in vultibus ſatyrorum;& ad hanc ſuam opinionem aſtruẽdam adducunt Galenum, qui in libro linguarum Hippocr. hanc vocem proponens, eiuſmodi etiam ſignificatum adfert. Vnde cùm ea vox nullibi vſurpata ab Hippocrate reperiatur,niſi hoc in loco, rationi conſentaneum videtur, non aliud eam ſignificare,quàm quod dictum eſt. Ego verò cùm videam Cornelium Celſum interpretantem hunc aphoriſmum, huius vocis nihil meminiſſe; cúmque etiam Galenus, & Stephanus Athenienſis in ſuis commentariis ſatyriſmi nullam faciant mentionem, in hanc ſententiam venio, vocem illam potuiſſe forſan ab aliquo nimis diligenti ſcriptore inſertam eſſe. Verùm ſi legitima eſt, magis mihi placet, vt interpretemur ſatyriſmum priapiſmum,quàm vt interpretemur vel elephantiaſim, vel illos tumores; eo quòd etiam in pueris,vt nuper dicebam, verè efficiatur hic affectus; de quo mihi viſum eſt hæc pauca proponere.

De vitiis inteſtinorum.

CAPVT XXIII.

PLato in Timæo dum fabricam inteſtinorum perſequeretur, inter alia dixit, ſummum opificem hęc membra animalibus fabricaſſe,vt ciborum receptacula eſſent;

eſſent; hominum verò inteſtina flexuoſa feciſſe, vt diutius in ipſis retinerentur & cibi, & excrementa;ne ſcilicet homo à contemplatione auocatus continuo ventri, & cibis indulgere cogeretur. Haud ſecus & Ariſt. & Galenus de inteſtinis ſenſiſſe videntur:vt ſit communis omnium ſententia, inteſtinorum munus eſſe,tum vt excrementa ciborum ſuſciperent,tum maximè, vt ea expellerent; propter quod non ſolùm ampla, vacua, & capaciſſima reddita ſunt, verùm etiam & retentrice, & expultrice facultate prædita. Vtrum autem inteſtina facultaté etiam attractiuam ſortita fuerint,non poſtulat hic locus vt diſputemus. Illud quidem neceſſarium eſt ſcire, cùm inteſtinorum functiones ſint, & retinere debito tempore, & expellere excrementa, huiuſmodi functiones vitiari, quando aut debito tempore non retinent,aut debito tempore,modo,& menſura non expellunt. Si debito tempore non retineant,fiunt fluxus ventris,de quibus ſtatim loquar. Sin autem nec debito tempore, nec debito modo, aut menſura expellunt, fit aliud genus vitij,quod à Medicis nuncupatur alui adſtrictio. Hunc affectum non videtùr recenſuiſſe Hippocr. inter morbos pueriles, quemadmodum non omnes perſequutus eſt. Verumtamen Auicen. etiam pueros hac affectione tentari, & curatione indigere docuit. Quem nos ſequentes,dicimus hunc affectum in pueris nihil aliud eſſe, niſi diſpoſitionem quandam præternaturalem, qua pueri nec debita hora, nec debita menſura fæces corporis reddunt. Dixi, debito tempore, quoniam fuit ſententia Hippocratis 2. prognoſt. 15. debere omnes homines vt plurimum manè fæces egerere, eo quòd tunc temporis omnis coctio celebrata ſit; nec propter hoc inferendum eſt,cibum, prout quotidie aſſumitur, ſic quoque quotidie exire debere; quoniam, vt idemmet Hippoc. teſtatus fuit 4. de morbis non longè à principio, cibus altera quaque die exit,humores autem tertia die. Idem dum 2.prognoſt.de vicibus, quibus fæces quotidie expelli debent,loqueretur,dixit aut bis, aut ter in die egerendum eſſe,ſemel autem noctu. Sed ſæpiſſimè miratus ſum, quòd huiuſmodi ſententiam nobis reliquerit, quemadmodum etiam Gal. videtur ipſum tamquam hac in re ſuperuacaneum damnaſſe; niſi, vt aliqui dicere voluerunt, afferamus Hippocratem loquutum eſſe ſecundum Græcorum morem,quaſi ipſi toties in die fæces excernerét. Sed vtcumque ſit,debent fæces quotidie exire, & ſecundum menſuram, & ſecundum qualitatem ciborum. Secundum menſuram, quoniam pueri, qui plurimum edunt, plus excrementorum egerere debent; qui minus edunt, pauciora quoque excrementa reddant neceſſe eſt. Pari pacto qui edunt aut panes furfuraceos, aut herbas, aut radices, multas fæces egerere debent; & qui ex aduerſo, vel oua, vel carnes edunt, minus quoque excrementorum debent reddere. Summatim,quo cibi, qui capiuntur, minus nutriunt, plures fæces facere debent; & ex aduerſò, qui veſcuntur maioris nutrimenti cibis, minus egerant opus eſt. Ceterùm eſt hic affectus ſymptoma in genere excrementorum mutatorum, cùm fæces pauciores reddantur, quàm par eſt; & quia hæc ſymptomata ſecundaria ſunt, & propterea ab aliquo primo pendent, primum ſymptoma eſt læſio actionis expultricis. Nam huiuſmodi læſio fieri ſolet,vel quia primùm offenduntur inteſtina, vel quia offenduntur per conſenſum. Offenduntur autem per conſenſum, quando, vel facultas expultrix non mittitùr ob reſolutionem alicuius nerui,vel muſculi; quæ reſolutio fit, aut ob morbum in intemperie, aut ob obſtructionem. Vel fit hæc læſio, quia non mittitur bilis ad inteſtina, quemadmodum mitti deberet. Nam vt compertum eſt, natura ad hoc, vt inteſtina quotidie ſtimularentur ad deponendas fæces, conſtituit ductus & canales quoſdam, qui à veſica fellis ad inteſtina perferunt bilem,quæ deinceps perlata ſui acrimonia ſtimulat facultatem expulſiuá.Vbi

itaque

itaque huiuſmodi bilis non mittitur, actio expulſiua neceſſariò labefactatur, non quod inteſtina primum patiantur, ſed quia facta eſt obſtructio in antedictis meatibus, cuius merito expulſio inteſtinorum vitiatur. Vbi autem expulſio hæc vitiatur ob protopathiam inteſtinorũ,fit,vel quia expulſiua facultas offenſa eſt,vel quia adeſt aliquod erratum in inteſtinis, quod huiuſmodi actionem impedit. Læditur autem facultas inteſtinorum, aut propter morbum inſtrumentalem, nempe propter aliquem tumorem, aut cicatricem: vel propter morbum ſimilarem, hoc eſt, propter aliquam intemperiem. Sed priuſquam vlterius progrediamur,proponenda eſt contradictio in verbis Galeni. nam lib. 1. de tuenda valetudine cap.13. dum luculentiſſimè perſequeretur cauſſas omnes adſtrictionis alui,poſuit inter alias intemperiem frigidam & ſiccam,tum intrinſecus, tum extrinſecus factam. Ceterùm 5. in 6. Epid. tex. 27. explanans ſententiam illam Hippocr. refrigeratio quæ fit in ventre durat, inquit fieri nequaquam poſſe, vt intemperies frigida interna vnquã aluum adſtringat.reddit rationem,quoniam vbi frigida eſt intemperies,vel in ventriculo,vel in inteſtinis,neceſſariò vitiatur coctio, fiunt cruditates, & conſequenter potius aluum liquari, quàm ſiccari.Ex quibus verbis clariſſimè patet repugnãtiam euidentem eſſe in verbis Galeni.Et cùm hanc cõtradictionem à nemine propoſitam adhuc viderim, apud me non eſt admodum facilis ſolutu. puto tamen dicendum eſſe,intemperiem internam,aut inſignem eſſe, aut mediocrem;& aut fieri à ſola interna cauſſa, aut fieri etiam ab externa. Si intemperies frigida ſit valde inſignis,dico eam facere alui ſiccitatem; & ratio eſt,quia tametſi vitietur coctio, & propterea fiant crudi humores;vitiatur tamen etiam expulſiua facultas, & propterea aluus retinetur; atque hoc pacto loquutus videtur Gal.1.lib. de tuenda valetudine. Sed ſi intemperies frigida non ſit vſque adeo inſignis,vt lædat virtutem expulſiuam inteſtinorum,fit alui potius ſolutio,quàm adſtrictio; quemadmodum 6. Epid. ſignificaſſe videtur Galenus. Poſſumus etiam dicere, intemperiem frigidam factam ab externo aëre, licèt interna ſit, exſiccare aluum; factam autem intrinſecus abſque vlla occaſione externa, aluum liquare. Sed alij etiam examinare hãc pulcherrimam contradictionem poterunt. Illud autem certiſſimum eſt, quod ſcribit Galenus eodem loco 6. Epid.ſcilicet à frigore externo indurari fæces, non quòd intemperies inſignis efficiatur in inteſtinis,quæ eas induret,perinde ac videmus indurari lutum ab immenſo frigore;ſed quia muſculus anum cingens,& conſtrictioni ipſius famulans, vehementer refrigeratur, atque refrigeratus vehemẽter adſtringit;ob quam adſtrictionem cum fæces in inteſtinis diutius retineantur, neceſſariò duræ & aridæ euadunt. Læditur quoque expulſio propter aliquod erratũ, quod vel intra inteſtina ſit, vel extrinſecus accidit. Intrra inteſtina ſunt humores viſcidi,& craſſi, qui obuoluti fæcibus, eas inter ſeſe colligant, vel inteſtinis affigunt,ita vt vel ægerrimè, vel nullo modo exeant. Erratum autem, quod extrinſecus accidit,eſt vel in aëre ipſo.nam certum eſt aluos fieri adſtrictas magis tempore hiberno, quàm æſtiuo, atque ſic dicebat Hipp.3.aphor.10. flantibus Aquilonibus ventres durari. ſomnus etiam immodicus, otium conſummatum, profundæ cogitationes aluum ſiccant.præſertim autem ad alui adſtrictionem faciunt errores,qui committuntur vel in potu, vel in cibo;nam ſi puer parcè bibat, ſi vinum craſſum, & adſtringens ſumat, proculdubio aluus adſtringitur. Pari pacto ſi plus, minuſve cibi capiat,fæces non redduntur; ſi cibis adſtringentibus vtatur,ſi ordine præpoſtero, ita vt primum adſtringentia, deinde liquida ſumat. Similiter dicebat Hipp. 3. libro de acutis, eos qui prandere conſueti ſunt, ſi prandium dimittant, aluum ipſis adſtringi. atque hæc eſt ſeries omnium earum cauſſarum, quæ in pueris mor-
bosam

boſam alui adſtrictionem facere poſſunt. Dixi enim morboſam, quoniam ſæpe vſu venit, vt pueri aluum adſtrictam habeant, & tamen ab illa nihil detrimenti capiant; cuius quidem Medicus nullam curam gerere debet. Sed video aliquem dubitaturum, qua ratione fieri poſſit,vt puer multum edens paucas fæces egerat, & ſimul tamen ſanus viuat. nam videtur hoc,& præter rationem, & præter auctoritatem ſcriptorum eſſe. Præter rationem, quoniam excrementa retenta præterquàm quòd vim inferunt inteſtinis, ſolent etiam per vniuerſum corpus vapores mittere, à quibus vniuerſus ipſius ſtatus violatur. Eſt etiam præter auctoritatem, quoniam dicebat Hippocrates in libro de aëre,aquis, & locis, eos qui aluum fluidam habent,numquam morbis acutis tentari,& præſertim pleuritide. Idem etiam in penultimo aphoriſmo libri ſecundi dicebat,in ſenibus adſtrictam aluum meliorem eſſe, in iuuenibus verò liquidam; quam deinceps ſententiam mutuatus Celſus libro 1.cap. 3. dixit, in iuuene fuſa aluus, in ſene adſtricta melior. Et magnus ille Auenzoar in initio ſui libri dixit conueniſſe inter omnes Medicos ad tuendam ſanitatem maximè neceſſarium eſſe, vt aluus liquida ſit. Quæ omnia ſi vera ſunt, quomodo igitur fieri poteſt, vt puer cum aluo adſtricta ſanitate fruatur? Dicendum eſt, raro quidem vſu venire, vt pueri, qui ſunt aluo adſtricta, ſani viuant; veruntamen ſi id quandoque contingat, non alia ratione euenire, niſi quia maxima pars excrementorum aridorum à natura vel in halitus inſenſibiles euacuatur, vel per veſicam educitur. Nam habetur apud Ariſt. 4. de generatione animalium in fine cap.4.vaccam fuiſſe in Perintho,quæ cum anum natura occluſum haberet, & propterea fæces non redderet, vixit tamen, eo quòd, ait Ariſt. per veſicam excrementa natura excernebat: id quod in pueris fieri poſſe, non eſt rationi diſſentaneum. Cognoſcitur hic affectus,quoniam pueri non egerunt quotidie,& tamen plorant; aut ſi grandiuſculi ſunt, capite afficiuntur;& ſi quando fæces reddunt,id faciunt cum gemitu, & dolore. Si verò pueri aluo ſint adſtricta propter aliquem errorem in cibo,aut potu commiſſum, non erit difficile cognoſcere ab adſtantibus ipſis, vt non ſi opus multa ſolicitudine in ſignis huiuſmodi perquirendis. Sed ſi vitium hoc ab internis cauſſis oriatur, paullo maiore diligentia opus eſt. Cognoſcemus enim fieri malum ab intemperie frigida, ſi maciem in corpore,palloré, ructus & flatus adeſſe viderimus. Sin autem fiat propter humores viſcidos, & craſſos, cognoſcemus, quia fæces quandoque cùm exierint, ſemper huiuſmodi humorib. obuolutæ erunt. Pari pacto ſi fiat eò quia bilis ad inteſtina non permeet, cognoſcemus, quia corporis color luteus erit, fæces autem aut albæ, aut ſubcinericiæ. Ceterùm dicebā alui adſtrictionem in aliquib. nihil ferè detrimenti adferre: in plurib.tamen,& præſertim pueris voracibus, admodum periculoſam eſſe; quia etſi ſtatim morbi non fiant, tamen longo tempore concipiuntur, & tandem erumpunt,quandoquidem, vt prodidit Hipp. morbi in corpore noſtro non generantur ſubitò, ſed longo tempore geniti,ſubitò expullulant. Quamobrem ſi diutius aſtrictio perſeueret,omnino prouidendum eſt;prouidendi autem ratio in pueris poſita eſt in duobus; in ipſius ſcilicet accidentis correctione, & cauſſæ ſublatione. habet enim hoc vitium eas conditiones, vt vno atque eodem tempore liceat Medicis, & cauſſis occurrere, & ſymptomata ſedare. Pro aluo itaque, vel quotidie, vel frequenter pueris mouenda ſunt multa remedia, quæ (cùm tenerrima corpora tractentur) blanda & mitia ſint oportet. In lactentib. pueris ſtudium Medici debet eſſe,vt nutrix iis cibis vtatur,quæ aluum mollire poſſunt;vt maluis,ficubus aridis, paſſulis,iure caulium; & ne longus ſim,omnibus iis ciborum generibus,quæ aluū ſoluere poſſunt.nam ſicuti lac generatur ex ſanguine;ita ſanguis ex cibis,vt nō ſit

dubitandum lac affici qualitate ciborum, quibus nutrices veſcuntur. puero autem lactenti quæ adhibenda ſunt, debent omnia eſſe potius externa remedia, quàm interna. Inter externa fiunt enemata cum butyro, fiunt etiam glandes ex lardo, melle, & radice maluæ; porrum etiam ſub cineribus aſſatum & ano puerili inditum, prouocat fæces. Soleo ego interdum curare, vt coriandra ſaccharo condita imponantur in anum, quia titillant facultatem expulſiuam, nec vllam vim inferunt. Præter hæc fiunt medicamenta, quæ extrinſecus vmbilico appoſita, aluum pueri ſoluunt. nam ſoleo acccipere, aut dimidium albuminis oui percocti atque indurati, & replere butyro cum modico aut colocyntidis, aut granis duob. ſcamonij. fel bubulum illitum vmbilico valet ad idem, ſuccus cyclamini cum æquali portione olei amygdalarum dulcium, & adipis gallinæ, ſi illinatur vmbilico, ad idem quoque valet. Vbi verò puer grandiuſculus eſt, laudat Paullus vſum terebinthinæ, cui ego adhæreo. caricæ etiam cum modico cnici ſumptæ iuuant. immo panis quoque multo furfure confectus, & paſſulis, in continuo vſu ſumptus, ex Hipp. ſententia ad fæces educendas prodeſt. Ius braſſicæ, maluæ pueris grandiuſculis adhiberi poteſt. Similiter etiam glandes, & enemata præſcripta pueris lactentibus. Atque hic eſt modus, & ratio, qua ſtatim licebit occurrere ipſi alui adſtrictioni. Ceterùm vt cauſſæ vincantur, illud primò addendum eſt, vt omnes errores externi aboleantur; id quod fiet, ſi in lactentibus pueris victus ratio nutrici præſcribatur, quæ nullo pacto adſtringere aluum valeat. Vnde abſtinenda erit ab otio, ab vſu vini adſtringentis & acerbi, ab vſu ciborum craſſorum, & qui facultate ſint adſtrictoria; vt meſpila, cydonia, ſorba, corna, berberæ, & tandem quidquid adſtringendi facultate polleat. In pueris grandiuſculis itidem agendum erit, vt ſcilicet cibis vtantur aluum emollientibus; ab adſtringentibus, abſtineant; in ſomno, & vigilia, in exercitationibus corporis moderatè ſe gerant, & aquilones ventos fugiant. Si fiat adſtrictio propter intemperiem inteſtinorum frigidam, erit inuigilandum in lactentibus, vt vel corrigatur cibis calefacientibus, vel mutetur nutrix. adhæc ventriculus & vmbilicus pueri erunt fouendi huiuſmodi fomento. Recipe vini optimi lib. s. foliorum calaminthæ, abrotoni, menthæ, origani an. m. s. bulliant ſimul, & cum ſpongiola foueatur venter vniuerſus. iuuabit pariter huiuſmodi inunctio. Recipe olei nardini, ſampſuchini, vel de mentha an. drach. 3. pulueris caryophyllorum ſcrup. s. ceræ parum miſce, & fiat linimentum. Si fiat propter humores viſcidos & craſſos, vtendum erit iis, quæ incidere & attenuare poſſunt; vt eſt oxymel, ſyrupus de praſſio; hæc enim & lambenda puero data, & à nutrice vſurpata, maximè iuuare poſſunt. Vbi autem fit alui adſtrictio, eo quòd bilis non penetret ad inteſtina, tota curationis ratio poſita eſt in tollendis illis obſtructionibus; & propterea ſi puer ſit grandiuſculus, iuuabit decoctum erythrodani, cicerum rubeorum, radicum fœniculi, vel aſparagi; vſus etiam cetrachæ, & capilli Veneris prodeſt. nam in ætate, & in corporibus puerilibus medicamenta fortiora non ſunt adhibenda.

De Aluo nimis fuſa.

CAPVT XXV.

Contrarius huic affectus fit & alter in pueris, nimirum quando aluus illis fuſa magis eſt, quàm conueniret; id quod pueris frequenter contingere ſolet, & præſertim quando dentes emittunt, vt ſcripſit Hippocr. 3. aphor. 25. Eſt enim hic affectus

affectus alui nimia laxitas, qua pueri,& frequentius,& plus egerunt, quàm par ſit pro ratione cibi, & potus. Dico, pro ratione cibi, & potus; quia pueri, qui plurimum comedunt, ſi plurimas fæces edant, non eſt in ipſis affectio morboſa. Eſt autem hic affectus ſymptoma in genere excrementorum immodicè, quod ſymptoma pendet à læſa actione, tum retentricis, tum expultricis facultatis. Lædun-tur verò huiuſmodi actiones, vel propter aliquam intemperiem, vel aliquod vitiũ inteſtinorum,vel quia ipſis inteſtinis accidunt quæ accidere non deberent.Intemperies inteſtinorum, quæ facit in pueris aluum laxiorem, eſt,vt dicebam cum Galeno, frigida intemperies, ob quam vitiata coctio, & corrupti cibi faciunt huiuſmodi fluxum. Sed eſt etiam & intemperies humida, merito cuius facultas retentrix, quæ in ſicco poſita eſt, imbecillis reddita cùm retinere non poſſit fæces, facit vt ab illis expulſoria facultas concitata expellat,& magis, & frequentiùs quàm par eſſet. Quæ accidunt inteſtinis puerorum, & alui perfuſionem faciunt, plura ſunt. in primis enim eſt humiditas à capite ad ventriculum, & à ventriculo ad inteſtina delata; ſic enim crebrò fieri alui fluxum docuit Hippoc.in lib.de affectibus internis. adhæc ſunt corrupti cibi, qui cùm acrimoniam acquirant, ad inteſtina prolapſi expulſiuam facultatem irritant. Sunt item ichores acres, & mordaces; & hinc eſt quòd pueri quo tempore dentiunt, fluxu alui ſolicitari ſolent; quandoquidem cùm opus illud naturæ ſit,vt dicebat Democritus,violentum; ac gingiuæ veluti acubus terebrentur, inſignes cruciatus fiunt, ob quos in illis partibus calor præternaturalis excitatur, à quo attrahuntur humores ad eas partes; qui inibi putres, ſalſi, & acres redditi, necnon ad ſtomachum deinceps, & inteſtina præcipitati, mirificè expulſiuam facultatem excitant, & conſequenter alui fluxus inducunt. Pari pacto humores bilioſi ſolent aluos puerorum concitare; imò verò ſolent interdum inteſtina ipſa ſauciare,& dyſenterias facere.Ex externis cauſſis auſtrinus aër magnopere valet ad ſoluendam aluum; ſic immoderatæ exercitationes corporis, vſus ciborum nimium liquidorum,& eorum qui aluum ſoluere apti ſunt. Facile eſt cognoſcere huiuſmodi ægritudinem, quandoquidem non ſolùm pueri frequentiſſimè fæces reddunt, verùm eas ſemper liquidiores quàm conuenit. Si verò fiat ex ciborum corruptione, cognoſcemus, quia fæces fœtidiſſimæ ſunt, apparent cibi inconcocti, ructus etiam creberrimos pueri edunt. Si fiat propter dentitionem, cognoſcemus ex ſignis ipſius dentitionis, quæ aliàs monſtraui. Si fiat malum propter ichores,& humores bilioſos,cognoſcetur etiam,quia fæces bilioſæ erunt, flauæ; & ſi ſauciata fuerint inteſtina, fæces ſanguinolentæ erunt, mucis ſanguineis oppletæ. Si autem ab aliqua intemperie originem duxerit malum, cognoſcetur, quia nulla alia ſigna cauſſarum aderunt; & præter hæc, ſigna aderunt vel intemperiei frigidæ, vel humidæ. Cognoſcetur verò malum fieri ex deſtillatione, ſi puer catarrho laboret, & ad pulmones non delabatur, ſique fæces ipſæ ſpumoſæ fuerint. nam ſpumoſas fæces capitis affectionem indicare aliàs docui. Si demum ab vlla cauſſa exteriore malum proficiſcatur, intelligemus per obſeruationem factam circa mores, & vitam puerorum; in qua obſeruatione facienda hortor vt ſollicitus, & diligens quiſque ſit. Ceterùm dyſenteria omnis in quolibet corpore pernicioſa eſt. quare etiam in pueris ſemper eſt timenda. Dicebat autem Cornelius Celſus vna die fluere aluum, atque etiam pluribus ſæpe pro valetudine eſſe, modò febris abſit, & malum intra ſeptimam diem finiatur. Vnde non ſtatim debebimus,vbi pueri aluus nimis fluit, timere,aut prouidere; quia ſæpe importuna diligentia in comprimendis fluxibus puerorũ exitialis eſſe ſolet .tũc autem eſt prouidendum huic morbo, quando nimis diuturnus eſt, quia ſi diutius

fluxus perſeuerat,ſolet pueros in atrophiam,& ex ea ad mortem perducere. In inſtituenda curatione fluxus alui puerorum, primùm illud videndum eſt,an puer lacte adhuc vtatur, an verò adultior ſit. Si lacte vtatur ; ſtudium totum conuertendum ad nutricem,quæ,ſi fieri poterit, omnino mutanda erit;quandoquidē indiuturnis infantium fluxibus nihil præſtantius reperi quàm lac permutare ;id ſi fieri non poſſit, corrigendum erit. Si cauſſa fuerit calida,primùm curandum eſt,vt nutrix victu vtatur refrigerante;abſtineat à potu vini,& loco eius vtatur aqua chalybeata, vel vino ſubadſtringente , ſed paucifero. Cibis quoque ſubadſtringentibus vtatur, & refrigerantibus, vt ptiſſana cum ſucco cydoniorum , pulpa ex farre , ex oriza , ex milio, necnon berberis, etiam meſpilis, & tandem omnibus, quæ refrigerare,& adſtringere valent. Infanti verò vtile erit huiuſmodi vnguentum illinere ſupra vmbilicum,& ventriculum.Recipe olei myrtini,cydoniorum an.drach.iij. pulueris maſticis,corallorum rubeorum,acaciæ an.ſcrup.s. ceræ parum miſce, fiat linimentum. Ex aduerſo ſi cauſſa effectrix fluxus fuerit frigida,nutrix vti debebit rebus calefacientibus ; quemadmodum vino ſubadſtringente, aromatibus , carne optima ; & cum brodiis incoqui poterunt mentha , origanus , ſerpyllum. Puero autem ordinabitur huiuſmodi inunctio. Recipe olei de abſinthio , maſtichini an. drach. iij. pulueris abrotani , conſolidæ , boli armeni an. ſcrup.s. ceræ parum miſce,& fiat linimentum. Laudant plerique coagulum hœdi. Ariſt. verò 3.de hiſt.animal. cap. 21. ſcribit aduerſus alui profluuia magnopere valere coagulum leporis & cerui. quocirca poterimus etiam nos ſine periculo hoc remedio vti , ita vt non tranſcendamus vmquam in hac ætate ſcrup.s.ſed optimum erit,quo tempore puer vtetur hoc genere præſidij,vt abſtineat à ſuſcipiendo lacte, & eius loco vtatur panatella cum lacte amygdalino. nam ſicuti coagulum extrinſecus lac condenſat, ſic ſi exhiberetur importunè,periculum eſſet ne idem faceret.Vbi verò puer grandiuſculus eſt, primùm videndum erit, an alui fluxus ſit obortus propter cibi corruptionem ; quod ſi ita euenit , nihil facere debet Medicus , quo corruptos cibos retinere poſſit , ſed ſat erit pueri ventriculum corroborare huiuſmodi oleo. Recipe olei nardini,maſtichini an.drach. v. pulueris corallorum rubeorum drach. j. s. ceræ parum miſce. Si verò alia cauſſa fuerit , & præſertim fuerint humores pituitoſi à capite deſcendentes, prouocanda erit omni diligentia vrina decoctis ſeminum communium, aſparagi, petroſelini,ameos ; parantur enim decocta, vel in brodio , vel aqua , & propinantur puero ; quæ cùm prouocent vrinam, diuertunt materiam pituitoſam ab inteſtinis. Sin autem oriatur malum ex cōfluxu humoris bilioſi,ſtudendum erit, vt humor ille attemperetur, & vt prouideatur,ne inteſtina ab eo humore vlcerentur. Iccirco arcendus erit puer à vino generoſo,à cibis acribus, & dulcibus : immo verò ab omni vino. Vtendum erit , vel pulte ex hordeo, vel ex milio, vnà cum ſucco granatorum acidorum , cydoniorum ; ſyrupus de ribes optimus eſt , ſuccus berberorum cum ſaccharo , miua cydoniorum. Præ ceteris autem ſoleo ego vti feliciſſimè enemate ex milio cocto , & per colum tranſmiſſo , vnà cum decocto myrobalanorum : exempli gratia. Recipe decocti myrobalanorum omnium vnc. vj. ſucci milij per colum tranſmiſſi vnc.iiij. miſce,& fiat clyſter. Soleo etiam vti huiuſmodi ſyrupo. Recipe thapſi barbati , conſolidæ maioris an. m. s. fiat decoctio ſecundum artem. deinde, Recipe dictæ decoctionis vnc.ij.s.ſyrupi de ribes vnc. j.miſce. Serum chalybeatum præſtantiſſimum eſt, vbi fluxus alui fit ab humore bilioſo, & poteſt exhiberi pueris ad quantitatem vnc.vj. vel viij.pro captu. Si autem inteſtina ſint vlcera,ita vt iam dyſenteria ſit facta, ſtudendum eſt vlcera illa perſanare,& ſi ſordida ſint,repurgare. Vſus zedoariæ com-

manſæ

manſæ diu, & deinde deglutitæ mirificè prodeſt. Valet etiam huiuſmodi confe-ctio. Recipe conſeruæ de ribes, vel berberorum vnc.j. thuris drach.j. maſticis drach. s. pulueris conſolidæ ſcrup.ij. miſce, & drach.ij. vel iij. ſingulo mane ſumantur. Brodium gallinæ antiquæ, in quo verbaſcum ſit coctum, prodeſt & ad dyſenteriam, & ad quemlibet fluxum pertinacem. Nam dicebat Gal. 6. de ſimplicibus medicamentis gallinæ antiquæ ius aluum adſtringere. pari pacto iecur ariet is vel bouis aſſatum, & in puluerem redactum, ſi cum modico lactis chalybeati, aut deco-ctione verbaſci propinetur, vtiliſſimum eſſe ſolet. poterit autem exhiberi vel dimidium ſcrupuli, vel ſcrup.j. cū vnc.iij. vel iiij. lactis chalybeati. Eſt quoque neceſſe vti in his caſibus enematibus. ſed aduertendum ne illa ſint acria, & mordacia, qualia ſolent fieri ex muria mirificè à Galeno commendata, quoniam hæc in pueris acerbiſſimos dolores faciunt, nec ſuſtineri in hac ætate ſine periculo poſſunt. Iuuabit autem in initio hic clyſter. Recipe aquæ hordei calybeatæ vnc. viij. ſacchari rubei vnc. j. miſce, & fiat clyſter. hic enim valet in principio, quia modicè exſiccat, abſtergit, & mundat vlcera; quæ vbi ſunt mundata; poſtmodum ſiccanda, & curanda ſunt; atque tunc huiuſmodi clyſter valet. Recipe ſeri chalybeati vnc. ix. thuris, boli armeni, pulueris conſolidæ an. drach. iiij. ſanguinis draconis drach. v. miſce, & fiat clyſter.

De Teneſmo.

CAPVT XXVI.

POſt fluxus, immo verò in ipſis, & ex ipſis fluxibus ſolet pueris ſuboriri alter affectus admodum moleſtus, qui à Græcis appellatur τεινεσμός. Medici Latini vocant modò Teneſmum, modò Teneſmonem. Et eſt hic affectus quidam appetitus, inanis egerendi fæces cum dolore, & moleſtia. Dicitur enim inanis appetitus, quia etſi continuò pueri deſiderent fæces egerere, atque etiam id conentur facere, tamen nihil propemodum expellunt præter mucos valde exiguos. Dicitur etiam, cum moleſtia, & dolore, quia numquam hic affectus eſt abſque aliqua moleſtia, & cruciatu; vt optimè docuit Cornelius Celſus. Vnde notandum hoc obiter, morbum, quo periit Pomponius Atticus, non fuiſſe Teneſmum, vt malè Medici illius temporis perſuaſerunt; quandoquidem ille affectus fuit ſine dolore, vt legitur in illius vita, cùm Teneſmus neceſſariò alicui dolori, vel moleſtiæ iungatur. Eſt verò hic affectus ſymptoma in genere actionis tactoriæ læſæ, & in genere expulſionis læſæ deprauatè, & diminutè. Læditur autem hæc actio, quoniam hæc facultas eſſentialiter læſa eſt, nimirum, vel ab intemperie frigida, vel calida inteſtini recti, & vltimi cum materia frequenter, raró ſine materia. Materia verò eſt humor craſſus, viſcidus, adhærens, nec mordacitatis expers. nam cùm huiuſmodi humor tenaciſſimè inhæreat extremo inteſtino recto, ſua illa acredine, & inimica qualitate ſtimulat facultatē expulſiuā, quæ excitata tametſi omni conatu nitatur eam expellere, cùm tamen non poſſit ob tenacitatē, veluti diuellitur tunica ipſius inteſtini, atque in ipſa diuulſione fit & appetitus, & dolor. Cauſſę antecedentes huius mali frequentiſſimè ſunt alui fluxiones præcedentes; fit enim, vt cum continui humores eas partes tangant & percellant, deducātur tandem ad intemperiem, vel frigidam, ſi humores ſint pituitoſi, vel calidam, ſi ſint calidi. Vnde poſtmodū fiunt non ſolùm intemperies, ſed & inflammationes. Vnde obſeruaui ego ſæpè pueros hoc malo fuiſſe tentatos, quod ſuper ſaxum frigidum, vel terram, aut herbam frigidam ſediſſent, nam ex huiuſmodi longa ſeſſione non eſt dubitandum intemperiē

frigidam inteſtinũ rectum contrahere poſſe.Eſt etiam quædam ſpecies medicamẽti venenati appellata doricl:nium , à qua ſcribit Nicander in Alexipharmacis huiuſmodi affectum generari.Etenim cognoſcitur hic affectus, quoniam pueri appetunt, & conantur ſæpe fæces egerere , ita vt interdum vi conatus extra propellant ipſum anum.Fæces,quas educunt in hoc conatu,pauciſſimæ ſunt,mucoſæ,ſanguinolentæ ; & ſi malum fiat ab intemperie calida,calor percipitur à pueris in ano,rubor adeſt,iuuant remedia refrigerantia.Pari pacto ſi fiat malum ab intemperie frigida,multo minor eſt dolor;nullus adeſt calor,aut exiguus;nullus rubor. ac demũ calefacientia auxilia proſunt. Solet hic quidem morbus,ſi ab initio , & diligenter tractetur, tandem finiri feliciter. Sed contingit etiam interdum , vt propter continuos dolores,vigilias,& ploratus, pueros ipſos deducat, & in febres lethales, & in corporis conſumptionem,& tandem in mortem.quapropter erit opus eos ſtatim curari.Et quia raró pueri lactentes huiuſmodi vitio tentantur,opus erit,ſi quando tententur,nutrices,aut pueros adultos arcere ab omnibus cibis acetoſis,ſalſis,acribus,dulcibus;vtendum autem iis,qui vrinam prouocare poſſint.& ſi malum fiat à cauſſa frigida, erit incedendum, quemadmodum in fluxu ſuprà dixi. Pari pacto ſi materia fuerit calida,peculiariter autem ad dolorem ſedandum, & ad illum appetitum inanem mitigandum adhibentur pueris inſeſſus, fomentationes, ſuffumigationes,& glandes,ſiue ſuppoſitoria. Inſeſſus ex decocto verbaſci, aut dictami Cretenſis,& thapſi barbati mirificè prodeſt ad teneſmum puerorum ſedãdum ; vt etiã valet ipſum decoctum verbaſci.Fomentationes quoque fiunt ex vino adſtringẽte, in quo cocti ſint myrobalani,chebuli,& folia verbaſci.nam accipiuntur ſpõgiolæ, & imbutæ eodem vino apponuntur ano.Suffumigationes fiunt ex reſina, terebinthina, ex pice colophonia,ex corticibus illis, in quibus manent nuclei pini incluſi. nam ſoleo ego curare,vt contundantur hæc,& ligna pini,& contuſa ſuper carbones coniiciantur , ac deinde puer fumum ano attrahat ; atque hic fumus mirificè valet,& ad appetitum ſedandum,& ad demulcendum dolorem. Sic etiam valet terebinthina, ſi ſuper carbones iniecta ſupponatur ano , ita vt fumus ipſam ingredi poſſit.Si verò hæc non iuuerint,componantur glandes,quæ in anum immiſſæ dolorem tollunt.Rec.opij gr.iiij. croci ſcrup.j.thuris ſcrup.j.cum luteo oui aſſati formetur ſuppoſitorium,& in anum immittatur ; huiuſmodi enim præterquam quòd dolorem lenit, & tollit , habet etiam vim conſumendi , & exſiccandi humores illos , qui adhærentes extremo inteſtino faciunt malum , & præſertim ſi humores calidi ſint.

De Torminibus inteſtinorum.

CAPVT XXVII.

FIt in puerorum inteſtinis alter affectus , qui non ſolùm homines, & bruta, verùm etiam pueros magnopere torquet;vt iure à Latinis vocatus ſit hic affectus nomine torminum. Sed dubitari meritò poſſet,quî fiat vt inteſtina vſque adeò ingentes, & ſæuos cruciatus ſuſtineant ; quandoquidem cùm deberent recipere excrementa dura,& aſpera ; coacta fuit natura ea oblinire adipe,& muco,vt ſenſum obtuſum haberent;quod dixit Gal.5. in 6.epid.28.& alibi ſæpe.Si itaque inteſtina obtuſo ſenſu prædita ſunt , non videtur rationi conſentaneum , vt ingenti dolore affici poſſint ; quandoquidem vbi dolor magnus eſt, ibi quoque vt ſenſus ſit egregius

gius neceſſe eſt. Nam etſi Plinius quandoque videatur etiam arboribus dolorem tribuiſſe, ea potiùs fuit ipſius ingenij luxuria, aut quia Pythagoricos ſequeretur, qui & dolores,& lacrymas in arboribus ponebant. Si itaque inteſtina non poſſunt ſuſtinere dolorem inſignem,cur eſt, quòd & pueri, & homines ſæpe vſq; adeò doloribus inteſtinorum vexantur,vt,quod retulit Galenus ſecundo de medicamentis localibus, inuenti ſint, qui ob doloris magnitudinem ſe ipſos interemerunt? Dicendum eſt id, quod videtur propoſuiſſe Galen. 5.lib. de vſu partium, cap. 10.vbi quærens quî fiat vt inteſtina dolores & mordicationes ſentiant, atque interdum à bile atra exulcerentur,inquit hoc iccirco contingere,quia cùm inteſtina ſint anfractuoſa, atque etiam valde longa,diutius in ipſis humores retinentur; qui deinceps retenti, paulatim internas inteſtinorum tunicas denudant à mucis, atque ita ipſorum ſubſtantiam corrodunt,& dilaniant.Vt iam ſit aperta ratio,propter quam & inteſtinorum ſenſus ſit obtuſus, & tamen eximios cruciatus ſentiant. Eſt dolor hic, ſicut & reliqui omnes, ſymptoma in genere actionis tactoriæ deprauatæ. Deprauatur autem actio à morbo,qui eſt vel intemperies inſignis, vel ſolutio continui,vel vtraque. Cauſſæ porrò intemperiei, atque ſolutionis continui inteſtinorum,ſunt modò flatus,qui & refrigerantes inteſtina, & ipſorum tunicas diuellẽtes dolorem inducunt. Sunt etiam humores vel frigidi, vel pituitoſi, & viſcidi, vel calidi; vt lac corruptum, humor bilioſus, melancholicus; quamquam hos dolores à melancholico humore oriri perquàm rarò contingat. Sunt etiam inter has cauſſas vermes,qui etſi omnem ætatem ſollicitare ſoleant,præcipuè tamen vexant pueros,interdum lactentes, ſæpiſſimè autem ablactatos. Externæ cauſſæ ſunt aëris frigiditas, frigiditas pedum, vſus ciborum frigidorum; cibi dulces, præſertim autem hos dolores in pueris facere ſolent fructus omnes fugaces, qui hanc ætatem magnopere delectare conſueuerunt. Cognoſcuntur autem pueri dum his doloribus torquentur, quoniam plorant, mammas refugiunt, ſeſe torquent, & inceſſanter perclamant. Sed priuſquam alia ſigna percurram, conuenit huic loco, vt proponam pulcherrimum problema propoſitum ab Ariſt.27.problemate ſectionis 9.ſcilicet cur ſit,quòd homines,& præſertim pueri dũ dolent,maximè clamant:vbi autem metuunt,non ſolùm non clamant, immò verò alto ſilentio tenentur. Ratio huius verè Ariſt.digna eſt;homines dum dolent,magna vi ſpiritum retinere in partibus ſpiritui deſtinatis;vbi autem ſpiritus diu retenti ſunt,cùm non poſſint capi,& ſuſtineri, magno impetu erumpunt, in qua eruptione cùm aërem frangant, vehementem ſonum,& clamorem faciunt. Contrarium autem, inquit Ariſt. contingit in metuentibus,quorum præcordia cùm refrigerentur,atque pauci ſpiritus in ipſis ſint, toti vnà cum calore congregati circa cor ibi manent, nec extra vllo impetu proferuntur.Ceterùm cauſſa propter quam in dolore homines,& præſertim pueri ſpiritum retinent,eſt,inquit Ariſt.quoniam ſicuti natura comparatum eſt, vt bruta partim cornibus,partim vnguibus,partim dentib.indocta ſe ſe defendant,ſic ſponte naturæ, vbi aliquis dolor in corpore eſt, homines calorem natiuũ ad locum dolentem trahunt, & conſequenter etiam vnà cum ipſo ſpiritus, qui huiuſmodi caloris,& vehicula,& domicilia ſunt.Si dolor efficiatur à flatibus, cognoſcetur,quia dolor modò vehemens eſt, modò remiſſus; modò abſcedit, modò reuertitur. ad-hæc erumpunt crepitus & ano & ore, qui etiam dolores leuant. Sin autem fiat ab humoribus,cognoſcitur,quoniam dolor magis permanens,& magis continuus eſt, & ſi fiat ab humore pituitoſo, fæces exiguæ egeruntur, atque illæ mucis opple-tæ.quemadmodum ſi fiat dolor à bilioſis humoribus, cognoſcitur,quia fæces crocea exeunt.ſicuti ſi à lactis corruptione,vel acrimonia fiat, cognoſcitur,tum notis

ipſius lactis, tum maximè, quoniam fæces quæ egeruntur, corrupti lactis ſpeciem præ ſe ferunt. Porrò dolor omnis qui perſeuerat in omni ætate, periculoſus eſt, maximè autem in ætate puerili; quam dicebat Plato in lib.2. de legibus, & alibi, à dolore, & à voluptate, quaſi à quibuſdam tyrannis magnopere affici. Afficit autem maximopere dolor inteſtinorum hanc ætatem, & inter hos dolores ſæuiſſimi, & exitiales eſſe ſolent, qui fiunt à vermibus, & qui diu perdurant, quapropter diligenter & ſollicitè debet etiam curatio huius affectus intelligi. Primùm enim, ſi dolor fiat à lacte corrupto, aut aliquo pacto vitiato, quamprimum eſt nutrix mutanda, ſi ſint lactentes: dico quamprimum, quia doloris & ſymptomatis magnitudo tanti refert, vt non permittat corrigi lac; quia vſque quò hoc fieret, tormento poſſent pueri interimi. Si autem fiat dolor à flatu, atque puer lactens ſit, ante cetera prouidendum eſt, vt nutrix abſtineat ab omni genere eduliorum flatulentorum, vitet legumina, lagana, herbas, fructus fugaces, præſertim verò caſtaneas, vina craſſa: præſtabit autem vti coriandris, fœniculo. & quod dico de victu nutricum, idem quoque dicendum eſt de victu eorum puerorum, qui iam grádiuſculi & adultiores ſunt. Ipſis verò pueris ea ſunt adminiſtranda auxilia, quæ propriè anodyna nuncupantur à Galen.5. de ſimplici medicina cap.18. & ſunt ea, quæ calefaciunt in primo gradu, quæque materiam dolorificam euacuant, incidunt, attenuant, & diſſipant; cuiuſmodi eſt oleum anethinum. quare poterimus in his caſibus, vel ventri pueri illinire largè oleum anethinum, vel habere omentum caſtrati, & incoquere, aut frigere in oleo anethino, ac deinceps ipſi ventri ſuperponere. porrò ſi flatus diſſipari, aut excludi non poſſint, duo remedia ſolent adminiſtrari. Vnum eſt, vt clyſter, hoc eſt, inſtrumentum illud, quo imponimus enemata, vacuum blandè in inteſtina iniiciatur, atque lignum deinceps extra trahatur. ſolet enim aër in inteſtinis puerorum incluſus huiuſmodi artificio extrahi. Alterum auxilium eſt, vt clyſteres iniiciantur; & ſi puer lactens ſit, ſufficiet vnc. ij. vel iij. olei anethini lumbricati iniicere per clyſterem. Sin autem grandiuſculus ſit, poterit cyminum, & anethum in oleo dulciſſimo incoqui, ac deinde olei huiuſmodi percolati vnc. vj. vel viij. pro captu, poterunt per clyſterem iniici. Et, quemadmodum aliàs monui, aduertendum eſt, vbi flatus excludi debent ab inteſtinis puerorum, illud fieri debere blandiſſimis remediis; quandoquidem ſi calidiora adminiſtrentur, atque in inteſtinis fomes flatuum reperiatur, euenire ſolet, vt auxilij loco ſæpè dolores acerbiores euadant. Si fiat dolor in adultioribus pueris à materia pituitoſa, enitendum eſt huiuſmodi remediis propoſitis blandè dolorem mitigare. interim verò ipſi cauſſæ occurrendum erit, vt ſcilicet humor pituitoſus & craſſus incidatur, attenuetur, & euacuetur. Erit autem accommodata hæc potio. Recipe foliorum anethi, origani, cymini ana m.s. fiat decoctio ſecundum artem. deinde, Recipe dictæ decoctionis vnc.iij. oxymellis ſimplicis, ſyrupi biſantini an.drach.iij. miſce. Vbi præparata erit materia, euacuanda eſt, & ad ipſam euacuandam nihil præſtantius reperitur vſu hieræ ſimplicis. quare ſi infans ſuſtinere poſſit, & ſine febre ſit, optimum eſſet exhibere drach.j.s. hieræ cum vino, quemadmodum faciebant veteres. Sed ſi puer auerſetur amarorem medicamenti, hoc exhiberi poterit. Recipe electuarij leniriui drach. v. ſpecierum hieræ drach.j. miſce, & fiat bolus. Vbi autem dolor fit ab humoribus acribus, & mordacibus, cuiuſmodi ſunt biliosi, ſtudendū eſt ipſum ſedare, & per interna, & externa remedia. Exterius conuenit vſus olei roſati lumbricati, vel ſolius, vel admiſti cum pari portione, aut olei anethini, aut chamæmelini. Conuenit etiam omentum prædictum frigere in oleo roſaceo lumbricato, & apponere ipſi vmbilico. Iuuant etiam clyſteres parati primùm ex ſero,

ſero,vel ex aqua hordei, deinde ex lacte, ex ptiſſana hordei. Soleo ego hoc parare tum in lacte corrupto,tum etiam in humoribus biliofis. Recipe ptiſſanæ vnc. vij. olei anethini vnc.ij. vitellum oui num.j. miſce, & fiat clyſter. Præter hæc remedia debet Medicus ſollicitus eſſe in euacuandis ipſis humoribus; quandoquidem cùm ſint tenues, ſemper parati ſunt,vt faciliter euacuentur. Erit autē accommodatum ad euacuandum hunc humorem in gradiuſculis: Rec. diaphœnici drach. j.s. rhabarbari puluerifati ſcrup. ij. pulpæ tamarinth. drach. iij. miſce. Vel ſi potu erit vtendū, poterimus bilioſos humores hoc pacto euacuare: Rec.decocti tamarinth. vnc. ij. s. rhabarbari electi ſcrup. ij. ſpicæ grana ij. infundantur omnia ſecundum artem, deinde facta diligenti expreſſione adde electuarij lenitiui vnc.s.miſce, fiat potus. Sed ſi nulla ex his remediis iuuerint, quid agendum,ne pueri crucientur,& intereant? deueniendum eſt ad ea medicamenta anodyna,quæ ſenſum obtundunt, & adimunt; & quæ non propriè anodyna vocari ſcribit Galenus. Solent nutrices offerre pueris requiem Nicolai, ſed ſicuti hoc medicamentum laudo interdum,& prudenter vſurpatum; ſic minimè laudare poſſum eas nutrices, quæ,vt ipſæ dormire poſſint,continuò hoc remedio infantes ſaturant; quandoquidem præter cetera mala, quæ in pueris facit nimius opiatorum vſus, ſolent quoque mirificè mentem & intellectū hebetare. quare vel rariſſimè erit vtendum,vel,ſi puer grandiuſculus ſit, multo ſatius erit alicui ex clyſteribus prædictis immiſcere modicum, vel eiuſdem requiei, vel philonij Romani; ita vt non tranſcendatur horum medicamentorum, vel ſcrup. s. vel ad plus ſcrup.j. Sed, vt dixi, hæc cura coacta, & impropria, non niſi vrgente ſumma neceſſitate eſt efficienda.

HIERONYMI MERCVRIALIS DE INTERNIS PVERORVM MORBIS

LIBER TERTIVS.

De nomine, & definitione Lumbricorum.

CAPVT PRIMVM.

HVcvsqve hæc doctrina in ſuperioribus omiſſa dilata de lumbricis excepta eſt ex lectionibus ſupra ſecundum Epidem. pridem habitis. Supereſt vt de animalibus intraneis, hoc eſt, de vermibus pertractemus; quandoquidem perfectio huius tractationis illud etiam poſtulat. Erunt autem, quæ tractabo de hac materia, quatuor: Natura,Differentiæ,Signa,& Curatio. Circa naturæ contemplationem, & nomen,& eſſentiam, & cauſas omnes primò adducam. Apud Græcos Scriptores

vocantur hæc animalia ἑλμινθες, atque hoc nomen commune eſt ad omnes ſpecies, immò quandoque etiam aliquas ſpecies particulares ſignificat. Ceterùm inuenire etiam eſt apud Hipp.& 1.& 4.epid. ἑλμιγγες. Latini Medici, atque etiam alij ſcriptores vocarunt modò lumbricos,vt Cornelius Celſus lib. 4. ſuæ Medicinæ, modò vermes, modò intraneorum animalia, vt appellauit Plinius. Sed circa hoc nomen duo adnotanda ſunt. Vnum eſt, nomen lumbricorum etiam communicari iis animalibus, quæ cùm ſimilia ſint lumbricis hominum, tamen naſcuntur ſub terra, & præſertim locis lutulentis,& aquoſis;atque ſic etiam Columella, & Plinius, & alij auctores linguæ Latinæ,vocaſſe inueniuntur.Aliud aduertendum eſt,differentiam eſſe apud ſcriptores Latinos inter vermes, & vermina, ſeu verminationem; quia vermes propriè ſunt hæc animalia, quæ & inter ipſa viſcera viuentium generantur, & etiam intra terræ viſcera. Vermina autem dicuntur tormina inteſtinorum, non vermes ipſi; ſic quoque verminatio appellatur torſio, quemadmodum apud Senecam epiſtola 97. Quare ſi quando apud ſcriptores rei Latinæ, & apud Medicos iumentorum legere contigerit vermina, & verminationem;ſciendum,rem eſſe diſtinctam à lumbricis,de quibus agimus.Itaque lumbricus nihil aliud eſt niſi animal, ſeu ſubſtantia animalis formam referens, in corpore hominis nata, variè lædens operationes.Dixi,animal,vel,res animal referens,eo quia latus lumbricus,vt apparebit quando tractabimus differentias, non propriè animal eſt; ſed quemadmodum dicit Hippocr.4.de morbis, eſt quædam ſubſtantia adnata inteſtinis ipſis, quæ animalis formam repræſentat quodam modo. Dixi, in corpore, quia licet oriantur præcipuè hæc animalia in inteſtinis, tamen oriuntur etiam in aliis locis, quemadmodum ſuo loco patebit.Addidi quoque,hominis,eo quòd animalia bruta maximè tentari ſolent hoc genere affectus vermium; verumtamen neque tempus,neque locus poſtulat, vt de iis agamus. Dixi, variè lædens operationes, quòd, vt demonſtrabo latius, hæc animalia modò dolores & cruciatus inducunt miros, modò corpora contabeſcere faciunt,modò epilepſias,modò phrenitides, variáque alia mala inferunt.ex hac deſcriptione clariſſimè licet colligere,lumbricum in homine eſſe morbum;quemadmodum docuit Gal. lib.de differentiis morborum 8.& libro 14. Methodi 19. atque toto genere præter naturam, & inter morbos in numero ipſum connumerandum eſſe. propterea quòd ſubſtantia quædam eſt ſuperflua, partibus ſolidis corporis adiuncta; non tamen ob hoc inferendum eſt, morbum eſſe de prædicamento ſubſtantiæ, quando non ea ſuſtantia verè morbus eſt, ſed præternaturalis diſpoſitio ab ea excedente ſubſtantia facta. Hæc itaque ſit eſſentia lumbricorum, de qua tractaturi ſumus,quæ eſſentia cùm proficiſcatur à ſuis cauſſis propriis, atque quatuor ſint genera cauſſarum, efficiens, formalis, finalis, & materialis; opus eſt diligenter circa vniuſcuiuſque cauſſæ ſpeculationem verſemur.

De cauſſa efficiente lumbricos.

CAPVT II.

Quoad cauſſam efficientem ſpectat, fuit omnium rectè philoſophantium ſententia, animalium duplicem eſſe cauſam effectricem: alteram externam, alteram verò internam,& immediatam.Externa nihil aliud eſt,niſi vis quædam cœleſtis,quæ medio cauſarum immediatarum animalia format, & fingit; quæ ſiue ſit facultas formatrix Galeni, ſiue ſit potens ille factor Caleodea Auicennæ, cuius métio habetur 16.tertij,tract.5.c.1.ſiue ſit anima mundi Platonicorũ,non eſt quod

hoc

hoc loco diſputemus. nam certum eſt nihil aliud per hanc voluiſſe Ariſt. intelligere,quando 2.lib.Phyſ.ſcripſit,ſolem & hominem generare hominem,quam etiã intellexit,quando 3.de generatione animal. cap.11. mentionem facit cuiuſdam caloris vniuerſo inexiſtentis ; qui prout à corporibus plus minuſve recipitur ; ſic nobiliora, aut ignobiliora animalia producit. Eſt ergo cauſſa externa lumbricorum effectrix calor iſte cœleſtis,proxima verò & per ſe eſt calor corporis internus, dico,per ſe,quia tametſi ad generationem concurrat etiam frigus attemperans calorem, concurrit tamen per accidens, non per ſe, quemadmodum colligere licet ex Ariſt. 2. de generatione animal.cap.4.& lib.4. Meteororum. Sed quia calor noſter duplex eſt, alter viuificus, alter verò igneus, & putrefactorius, ſciendum ad generationem animal. ferè concurrere hunc vtrumque calorem, ſed diuerſo planè modo.nam calor putredinalis,& igneus diſponit materiam,& putrefacit,non quidem immediatè ad recipiendam formam, ſed ad recipiendam diſpoſitionem caloris viuifici, qui calor deinde viuificus non ſolùm diſponit ad recipiendam formam, verùm etiam informat & efficit animalia ipſa. nam clarum eſt eundem factorem, & efficere, & præparare ſibi materiam. Vnde dictum eſt calorem hunc viuificum non ſolùm inducere formam horum animalium,verùm etiam præparare ſibi materiam ; adeo vt calor putredinalis nihil aliud habeat, niſi quod putrefaciens materiam ipſam facit, vt facilius diſponatur, & tractetur à calore viuifico. Quod enim color igneus, & putredinalis,neq; generare animal, neque diſponere ad formam ſuſcipiendam poſſit, luculentiſſimum habetur teſtimonium Ariſtotelis 2. de generatione animalium cap. 3. quo in loco ſcribit ignem nullum animal generare poſſe. Sed video ſtatim ingenioſum aliquem dicturum, nónne Ariſt. 5. libro de hiſtoria animalium 19. ſcribit in fornacibus Cypri, vbi vritur Chalcitis, fieri quaſdam beſtiolas quæ volant,quod etiam habetur confirmatum apud Theophraſtum lib. de igne,& apud Antigonum De mirabil. auſcult. Reſpondeo poſſe animalia in his fornacibus reperiri, ſed nequaquam generantur illic. verùm cùm prius laterent in illa terra, quæ vritur, ignis deindeps vi exeunt ex ea,atque volitant. Quod etiam intelligi debet de ea ſententia Herodoti, qui apud Aëtium lib. 9.cap. 39.ſcribit in febribus generari lumbricos, ſi quidem à calore febrili nequaquam generantur hæc animalia,ſed quæ prius genita erant & latebant, ob caloris febrilis vehementiam agitantur, & è corpore exeunt.Eſt ergo calor viuificus, ille, qui lumbricos efficit, quive blandus, & mitis eſt, non autem vehemens,aut mordax & vorax ; propter quod allucinatus eſt vehementer Montanus, qui dixit in pueris lactentibus non fieri lumbricos, quia ipſis non eſt adeo calor viuificus vehemens, quemadmodum requiritur in generatione horum animalium. nam calor blandus & mitis eſſe debet, non magnus. Et cur in lactentibus non fiant vermes, multo melior eſt aſſignata cauſſa 4. de morbis ab Hippocr. ſeu à Polybo, quàm ab ipſo Montano, vbi ſcribit in pueris, dum vtero clauſi ſunt, generari vermes, eo quòd fæces in ipſis retinentur. poſtquam verò exeunt in lucem, non generari, quoniam in ipſis fæces non amplius retinentur ; & ob id ait ſagaces nutrices, & ſolertes matres conſueuiſſe ſtatim pueris exeuntibus in hanc lucem offerre medicamenta, quæ poſſint exonerare inteſtina, & depurare ab iis excrementis quæ retenta generant lumbricos.

De

De cauſſa formali lumbricorum.

FOrmalis cauſſa horum animalium nulla alia eſt, niſi ea anima, vis & forma, qua & viuunt, & mouentur; quamquam Albertus Magnus lib.21.de animalibus videatur hoc aſſeruiſſe, quòd lumbrici nullum alium ſenſum habeant præterquàm tactus, & guſtus, medio quorum radices plantarum rodunt, atque nutriuntur per quandam fiſſuram, quæ in ipſorum ventribus reperitur. Sed vt vera eſt ſententia ipſius Alberti in animalibus huiuſmodi extra hominem, pariter etiam vera inuenitur in animalibus, & lumbricis humanis, niſi quòd hæc ore licèt obſcuro nutriuntur.

De cauſſa finali lumbricorum.

CAPVT III.

CAuſam finalem nullam habere lumbricos non defuere qui opinati ſunt, ſed potior ſemper mihi viſa eſt ſententia Auicen. qui 16. tertij tract.5.cap.1. duos fines omnium lumbricorum conſtituiſſe videtur. Vnum, vt materia huius mundi, & præſertim animalium, per generationem lumbricorum depuraretur; ſi quidem ſi materia putrida ita remaneret, & ex ipſa nullum animal fieret, adeò creſceret putredo, vt maxima detrimenta inferret. Alterum finem poſuit Auicennas horum animalium, vt ſcilicet tum ipſorum generatione, tum etiam nutritione excrementa copioſa corporum conſumantur. Et quamquam ſententia ipſius Auicennæ videatur eſſe de lumbricis, qui vbicumque naſcuntur, peculiariter intelligenda eſt de animalib. genitis in corpore humano, quæ etſi interdum bonam materiam corporis conſumant, id tamen eſt per accidens, ſcilicet propter multitudinem, & copiam immoderatam; eo quòd vbi immodicè excreſcunt, & excrementa conſumunt, & etiã vtilia alimenta, ſed ſi non admodũ creſcant, aut magnitudine, aut multitudine, ſuperflua tantũ conſumere videntur. Verùm hoc in loco duo oriũtur problemata. Vnum, ſi eſt morbus lumbricus, quomodo fieri poteſt, vt habeat cauſſam finalem? ſi quidem morbus cùm ſit res præter naturam, proculdubio ab ipſa, neque vllo fine, neque vllo modo factus eſt, aut fit. Præterea cùm dictum ſit, & lumbricos mundi, & lumbricos corporum noſtrorum vtiles eſſe, numquid tanta ſit vtilitas eorum, qui in nobis ſunt, atque eſt eorum, qui extra corpus generantur? Vt primo problemati ſatisfiat, ad memoriam reuocare nobis debemus duplicem eſſe naturam, aliam vniuerſalem, aliam verò particularem. Si vniuerſalem ſpectemus, proculdubio lumbricus non eſt præter hanc naturam, neque ſic morbus appellari debet; & propterea quando diximus duos eſſe fines lumbricorum, reſpeximus hanc naturam. Sed ſi ſpectemus naturam particularem, proculdubio lumbricus eſt præter intentionem ipſius, & vt talis morbus eſt, ſimulq; nullum finem habet in corpore noſtro. Ad ſecundum problema reſpondemus, nequaquam tantam eſſe vtilitatem lumbricorum in hominibus genitorum, quanta eſt eorum, qui in mundo ſunt, propter tres cauſſas. Vna eſt, quia inteſtina ſortita ſunt à natura facultatem expulſiuam, merito cuius etiam ſi non gignantur hæc animalia, tamen expelluntur ex corpore excrementa & putredines; in mundo autem nequaquam. Vbi cùm non ſit hæc facultas expultrix, quæ conſumat, & in alium mundum expellat

pellat putredinem, vtiliſſimum,ac pene neceſſarium eſt alia fieri, quæ huiuſmodi excrementa, & putredinem conſumant. Secunda ratio eſt, quia ſi proportionem animalium generatorum in homine ad ipſa corpora ſpectemus, & comparemus ad animalia genita in mundo, multo magis exſuperant animalia noſtra materiam corporis noſtri,quàm animalia mundi exſuperant corpus,& materiam vniuerſam; vt hinc fiat poſſe magis nocere hæc animalia in homine,quàm in mũdo ipſo.Tertia ratio eſt,quia etſi & generatione,& nutritione ſua huiuſmodi animalia in homine abſumant excrementa,abſumunt tamen interdum alimenta vtilia, & neceſſaria;in mundo verò ſolummodò ſuperfluas, putridas, & excrementitias partes conſumunt;vt hinc apparere poſſit multo maiorem eſſe vtilitatem lumbricorum mundi, quàm lumbricorum aimalium.

De cauſſa materiali lumbricorum.

CAPVT IV.

QVæ ſit materia ex qua animalia intraneorum gignuntur, opinionum diuerſitatem inter veteres inuenio. Hippocr. ſiue alius auctor 4. de morbis hanc ſententiam habuiſſe videtur, generari ea ex ſtercore. Ariſt. autem 5. de generatione animalium cap.19.cùm enumeraſſet varia animalia,quę gignuntur ex putri materia,dixit aliqua gigni ex excrementis animalium, atque hæc ipſa ἑλμινθας,ſeu lũbricos eſſe; quaſi cenſuerit ipſe ex omnib.excrementis corporis noſtri gigni lumbricos. Sed quod ad Hippocr. opinionem ſpectat, ſanè vera nequaquam videtur, quandoquidem ſi vermes gignuntur in variis corporis noſtri partibus, ſequeretur ibi etiam reperiri ſtercora, quod abſurdiſſimum,& à ratione alienum eſt.Præterea ſtercora in corpore noſtro paruo tempore manent, vt dixit Hipp.interdum altera die à ſumpto cibo exire,quo fit vt non ſit tempus idoneum ad huiuſcemodi generationem. Sed quod magis refert, ſtercora ſunt partes ſiccæ, & omni vitali humiditate exhauſtæ, propter quod idonea materia huius generationis nequaquã eſſe poſſunt. Sic etiam Ariſtotelis ſententia nequaquam firma eſſe videtur, quia cùm multa ſint in corpore noſtro excrementa,planum eſt ex determinato aliquo genere gigni, quod genus cùm non determinauerit ipſe, nequaquam eius ſententiam ſequi poſſumus. Oribaſius lib. 3. aphor. 30. quem inter poſteriores ſectatus fuit Montanus, habuit hanc ſententiam, ex omni humore corporis noſtri poſſe gigni, & verè gigni animalia intraneorum, immo, quod peius eſt, exiſtimarunt hanc ſequutos eſſe & Ariſt. & Galenum. Sed ratio potiſſima, qua ad hoc credendum impulſi fuerunt, eſt varietas colorum horum animalium; quia cùm conſpiciantur lumbrici modò colore fuluo,modò albo,modò ſubnigricante infecti,modò rubei, ſtatim arbitrati ſunt horum colorum varietatem non aliunde proficiſci, quàm ex varietate humorum,ex quibus fiunt. Verùm mea ſententia & Oribaſius, & Montanus ſunt allucinati. Primum quidem, quia adſcripſerunt eam & Ariſtot. & Gal. ſententiam, quam nec vnquam ſomniarunt. Si enim verba Ariſt. videamus loco citato, nihil aliud ſonant, niſi fieri lumbricos ex excrementis, tam intra animalia, quàm extra repertis. Similiter ſi videatur Gal.3. aphor. 26. vbi tractat de his animalibus,multum abeſt,vt eo loco afferat fieri ex omni humore.At quod peius eſt, præter rationem, & abſurdum omnino eſt, exiſtimare ex omnibus humoribus fieri

fieri hæc animalia. Quod enim non fiant ex ſanguine ſatis compertum eſſe poteſt, quia ſanguis numquam ad tantam putrefactionem peruenit, vt ex eo gignantur animalia; immo verò Alexander Trallianus lib. 12. cùm referat quorundam ſententiam, qui putarunt nullam fieri putredinem in venis; ex eo illud comprobabat, quia in venis, vbi eſt ſanguis, numquam animalia oriuntur. Non etiam poſſunt fieri hæc animalia ex humore melancholico, eo quia humor frigidus, & ſiccus eſt: vita autem animalium viuentium, vt vbique teſtatus eſt Ariſt. & Hipp. in calido & humido poſita eſt, vt ſatis manifeſtum eſſe queat idoneam non eſſe materiam melancholicam, quia frigidus,& ſiccus ſuccus eſt,qualitatis nimirum contrariæ. Neque etiam fieri poſſunt ex flaua bile,quia eſt ſententia Ariſt. animalia ab iiſdem conſeruari & nutriri,ex quibus fiunt; ſed hæc animalia interimuntur amaris rebus. igitur non poſſunt ex amaris gigni; quia ſic conſeruarentur potius ab ipſis. Accidit his, quòd Galenus 4. de ſimplicibus medicamentis ſcribit, in mari mortuo, quod flumen Iordanis in ſacris litteris eſt appellatum, nullum animal generari, neque conſeruari; eo quia aqua illa propter bitumen eſt amarior. igitur fieri nequaquam poteſt hoc exemplo Galeni, vt ex ſimili humore amaro viuant, aut producantur illa animalia. Quam rationem cùm Paulus Ægineta libro 4. cap. 27. examinaſſet, addidit non poſſe hæc animalia gigni ex humoribus vllis calidis;propterea quod cùm non poſſint ipſi hęc animalia alere,non poſſunt etiam generare. Remanet igitur, vt duntaxat generari poſſint ex pituita. Sed pituita duplex eſt, alia eſt naturalis, quæ cum aliis humoribus conficitur, aut perficitur in iecore, & ſanguini miſcetur.alia eſt pituita,quæ communiter vocatur humor crudus, quod memoriæ proditum habetur à Galeno 3.de alimentorum facultatibus, atque etiam aliis locis.Ex pituita naturali exiſtente intra venas nequaquam fieri poſſunt hæc animalia. quamobrem remanet vt generentur ex ea tantùm, quæ humor crudus vocata eſt. Hac determinatione iam patet aditus ad conciliandos Galenum, & Auicennam, & poſteriores omnes; quandoquidem cùm Galenus 3. aphoriſ. 26. ex humoribus crudis fieri lumbricos aſſerit, & cùm Auicennas 16. tertij tractatu 5. dicit fieri ex pituita inuoluta ſtercoribus, idem omnes dicunt, quia ea pituita nihil aliud eſt niſi humor crudus, & genitus, atque productus in ventriculo. Hanc ſententiam ſectati ſunt Alexander in epiſtola de lumbricis, Paullus Ægineta loce citato; Columella inter Latinos etiam libro 6. cap. 28. dixit lumbricos generari ex materia cruda.Sed dicet quis, quomodo igitur Paullus, & Alexander interdum dixerunt generari hæc animalia ex cibis corruptis? Dico hoc etiam eſſe verum, quandoquidem alia eſt materia mediata, alia immediata. Immediata materia ex qua fiunt lumbrici, eſt humor crudus,ſeu pituita, mediata verò materia, ſunt cibi corrupti, quia vbi cibi rectè in corporibus conficiuntur, non fiunt crudi humores, & conſequenter nec fit materia vermium; & propterea in iſtis nequaquam gignuntur. vnde eos vehementer falli ſciendum eſt, qui falſa quadam opinione ducti crediderunt in omnibus hominibus etiam ſanis generari vermes; quandoquidem, vt ſæpe videtur ex anatome, inueniuntur corpora, in quibus nulli vermes ſunt. Cùm itaque materia mediata ſint cibi corrupti, ex quibus generantur ſucci crudi, ſciendum eſt eos omnes cibos aptiſſimos eſſe, vt ex ipſis fiant hæc animalia, qui ſunt faciles corruptu, & qui non poſſunt probè concoqui à ſtomacho. Sunt autem cibi tales, vel propter quantitatem, vel propter qualitatem; propter quantitatem clariſſimum eſt interdum contingere, vt cibi neqnaquam coqui poſſunt; & hinc eſt,quòd & pueri propter immenſam voracitatem,& illi,qui gulæ,& ventri ſunt dediti,vehementer cruciantur,& tentan-

tur his animalibus. Secundum qualitatem cibi ſunt facilis corruptionis illi, qui ſunt craſſiuſculi, & qui malos ſuccos gignunt; vti ſunt fructus omnes, cuiuſmodi etiam in pueris ſunt carnes. Auenzoar lib. 2. tract. 7. cap. 22. ſcribit fieri lumbricos ex vſu frumenti, & farinæ non coctæ, eo quòd huiuſmodi ciborum genera facilè corrumpuntur, & producunt crudos ſuccos. Verùm poteſt dubitari hoc loco, nunquid res dulces, quemadmodum exiſtimat vulgus muliebre, ſint aptæ ad generationem lumbricorum. Fuerunt aliqui inter recentiores, qui opinati ſunt hanc vanam eſſe vulgi opinionem, adducti ad hoc credendum hac ratione, quia ſapor dulcis poſitus eſt in quadam partium, & ſuccorum temperie; vbi temperies adeſt, non poteſt, dicunt iſti, adeſſe putrefactio. Et quia iſti videbant ob frequentem dulcium eſum magnopere, & frequentiſſimè vexari ab his animalibus pueros, dixerunt non ob id eſſe, quòd ex ipſis gignantur animalia hæc, ſed quia dulcedine tracti lumbrici huc atque illud per corpus curſitant, vt hac dulcedine fruantur; in qua curſitatione non ſolùm vellicant inteſtina, & pertundunt, verùm etiam quandoque aſcendentes in ventriculum, ipſum miſerè cruciant, & lacerant. Sed huiuſmodi ſententia aliqua ex parte vera, aliqua ex parte falſa eſt. Eſt quidem vera, quod lumbrici dulcedinem perſequentes, infeſtant pueros, & homines; ſed eſt falſa, quòd dulcia non ſint apta ad generationem vermium: quia etſi ſint optimè temperata, dulcia tamen temperata quando corrumpuntur, eo maiorem contrahunt putrefactionem, quo ſunt temperatiora. Habemus exemplum in homine. Nam quod eſt inter animalia, quod temperatioribus rebus vtatur ipſo homine? nullum planè. erat enim æquum, & conueniens eius temperaturæ; attamen non inueniemus animal vllum, cuius ſtercora magis fœteant ſtercoribus humanis; eo quòd temperata quando corrumpuntur, inſigni putrefactione afficiuntur. Videamus modò an dulcia facilè corrumpantur. dico propter duo ea facilè in nobis corrumpi. Primùm, quia cùm ſint temperata, ſunt poſita in medio extremorum; quæ verò ſunt in medio, facilè inclinant, & facilè deflectuntur ad alterum extremorum, quod quidem non contingit in corporibus intemperatis. Accedit etiam aliud, quòd dulcia omnia ſupernatant facilè omnibus aliis cibis, & cùm propter ſuauitatem copioſè ſumi conſueuerint, hac ratione etiam facilè corrumpuntur. Eſt & altera ratio, quia dulcia priuſquam benè coquantur in ventriculo, attrahuntur à vicinis membris; & propterea permanentia cruda, fiunt materia idonea generationi vermium. Neque eſt quod exiſtimemus per accidens hoc eſſe, ſcilicet ratione mali vſus, quia experientia quotidiana comprobatur, etiam illos, qui moderatè comedunt res dulces, & in aliiis non delinquunt, abundare lumbricis; immo verò Hippocrates 4. de morbis manifeſtè dicit, ex vſus lactis propter dulcedinem hæc animalia fieri. fiunt itaque ex humoribus crudis, & pituitoſis. Sed quid dicemus ad argumenta Montani ex coloribus facta? Dico animalia hæc non fieri ſimpliciter ex ipſa putrefactione, ſed, vt colligitur ex Ariſt. 3. de generatione animalium 11. ex coctione, quæ coniungitur ipſi putrefactioni; putrefactio enim ex ſua natura deſtruit, non generat. Sunt diuerſiſſimæ & contrariæ actiones generatio, & putrefactio; verùm materia ipſa putrefacta coquitur à calore ſolari, vel à calore natiuo; ex qua deinde coctione fiunt animalia. Et quia poteſt huiuſmodi coctio modò maior, modò minor eſſe, ſic poſſunt ex varietate coctionis varij acquiri colores in animalibus. Experientia etiam comprobatum eſt, vel tantillo maiorem coctionem variare inſigniter colores rerum coctarum. Poſſumus & alio modo reſpondere; tametſi hæc animalia gignantur ex crudis humoribus, nihilominus ratione alimenti variari poſſunt colo-

res

res ipſorum;ita vt ſi alimento nigro,aut flauo vtantur,ita & ipſi etiam inficiantur; ſi alimento rubro,ruborem contrahant, & ſic de aliis. Neque hoc mirum videatur,quandoquidem Ariſt.3.de hiſt.animal.cap.6. exemplis,& rationibus docuit, & propter aquas,& propter alios cibos colores pilorum animalium vehemẽter mutari. Præter cauſſas immediatas quæ ad lumbricorum generationem concurrunt, ſunt & alia,quæ diligenter ſpectanda ſunt;veluti eſt temperatura,ſexus,ætas,locus, regio, & tempus. Inter temperaturas ea maximè eſt obnoxia lumbricis generandis, quæ ferax eſt humorum crudorum, & pituitoſorum, cuiuſmodi eſt temperatura frigida,& humida:nam quæ eſt ſanguinea, minimè omnium crudos humores producit.Bilioſa autem,& melancholica prorſus inepta eſt generationi animalium, quo fit, vt ſola frigida,& humida quantum ſit ex ſeſe, apta ſit generandis lumbricis. Dixi, quantum ſit ex ſeſe, propterea quia omnes temperaturæ poſſunt lumbricos facere, modò in ipſis propter errores externos gignatur materia illis apta. Atque hoc experientia quotidiana comprobatur. quandoquidem licet quotidie videre & bilioſos, & melancholicos lumbricis abundare, & tunc præſertim, quando propter ingluuiem cibi in ipſis corrupti vberem materiam ſuggerunt. Muliebris ſexus propter hoc maximè promptus eſt ad generandos lumbricos, quòd propter vitiatas concoctiones plurimi humores crudi in ipſis fiant,ex quibus vermes producuntur. Inter viros verò & mulieres omnis ætas planè idonea eſt generandis lumbricis,ſed maximè omnium ætas puerilis,hoc eſt,ab ablactatione vſque ad decimum quartum annum. Senes etiam poſt pueros infeſtantur vermibus ob vitiatas coctiones. memini enim, dum anatome elapſis annis in hoc gymnaſio adminiſtraretur,viſum eſſe ſenis cadauer,cuius inteſtina tota lumbricis erant referta.Sed occurrit hoc in loco dubitatio.nam Gal.3.aphor. 26. ſcribit pueros lactentes minimè lumbricis infeſtari, & adfert rationem, eo quòd tametſi in hac ætate materia ſit copioſa,tamen ita calor ab humiditate ſuperatur,vt nequeat ea animalia producere. Sed aduerſus Galenum eſt auctoritas Hippocratis, & experientia. Hippocrates enim quarto de morbis libro ſcribit in pueris dum adhuc ſunt in vtero matris, generari lumbricos, & propterea in vſu eſſe, vt mulieres ſtatim aliqua offerant ipſis in lucem editis medicamenta,vt per ipſa educantur excrementa, & huiuſmodi animalcula. Eſt & hoc contra experientiam; quandoquidem & qui medicinam faciunt,frequenter vident etiam in lactentibus pueris fieri lumbricos. Pro cuius rei reſolutione ſtatuendum eſt,veram eſſe Galeni ſententiam vt in pluribus, & in illis ſolum, qui lacte ſolo victitant. nam ſi qui pueri reperiuntur, qui inter lactandum etiam lumbricis infeſtantur, eſt iccirco, quòd præter lac etiã alia edulia aſſumunt; quo fit vt morem noſtrarum fœminarum damnare ſoleam,quæ lactentibus pueris ſtatim etiam panem coctum offerre conantur. docuit enim nos natura tamdiu eſſe procreatos lacte ſolo nutriendos, quouſque in vberibus pabulum ſufficit. Sed quid dicemus ad Hippocratem? fateamur etiam, quod ipſe dixit, verum eſſe, non propter hoc tamen eius ſententia contraria eſt ſententiæ Galeni, quandoquidem aliud eſt non fieri lumbricos in pueris lactentibus, aliud eſt eos fieri intra vterum maternum; quia vbi pueri lactant, vt ait Galenus, eorum calor nequaquam vincere, & informare poteſt humorem excrementitium. In vtero autem materno præter calorem fœtus, cùm adſit etiam maternus, ille quidem efficax eſt, & potens ad ſuperandum, & informandum excrementum, quo fit vt ſit ſtatuendum, pueros ſolo lacte victitantes minmè omnium infeſtari lumbricis.

De

De loco vbi fiunt lumbrici.

CAPVT V.

DE loco vbi fiunt hæc animalia intra corpora noſtra, inuenio inter veteres ſcriptores maximam controuerſiam. Galen. 1. de locis affectis cap. 5. tradens indicia, quibus cognoſcuntur affecti loci, inquit eſſe morbos aliquos ita proprios vni parti, vt ſtatim ex ipſis dignoſcantur affectæ partes; & huiuſmodi aſſerit eſſe lapidem in renibus, in veſica, nec non lumbricos in inteſtinis; quaſi velit ille in inteſtinis dumtaxat lumbricos fieri. Aduerſus Galeni ſententiam Petrus Aponenſis conciliator differentia 111. longa diſputatione contendit demonſtrare, vbique in corpore noſtro generari lumbricos exceptis vitalibus partibus. Atque ſententiæ huius viri multa placita, & ſcripta antiqua atteſtari videntur. In primis autem magnus Hipp. qui in libro 2. de morbis mulierum non longè à fine apertiſſimè ſcribit, etiam in vtero lumbricos generari. 7. etiam epid. in hiſtoria filij Dini monſtrat, alibi quoque quàm in inteſtinis generari poſſe lumbricos; ex quibus Hippocratis locis clariſſimè colligitur etiam in aliis corporis partibus generari poſſe lumbricos. Eiuſmodi quoque ſententia videtur fuiſſe Ariſtot. qui 5. de hiſtor. animal. c. 59. cùm traderet generationem lumbricorum, dixit produci ex excrementis intra animalia exiſtentibus; quaſi voluerit maximus Philoſophus non vnum locum generationi horum animalium eſſe deputatum; id quod etiam clariſſimè confirmare videtur 2. de hiſt. animal. c. 15. vbi ſcribit vermes generari in capitibus ceruorum; neq; verò ſolus Ariſt. hanc ſententiam habuiſſe videtur, immo verò locus eſt præclariſſimus apud Alexandrum libr. 1. cap. 15. vbi narrans oraculum quoddam ab Apolline Pythio Democrati Athenienſi traditum, demonſtrat etiam in capitibus caprarum vermes generari, quos conferre epilepſiæ docuit oraculum; mirum fortaſſe non erit in aliis brutis generari vermes in capite, ſed magis eſt mirum, quod ſcriptores referunt etiam fieri in hominibus. Raſes lib. 1. c. 9. & Auic. 1. tertij, cap. de ſóda, apertiſſimè docent fieri capitis dolorem etiam à vermibus in capite humano generatis. Præter hos ſcriptores ſunt etiam & aliorũ teſtimonia. Plutarchus 8. ſympoſiacorum 9. ſcribit Ephebum quendam Athenienſium lumbricum vnà cũ ſemine reieciſſe. & Gentilis Fulginas Medicus ſatis nobilis, ſe quoque vidiſſe teſtatur vermem vrina reiectum. Auenzoar lib. 1. tract. 2. & Alzaranius cap. de tuſſi memoriæ prodiderunt etiam in canna pulmonis vermes generari. Paullus Ægyneta lib. 4. ex inguinibus, & naribus ſeſe reiectos vidiſſe lumbricos apertiſſimè teſtatus eſt. Ex quibus omnibus teſtimoniis perſpectum vnicuique eſſe poteſt, non in vno loco corporis noſtri lumbricos generari; & ideo ſententiam Galeni non eſſe veram, cùm ſcripſit in ſolis inteſtinis fieri. Quid igitur dicendum eſt in hac dubitatione? Statuendum eſt, mea ſententia, lumbricos, aut verè tales eſſe, aut veris ſimiles. lumbrici veri dumtaxat in inteſtinis generantur, cur id fiat dicam ſuo loco. lumbrici autem non veri poſſunt generari in variis corporis noſtri locis, quandoquidem potius vermes, quàm veri lumbrici ſunt appellandi. Itaque quotieſcunque aut Hippocrates, aut Ariſtoteles, aut alius quiſpiam auctor tradiderũt, fieri vermes in aliis corporis partibus, ipſorum ſententia intelligendá eſt non de lumbricis veris, ſed de genere vermium, quod lumbricos æmulatur. Quod ſi vel ex inguinibus, vel ex vmbilico, vel ex naribus lumbricos eſſe reiectos ſcriptũ eſt,

exiſtimandũ eſt non eos in illis partibus eſſe genitos, ſed ex inteſtinis in eas parte fuiſſe expulſos. Nam Hipp. 4. de morbis ſcribit interdum hæc animalia præ fame in iecur adſcendere, atque ibi incredibiles cruciatus excitare. Scribit etiam Alexander in lib.ſuo de lumbricis,interdum hæc animalia præ inedia perforaſſe inteſtina, & per vmbilicum exiiſſe. Idem etiam arbitrari debemus de lumbricis, qui exeunt ore, non quòd in ventriculo gignantur, quemadmodum malè exiſtimauit Petrus Aponenſis;quoniam præclariſſima eſt ſententia Ariſt.4.Meteor.cap.3.in vẽtriculo non generari lumbricos,ſed quod ex inteſtinis in ventriculum reiecti,deinceps vomitu reiiciantur. Verùm video dicturum eſſe aliquem,cur igitur Theodorus Piſcianus Medicus antiquus docuit nos, etiam in ſtomacho fieri lumbricos? Dico, forſan huius viri eam ſententiam fuiſſe,vt materia quidẽ,ex qua fiunt lumbrici, gignatur in ventriculo, ſed non ipſi lumbrici; ſicuti quoque ſententiam habuit Gal.3.aphor.26. Fiunt itaque veri lumbrici ſolum in inteſtinis, ſed differentia eſt, quia rotundi gignuntur in gracilibus inteſtinis. Aſcarides vocati procreantur in craſſioribus, latum autem lumbricum,cùm interdum longiſſimus eſſe videatur, ita vt duodecim pedum menſuram excedat, opinandum eſt in omnibus inteſtinis fieri.Cur autem in inteſtinis, & non alibi fiant hæc animalia, eſt multiplex ratio. Vna, quia materia ex qua fiũt,nimirũ ſuccus crudus,in inteſtinis ita copioſus ſolũ reperitur, vt poſſit ſufficere generationi, & nutritioni horum animalium; reperiuntur quidem ſucci crudi etiam alibi in noſtro corpore,ſed qui ita pauci ſunt;vt omnino inepti euadant ad generanda hæc animalia. Alia ratio eſt,quia ad generationem lumbricorum non ſolum requiritur materia idonea, verùm etiam locus capax, & ſpatium idoneum; inteſtina autem ſunt huiuſmodi. Venæ verò cùm ſint anguſtæ,nequaquam receptacula horum animalium eſſe poſſunt.ſimiliter nec alię cauitates.Tertia ratio eſt,quia natura ſollicita vitæ animalium voluit hæc,quæ ſæpe vitam tollunt, in iis potiſſimùm procreari locis, vbi & minimè omnium lædere poſſint,& facilè à corpore reiici.

De nonnullis concauſſis lumbricorum.

CAPVT VI.

PRæter locum intimum confert quoque locus externus ad lumbricorum productionem: nobiliſſimus enim auctor Theophraſtus l.9.de hiſtoria plantarum, capite vltimo,ſcribit populos Ægypti,Armeniæ, Arabiæ, Ciliciæ,Syriæ,lumbricis infeſtari. Ex aduerſo Thracas & Phryges populos prorſus huius mali immunes eſſe. Similiter inter Græcos,Thebanos eſſe lumbricis liberos,& quod magis mirum eſt,cùm Bœotij & Athenienſes finitimi ſint, tradit Bœotios laborare lumbricis, & Athenienſes nunquam eos ſentire; quem locum dum in ſuos libros transferret Plinius,nonnulla eſt mentitus;ſed ipſius correctionem aliàs tradidimus in noſtris variis lectionibus. Tempus idoneum generationi lumbricorum, vt ſcribit Hippocrates ſexto epidem. & ſecundo epid. eſt autumnus, aut,quemadmodum alibi dicit,anni occaſus,hora diei veſpertina.Cur in autumno potiſſimùm gignantur lumbrici, videtur Ariſtoteles cauſſam attribuiſſe paucitati humiditatis; ſcribit enim hic philoſophus quinto de hiſtor. animalium cap.15. aſcaridas generari autumno propter humiditatis paucitatem; ſed cùm eo in loco loquatur de aliis aſcaridibus, nõ de illis, qui gignũtur in corporibus noſtris,minimè hoc loco eius ſentẽtia alioquin

quin dubia examinanda erit. Auicennas autem, cur autumno fiant lumbrici, videtur cauſſam attribuiſſe fructibus. nam cùm eo tempore homines, & præſertim pueri ſatientur fructibus; ex iis poſtmodum facilè pituitoſi ac crudi humores excrementitij fiunt, & facilè copioſi vermes gignuntur. De veſpere autem an fiant vermes, ſiue infeſtent eo tempore, ſanè admodum ſunt anceps, quandoquidem nequaquam experientia comprobatur eo tempore magis hunc morbum infeſtare quàm alio. nam & noctu, & meridie qui habent lumbricos, promiſcuè vexantur. Sed ſi ſententia Hippocratis defendenda ſit, dicerem ſuo tempore hoc verum fuiſſe, eo quòd cùm homines die ſemel ederent, atque hæc animalia in corporibus famelicis acerbiora euadant, iure veſpere potius infeſtare conſueuiſſe; quo ſcilicet tempore corpora magis famelica erant. Cur autem peſtilenti tempore, quemadmodum in præterita conſtitutione eſt viſum, frequentiſſimi lumbrici videantur, puto rationem eſſe, non quòd potiſſimum eo tempore fiant; falluntur enim qui ſic credunt, quandoquidē cùm morbi peſtiferi quàm citiſſimè iugulent homines, quis credere poſſit ſpacio vnius, vel alterius diei tot genetari vermes? Itaque iccirco peſtilenti tempore vermes copioſi videntur, quia eadem corpora ſubiecta ſunt, & peſti capiendæ, & lumbricis generandis. Nam corpora quæ peſti ſunt præparata, ſunt ea, quæ abundant crudis, & multis excrementis, atque etiam calida ſunt. eiuſmodi autem ſunt ea quæ apta ſunt ac diſpoſita gignendis lumbricis.

De differentiis lumbricorum.

CAPVT VII.

Differentiæ lumbricorum duum apud ſcriptores reperiuntur eſſe genetū; quorum alterum à figura deſumitur, alterum à calore. Quoad figuram ſcribit Alexander in epiſtola de lumbricis, in hoc conueniſſe omnes ſcriptores Medicinæ, tria eſſe genera lumbricorum. Vnum, quod appellatur lumbricus rotundus. Alterum, quod vocatur lumbricus latus. Et tertium, quod vocatur aſcaris. atque vt à poſtremo incipiam, aſcaris, ſiue aſcarides ſunt lūbrici parui inſtar vermium, qui oriuntur in craſſis, & extremis inteſtinis, quos voluit Hippocrates ſecundo de morbis muliebribus etiam fieri in vtero mulierum. habent autem aſcarides hoc peculiare, vt fiant potius in iumentis, quàm in hominibus: propter quod Hippocrates quarto de morbis, & Cornelius Celſus lib. 4. cap. 7. Hippocratis ſectator aſcaridas ſiluerunt, quaſi rarò fiant in hominibus, aut ſaltem rariùs in hominibus, quàm in iumentis. Porrò inter homines, vt teſtatur Hippocrates tertio aphor. 26. pueri adulti, & iuuenes magis infeſtantur quàm cæteri. immo verò Auicennas 16. 3. tractat. 5. cap. 2. videtur cenſuiſſe fieri potius in iuuenibus, atque in iis excerni ſæpenumero ſtercoribus inuolutos. Cur verò potius aſcarides fiant in iumentis quàm in hominibus, diuerſi diuerſas attulerunt cauſſas. nonnulli exiſtimarunt ideo hoc eſſe, quia iumenta cùm minus conficiant cibos, ij in ipſis magis corrumpuntur, ac propterea faciliùs gignuntur vermes. Corrumpi autem magis inde probatur, quia ſtercora fœtida magis egerunt. Sed ratio horum minimè mihi probatur, quādoquidē ſi propter corruptionem, & propter fœtorem fierent in iumentis aſcarides, par eſſet vt magis fierent in hominibus, eo quia in ipſis fiunt deteriores corruptiones, & ex eo cognoſcitur, quia ſtercora humana peius olent quàm ſtercora brutorum. Alexander primo problemate 27. docet ſtercora hominum iccirco

peius olere quàm ſtercora brutorum, eò quòd homines cùm variis cibis vtantur, illi promptius corrumpuntur,& conſequenter peius olent. Montanus etiam cauſ-ſam,cur aſcarides in iumentis generentur, adferre conatus eſt, vbi ſcribit iccirco fieri in iumentis potius quàm in hominibus, eo quòd calidiora bruta ſunt homine, eſſe autem calidiora probat, quoniam conficiunt paleas, & ſtramina, quæ minimè homo poteſt conficere. Igitur, inquit Montanus, aſcarides cùm gignantur à maiore calore,iure merito in brutis calidioribus potius fiũt,quã in homine.Sed pace Montani, tres grauiſſimos errores commiſit.Primùm enim falſiſſimum eſt aſcarides generari à maiori calore.nam animalia maiora neceſſario requirunt maiorem calorem,qui extẽdatur in omnem dimenſionem, iam verò lumbrici teretes & lati, ſunt multo maiores aſcaridibus. quare neceſſariò requirunt maiorem calorem. Præterea quæ pluri indigent calore animalia in ſui generatione,ea iure debuerunt procreari in calidiori loco. Sed alij lumbrici ab aſcaridibus gignuntur in locis calidioribus,nimirum in inteſtinis ſuperioribus. quare iure in ſui generatione requirunt maiorem calorem. Adhæc fiunt alij lumbrici in ætate calidiore: aſcarides verò in ætate minus calida. itaque etiam hac ratione videntur aſcarides egere pauciore calore in ſui generatione. Eſt igitur primus error Montani, cùm dixit, aſcarides fieri à calore maiori. Alter error nec minor eſt, cùm ſcripſit bruta eſſe calidiora homine. Ariſtot. enim 4. ſectione problematum, probl. 7. quærens de homine multa, clariſſimis verbis demonſtrat eſſe omnium animalium calidiſſimum, & humidiſſimum. Sectione etiam 10. problem. 55. quærens cur cetera animalia ſæpius capiant cibum ſiccum, quàm humidum; homo verò è contrario ſæpius capiat humidum,quàm ſiccum,inquit ideo eſſe, quia homo cùm calidiſſimus ſit, opus habet refrigeratione; quæ refrigeratio præſtatur melius à cibo humido, quàm à ſiccò.Præterea Ariſtotel.in lib.de longitudine,& breuitate vitæ,inquit hominem, & elephantem eſſe longioris vitæ præ cæteris omnibus animalibus, quia habent copioſiorem calorem, nec non purius, & viſcidius humidum. Si igitur cauſſa caloris eſt viuacior homo ceteris brutis, proculdubio neceſſarium eſt, vt ſit calidior. nam malè probaretur, & leonibus, & tauris eſſe homo viuacior, niſi certum eſſet, calorem, qui eſt cauſſa vitæ, copioſiorem eſſe in hominibus, quàm in brutis. Tertius error commiſſus à Montano eſt, quia ex leuiſſimo argumento conatus eſt probare homine eſſe belluas calidiores, nimirum ex eo, quòd bruta paleas conficiant, quas homo conficere non poteſt. Nam Ariſtotel. 10. ſectione problematum, problemate 9.tradens rationem, propter quam multa bruta vtuntur cibis ſiccis,inquit eſſe propter temperaturæ ſimilitudinem. Eſt enim ſententia Galeni in arte medica,temperaturas conſeruari à ſimilibus. quare cùm aſinus, camelus,equus,mulus habeant ſiccas temperaturas, propter earum conſeruationem opus habent alimentis ſiccis. Sed dicet aliquis; ſi hoc verum eſt,cur igitur Theophraſtus 2.de cauſſis plantarum c.6.inquit,corpora ſicca,& macra indigere pingui, & largo alimento,atq; eo magis proficere in caloribus ;in robore,cùm ex aduerſo, vel nullam,vel minimam capiant vtilitatem ex alimento ſicco?Reſpondeo corpora ſicca,& macra, vel conſiſtere in latitudine ſanitatis, vel morboſa eſſe.quæ conſiſtunt in latitudine ſanitatis, vt conſeruentur opus habẽt ſimili cibo;ſi ſicca ſunt, ſicco; ſi humida, humido: quæ verò morboſa ſunt, à contrariis potius iuuantur. Et de his cùm loqueretur Theophraſtus, dixit iure corpora macra & arida indigere pingui, & largo alimento; atque propterea non eſt neceſſarium calorem maiorem eſſe in brutis, quod conficiant paleas. Clarius verò adhuc demonſtrauit hoc Theophraſtus, qui 4.de cauſſis plantarum c.10.diſputans, cur ſit quod cetera ani-

malia

malia melius nutriantur hordeo,quàm tritico; & ex aduerſo homo melius alatur tritico,quàm hordeo;inquit, cibum ferè vnicuique animali proprium eſſe datum, quem melius conficit quàm cibum non ſibi, ſed aliis animalibus datum. & hinc eſt,quod equi melius aluntur hordeo; muli ſimiliter, quos ſi nutrias tritico,facilè interimes. Ex aduerſo homo melius nutritur tritico, quàm hordeo,non ob aliud, niſi quia, vt dicebat idem Theophraſtus, triticum eſt cibus homini à natura tributus. quapropter quòd bruta melius conficiant paleas, quàm homo,non eſt propter caliditatem,ſed eſt propter proprietatem huius cibi,qui cùm ſit brutis à natura datus, & proprius, iure etiam ab ipſis melius conficitur. Quæ eſt igitur cauſſa, cur aſcarides in iumentis potius fiant,quàm in homine?hæc ſanè nulla alia eſt,niſi quia bruta magis vitioſo vtuntur alimento,quàm homo;præterea frigidiora ſunt, & ratione frigiditatis fiunt in ipſis ciborum corruptiones idoneæ ad generationem aſcaridum.Ita namque eſſe,facit vt credam auctoritas Aëtij,& Paulli,qui omnes dixerunt aſcaridas generari propter vitioſum alimentum,propter frigiditatem,& propter corruptionem.Accedit etiam Ariſt. teſtimonium, qui lib.5.de hiſt. animal.c.19. præter aſcaridas, qui fiunt in hominibus,aliud etiam genus eſſe dicit quod extra animalia fit, atque hoc etiam Theodorus Gaza potius tipulas, quàm aſcaridas vertere voluit,quas inquit Ariſtot.generari ex humiditate, quæ multum ſedimentum craſſum habet, & propterea gigni huiuſmodi tipulas Megaris, & in operibus. Ad ſimilitudinem aſcaridum generantur etiam in hominibus ex excrementis multam fæcem habentibus, (cuiuſmodi ſunt in brutis, potius quàm in hominibus ipſis) rotundi lumbrici, qui ſunt vermes longi, & teretes. Fiúntque in inteſtinis ſuperioribus; quos etiam ſcribit Alexander,& iure,ſæpè in ventriculum adſcendere, & vomitu reiici; propter quod puto deceptum fuiſſe Montanum, & alios, qui exiſtimarunt lumbricos teretes in ſtomacho generari, cùm hoc eſſe falſum ex Ariſtotelis ſententia docuerim. Ceterùm duas conditiones horum docet eſſe Hippocrates 4. de morbis. Vnam, quòd fiant in infantibus intra vterum; ſcribit enim ex lacte dulci, & pingui in pus feruidum conuerſo fieri lumbricos in infantibus intra vterum maternum. Aliam conditionem tribuit Hipp. lumbricis rotundis, ſcilicet eos parere;quæ ſententia mihi ſemper ſuſpecta fuit admodũ, quia ſi,vt mox videbitur,lumbricus latus ſecundum Hipp.parere non poteſt,multo minus videtur tribuendam eſſe hanc conditionem ipſis rotundis. quare niſi dicamus lumbricos teretes parere materiam, ex qua fiant alij lumbrici; & ideo dictum eſſe ab Hipp. parere, planè non video quomodo ipſum, vel Polybum tueri poſſimus; eo magis quòd Ariſtoteles 3. & 5. de hiſtor. animal. apertiſſimè dixit, omnes lumbricos hoc peculiare habere, vt alia animalia non gignant. Vnde cum neque alia gignant, nec ſimilia, neceſſarium eſt fateri, aut falſam eſſe ſententiam Hippocratis,aut intelligendum eſſe, ita vt dicat præparare materiam ad ſuſcipiendam formã alterius. Latus lumbricus à Græcis dicitur κειρία, & præſertim ab Hippocrate, quemadmodum docet Herotianus in onomaſtico Hippocratis. Latini verò imitati Græcos, potamias dixerunt, eo quòd & longitudine, & forma referunt faſcias illas,in quibus inuoluuntur infantes. Dixi enim,propter longitudinẽ, quandoquidem & ab Hipp.& à Plin. lib. 11.c. 33.relatum eſt, viſos eſſe interdum huiuſmodi lumbricos latos longitudinis tricenorum pedum, atq; etiam plurium. Porrò Aëtius quidem & Paullus Ægineta fuerunt eius ſententiæ, huiuſmodi lumbricum latum nihil aliud eſſe, niſi corticem, ſeu membranam inteſtinorum interiorum conuerſam in figuram animalis;ſed quid voluerint ſcriptores iſti docere planè ignoro. nam ſi loquantur de pellicula illa, quæ neceſſariò facta eſt ipſis in-

 teſtinis

teſtinis à natura,proculdubio abſurdum eſſe videtur,vt ex ipſa poſſit fieri animal, tum quia materia arida eſt, vt ſunt omnes membranæ, & ideo inepta generationi animalium,tum præterea, quòd vbi gignuntur lumbrici lati, deberent ſtatim homines interire, aut ſaltem ſemper incredibiles cruciatus fieri; quia vbi pellicula illa abraditur, videmus excitari incredibiles cruciatus; ſin autem non intelligant de hoc cortice,ſed de humiditate oblita ipſis inteſtinis,hoc facilè cócedo;verumtamen hæc nequaquam eſt membrana cingens ipſa inteſtina, ſed eſt humor crudus mucilaginoſus,ad tuenda inteſtina ab aſperitate ſtercoris à natura ipſis oblitus. Puto autem & Aëtium,& Paullum deceptos eſſe duobus; tum quia fieri poteſt,vt dum excernuntur lumbrici lati, ſimul etiam aliquid corrodatur ipſius tunicæ inteſtinorum: tum quia Hipp.4. de morbis de lumbrico lato verba faciens, inquit eſſe ὁκοῖόνπερ ἐντέρυ ξύσμα λευκὸν: id eſt, veluti abraſionem albam inteſtinorum. in quibus verbis nequaquam voluit Hipp. ſignificare eſſe ipſam tunicam, ſed aſſimilari abraſioni albæ inteſtinorum. Quare latus lumbricus fit ex eadem materia, ex qua fiunt & ceteri, ſed rariſſimè fit: propter quod dicebat Gal. 5.aphor. 26. ab Hipp. ipſum ſilentio prætermiſſum eſſe, quia rariſſimè hoc genus animalis fit in homine. Cauſſa autem, ob quam rariſſimè fiat, eſt, quia & longo tempore, & multa materia in ſui generatione, & augmento opus habet; vnde cùm non facilè ſuppetat copia materiæ, & cùm etiam prius excernatur à natura, quàm adoleſcat, fit vt quàm rariſſimè conſpiciatur hic lumbricus in hominibus. Ceterùm fuerunt inter veteres Medicos, qui exiſtimarunt latum lumbricum parere alia animalia, atq; hi ducti ſunt hac ratione, quòd qui laborant hoc genere mali, emittunt quædam cucurbitæ ſeminibus ſimilia;quæ etiam animalia videntur. Atque huius opinionis voluit aliqui fuiſſe Ariſt.5.de hiſt. animal.cap.19. eos ἀποτίκτειν (ſeu parere) neſcio quid ſimile ſemini cucurbitæ.Sed ſi Ariſtot. verba conſiderentur,potius videtur contrarium voluiſſe;quandoquidem ſcribit nullum genus lumbricorũ aliud animal aliquod efficere. quod ſi ſcribit latos lumbricos quid parere, non intelligit quòd animal pariat, ſed aliquid aliud. Manardus Medicus lib. 4. epiſtolarum medic.c.1.refert ſe audiuiſſe à quadam muliere, quæ dicebat ſe lumbricum latum eieciſſe, in quo alij vermes inerant; quaſi hoc exemplo demonſtraret iſtud lumbricorum genus parere. Ceterùm Hip. 4.de morbis falſam eſſe horum ſententiam tribus rationibus oſtendit. Vna eſt,quòd fieri nequaquam poteſt, vt animal vllum tot fœtus edat,quot apparent ſeminibus cucurbitæ ſimiles.Altera ratio eſt,nequaquam locum inteſtinorum capacem eſſe tot fœtuum,quot dicunt. Tertia eſt,quòd ſi laboranti lumbrico lato præbeatur medicina,aut potio purgatoria,vel exit lumbricus in formam globi redactus, & figuratus; vel ſi non educatur,ſed reſiſtat medicamento, tamen longus erit, & abruptus; ex quo loco colligitur etiam,cur ſit, quòd appareant excrementa illa ſeminibus cucurbitæ ſimilia, quoniam lumbricus latus, aut vi medicamenti, aut inter exeundum confractus in ea minima ſegmenta diuiditur,quæ poſtea excrementa æmulantur formam ſeminum cucurbitæ. Atq; hinc poteſt colligi nugas eſſe,quas dicunt Arabes de lumbricis cucurbitinis, quandoquidem nulli ſunt tales. Habentur itaque tres ſpecies lumbricorum apud Græcos Medicos. Sed dubitatur, numquid Auicennas 16. tertij, tractatu quinto, habuerit eandem ſententiam de ſpeciebus lumbricorum, eo quòd ferè omnes interpretes exiſtimarunt ipſum feciſſe quatuor ſpecies;verùm & ego huius ſum ſententiæ, cuius eſt Manardus loco citato, verè tria ſolum eſſe genera lumbricorum, videlicet rotundos, qui ab Auicenna longi, & rotundi nuncupantur; aſcaridas,qui ab eodem Auicenna parui,& minuti vocantur; necnon lati,qui ab eodem longi,

longi,& lati nominantur;ita vt dicendum ſit lumbricorum alios eſſe longos,alios eſſe paruos;rurſus longorum alios rotundos eſſe,alios latos ;paruos autem eſſe aſcaridas ſolos. Sed dicet aliquis, quomodo aſcarides parui appellari debent ? nam Galenus in lib.de linguis Hippocratis ſcribit,aſcaridas vocatos eſſe ab Hippocrate lumbricos tenues & longos ; ſi ſunt tenues & longi , ergo non parui. In hac difficultate à nemine propoſita duplex reſponſio eſt. Vna , apud Galenum loco vocis μακρὸς,id eſt,longos, legendum eſſe μικρὸς mutata vna litera, id eſt,paruos. Alia reſpóſio eſt,aſcaridas,vel poſſe comparari ad alios lumbricos,vel ſibi ipſis,ideſt,longitudine & craſſitie ſui corporis. Si compararentur lumbricis rotundis & latis, proculdubio parui ſunt appellandi , atque ita exiſtimandum eſt eſſe loquutum Auicennam ; ſed ſi conſideretur ipſorum craſſities,& latitudo,proculdubio longi ſunt vocandi ; atque ita poſſumus exiſtimare loquutum eſſe Galenum ex Hippocratis ſententia. Porrò differentiæ lumbricorum , quæ ſumuntur à coloribus , hæ ſunt; quia alij ſunt albi, alij rubri, alij liuidi,ſiue cinericij,alij flaui, ſiue,vt dicebat Cælius Aurelianus, felloſi ; alterius verò coloris vermes in nobis naſci non eſt facile reperire. Varietas autem horum colorum vario modo oriri poteſt. nam fieri poteſt,aut propter cruditatem,vel ex coctione materiæ, ex qua fiunt;aut propter varietatem nutrimenti ; aut propter diuerſitatem ciborum corruptorum, ex quibus gignuntur.

De ſignis lumbricorum.

CAPVT VIII.

Sequitur vt ſigna proſequamur, quorum inuenio apud Medicos tres claſſes. Alia ſunt communia generibus;alia particularia,& quaſi propria vnicuique generi:alia, quæ diſtinguunt hunc affectum ab aliis ſimilibus affectibus.Signa communia plurima ſcriptis tradita ſunt ab Alexandro,& Auicenna,quæ omnia reduci poſſunt ad tres fontes ſignorum,ſcilicet ad actiones læſas, ad excrementa mutata, & ad accidentia mutata. Quod ſpectat ad læſas actiones , in primis in hoc genere morbi functiones animales penè omnes læſæ conſpiciuntur. nam delirant ſæpenumero qui lumbricis vexantur , malè diſcurrunt , peſſimè imaginantur, & interdum offenſam vehementer memoriam habent. Motiuæ quoque offenſæ ſunt facultates,quia videmus à lumbricis vexatos non raró motibus quibuſdam conuulſoriis,& ſpaſmaticis tentari. ſenſus omnes exteriores valde turbati ſunt, & in primis viſus & auditus;non dormiūt, ſed vigilant,ſtrident dentibus,labia conterunt, maſticant,gemunt,atque ſine vlla occaſione magnopere clamant;nares perfricant, & quaſi loco ſtare nequeant , huc atque illuc modò pacatè , modò impetu magno vertuntur. Quæ omnes functionum læſiones maiori ex parte oriuntur à vaporibus acribus, & mordacibus , qui in caput ab his animalibus attolluntur. Functiones pariter facultatis vitalis non parum offenſæ conſpiciuntur in hac ægritudine, eo quia ægri iraſcuntur,inconſtantes ſunt.adhæc,vt dicebant Alexand. & Auicen. pulſus paruos habent,obſcuros,atque difficiles. Addit Themiſon 9.li.epiſtolarum, inæquales eſſe pulſus vt plurimum , eo quòd cor ipſorum magnopere eſt occupatum. Naturales quoque functiones læſæ inter ſigna lumbricorum non minima ſunt.nam ſi ſpectes appetendi actionem, ſæpe laborantes lumbricis ſine vllo prorſus ſunt appetitu , immo videmus quandoque experientia cogi matres vi maxima offerre cibum. Contingit quoque interdum , vt appetitus caninus in laboranti-

bus lūbricis excitetur; non ob aliud, niſi quia hæc animalia interdum vſque adeò voracia ſunt, vt ſtatim rapiant alimenta ex ventriculo, quo tempore, vt dicebat Galenus in lib.de Theriaca ad Piſonem, & Rabbi Moyſes in aphor. ex ſententia Galeni, corpora vehementiſſimè emaciantur. Retentricis functio etiam læditur ſæpe in hac ægritudine; quandoquidem rariſſimè contingit,vt vel vomitu,vel nauſea laborantes lumbricis non exerceantur.Sitis quoque maxima contingit,adeo vt facilè appareat non minimam partem inter ſigna lumbricorū habere functiones naturales offenſas. Ceterùm ſigna,quæ capiuntur ab excrementis mutatis, & ipſa ſunt complura. Dicebat enim Auicēnas fæces duras,& ſiccas eſſe: & adfert ratio-nem, quia vermes, cùm humores omnes exſugant,reddunt fæces aridas, & duras. Sed hæc ſententia Auicennæ non eſt ex toto vera, ea quod experientia compertum eſt,rariſſimè contingere, vt qui tentantur lumbricis, non habeant aluum ſolutam: niſi dicamus non ſolui aluum ratione vermium, ſed potiùs ratione crudi-tatum,quæ eo tempore plurimæ gignuntur in ægris. Vrinæ ſpumoſæ ſunt,albę,interdum obſcuræ;ferè ſemper perturbatæ;ſudores fœtidi, & frigidi,vt dicebat Auicennas. ſaliua etiam fluit plurima ex ore, labia nocte humeſcunt, & die ſiccantur: eo quòd in die vermes magis infeſtant ventriculum, & propterea deſiccant. Fœtorem demum, aut ſpiritum quendam fœtidum ex ore ipſorum manare, experientia compertum eſt. Accidentia autem quæ indicant lumbricos,alia ſunt externa,alia interna. Inter externa in primis numeratur tēpus anni:iā enim dictum eſt, eſſe Hippocr. ſententiam confirmatam & ab Auicenna, & ab omnibus, autumno maximè lumbricos fieri: adhæc etiam regio numerari poteſt. Nam, vt aliàs dixi ex Theophraſto & Plinio, Arabia, Armenia, Syria, Cilicia, Bœotia, Thebana regio maximè obnoxiæ ſunt lumbricis. Poſſumus etiam nos adnumerare patriam noſtram, in qua regione frequentiſſimè hæc mala conſpiciuntur. Victus ratio præcedens eſt etiam ſignum lumbricorum. Dicebat enim Alexander Trallianus, ſi ægri vtantur cibis corruptibilibus,fructibus,balneis,facilè generari lumbricos.Inter intrinſeca verò accidentia in primis hæc ſunt ſigna; color pallidus, extremorum frigiditas,tumor ventris,punctiones dolores colici,iactationes corporis, atq; tot ſunt ſigna communia omnium generum lumbricorum à ſcriptoribus memoriæ nobis prodita, præter quæ ſunt & alia vnicuique generi peculiaria. In primis autem rotundorum ſignum eſt inappetentia, eo quòd hoc genus animalium ventriculum ſæpe ingreditur,vbi appetitum proſternit: adhæc delirium, ſtridor dentium,morſus ventriculi,maſticationes, tuſſes ſiccæ exiguæ, partium pruritus, color pallidus,aut rubeus. De lumbricis latis ſcribit Aëtius,& Paullus eos interdum abundare in febricitantibus, interdum in morbis diuturnis;ſed id ferè perpetuum habent,vt inducant ſtomachi morſus,appetitum caninum, & animi deliquia,pulſuſque inæquales faciant;imbecilles, & deficientes. Pueris autem dormientibus,ſi latos lumbricos habeant, os figuratur ad ſimilitudinem lactentis, aliena loquuntur,ac etiam ſtare loco nequeunt. Certiſſimum verò indicium eſt, quod & Hipp. 4.de morbis,& Galenus,& Ariſtoteles 5.de hiſtor.animal.19. & alij omnes teſtantur, ſi inter excrementa alui appareant veluti ſemina cucurbitæ. hæc enim cùm ſint veluti ſegmenta ipſius lumbrici lati, proculdubio certiſſima ſigna ſunt. Aſcaridum propria ſigna ſunt, vehemens infernarum partium pruritus, atque aſſidua egerendi cupiditas:cùm enim hæc animalia in extremis partibus gignantur,ibi adhærentia vellicant inteſtina,atque ita pruritum potius inducunt,quàm cruciatum: quoniam,vt notum eſt,inteſtina illa ſunt craſſa,& minimè omnium ſenſus participātia. adhæc ab egeſtione ſemper fœtor maximus percipitur;quo ſigno ſolēt Hip-
piatri

piatri cognoſcere,quando iumenta laborant hoc genere mali. Sunt porrò & aliæ ægritudines complures,quę accidentia ſimilia habent accidentibus lumbricorum. Eapropter Cælius Aurelianus 4. de morbis diuturnis cap. 8. diligens fuit in demonſtrandis ſignis, propter quæ diſtinguuntur ſimiles paſſiones à lumbricis. & auctor ille, quamquam fuit Medicus methodicus, non tamen eſt negligendus, & præſertim in tractationibus ſignorum,in quibus diligentiſſimus fuit. Signum itaque,quo laborantes epilepſia,& apoplexia diſcernuntur à laborantibus lumbricis, eſt ſpuma,quæ non apparet in pueris,dum vexantur lumbricis,ſed ſolùm dum laborant vel apoplexia,vel epilepſia.Et quia ſæpè continget medicos vocari ad pueros, qui modò epilepſia, modò lumbricis vexantur, ſi hoc ſignum præ oculis habuerint,ſcilicet ſpumam,facilè poterunt diſcernere an hoc,vel illo morbo vexētur. In præfocatione matricis etiam accidentia contingunt ſimilia lumbricis; ſed diſtinguuntur præfocatæ à laborantibus lumbricis, eo quòd in præfocatis vox ex toto amputatur, & neceſſario præcedunt querelæ vteri;quod ſi lumbricis laborāt mulieres, neque vox ex toto perit, neque vteri præcedit mala diſpoſitio, ſed ventris. In laborantibus catalepſi febres ſunt maiores, pulſus quoque maiores; quos pulſus,& paruos,& obſcuros eſſe in laborātibus lumbricis iam docui.Qui laborāt ileo, ventrem adſtrictam habent; qui laborant lumbricis, fluidam potius habent, aut ſaltem non adſtrictam. Adhæc pallent lumbricis tentati, dormitant, & inter dormiendum gemunt, atque clamant; quorum nihil ſuſtinent,qui ileo tentantur. Stomachici,humores habent in ventriculo,lumbricis tentati,etſi nauſeant,vomūt; vix tamen vnquam conſpiciuntur euomere humores pituitoſos, aut bilioſos, ſed plerumque aut cibos corruptos, aut quidquid potant, & edunt. Ceterùm reperire eſt nonnullos,qui proprietate quadam naturæ id habent,vt in ſomno diducant labia,corrodant,clament; non aliter atque faciunt illi,qui lumbricis vexantur; ſignum autem, quo diſtinguuntur illi, vnum adfertur à Cælio Aureliano, & eſt, quòd iſti vtilitatem percipiunt ex cibi parcitate: contra autem faciunt, qui exercentur lumbricis,nempe,qui ſi eſuriant,ſi ieiunent, multo vehementiùs, & multo atrociùs turbantur.

De prognoſticis lumbricorum.
CAPVT IX.

PRognoſtica indicia, quæ in ægritudine lumbricorum feruntur, à diuerſis locis capi poſſunt, ſeu potius à diuerſis conditionibus, quæ circa hæc animalia ſpectantur. poſſunt enim capi vel à differentiis ipſorum, vel à quantitate,vel à qualitate,vel à tempore exitus, vel à modo. A differentiis, quæ capiuntur indicia, ſunt ea,quæ in primis reliquit nobis Hippocr.4. de morbis. vbi ſcribit laborantes lato lumbrico nequaquam debiles fieri; & ſi fortè debiles fiant,minimè conualeſcere, addit etiam hoc genus animalium minimè è corpore ſponte exire, ſed ſolùm vi medicamentorum,atque minimè lethalem hanc ægritudinem eſſe,ſed conſeneſcere. Quo Hippocratis indicio intellecto, non arduum eſt intelligere quid voluerit Cornelius Celſus Hipp. ſectator lib.4.ſuæ medicinæ cap.17. vbi ſcribit latos lumbricos ceteris eſſe deteriores; ſiquidem non ſunt deteriores lati lumbrici,eo quòd inferant mortem,ſed potius quòd hoc genus morbi ferè in homine fit ſempiternū. Aſcarides autem omnium minimè ſunt praui propter tres cauſſas.Vna eſt,quia sūt animalia exigua & tenuia; quarum conditionum merito fit, vt vel nullum, vel perexiguum detrimētum inferre poſſint. Altera cauſſa eſt,quia oriuntur in inteſti-

nis craſſis,quæ cùm ſint ignobilia, atque etiam à locis nobilibus maximè remota, vix fieri poteſt,vt vllum inſigne periculũ ſecum ferant. Tertia cauſſa eſt,quia cùm ſint in extrema inteſtinorum ſede, per quam excurrunt dura & grauia ſtercora,facilè fit,vt à ſtercoribus ſecum rapiantur,atque proinde facilè exeant; ſicut & medicamentorum operationibus facilè cedunt. A quantitate capiuntur prognoſtica indicia,quia ſi exeant lumbrici graciles,parui,& extenuati, multo melius eſt quàm ſi exeant magni, pingues, craſſi,& præſertim ſanguine repleti; & ratio eſt, quia vbi exeunt graciles, & parui, argumentum eſt in corpore non bene fuiſſe nutritos propter materiæ inopiam; ex aduerſo, ſi corpore craſſo & magno exeant, eſt indicium abundare multam materiam in corpore, qua hæc animalia ita creuerint & adoléuerint. Pari pacto,ſi ſanguine pleni exeant, indicium eſt corroſiſſe venas, atque ex ipſis ſanguinem exſuxiſſe. Haud ſecus & à quantitate diſcreta capiuntur indicia, quandoquidem multo melius eſt,vt lumbrici pauci numero exeant,quàm vt multi. A qualitate hæc etiam indicia ferri poterunt. nam ſi exeant albi,ferè res ſine periculo eſt. ex aduerſo,ſi exeant vel flaui, vel liuidi,vel rubri,ſunt multo deteriores;deterrimi verò ſunt,ſi ſanguineo colore ſaturati fuerint. At per exitus feruntur indicia de lumbricis,eo quòd,vt dicebat Hipp.2. prognoſticorum, & libro de internis affectibus, ſi exeant circa tempus iudicij, optimum eſt. & Hippocr.ſectator Apollonius dicebat bonum eſſe,ſi dum morbus iudicatur,lumbrici reiiciantur. In initio verò morborum ſi exeant, ſignum eſt magnarum, & multarum indigeſtionum. Porrò Herodotus apud Aëtium ſcriptum reliquit: ſi lumbrici in inclinationibus & declinationibus febrium exeant,nihil mali indicari,ex aduerſo,malũ eſſe,ſi exeant in ſtatu,& augmento,eo quia ſignũ eſt fieri in corpore turbationem: quamquã Cælius Aurelianus 1.de acutis paſſionibus dixerit rarò in initiis morborum apparere lumbricos; qui Cælius 4.long. paſſionum c.de lumbricis ſcribit, ſi appareant in augmento febrium, malum eſſe, in declinatione verò laxamentum adferre. A modo exitus hæc poſtremò capiuntur indicia, quia, vt dicebat Antiphanes apud Cælium Aurelianum, & vt ſcibit Auicennas, multo melius eſt, ſi lumbrici exeant ſoli, & per aluum, quàm ſi exeant, aut per vomitum, aut commiſti ſtercoribus. Ceterùm dubitatum inuenio apud veteres medicinæ ſcriptores, vtrum melius ſit vt exeant lumbrici viui, an vt exeant mortui? Cælius quidem Aurelianus auctoritate Hippocratis in Prognoſticis ſcribit, mortale eſſe, ſi lumbrici mortui exeant, Hippocratis ſententiam ſectatus. Apollonius verò Melphitanus dicit omnia interanea animalia optabilius eſſe vt exeant mortua, quàm viua; Chryſippus etiam, Aſclepiadis ſectator in eadem ſententia fuiſſe videtur, ſcilicet magnum exitium portendi, ſi lumbrici exeant mortui, & adferebat rationem, quoniam argumentum eſt magnum eſſe impetum morbi, quo non modò exeant lumbrici, verùm etiam interimantur. Ex altera parte Diocles medicus ſentit,ſiue ſupra; ſiue infra exeant lumbrici,nullum ferè bonum, aut malum portendi ex ipſis; melius tamen eſſe ſi mortui exant, quàm ſi viui. Dioclis ſententiam videtur quoque ſectatus Herodotus apud Aëtium. Apollonius horum ſententiam ſectatus, & ipſe videtur potius damnaſſe viuos lumbricos exeuntes, quàm mortuos. Vt conciliaret hos ſcriptores antiquus Chryſippus, dixit Hippocratem, atque alios iccirco dixiſſe mortale eſſe ſi exeant lumbrici mortui, quia loquuti ſunt de febribus ſtricturæ: alios verò contrariam ſententiam habuiſſe, quòd loquerentur de febribus laxitatis. Puto enim neminem ignorare, Methodicam ſectam omnes morbos reducere conſueuiſſe ad duo genera, nimirum ad ſtricturam, & ad laxitatem. Sed quia Chryſippi reſponſio eſt ſolùm Methodica, melius

erit,

erit,vt nos dogmaticè hanc rem reſoluamus.quare dicendum eſt, quemadmodum dicere viſus eſt Auicennas,lumbricos exeuntes aut ſine febribus exire, aut cum febribus; rurſum ſi cum febribus exeant ,aut cum febribus malignis , & piſtiferis; aut cum benignioribus ; atque tunc vel in augmento , vel in ſtatu, vel in declinatione.Si exeant ſine febre, nullum ferè malum portenditur , verùm tamen multò optatius eſt,vt exeant mortui,quàm viui & ratio eſt,quia ſi mortui exeant,ſignum eſt non alia ratione fuiſſe interemptos , niſi propter alimenti inopiam. Si cum febre exeant peſtifera, & maligna, exitiale eſt eos mortuos exire ; quemadmodum magis ſalutare eſt,ſi exeant viui. atque hæc potiſſimùm verificantur in augmento & in ſtatu. Ratio autem huius eſt, quia ſignum eſt , tantam eſſe materiæ prauitatem , tantúmque venenum , vt ipſi lumbrici interimantur priuſquam fugiant ; ex aduerſo , ſi viui egrediantur , ſignum eſt quidem prauitatem materiæ eos expellere,ſed indicium eſt etiam & vim expultricem fortem eſſe,& materiam nó vſque adeò prauam,vt ipſos interimat : dixi potiſſimùm vera eſſe in augmento , & ſtatu, quandoquidem in declinatione non ita eſt. nam etſi mortui exeant declinante morbo , argumentum eſt eos potius fuiſſe mortuos propter inopiam nutrimenti, quàm vlla vi morbi , quæ iam tranſiit. Si cum febre benigna exeant lumbrici, etiam in hac multo melius eſt, vt exeant mortui,quàm viui ; quia inde quoque iudicari poteſt , eos lumbricos eſſe interemptos inopia potius materiæ , quàm vllo veneno.Ex hac itaque reſolutione poſſunt facilè conciliari antiqui , qui hac in re diuerſi fuiſſe videntur.

De curatione lumbricorum.

CAPVT X.

SEquitur modò, vt curationem aggrediamur , quæ facilè inuenietur qualis eſſe debeat, ſi ad naturam ipſius morbi conuertamur.Eſt enim lumbricus, vt ſcriptum eſt à Galeno libro de differentiis morborum c.8. & in fine 14. Methodi, & vt ſupra explicuimus,morbus in quantitate,& eſt toto genere præter naturam ; quo fit, vt ſtatim indicatio curatoria oriatur , lumbricos omnes penitus è corpore eſſe extirpandos. Sed quia lumbricus eſt animal , & propterea huc , atque illuc facilè mouetur,neque ita expelli poteſt quemadmodum alia excrementa,propterea quòd refugit & reſiſtit;neceſſariò ſequitur,vt poſſint è corpore expelli , prius eſſe interimendos , aut ſaltem ita hebetandos , & ſtupefaciendos , vt nullo modo reſiſtere poſſint,ſed expellantur.atque hinc ſurgit alia indicatio,vt interimantur lumbrici in corpore , vel ſaltem ſtupefiant. Et hæ ſunt omnes præcipuæ indicationes curatoriæ,quæ dogmaticè, & ex rei ipſius natura comparantur in lumbricis curandis. Sed præter indicationes curatorias habētur & alia, quæ reſpiciunt ablationem cauſſarum , potiúſque præſeruatoriæ indicationes ſunt , quàm verè curatoriæ: Cauſſa autem, quæ lumbricos facit , fouet & auget, cùm duplex ſit ; vel efficiens, nimirum calor internus;vel materia,nempe cibus corruptus,atque humor crudus; eapropter indicationes,quæ comparantur in hoc genere,totæ ſumuntur & à cibis ipſis corruptis prohibendis , à prohibenda humorum cruditate , & à temperando calore illo , qui genitalis eſſe ſolet. Et quia natura ſemper præcedit præſeruatio curationem ipſam, & tota hæc ratiò præſeruationis poſita eſt in ratione victus, & in aliquibus medicamentis, quæ euacuant humores diſpoſitos ad generandos vermes: iccirco priùs vitæ recta ratio inſtituenda eſt in omnibus ſex rebus non natu-

ralibus.

ralibus. Aër itaque eligendus erit temperatus in actiuis,in paſſiuis verò ſiccus, eo quòd ſiccitas non ſolùm confert ad abſumendam materiam vermium generationi idoneam, verùm etiam ad enecandos, & conſumendos lumbricos. Somnus & vigilia moderata eſſe debent , & ante cetera monitum eſt à medicis magnopere nocere,ſi ſtatim dormiat à cibo,& multo melius eſſe duabus horis à cibo ſeſe ad dormiendum conferre. Exercitium moderatum eſſe debet, præſertim verò ante cibū. nam otium,& quies cùm maximè conferant ad cumulandas indigeſtiones, conſequenter etiam conducunt ad cumulandam,& conſeruandam materiam vermificā. Aluus inter cetera maximè lubrica eſt ſeruanda,non ſolum ad prohibendam lumbricorum generationem,verum etiam ad ipſos iā factos enecandos;quare niſi ſpōte fluat,erit cienda vel communi aliquo ſuppoſitorio,vel clyſtere aliquo. Sed in præſeruatione quodlibet ſuppoſitorium, & quilibet clyſter vſui eſſe poteſt, modò ſufficiat ad leniendam aluum. In curatione verò debent clyſteres omnes parari ex rebus dulcibus, minimè autem ex amaris & acribus. ratio eſt , quia hæc animalia ſicuti proſequuntur dulcia omnia, quibus delectantur ; ſic refugiunt acria,& amara. Et ideo huiuſmodi clyſteribus plerumque efficitur , vt vermes, qui per aluum exire deberent, ore reuomantur. Materia autē idonea iis clyſteribus erit in primis, lac,mel,ſaccharum rubrum,brodia pinguia,exēpli gratia.Recipe lactis cuiuſcūque lib. 1.mellis dupurati vnc. 2.miſce, & fiat clyſter. Vel Recipe brodij pinguis lib. 1. butyri,ſacchari rubei an. vnc.j.s.miſce, fiat clyſter.Dubitari poſſet hoc in loco, an huiuſmodi clyſteribus liceat iniicere ſales, & oleum.Sanè ſi ſpectemus facultatem ſalis,& facultatem ipſius olei, ſal poteſt quidem ſua acrimonia , & ſiccitate interimere lumbricos,vt ideo videatur conuenire ; ſimiliter etiam & oleum;oleum (inquam) cum omnia inſecta enecet , iccirco videtur etiam conuenire ad enecandos lumbricos in clyſteribus.Sed,ſi ex aduerſo conſideremus omnia animalia,quæcunque ſolent quadam naturæ proprietate, & prōptitudine refugere ea, quæ ſunt ſibi ipſis inimica, etiam coniiciendum eſt,lumbricum refugere oleum,& ſales ; & ideo nequaquam conuenire, vt clyſteribus miſceantur,præſertim verò oleum. nam ſalis poteſt quidem paucum quid adiici,vt excitetur facultas expultrix. Potus, ſi ſint ægri ſine febre,debet eſſe vinum oligophorum,ſubadſtringens potius, & amariuſculum,aut acre,minimè verò dulce. Acetum cum aqua etiam conuenit , & hac ratione vinum acidum minimè inutile eſt. Sed ſi ægri laborent febre , loco vini poteſt fieri decoctum,aut myxarum, aut granatorum, aut prunorum acerborum, aut ceraſorum acidorum. Fiunt enim ex his varia decocta , quæ & per ſe ſola, & vino granatorum permiſta maximè conueniunt. Cibi verò qui conueniunt in curatione lumbricorum, ſunt omnes illi, qui faciles concoctu ſunt , qui attenuant, qui incidunt ; & iccirco accommodati ſunt omnes cibi acerbi , adſtringentes , acidi, amari , & oleoſi. Noxia verò ſunt omnia dulcia, craſſa , viſcida , & pinguia. Ex carnibus commendātur aues omnes,carnes vitulinæ, agninæ;bubulæ maximè damnantur.Quæ autem non conueniunt, aut ipſis miſcendum eſt acetum, aut omphaciū, vel ſuccus granatorū,vel alquis alius liquor acidus. Vitanda ſunt omnia legumina, omnia lacticinia, & piſces. Inter fructus verò ij ſolum conueniunt, qui acidi ſunt, vt granata, aurantia poma, citria , meſpila , pruna acerba. Atque inter cetera omni ſtudio vitandæ ſunt cruditates, & indigeſtiones ; quod quidem fit , non ſolum perſpecta qualitate eduliorum,verùm etiam quantitate. quare media quædam via tenenda eſt in quantitate ciborum præſcribenda ; quoniam ſi parciſſimè nutriantur ægri , ſolent præ inedia effrenari hæc animalia , atque huc & illuc percurrentia pertundere inteſtina , & incredibiles cruciatus excitare. Ex altera parte, ſi plus

ſi plus quàm par ſit ſaturentur infirmi,fiunt indigeſtiones,& cruditates,ex quibus non ſolùm nutriuntur , & augentur magis interanea animalia, verumetiam iugiter noua gignuntur. quare præſtat parum cibi offerre, ſed ſæpè , ita vt neque ieiunent, neque etiam vltra æquum ſaturentur. Medicamenta, quæ in præſeruatione à lumbricis conferre debent, id habeant neceſſe eſt, vt ab ipſis materia idonea generationi lūbricorum penitus conſumatur. Et quia hæc materia tota in ventriculo,& in inteſtinis continetur, eapropter medicamenta debent exſiccare, & conſumere materiam in his locis exiſtētem. Vt hinc colligere liceat pharmaca ἐκκοπρωτικὰ, id eſt, ſtercoraria, accōmodatiſſima eſſe ad præſeruandos à lumbricis homines. Quare vſus ſenæ, tamarindorum, myrobalanorum vtiliſſimus eſt; ſed præ ceteris vtiliſſimus omnium eſt aloës vſus , & quidquid componi ex ipſo ſolet. Conſueui ego vti in illis, qui facilè corripiuntur hoc morbo, huiuſmodi pillulis. Recipe aloës ſuccotrinæ drach. ij.myrrhæ, ſcordij, dictami albi an. ſcrup.j.cum ſyrupo de abſinthio fiant pillulæ:quarum quauis vice ſumatur drach.j.&,ſi puer ſit tenerior, drachm.s.aut ſcrup.ij. Percunctabitur aliquis à me , nunquid etiam medicamenta, quæ euacuant inſenſibiliter,conueniant in his caſibus,veluti eſt inter cetera decoctum ligni: proculdubio ſi ſpectemus locum,vbi materia lumbricorum poſita eſt, nequaquam conuenire videtur huiuſmodi medicamenti vſus,eo quòd ipſum euacuat materiam in ambitu corporis exiſtentem. lumbrici autem gignuntur in inteſtinis,verùm tamē cùm lignum amarorem habeat,& eius decoctū,& acre,& amariſſimum ſit,puto ego inter alia remedia ipſum eſſe vtiliſſimū,eo quòd non ſolum exſiccando poteſt conſumere crudos humores ventriculi, & inteſtinorum, verùm etiam amarore illo inſigni , & acrimonia potens eſt ipſa animalia iugulare; vt ob hæc omnia, tam in curatione, quàm in præſeruatione decoctum ligni vtiliſſimum ſit. Tot igitur agenda ſunt ad auertendam lumbricorum generationem. Supereſt vt rationem curandi edoceam,& primò nonnulla præcepta adferam,maximè conducentia ad vniuerſalem curationem, daturus demum cuiuſque ſpeciei propriam curationem. Dixi ex ſententia Gal. 14. Methodi, ſcopum in curandis lumbricis præcipuum eſſe, vt ipſi è corpore educantur. Sed quia educi non poſſunt faciliter dum viuunt adhuc, ideo prius neceſſarium eſt ipſos interimere , aut ſaltem ita hebetare, vt medicamentis reſiſtere nequeànt. Iam verò quæ vel interimunt,vel hebetant animalia interanea,ſunt amara omnia,acria,incidentia,adſtringentia,acida,& oleoſa; quæ omnia,ſiue intrinſecus, ſiue extrinſecus adhibeantur, conferre conſueuerunt.Sed in recto horum omnium vſu adminiſtrando,nonnulla ſunt intelligenda. Et primò, quia hæc animalia ſunt fallenda, & cùm dulcibus rebus delectentur, præſentaneum eſt remediis interimentibus ſemper delectantia commiſcere,& ideo malè agunt,qui amara ſola,aut acida exhibent,eo quòd lumbrici non ſugunt,neque trahunt venenum apertum.Sed ſi venenum commiſceatur rebus dulcibus,ludificantur lumbrici,vt dicebat Lucretius de pueris;& ideo venenum cum melle & dulcibus trahunt.Quare ſemper medicamenta,quæ offerētur in vermibus,immiſceantur ſaccharo,aut lacti,aut melli,aut mulſæ; & domi meæ pro pueris iubeo parari oxymel, factum ex melle, & aceto acerrimo,& decocto abſinthij: huiuſmodi enim oxymel conſeruat mirificè pueros à lumbricis. Alterum admonendum eſt, in iis medicamentis, quæ per aluum infunduntur, ſemper dulcia aut ſola eſſe debere,aut valde pręualere aliis.ratio eſt,quia facilè hæc animalia tracta dulcedine,inferiores regiones petunt.Ex aduerſo,in his medicamentis,quæ ore capiuntur, debent ſemper præualere medicamenta acria, aut amara ipſis dulcibus: ratio eſt, quia ſi plus dulce eſſet,quàm amarum,traherentur facilè hæc animalia in

ſtoma

ſtomachum, nec commodè interimi poſſent. Tertium eſt obſeruatione dignum, medicamenta lumbricis interimendis accommodata, nequaquam vehementia eſſe debere; ratio eſt, quia ſi vehementia ſint, præterquam quòd ab ipſis ventriculus offenditur, fit etiam vt lumbrici agitati vehementer acerbiores, & crudeliores euadant. Quartum eſt, horam vtendi medicamentis omnibus eſſe, vbi ventriculus exinanitus eſt; eo quòd ſi pleno ventriculo offerantur medicamenta, facilè eorum vis alioquin imbecilla obtunditur, & penè extinguitur. Quintum eſt, nullam eſſe medicinam, quæ communiter omnibus lumbricis enecandis conueniat, nullúmque eſſe magis præſentaneum remedium, quàm corallina vocata, vt eſt muſcus marinus: hac enim in puluere vtuntur Medici iſti foranei, & miracula faciunt: adeo vt viderim incredibilem copiam lumbricorum interdum deiectam hoc ſolo medicamento. Poſtremò obſeruandum eſt, ægros qui affli&antur hoc morbo, plerumque pueros eſſe, atque omne genus medicamentorum auertere; eapropter ſicuti auerſantur medicamenta, ita etiam cogendi ſunt omni ingenio, vt ea ſumant; loquor de medicamentis, quæ ore capiuntur, quoniam extrinſeca facilè admittunt. Modus cogendi pueros indicatus eſt à Paullo Ægineta lib. 4. c.55. vbi inſtrumentorum mentionem facit, quibus vtendum eſt ad cogendum pueros. Et eſt cochleare, quod primùm intra dentes ponitur vi, quo ſcilicet dentes à ſe inuicem abſcedant. deinde fiſtula anguſta quidem ex vna parte, latiſſima verò ex altera parte, & longa; hæc qua parte anguſta eſt, mittitur in os vſque ad fauces, & qua parte latiſſima eſt, infunduntur medicamenta; ſic enim fit, vt nolint, velint, ſorbeant pueri medicamenta. Poteſt his addi interdum ægros febre tentari cum lumbricis, interdum verò eſſe ſine febre. Vbi febricitant, quantum fieri poteſt, eligenda ſunt medicamenta frigidiora. Vbi autem ſine febre ſunt, licebit vti etiam calidioribus. Atque hæc vniuerſaliter erunt obſeruanda in curatione lumbricorum. Sunt etiam, vt dicebam, propria remedia vniuſcuiuſque ſpeciei; & primò, rotundi cùm ſint in locis ventriculo proximis, nequaquam exigunt ea medicamenta generoſa, quæ poſtulant ceteri. quare in his, vt habemus apud Galenum multis in locis, ſat eſt adhibere vel abſinthium, vel abrotanum, vel coriandri ſemen, vel decoctum calamenti. Laudatur etiam ab Aëtio lapis gagates, amygdalæ amaræ, lupinus amarus aqua non maceratus; quæ omnia variis modis poſſunt vſurpari. Poſſunt etiam vſurpari & in decocto, & in puluere; exempli gratia ſi decocto placebit vti, poterit ita componi. Recipe lupinorum p.s. abſinth. p.j. brodij quantum ſufficit, bulliant ſimul, & facta colatura addatur ſaccharum vſquequo dulcoretur, & poterit pro captu pueri etiam quantitas metiri interdum ad duas, tres, & quatuor vncias. Sic etiam poſſunt fieri decocta ex aqua, & mel miſceri, vt dulcoretur. Puluis etiam ſic vſurpari poterit. Recipe lapidis Gagatis drach.j. ſcordei, ſeminis abſinthij an. ſcrup.2. terantur omnia ſimul, & cum modico mulſæ offeratur drach.s. vel ſcrup.2. laudauit etiam Auicennas copiam olei potatam; nam, vt docui ex Ariſtotele, inſecta omnia interimuntur oleo. Ariſt.9. de hiſt. animalium 6. ſcribit, canes, dum laborant lumbricis, à natura doctos eſſe, vt ſumant tritici vel ſpicam, vt antiquus interpres tranſtulit, vel, vt Gaza, herbam tritici. Sic poterit quis ad enecandos vermes aceto acerrimo in potu vti, ſucco citri acido, & ſimiliter aurantiorum ſucco. atque hæc intus conueniunt. Extrinſecus verò conueniunt & vnctiones, & cataplaſmata; ſed animaduertendum variũ eſſe debere locum extrinſecum remediorum in applicando in lumbricis rotundis, & in aſcaridibus, quia cùm aſcarides infeſtent extrema inteſtina, infra vmbilicum applicanda ſunt remedia, & circa podicem. In lumbricis rotundis applicanda circa vmbilicum; & paullo

paullo ſupra, eo quia propria ſedes ipſorum eſt in primis inteſtinis,quæ circa eam regionem ſunt collocata.Pro inunctione conueniunt hæc. Recipe ſucci abſinthij, ſucci abrotani an. drach. j.s, pulueris ſcordij, aloës an. ſcrup. ij. olei commu-nis vnc. j. ceræ parum miſce, & fiat linimentum. Si ceratum facere placeret, ſic illud componetur. Recipe myrrhæ, aloës an.drach. j. pulueris ſcordij, ſeminum abſinthij, ſeminum citri an. ſcrup. s.cum cera, & reſina quantum ſufficit, fiat ceratum. Fiunt quoque emplaſtra, veluti eſt iſtud. Recipe foliorum abſinthij, abrotani an. m. j. lupinorum contuſorum craſſo modo p. j. s. bulliant ſimul in aquæ lib. vj. & aceti ſquillitici lib.j. deinde omnia ſimul piſtentur diligentiſſimè, & loco prædicto apponantur. Theriaca quoque ſucco citri, vel aceto liquata, & appoſita locis dictis maximè confert; nec ſolum vtilis eſt extrinſecus, verùm etiam intrinſecus; ſicut etiam & ſemen vrticæ à Celſo valdè commendatur, ſemen fœniculi, cymini, menthæ; ſiue extrinſecus, ſiue intrinſecus adhibeantur, conferunt ad enecandos lumbricos rotundos. Contingit verò vt lumbrici etiamſi enecentur, non exeant.quare neceſſarium eſt,vbi non exeunt,medicamenta offerre,quæ mortuos educant; & in hoc caſu laudatur rhabarbarum præ ceteris,hiera,aloë, agaricus etiam; quorum hoc, vel illo vti licebit, prout videbitur ægrum ipſum, aut pituitoſum, aut bilioſum eſſe.Quare ſi fuerit bilioſus,hoc medicamento vtendum erit. Recipe ſeminum citri,ſeminũ vrticæ an. drach.s.myrobalanorũ,citroniorum ſcrup.ij. paſſularum vnc.s. fiat decoctio in aqua abſinthij ſecundum artem. deinde Recipe dictæ decoctionis vn. iij. rhabarbari electi ſcrup. ij. s. ſeminum fœniculi, calami aromatici an. gr. j.s. infundantur ſecundum artem: deinde facta diligenti expreſſione adde mellis roſati vnc. j. s.ſucci citri vnc.s. miſce.Hoc medicamentum efficaciſſimum eſt ad educendos & viuos & mortuos lumbricos; addidi mel roſaceum, tum vt dulcoretur medicina, tum etiam quia Alexander Trallianus in epiſtola de lumbricis commendat illud; quamquam exiſtimem veteres mel roſaceum habuiſſe amariuſculum magis,quàm nos. Sin autem æger potius ſit pituitoſus,aut etiam melancholicus, poterit loco rhabarbari vſurpari vel ſena, vel agaricus; atque cetera iam prædicta, & hæc dixi agenda eſſe, dum ſponte vermes ipſi enecati non exeunt.Sed ſi,vt ſæpe vſu venit,huic malo ſit etiam iunctus fluxus alui, dicebat Aëtius ſtudendum eſſe,vt fluor alui craſſeſcat, & addit rationem, quia quanto magis fluit aluus, tanto copioſiores fiunt lumbrici; qua in re ſuſpecta eſt mihi hæc ſentẽtia Aëtij. Primò,quia non video,quomodo ſtante alui fluxu poſſint lũbrici copioſiores generari; etſi enim concedam fieri in his plurimas cruditates, contingit etiam,vt ſecundum quod fiunt humores crudi,ita excernantur priuſquã ex ipſis poſſint generari lumbrici. Accedit etiam, quod Auicennas, qui videtur accepiſſe hanc Aëtij ſententiam, non dicit generari vermes ex maiori fluxu, ſed copioſiores educi. aliud eſt enim quod fiant lumbrici in fluxu alui, aliud quòd exeant. Quare niſi fluxus ſit immodicus, numquam eſt cohibendus vlla ratione, ſed ſinendus potius, quandoquidem animalia nocentia ſic exeunt felicius. Sed ſi fluxus alui immodicus ſit, ita vt vires penitus deiiciat, tunc ſanè, vt docuit Aëtius, erit ſatagendum, vt non violenter, ſed blandè coërceatur; quo in caſu decoctum plantaginis, & portulacæ in brodio commodiſſimum eſt: puluis etiam vermium terreſtrium, ſi cum ſapa, vel melle exhibeatur, vtilis eſt. Extrinſecus quoque conueniunt vnctiones, & cataplaſmata adſtringentia moderatè. exempli gratia, hæc inunctio erit accommodatiſſima. Recipe olei roſacei omphacini, de abſinthio an. vnc. s. olei myrtini drach. ij. pulueris boli armeni, corticum granatorum an.ſcrup.j.ſucci limonũ parum,cum cera,quantum ſufficit,fiat linimentũ.

Empla

Emplaſtrum etiam hoc accommodatiſſimum eſt. Recipe corticum granatorum, corticum cydoniorum, foliorum abſinthij, rutæ, plantaginis an. m. j. coquantur omnia, deinde piſtentur diligenter, & cum modico olei roſati omphacini fiat emplaſtrum. Vſus autem horum emplaſtrorum eſt, vt in linteamine ſubtiliſſimo ponantur, & parti affectæ applicentur ; ſique refrigerentur, recalefiant, ita vt ſemper ſaltem tepentia conſeruentur. Lati lumbrici curatio parum eſt diuerſa à curatione rotundorum, quemadmodum dicebat Aëtius, & Paullus. Sed ſi vlla differentia eſt, ea propoſita fuit à Gal. 14. Methodi, & ante etiam ſignificata à Corn. Celſo, ſcilicet, latos lumbricos vehementioribus egere medicamentis quàm rotundos. Ratio eſt, cùm hoc animal ſit ſatis magnum, proculdubio maioribus armis confodiendum eſt. Tradita tamen ſunt à Medicis quædam remedia huic malo peculiaria ; & inter cetera Gal. 8. de ſimplici Medicina filicem ſcribit propriè necare latum lumbricum. Sic Alexander Trallianus ſcribit hoc animal interaneum interimi à nucibus regiis, à cardamomo, & coſto ; ſuccus quoque centaurij, ſiue eius decoctum mirificè in hac ægritudinde confert. Celſus, & Alexander laudant corticem mororum, ſi in puluerem redactus cũ modico hyſſopi, aut piperis exhibeatur. Pari pacto ſcammoneum à Celſo laudatur. Theriaca quoque mirificè valet ad enecandum lumbricum latum. Porro aſcarides adhuc maioribus medicamentis indigent, quàm vllum aliud lumbricorum genus, quod traditum habetur à Gal. in fine 14. Methodi. Atque huius rei quinque afferuntur rationes ab Auicenna; quarum vna eſt, hæc animalia, vt diximus, remotiſſima eſſe à ventriculo, & ab ore; & ideo ſi medicamenta eò penetrare debent, neceſſarium eſt, vt ſint valida ſatis. Altera ratio eſt, aſcarides ferè ſemper conuolutos eſſe humoribus lentis, & viſcidis ; propter quos fit, vt etiamſi medicamenta eò penetrent, tamen niſi valida ſint, eorum vis penitus infirma ſit. Tertiam adfert cauſſam Auicennas, quòd aſcarides ſæpe vſque ad monoculum inteſtinum adſcendunt, ibique firmati magno labore inde auelluntur. Quarta cauſſa eſt, quòd aſcarides, qui ex materia craſſa, & viſcida gignuntur, ſimiliter medicamentis vehementioribus indigeant, quæ conterere huiuſmodi materiam valeant. Poſtrema eſt, materiam, ex qua ſiunt aſcarides, venenoſam ferè eſſe, cùm autem medicamenta ſint ferè venenoſa, atque ſimile à ſimili non admodum patiatur, ideo fit, vt à medicamentis, niſi ſint vehementia, parum, aut nihil ferè offendantur. Ceterùm aſcarides habent quoque peculiaria remedia ſua, quorum aliqua adminiſtrantur per aluum immediatè, aliqua verò per os. Quæ adminiſtrantur per aluum, ſunt clyſteres, ſuppoſitoria, fomentationes, inunctiones. Inter clyſteres ab omnib. acres laudantur, veluti ſunt hi, qui ſiunt ex materia ſola, vel decoctione abſinthij: & vt aliquod exemplũ habeatur : Recipe foliorum abſinthij; m. 1. lupinorum p. j. s. bulliant diligenter ſimul, deinde : Recipe dictæ decoctionis lib. 1. mellis roſati vnc. iij. ſalis drach. j. s. miſce, & fiat clyſter. Pro ſuppoſitorio hoc poterit parari. Recipe nitri, ſalis gemmæ an. ſcrup. j. fellis taurini drach. j. mellis quantum ſufficit, fiat ſuppoſitorium. Fomentationes poſſũt parari ex decocto parato pro clyſteribus. Vnctiones autem hæ ſunt accommodatæ. Recipe fellis taurini drach. j. s. pulueris lupinorum drach. ij. olei de abſinthtio vnc. ij. vini generoſi albi vnc. s. miſce ad ignem. Modus adminiſtrandi has inunctiones eſt, vt fiant ex linteamine collyria longa, & oblita hoc medicamento indantur in anum. Laudat ſimiliter Aëtius carnem ſalitam deraſa pinguedine in formam glandis redactam. Sic etiam caſeus antiquus ſalitus mirificè prodeſt. iuuat quoque cedria per clyſterem infuſa. Vbi expurgata ſunt huiuſmodi medicamentis inteſtina ab aſcaridibus, fuit ſentẽtia

Aëtij;

Actij, vtendum eſſe adſtringentibus,quaſi medicamenta adſtringentia ſui frigiditate & ſiccitate conferant ad prohibendam nouam aſcaridum generationem; eapropter,dum erit occaſio,eadem curationis ratione vti conueniet. Exempli gratia,huiuſmodi clyſter erit vtilis. Recipe foliorum plantaginis, polygoni, nucleorum myrobalanorum citrinorum, corticum granatorum, baccarum myrti, lupinorum an. p. s. contuſis omnibus diligenter fiat decoctum; cuius decocti Recipe lib.j. olei roſati omphacini vnc.iiij. miſce & fiat clyſter; qui vt prodeſſe valeat, continendus eſt quamdiu fieri poteſt. Per os etiam ſunt multa, quæ laudantur in hoc genere lumbricorum curando.Laudat Auicennas ſcammonium, & colocyntidem. Sed hæc remedia generoſa in pueris ſunt vitanda. quare multo melius & vtilius medicamentum eſt illud, quod proponit Auicennas, factum ex ſucco ireos; huiuſmodi enim ſuccus non tantum ducit aluum, & conſequenter aſcaridas: ſed etiam peculiari quadam facultate eos interimit. Multa alia à Medicis tradita ſunt remedia pro lumbricis; quæ non eſt vt hóc loco proſequar omnia; ſat fuerit exempla eorum, quæ putantur efficaciora, propoſuiſſe.

* * *

FINIS.

ALEXANDRI TRALLIANI DE LVMBRICIS EPISTOLA.

Clariſsimis viris PETRO IVSTINIANO, IACOBO Foſcareno Doctori, & Iacobo Suriano,

Hieronymus Mercurialis S. D.

EXquo inter tot præclariſſimos huiuſce gymnaſij profeſſores, vt ego quoque cooptarer à vobis, dignus habitus ſum, id ſemper cogitaui, vt animi mei gratitudinem aliquando apud vos teſtatam facerem. ſed hactenus nihil mihi contigit cuius perſpectæ conditiones planè vota mea explere viſæ ſint. Ne tamen quod occaſionis inopia factum eſt, ingratitudine potius factum putetis, aliquod veluti proœmium futurarum mearum erga vos actionum tradere ſtatui; non quòd veſtris in me maximis beneficiis hoc teſtimonio vlla ex parte reſponſurum me confidam; ſed vt ex huiuſcemodi exiguis rebus quam voluntatem geram, & id aliquando præſtaturus ſim, intelligatis. Etenim cùm libros quatuor variarum in medicina lectionum à me olim Romæ collectos, edere à multis, qui gymnaſticam meam anno elapſo editam, magnóque eruditorum applauſu receptam ſcientes, idem his eueniurum ſperant, coactus eſſem; foréntque ex auditoribus meis plurimi, qui obnixè peterent, vt illis quam manuſcriptam haberem Alexandri illius Tralliani ſummi medici de Lumbricis epiſtolam Græcam ſimul atque Latinam, nec non aliqua ex plurimis quæ feci de rebus medicis reſponſis coniungerem; non potui omni ex parte deeſſe iis, qui à me iure quodam omnia exigere videntur. Itaque reſponſis in alıud tempus dimiſſis, epiſtolam ſub veſtris nominibus publicandam curaui, perſuaſum habens, hac nuncupatione non parum auctoritatis illi acceſſurum eſſe. Quòd namque ſit Alexandri epiſtola, primò indicat codicis Vaticani, à quo illam accepi, vetuſtas, deinde ſcribendi modus, atque orationis character; poſtremò Arabum ſcriptorum fides; qui cùm quædam, quæ ſolùm in hac epiſtola reperiuntur, eo pacto citent, quo res Tralliani conſueuerunt, ſanè videntur ipſam veluti illius genuinam agnouiſſe. Veſtrum igitur erit, hanc qualemcunque alacriter ſuſcipere, maioráque (ſi Deus dabit) certò in dies à me expectare. Valete. Patauij Kal. Nouembris, M D L X X.

ΕΠΙΣΤΟΛΗ

ΕΠΙΣΤΟΛΗ

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΤΡΑΛΛΙΑΝΟΥ

περὶ ἑλμίνθων.

ΓΈΓΡΑΦΑΣ μοι φίλτατε Θεόδωρε περὶ τοῦ σοῦ παιδὸς ἀπολέσθαι κινδυνεύοντος, ὅπως ἄν τι τῶν ἕλμινθας ἀναιρεῖν δυναμένων ὑμῖν ἀποστείλαντες φάρμακον, γενοίμεθα βοηθοὶ αὐτῷ. ἐχρῆν δὲ ὑμᾶς μὴ μόνον τοῦτο γράψαι, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν τὸν ἄῤῥωστον ὑποπτεύεσθαι, εἰ πάρεστι πυρετὸς, ἢ ἔμετος, ἢ τῆς γαστρὸς φθορά. καὶ πῶς ἔχει τὰ τῆς ὀρέξεως, ἢ δίψης· αὐτῶν τε τῶν ὀφθέντων τὸ εἶδος τῶν ἑλμίνθων· καὶ ἁπλῶς ἅπαντα διελθεῖν, ὅσα τε τὴν νῦν διάθεσιν συνεδρεύει, καὶ ὅσα προηγήσατο. οὕτω γὰρ σοί τε εὐχερέστερα τὰ παρ' ἡμῶν ἔδοξεν, ἐγώ τε οὐκ ἂν ἐδεήθην πλείονα συνάψαι. νῦν δὲ τὸ ἀπροσδιόριστον τῶν ὑπὸ σοῦ γεγραμμένων ἀναγκάζει μὴ πρὸς ἓν, ἀλλ' εἰς πολλὰ βλέποντα ποιεῖσθαι μᾶλλον τὴν ἔκθεσιν. πρῶτον τοίνυν ὑμᾶς εἰδέναι δεῖ, ὡς τριττὸν εἰρήκασιν οἱ παλαιοὶ τῶν ἑλμίνθων εἶδος· ἓν μὲν, τὸ μικρὸν πάνυ καὶ λεπτὸν, ὃ καλεῖν εἰώθασιν ἀσκαρίδας. δεύτερον δὲ τούτων, στρογγύλον. καὶ τρίτον ἄλλο τὸ τῶν πλατέων. ἔχουσι δὲ τὴν γένεσιν, αἱ μὲν λεπταὶ καὶ μικραὶ, περὶ τὰ κάτω μέρη τοῦ παχέος ἐντέρου. αἱ δὲ στρογγύλαι, περὶ τὰ ἄνω μᾶλλον τῶν ἐντέρων· ὥστε καὶ ἐπαναβαίνειν αὐτὰς ἄχρι τῆς γαστρός· ὅθεν καὶ ἐμοῦνται πολλάκις. αἱ δὲ πλατεῖαι εἰς τοσοῦτον ἥκουσι μέγεθος, ὥστε καὶ ὅλῳ συμπαρεκτείνεσθαι τῷ ἐντέρῳ. οἶδα δὲ ἐγγύς που ιϛ ποδῶν ἐκβλήθησαν. καὶ αὕτη μὲν αὐτῶν ἐστιν ἡ διαφορά. τίκτονται δὲ ἀπὸ διαφθορᾶς σιτίων, καὶ σήψεως ὠμῶν χυμῶν. διαγνοὺς οὖν πρότερόν τινες τέ εἰσι καὶ περὶ ποῖα μᾶλλον μέρη οἱ πλεονάζοντες ἕλμινθες, καὶ πολὺ πρότερον αὐτῷ τούτῳ οἱ πλεονάζοντες ἕλμινθες, ἔρχου οὕτως ἐπὶ τὴν θεραπείαν αὐτῶν. συμβαίνει γὰρ δάκνεσθαι τῇ ναυτίᾳ τὸν παῖδα, καὶ στροφᾶσθαι. ἐνδέχεται δὲ καὶ διὰ χολώδεις χυμοὺς, καὶ μοχθηροὺς, καὶ διαφθορὰν, ταὐτὰ γίνεσθαι. μὴ οὖν ἐξ ὑπονοίας, ἀλλὰ μετὰ σκέψεως ἅμα πάντα εἰ φανῇ ἀκριβῶς, τότε καὶ αὐτὸς ἔρχου ἐπὶ τὴν θεραπείαν θαῤῥῶν.

Σημεῖα τοῦ ὑπόκεισθαι ἕλμινθας.

ΔΙΑΓΝΩΣΗ δὲ τοὺς ἕλμινθας ἔκ τε τῶν προηγησαμένων ἀγρυπνιῶν τε πολλῶν καὶ ἀπεψιῶν, ὧν προηγοῦνται παχύτεραί τε καὶ πλειότεραι τῶν ἐδεσμάτων ἐδωδαὶ, καὶ βαλανείων συνέχειαι, καὶ μετὰ τροφὴν γίνονται δὲ αὐτοῖς στρόφοι, καὶ νύξεις, καὶ δήξεις, καὶ συστολαί τινες ἀναιδεῖς εἰς ἄρθρα. ἤδη δὲ συνεχόμενοι τῷ πάθει καὶ τῶν ἑλμίνθων αὐξανομένων ἐπιπλέον, καὶ οἱ σφυγμοὶ μικροὶ γίνονται καὶ ἀμυδροὶ, καὶ τοῖς ἐκλεί-

πτουσι, καὶ παλινδρομοῦσιν. ἡ δὲ ἁφὴ καταψύχεται· καὶ παραφρονοῦσιν, καὶ τρίζουσι τοὺς ὀδόντας, καὶ τῇ γλώσσῃ τὰ χείλη τρίβουσι, καὶ λοιμῶδες καὶ σηπεδονῶδες ἀναπνέουσι διὰ τοῦ στόματος, καὶ ἀνορεκτοῦσι· καὶ ἣν ἂν προσενέγκωσι τροφὴν, ἐμοῦσι ταύτην εὐθύς· καὶ στρέφονται συνεχῶς, καὶ ἀποροῦντες ἀνακλήσεως, ἄλλοτε ἐν ἄλλῳ τόπῳ ῥίπτουσιν μέχρι πολλοῦ· καὶ τελευταῖον ὅταν ἔχωσιν ἐσχάτως, ἱδροῦντες ψυχρόν τε καὶ συγκοπτικόν. ταῦτα ἐστὶ τῶν ἐχόντων ἕλμινθας σημεῖα. μηκέτι δὲ μηδὲν ἄλλως βοηθεῖν, καὶ προσφέρειν ὀρθῶς, ἢ ὅσα πεπίστευται τοὺς ἕλμινθας ἀναιρεῖν.

Θεραπεία ἑλμίνθων μετὰ πυρετοῦ.

ΟΤΙ μὲν λεπτύνουσα δίαιτα πᾶσι τοῖς ἔχουσιν ἕλμινθας ἁρμόζει, παντί που δῆλον. ἀλλ' ἐπειδὴ τοῖς πολλοῖς τῶν λεπτυνόντων ἁπάντων οὐ μία τις διαφωνία, ἀλλὰ ποικίλη καὶ διάφορος, τὸ μὲν αὐτῶν μετέχον σαφοῦς θερμασίας καὶ πολλῆς, τὸ δὲ μετρίως καὶ ἀνεπαισθήτως, καὶ σπάνιόν ἐστιν εὑρεῖν τοὺς πυρετοὺς οὕτως παροξύνοντας, εὔδηλον ὡς εἴγε πυρετὸς ἅμα τε ἕλμινσιν ἐνοχλεῖν φαίνοιτο, ὡς οὐδὲ τοῖς σφόδρα καὶ λεπτύνειν δυναμένοις χρῆσθαι καὶ ἀναιρεῖν αὐτοὺς καὶ φθείρειν εἰώθασιν, ἀλλὰ μᾶλλον τοῖς μετρίοις (ὡς ἐνδέχεται) θερμαίνειν καὶ λεπτύνειν δυναμένοις. ἔστι δὲ τὰ τοιαῦτα, ὅ τε σελίνου τῆς ῥίζης τὸ ἀπόβρεγμα, καὶ τὸ χαμαιμήλου, καὶ τῶν μισχιλίων καλουμένων. ὧν ἡ ὕλη μᾶλλον τὸ κατάγλισχρον κέκτηται μὴ λεπτῦνον. εἰσὶ δὲ διάφορα τὰ τοιαῦτα, ἢ τὰ πάνυ θερμαίνοντα τοὺς πυρετοὺς αὔξει, καὶ καταβάλλει τὴν δύναμιν. διόπερ εἰκότως ὄντων πυρετῶν, ἀνοίκεια εἰσὶ τὰ τοιαῦτα, ὅσα δὴ πάνυ τὸ πικρὸν καὶ δριμὺ κέκτηται.

Περὶ ὑπαγωγῆς γαστρός.

ΥΠΑΓΩΓΗ ἐστὶ γαστρὸς ἀπὸ ὑδρελαίου, καὶ ἡ μελίκρατος ὑδαρὰ, ἢ χαμαιμήλου μετὰ μέλιτος. ἔξωθεν δὲ τῷ οἰνελαίῳ δεῖ βρέχειν τὸ σπλάγχνον ἀποβραχείσης πρὸς ὀλίγον ἀψίνθιον.

Περὶ τῶν σφόδρα πυρεσσόντων.

ΕΙ δὲ σφόδρα ὁ πυρετὸς εἶναί σοι φαίνοιτο πάνυ, καὶ τὸ ῥοδόμελι δίδου. καὶ γὰρ εὐστόμαχόν ἐστιν, καὶ ἑλμίνθων ἀναιρετικὸν διὰ τὸ ἐν αὐτῷ ὑπόπικρον. ἔστι δὲ καὶ ἄδιψον, καὶ ληξοπύρετον. τούτου δὲ μὴ παρόντος, ὑδρορόσατον δίδου, ἢ ὑδρορόδινον. ἔξωθεν δὲ κηρωτὴ ῥοδίνη καλῶς σκευασθεῖσα. δεῖ γὰρ τὸν κηρὸν ἐν ὕδατι πολλάκις ἀποπλύνειν, καὶ οὕτως τὸ ῥόδινον ἐπιβάλλειν κάλλιστον, ἠρέμα τε ἕψειν, ὥστε μὴ καῦσαι τὸ ῥόδινον. ἔστω δὲ τὸ ἴσον τοῦ κηροῦ. μετὰ δὲ τὸ μιγῆναι καλῶς, ὀλίγον περίμεινον ἕως οὗ ψυχθῇ. ψύξας αὐτὸ κατὰ μικρὸν, ἕως ἂν ἑνωθῇ, ἐκ τοῦ χαλκοῦ ἐπίβαλε πάντα ἐν τῇ θυείᾳ, καὶ τρίβε συντόνως, ἐπιβάλλων ὀλίγον ὑδρορόδινον, ἕως οὗ γένηται μαλακὸν πάνυ, καὶ δίυγρον. ἐὰν οὖν οὕτως σκευασθῇ, καὶ τῷ πυρετῷ μάχεται, καὶ εἴπερ τι καὶ ἄλλο παρενοχλεῖ, καὶ τοὺς ἕλμινθας ἐκτινάσσει διὰ τῆς κάτω γαστρὸς, καὶ νεκρὰν τὴν ὄρεξιν καὶ ἀσθενοῦσαν ἐπεγείρει, καὶ πρὸς ἄλλα δὲ πάθη διακαῆ ποιεῖ καλῶς, οἷον ἐπὶ ἐρυσιπέλατος, καὶ ἀνθράκων, καὶ τῆς ἐν δακτυλίῳ

γινομένης

γινομένης φλεγμονῆς, καὶ ἐπὶ ῥευματισμοῦ δὲ ποδῶν θερμοῦ καὶ χολῶδες ἐστὶ τὸ ἐπιῤῥέον· καὶ κεφαλαλγίαν δὲ χρονίαν, διὰ θερμότητα γινομένην, ὠφελεῖ· καὶ ἁπλῶς οὕτω πολύχρηστον κηρωτὴν οὐκ ἂν εὕροις. καὶ διὰ τῆς ἀγχούσης δὲ ἐὰν οὕτω σκευασθῇ, χρησιμωτάτη ἐστὶν ἐφ' ὧν ἐστὶ πυρετός. καὶ ῥάκη εἰς ὑδρέλαιον ἄριστα. ποιεῖ δὲ τὸ ἔλαιον εἰ ἐστὶ χαμαιμήλινον. ἐν δὲ τῷ ὕδατι τῷ ἐπιμιγνυμένῳ δεῖ ἐμβάλλειν μελίλωτα, καὶ χαμαίμηλον, καὶ ὀλίγον ἀψίνθιον, καὶ οὕτως ἀποζέννυσθαι. ῥάκει δὲ προσφερέσθω μὴ πάνυ θερμῷ. εἰ δὲ θεραπεύσεις, ὠφελήσει δή· ἐκτὸς μέντοι τοῦ ἀψινθίνου. πικρῶν γὰρ οὐ δεῖ θεραπεύειν οὐδενὶ τὴν κάτω γαστέρα. τοὐναντίον γὰρ ἀναδραμοῦνται αἱ ἕλμινθες μᾶλλον ἐν τούτοις ἄνω. διόπερ εἰ μὴ πάνυ κωλύει ὁ πυρετὸς, ἐπιβάλλειν δεῖ μέλι. οὕτω γὰρ ἅμα καὶ τὰς ἕλμινθας προτρέπει παρὰ τὰ κάτω, καὶ τὰ τούτοις τρέφειν δυνάμενα πείθεται παχέα καὶ γλίσχρα ὄντα. εἰ δὲ καὶ τούτων γινομένων ἐπιμένει τὰ τῶν πυρετῶν, καὶ δίψα πολλὴ ὑπάρχει, κέχρησο καὶ τῇ ἄλλῃ τῇ ψύχειν τε καὶ ὑγραίνειν δυναμένῃ. τὸ γὰρ σφοδρὸν τοῦ πυρετοῦ, χολώδη ἐπιμιξίαν χυμοῦ δείκνυσι ἐν τῷ σώματι. ἐπὶ τούτων οὖν προσφέρειν δεῖ πτισάνην μετὰ ψυχροῦ καὶ τοῦ ὑγροῦ, καὶ τοῦ λεπτύνειν δυναμένου. καὶ μὴ θαυμάσης εἴ τι πρὸς ψύξιν ἐχρησάμην. ἀεὶ γὰρ πρὸς τὸ κατεπεῖγον ἐνίστασθαι χρὴ, καὶ σπουδάζειν εὐκρασίαν ἀεὶ περιποιεῖν τῷ σώματι. ταύτης γὰρ παρούσης ἐξὸν, ἐστὶ καὶ τοῖς λεπτυνούσιν ἀβλαβέστερον κεχρῆσθαι λοιπὸν, ὄξους τε βραχὺ, καὶ ῥίζης σελίνου, ἐν τῇ ἑψήσει αὐτῆς ἐμβάλλοντας. οὕτω κάλλιστος καὶ ὠφελιμώτατος ὁ χυλὸς αὐτῆς. εἰ δὲ μηδὲν προσλάβῃ τῶν εἰρημένων, οὐδὲν ἄλλο ἢ τροφὴ τῶν ἑλμίνθων γενήσεται μᾶλλον. ἀλλὰ καὶ τῶν λαχάνων ἐσθιέτω τὰ ἴντυβα, καὶ τὰς θριδακίνας, τὰ καλούμενα μαροῦλλα ἑφθὰ εἰς ὀξύκρατον αὐτὰ ὑδαρὲς ἀναβάπτειν. εἰ δὲ ἀκαίρως ἔχει, καὶ διψώδης ὁ κάμνων, καὶ τοῦ πέπονος τὴν ἐντεριώνην δίδου. ἔχει γὰρ καὶ ῥυπτικόν. ἀλλὰ καὶ συκάμινα. ταῦτα δὲ μετὰ τοῦ τὴν γαστέρα ὑπάγειν, καὶ ἄλλως πως ἑλμίνθων εἰσὶν ἀναιρετικά. δίδου πάντα εἰς κόρον. ἀλλὰ πολλάκις καὶ δι' ἀπορίαν τροφῆς αὐτῶν τῶν ἐντέρων εἰς τοσοῦτον ἥψαντο, ὥστε καὶ διὰ τοῦ δέρματος αὐτοῦ ὀφθῆναι διεξιόντας. νυνὶ δὲ καὶ πρὸς τὸν πυρετὸν καὶ πετραίους ἰχθύας δίδου προσειληφότας ἐν τῇ ἑψήσει ὄξος· ἀλλὰ καὶ περιστερὰς τοσαῦτα καὶ περὶ τῶν ἐχόντων ἕλμινθας μετὰ πυρετοῦ.

Περὶ τῶν ἐχόντων ἕλμινθας ἄνευ πυρετοῦ.

Εἰ δὲ ἀπύρετος ὑπάρχει, μηκέτι τὸ ῥοδόμελι δίδου, μήτε πέπονα εὐχερῶς· ἀλλὰ καὶ τὸ πόμα, καὶ ἡ τροφὴ πᾶσα, γινέσθω λεπτύνουσα. οἷον ἀπὸ σελίνων τε, καὶ πράσων, ἢ καυκαλίδος, ἢ γιγγιδίου. ἔσθ' ὅτε δὲ σκορόδων, ἀμυγδαλέων πικρῶν, καὶ ὅσα τοιαῦτα. μελάνθιόν τε ἐπὶ κύμινον μετὰ ὄξους συγκείμενον. καὶ μαστίχη ἢ κάππαρις ἁρμόζει τούτοις, καὶ τὸ τοῦ ἀβροτόνου ζέμα, τῆς κόμης τοῦ ἀψινθίου, καὶ τὸ τοῦ ἡδυόσμου, καὶ τὸ τῆς δικτάμνου, καὶ τὸ καλούμενον κῦφι ἱερατικόν. καὶ ἡ θηριακὴ καὶ πρὸς ταῦτα ἁρμόζει. οὐ μόνον τοὺς ὄντας φθείρει, ἀλλὰ καὶ ἄλλους οὐ συγχωρεῖ ἀποτεχθῆναι, εἴγε προπίνει τις ἅπαξ ἢ δὶς τοῦ μηνός. καὶ ἔγωγε πολλάκις ἐπέτυχον δεδωκὼς αὐτὴν ἐπὶ τῶν πολλὰς ἐχόντων

ἕλμινθας μετὰ ἀνατροπῆς στομάχου. καὶ ὁ γαγάτης δὲ λίθος, πάνυ ποιεῖ. καλῶς δὲ ποιεῖ, εἴπερ τι καὶ ἄλλο, κοκκία διδόμενα ἔσωθεν, καὶ ἔξωθεν ἐπιτιθέμενα. καλῶς δὲ ποιεῖ καὶ ἡ ταυρεία χολὴ μετὰ μυελοῦ ἐλαφείου, ὥσπερ καὶ μετὰ κεδρίας μιγνυμένη. ὁμοίως δὲ ποιεῖ καὶ τὸ θέρμινον ἔλαιον, μετὰ μυελοῦ ἐλαφείου, κατὰ τοῦ ὀμφαλοῦ ἐπιτιθέμενον. καὶ ἡ κηρωτὴ δὲ ἡ Γαληνία ὁμοίως ποιεῖ. καὶ ταῦτα μὲν ἀρκούντως δοκεῖ μοι ἔχειν. καὶ γὰρ εἴρηται περὶ αὐτῶν εἰκότως ὁποίοις δεῖ βοηθήμασι χρῆσθαι πρὸς τὰς ἐν τῷ σώματι πλεοναζούσας ἕλμινθας, εἰ μετὰ πυρετοῦ ὑπάρχουσι. τινὰ δὲ καὶ ἑτοίμως ὑπομιμνήσκει τῶν κατὰ μέρος· καὶ μηδὲν πολλῶν βιβλίων ἐκθήσομαί σοι, πλὴν εἰς ὅσα τοῖς τε ἀρίστοις τῶν ἰατρῶν καὶ τῶν ἄκρως ὑπ' ἐμοῦ μεμαρτυρημένων ἡ πεῖρα ἐξεῦρεν. καὶ πρῶτόν γε τῶν τὰς πλατείας ἕλμινθας ἀναιρεῖν δυναμένων μνημονεύσομεν, ἐπειδὴ τῶν ἄλλων μᾶλλον αὗται ἐπικίνδυνοί εἰσι.

Περὶ τῶν τὰς πλατείας ἀναιρούντων ἕλμινθας. Ἀλεξάνδρου.

ΚΆΡΔΑΜΟΝ ἕλμινθας πλατείας ἕλκει καταπινόμενον. ὁμοίως δὲ καὶ ὁ κόστος, καὶ τὸ κίκινον ἔλαιον πινόμενον. καὶ κάρυα βασιλικὰ πλείονα βρωθέντα, ἕλμινθας πλατείας ἐκβάλλει καὶ ἀναιρεῖ. ἕλμινθας ἐκβάλλει φλοιὸς ῥοδακινέας, φύλλα μυρσίνης, ῥοιᾶς ἄνθη. καὶ ἑλμινθοβότανον τρίψας πότιζε. συκαμινέας τῆς ῥίζης ὁ φλοιὸς ἐν ὕδατι ἑψηθείς. καὶ τὸ ἡλιοτρόπιον πινόμενον τὸ μικρὸν μετὰ τοῦ καρποῦ, σὺν νίτρῳ καὶ ὑσσώπῳ. καὶ κάρδαμον σὺν ὕδατι πινόμενον ἕλμινθας στρογγύλας καὶ πλατείας ἐκτινάσσει μετὰ γάρου ἢ μέλιτος, < γ' ἐκλειχόμενον, καὶ χαμαιλέοντος λευκοῦ ἡ ῥίζα ποθεῖσα ὀξυβάφου πλῆθος σὺν οἴνῳ αὐστηρῷ μετὰ ὀριγάνου ἀφεψήματος, ἕλμινθας ἐκβάλλει. ὑσσώπου καὶ καρδάμου ἡ ῥίζα τέταρτον < μετὰ μελικράτου ἐκλαμβανόμενον ἕλκει· βέλτιον μέν τι μετὰ σκαμμωνίας ἢ ἐλλεβόρου μέλανος ὀβολῶν β'. εἴ τις δὲ σκόροδα φάγῃ, καὶ λάβῃ θηλυπτερίου τὴν ῥίζαν ἐκλείχων τῷ μέλιτι, ἐξάγει ἕλμινθας πλατείας. σὺν οἴνῳ δὲ πινομένη < πλῆθος στρογγύλας ἐκβάλλει. ἢ χυλὸς κενταυρείου μετὰ κυμίνης ἐπιτιθέμενος, ἕλμινθας ἐκβάλλει. μελάνθιον ὕδατι λειωθὲν καὶ ἐπικαταπλασθὲν κατὰ ὀμφαλοῦ, ὁμοίως ποιεῖ. καὶ σικύου ἀγρίου ἡ ῥίζα ἑψημένη ὑδρομέλιτι. κἂν τούτῳ, ἐπιβαλλομένου μετὰ τὸ ἑψηθῆναι, λινοσπέρμου μέρη β', θερμίνου ἀλεύρου μέρος ἕν, καὶ πάλιν ἑψημένου, καὶ καταπλαττομένου τὰ ἄνω πάντα μέρη τούτων, καὶ πλατείας ἀναιρεῖ, καὶ στρογγύλας. καὶ ἁπλῶς σφόδρα κινδυνευόντων ὑπὸ ἑλμίνθων ἔξωθεν προσφέρεται, καὶ θαυμαστῶς.

Περὶ τῶν στρογγύλας ἀναιρούντων ἕλμινθας.

ἈΝΑΙΡΕΙ̂ δὲ καὶ ἐκβάλλει ἕλμινθας στρογγύλας, καὶ τὸ σπέρμα τῆς ἡμέρου κράμβης, καὶ μάλιστα τῆς Αἰγυπτίας πινόμενον, καὶ ἔλαιον κοινὸν πάνυ μετὰ πηγάνου ἑψηθέν, καὶ ποθὲν θερμὸν κυάθους ϛ', καὶ πλῆθος ἑλμίνθων στρογγύλων ἐκβάλλει. καὶ ἀνδράχνης ὁ χυλὸς πινόμενος. καὶ θαλασσία ἀψίνθη ἑψηθεῖσα ἢ καθ' αὑτήν,

ἢ μετὰ

ἢ μετὰ ὀρίζης, καὶ ληφθεῖσα μετὰ μέλιτος, ἀσκαρίδας στρογγύλας ἐκτινάσσει, ὑπεξάγουσα τὴν κοιλίαν. καὶ λίθον γαγάτην ἑψήσας ὕδατι δίδου πίνειν. καὶ ὕσσωπον ἑψηθὲν μετὰ σύκων καὶ ὕδατος καὶ πηγάνου ποθὲν, τὰ αὐτὰ ποιεῖ, καὶ σὺν μέλιτι ἐκλειχόμενον. καὶ χυλὸς ἡδυόσμου μετὰ ὄξους πινόμενος. καὶ καλαμίνθη πινομένη σὺν ἁλσὶ καὶ μέλιτι ἑφθή τε, καὶ ὠμὴ τετριμμένη, λίαν ἕλμινθας στρογγύλας καὶ ἀσκαρίδας ἐκβάλλει. καὶ θύμος πινόμενος μετὰ μέλιτος, καὶ τὸ κορίου σπέρμα ὀλίγον ποθὲν μετὰ γλυκέος, ἕλμινθας ἐκβάλλει, καὶ τὴν διάνοιαν ἐπιπλέον κινεῖ.

Περὶ ἀσκαρίδων.

ΚΕΔΡΟΣ σκώληκας καὶ ἀσκαρίδας κλυζομένη φθείρει. οἶνον καὶ ἄλευρον ἑψήσας σὺν μελανθίῳ κατάπλασσε. κάλλιον δὲ γίνεται εἰ κρίθινον εἰς ζέμα χαμαιμήλου ἑψήσας διακλύζεις. κτείνει δὲ καὶ σκώληκας πλατείας, καὶ ἀσκαρίδας, καὶ τὸ ῥίνισμα τοῦ ἐλέφαντος διδόμενον. πλατείας ἕλμινθας φθείρει καὶ καλαμίνθη, ξηρὰν βάλλων εἰς ξές. β'. καὶ ἕψε μέχρι συστάσεως τρίτου. τοῦτο ποιεῖ πρὸς πλατείας ἕλμινθας. καὶ ῥόδινον ἔλαιον μετὰ ἑψήματος χλιαίνον πότιζε· καὶ ἀλόην δίδου καὶ ἴνπβον μετὰ ὄξους. καὶ σκόροδα ἐσθιόμενα ποιεῖ. καὶ τὸ ἀβρότονον ζεννύμενον ἕως συστάσεως τρίτου, δίδοται πρὸς ἕλμινθας. βέλτιον δὲ καὶ εἰ ὄξος προσπλέξεις τῷ ζέματι. ἔστι καὶ ἄλλα μυρία εἰρημένα τοῖς παλαιοῖς, εἰ καλῶς προσέχεις, καὶ ἀκριβῶς ποιήσεις.

Τέλος Ἀλεξάνδρου.

ALEXAN

ALEXANDRI TRALLIANI EPISTOLA DE LVMBRICIS: EX ANTIQVISSIMO CODICE VATICANÆ BIBLIOTHECÆ, NVNC PRIMVM LATINA REDDITA.

PER literas à me Theodore amiciſſime efflagitaſti, vt puero tuo iam à ventris animalibus iugulari periclitanti medicamento aliquo ex iis quæ lumbricos necant miſſo ſuccurrere velim. Atqui non hoc ſolum vos ad me ſcribere opus erat, ſed & ægrotum ipſum conſpici, ſi febre tentetur, ſi vomitus, aut ventris fluxus adſit; nec non quo pacto fame, ſitive teneatur: ad hæc vermium ipſorum inſpectorum formam, ac (vt vniuerſim dicam) omnia enarrare conueniebat, quæ affectionem præſentem comitantur, quæque eandem præceſſerunt. Sic enim & tibi ſcripta noſtra viſa fuiſſent faciliora, nec plura ſimul congerere mihi neceſſum fuiſſet. Nunc verò cùm ſcriptis tuis nil diffinitum habeatur, non vnius tantum, ſed multorum conſideratione habita ſententiam meam exponere cogor. Itaque vobis primò ſciendum eſt: veteres tria vermium genera tradidiſſe; vnum paruum admodum, atque tenue; quod aſcaridas nuncupare conſueuerunt: alterum, rotundum; tertium, tæniarum, ſiue latiorum. Generantur autem tenuia & parua animalia circa inferiores craſſi inteſtini partes, rotunda potius in inteſtinis ſuperioribus; ita vt ipſa vſque ad ventriculum aſcendant: vnde & ſæpenumero vomitu reiiciuntur. ceterùm lati vermes interdum ad tantam magnitudinem accedunt, vt vniuerſo inteſtino coëxtendantur. Conſtat quandoque excretos eſſe, qui ſexdecim pedum longitudinem prope æquarunt. Atque hæc eſt ipſorum differentia. Gignuntur porrò ex ciborum corruptione, ac humorum crudorum putrefactione. Cùm igitur primò cognoueris qui ſint, & circa quas potiſſimum partes ſint vermes qui abundant, tum curationem ipſorum aggredere. Accidit namque vt puer nauſea mordeatur, ac torqueatur. at idem etiam à bilioſis & prauis humoribus, nec non à corruptione efficitur. Si igitur tibi non ſuſpicanti, ſed diligenter conſideranti ſimul omnia exactè apparuerint, tunc ipſe ad curationem confidenter accedito.

Signa animalium in ventre exiſtentium.

LVmbricos cognoſces, tum vigiliarum, tum cruditatum præcedentium copia, quas plurimorum atque craſſiorum eduliorum eſus; nec non aſſidua eáque poſt cibum balinea antecedunt. Fiunt verò ipſis tormina, punctiones, morſus, & quædam ad articulos torpes contractiones. ſunt etiam qui hac affectione detenti, lumbricíſque plurimum creſcentibus, pulſus paruos, obſcuros habeant; aliquibus deficientes, rurſúmque redeuntes fiunt. Alij frigefiunt, delirant, dentibus fremunt, labiáque lingua premunt. Ad hæc ab ore peſtiferum neſcio quid, & putridum efflant; inappetentia laborant, & quemcunque cibum offeras, eum ſtatim vomunt.

vomunt. Continuò vertuntur, & quaſi nullum decumbendi commodum ſitum inuenientes, in alium atque alium ſubinde locum ſeipſos diu iactant. Denique cùm in extremo ſunt, frigidis ſudoribus ac animi defectionibus ſollicitantur. Hæc ſunt eorum quos ventris animalia infeſtant, indicia; quibus nulla alia ratione auxiliaberis, nec quicquam aliud cum fructu præbebis, niſi ea quæ lumbricos necare creduntur exhibeas.

Lumbricorum cum febre curatio.

ATtenuantem viuendi rationem omnibus lumbricos habentibus conuenire, vnicuique clarum eſt: ſed quoniam etiam apud vulgares attenuantium quorumlibet non vnum diſcrimen eſt; ſed variæ ac diuerſæ differentiæ, quando eorum aliud manifeſta ac inſigni caliditate pollet; aliud moderatè, & inſenſibiliter calefacit; item rarò contingit quin febres exarcebentur; conſtat quòd vbi febris cum lumbricis vexat, non rebus magna attenuandi facultate præditis, etiam ſi animalia illa interimere & corrumpere conſueuerunt; ſed potius iis vtendum ſit, quæ vtcunque contingit moderatè calefacere, ac attenuare poſſunt; cuiuſmodi ſunt aqua in qua radix apij, & chamæmelum, & ea quæ vocantur miſchilia, ſint macerata; quorum materia potius viſciditatem, quàm attenuandi vim poſſidet, (eiuſmodi autem diuerſa ſunt) quandoquidem, quæ multum calefaciunt, vt febres augent, ſic virtutem deiiciunt: idcirco meritò febre exiſtente, ea minimè congruunt; quemadmodum amara & acria ſunt.

De ventris ſubductione.

LIquatur venter cum hydrelæo, vel cum melicrato aquoſo, vel cum chamæmelo, & melle: extrinſecus verò madefaciendum eſt viſcus vino, & oleo, in quibus abſinthij modicum ſit maceratum.

De iis qui vehementer febriunt.

SI vehemens febris adeſſe tibi videatur, tum roſaceum mel præbeto; nam & ſtomacho accommodatum eſt, & ob exiguam quandam ſibi inexiſtentem amaritudinem lumbricos interimit: præter hæc ſitim leuat, & febrem ſoluit. Eo verò deficiente, hydroroſatum propinato. Extrinſecus ceratum roſatum optimè paratum conueniet. oportet enim ceram in aqua ſæpius abluere, atque ita optimum roſaceum iniicere, atque lentè coquere; ita vt roſaceum non comburatur: (ſint autem ceræ, & roſacei pondera paria) tum poſtquam exactè mixta fuerint, parum deſiſtes, quouſque refrigeretur: cùm autem paulatim ipſum refrigeraueris, donec vnitum ſit, ex æneo vaſe omnia in mortarium coniice, ac valenter tunde, roſacei parum infundens, quouſque admodum molle & liquidum euadat. ſi igitur in hunc modum paratum ſit, febri, ſi quid aliud aduerſatur, & lumbricos per inferiorem ventrem ducit; emortuam & imbecillam appetendi vim excitat: ad alias ſimiliter feruidas affectiones, veluti eryſipelata, carbones, bellè facit: & inflammationes ano innaſcentes, & acres bilioſáſve pedum fluxiones, inueteratóſque capitis dolores, ex caliditate ortos iuuat: & (vt vno verbo dicam) nullum aliud ceratum ita multis vſibus accommodatum reperies. Ceratum etiam ex anchuſa ſi

eodem modo paretur, vbi febris ſollicitat, vtiliſſimum eſt.Panni etiam hydrelæo imbuti optimi ſunt. Efficax autem eſt oleum, ſi ſit chamæmelinum; in aquam verò quæ oleo miſcetur, melilotum, chamæmelum, & abſinthij modicum iniicere oportet, atque ita feruere: ſed lana non multum calida applicanda eſt. Quod ſi etiam ventrem laueris, remoto tamen ſi voles abſinthino, vtilitatem attuleris: neque vlla amara per inferiorem ventrem cuiquam adminiſtrabis; quoniam animalia ex aduerſo potius ad ſuperiores partes in hiſce recurrunt: & idcirco niſi febris multum prohibeat, mel iniiciendum eſt,nempe quod ſimul, & lumbricos, & quæcunque craſſa & viſcida ipſos nutrire apta ſunt,deorſum trahat. His autem omnibus peractis, ſi febris,& ſitis magnitudo adhuc perſeueret, vtere etiam reliquo victu qui refrigerare & humectare queat. Vehementia namque febris, birioſi ſucci mixtionem in corpore indicat. Quamobrem his ptiſſanam cum aliquo quod refrigerare & humectare,atque attenuare valeat, offerre neceſſum eſt. Nec te admiratio capiat, ſi refrigerantium vſum commendem; quoniam ſemper ei quod magis vrget, obſiſtendum eſt; ſtudendúmque ſemper vt corporis bona temperies inducatur; nimirum qua præſente, tutius de cætero attenuantibus vti licet; veluti ſi parum aceti, apiive radicis inter coquendum inieceris, ſic optimus ac vtiliſſimus eius ſuccus euadet. Verùm enimuerò ſi nihil prædictorum inſit, nil aliud efficietur, quàm lumbricorum nutrimentum. Ex oleribus intybum, & lactucas marullas vulgò dictas, oxycrato aquoſo intinctas comedat. Quod ſi ægrotus vexetur, ſitíque exerceatur, peponis interiora offer: abſterſoria enim facultate non caret:quin & mora exhibeas;quippe quæ non modò aluum ducant, verùm etiam aliquo pacto animalia eius interimant. Omnia atque ad ſatietatem concedito: quandoquidem ſæpe obſeruatum eſt ea ob alimenti inopiam ita inteſtina laceraſſe, vt per cutim ipſam egredi viſa ſint. Ad hæc propter febrem ſaxatiles quoque piſces, qui in coctura acetum præhabuerint, dabis; ſimiliter & palumbos. Atque tot dicta ſint de iis qui à lumbricis & febre ſimul tentantur.

De iis quos ſine febre lumbrici vexant.

SI æger febre careat, neque rhodomel, neque peponem promptè concedas; ſed tam potus, quàm cibus omnis attenuatorij ſint; veluti apium, & porrum, vel caucalis, vel herba biſacutum vocata. Interdum etiam allia, amygdalæ amaræ, atque ſimilia. Melanthium, cyminum aceto conditum, nec non maſtiche, vel capparis. Conuenit his & decoctum abrotoni, comæ abſinthij, maioranæ, dictamni. Cyphi item ſacrificiorum vocatum. Præter hæc theriaca non ſolum ad exiſtentes lumbricos interimendos valet, verùm etiam eorum generationem inhibet, ſi quis ſemel vel bis in menſe eam bibendam præbeat.& ego ſæpius eam magnam cum ſtomachi ſubuerſione lumbricorum copiam habentibus felici ſucceſſu exhibui: facit multum & lapis gagates.Bellè quoque faciunt, ſi quæ alia, granatorum grana data intus, exteriúſque applicata. Multum valet & fel taurinum, medullæ ceruinæ, quemadmodum & cedriæ commixtum. Pariter iuuat oleum lupinorum cum medulla ceruina vmbilico inunctum, ſicut & Galeni ceratum. Atque de his ſatis mihi dictum videtur. Nam de ipſis ſufficienter dictum eſt, quibus auxiliis aduerſus animalia in corpore exuberantia vti oporteat, ſi febris adſit. Quædam tamen particularia libenter monebo, neque

multis libris exponam; ſed ea tantum, quæ & ab optimis medicinæ auctoribus, & à me ſumma experientia comprobata inueni. Primum igitur eorum mentionem faciam, à quibus lati lumbrici occiduntur, cum ab iis minus quàm ab aliis periculum impendeat.

De iis quæ latos lumbricos necant.

NAſturtium potu ſumptum latos lumbricos deorſum trahit; ſimiliter & coſtus, ac oleum ricininum bibita. Nuces quoque regiæ magna copia deuoratæ, lata ventris animalia iugulant, atque expellunt, ſicut & mali perſicæ cortex, myrti folia, malique punici flores. Ad hæc herbam lumbricariam (*ſiue corallinam*) tritam bibendam dabis. Mori radicis cortex aqua coctus, deinde potatus; nec non heliotropium paruum cum ſemine, nitro, ac hyſſopo bibitum. Naſturtium præterea, tum rotundos, tum latos lumbricos extrahit, ſi cum gari, vel mellis drachmis i i j. lambatur. Chamæleonis albi radix oxybaphi pondere in vino auſtero cum origani decocto pota lumbricos eiicit: quod ſimiliter facit hyſſopi & naſturtij radix quatuor drachmarum pondere cum melicrato exceptæ; ſed melius cum ſcammonij, ſiue ellebori nigri obolis duobus. Si verò quis allia edat, ac filiculæ fœminæ ſumat radicem cum melle terens, latos lumbricos educit. & eadem radix drachmæ pondere bibita rotundos pellit. Centaurij ſuccus cum cymino impoſitus, lumbricos eiicit. Melanthium aqua maceratum, & emplaſtri forma vmbilico appoſitum, idem facit: idem cucumeris ſilueſtris radix cum hydromelle elixata: cui ſi etiam poſt elixationem iniecerimus ſeminis lini partes duas, lupinorum farinæ vnam, ac deinceps iterum coquatur, & ſuperioribus omnibus partibus emplaſtri forma adhibeatur, tam latos quàm rotundos lumbricos necat. quin imò iis omnibus indifferenter, qui à quibuſuis ventris animalculis magno periculo ſollicitantur, extrinſecus adhibetur, ac mirificè auxiliatur.

De iis quæ rotundos lumbricos occidunt.

INterimit atque pellit lumbricos rotundos, braſſicæ domeſticæ, ac præſertim Ægyptiæ ſemen potu acceptum; oleum commune vetuſtum cum ruta coctum, calidumque potum drachmarum ſex pondere, rotundos lumbricos expellit. Portulacæ ſuccus potatus, ac abſinthium marinum elixatum, vel ſolum, vel cum oriza & melle acceptum, aſcaridas & rotunda animalia ventrem ſoluens educit. Lapidem Gagatem aqua coctum bibendum præbeas. idem operatur hyſſopum cum ficubus, aqua, & ruta potu ſumptum, atque etiam cum melle lambendo acceptum. ſuccus menthæ cum aceto bibitus; calamentum cum ſale & melle bibitum, tam coctum, quàm crudum; ac valde tritum, lumbricos rotundos & aſcaridas eiicit. Thymum cum melle potu acceptum, necnon coriandri ſemen modicum cum paſſo bibitum, lumbricos educit, mentémque plurimum agitat.

De aſcaridibus.

CEdrus vermes atque aſcaridas clyſteri infuſa occidit. Vinum & farinam cum melanthio ſimul coquens, emplaſtri forma adhibe, melius autem fit, ſi hor-

deaceam farinam in chamæmeli decocto incoquens clyſterem pares. Occidit vermes quoſlibet aſcaridáſque etiam eboris raſura data. vermes omnes perdit & calamentum; aridum ſextariis aquæ duobus iniicito, tum coquito vſque ad tertiæ partis conſiſtentiam: hoc auxiliatur aduerſus quoſuis lumbricos. Oleum roſaceum cum defruto tepefaciens, potandum præbeto. Dato quoque aloën, ac intybum cum aceto. Allia manducata proſunt, abrotonum ebullitum vſque ad tertiæ partis conſiſtentiam, aduerſus ventris animalia datur, melius autem euadit, ſi acetum decoctioni admiſceatur. Sunt mille alia à veteribus memoriæ tradita, ſi rectè adhibeas, ac exactè componas.

***

Alexandri Epiſtolæ finis.

INDEX

INDEX RERVM IN HOC DE PVER. MORB. TRACTATV MAGIS MEMORABILIVM.

A

ACetum neruis obeſt. 76

Actionum corporis quænam prius, & quæ poſterius in macie offendantur 30. actiones naturales beneficio natiui caloris fiunt ib. actionũ cerebri animalium tria genera 79. actio cerebri motrix tribus modis vitiatur ibid. actio animalis dupliciter læditur 80. actiones naturales læſæ partis læſionem præſupponunt. ibid.

Adoleſcẽtes ebrij cur magis meiãt quã ſenes. 134

Adſtringentia aluum. 38

Ægyptus plena medicis 2. Ægyptij puerorum Medicis caruere. ibid.

Aër vel ſubſtantialiter corrumpitur, vel vitio aquarum, halituum terræ, & cadauerum. 9

Aër calidus maciei obeſt. 39

Æs conſtringit & glutinat. 25

Ætatum varia diuiſio 1.2. ætas puerilis 14. annorum termino finitur 2. ætas puerilis neruos maximè infirmos habet. 76

Æthiopes natura ſunt graciles. 29.32

Affectus idem præter naturam morbus eſſe poteſt & ſymptoma 29. affectus à cauſſis externis producti faciliùs curantur 135. affectus animi lac nutricum corrumpunt. 36

Albertus Magnus falſi crimine notatus. 5

Alexandri Petronij de variolarum origine opinio refutatur. 12.13

Alimentum à natura ſecundũ temperaturæ dignitatẽ animalib. traditur 13. alimentũ putre non poteſt fœtui in vtero eſſe familiare. ibid.

Altimari oſcitantia. 116

Alui fluxus in variolis pernicioſus eſt 32. alui ſolutio maciei inimica eſt 37. aluum in pueris quæ cauſſæ aſtringũt 144. alui magis hieme quàm æſtate adſtringũtur ib. aluum fluidam habẽtes morbis acutis nõ corripiũtur 145. aluus fluida in iuuene, adſtricta in ſene melior eſt ib. alui adſtrictæ ſigna ib. alui adſtrictionis curatio 145.146. alui fluxus à quibus cauſſis excitetur in pueris 147. alui fluxus abſque febre ſi intra ſeptimũ diẽ finiatur ſalutaris eſt ib. alui puerorũ fluxus curatio 148.149. alui adſtrictio ſpaſmũ in pueris excitare ſolet. 12

Allium appenſum collo puerorum effaſcinationes arcet. 39

Alyſſi ad finiendum ſingultum efficacia. 131

Amara cur maximè noceant infantibus. 23

Anima pueri nihil differt ab anima belluæ 79. animi affectus balbutiem inducũt 100. animi vitium corrumpit ſpiritus. 33

Animalia lati pectoris ad vomitum propẽſiora ſunt 132. animal tactu animal eſt 28. animalia cuncta excepto homine perfectis oſſibus in lucem prodeunt 94. animalia cornigera carent altero ordine dentium. 59

Apollonius corpora emaciata ſale impinguabat. 31

Apoplexiæ & epilepſiæ diſcrimen 80. 81. apoplexia non tentantur pueri, & quæ ſit ratio 91.92.93. apoplexia maximè fit à 40. anno, vſque ad ſexageſimum 92. apoplexia potiſſimùm fit hieme ibid. apoplexiæ & epilepſiæ materia ſecundũ magis & minus differt. ib.

Ἀφωνίας καὶ ἀναυδίας diſcrimen. 96

Aphtharum definitio 119. aphtharum in pueris cauſſæ 119. 120. aphthis potiſſimùm infantes ſollicitantur, & quæ ſit ratio 120. aphtharum differentiæ & ſigna. ibid. aphthas benignas à malignis diſcernendi modus 121. aphtharum curatio, 121.122

Appetitus in impinguatione neceſſarius eſt, & quo pacto ſit excitandus. 39.40

Aquæ lacuſtres melancholiam gignunt 31. aquæ frigidæ vſus pinguefacit 41. aquæ mineralis potus vrinæ difficultatem parit 137. aqua maximè nocet auribus. 116

Aquilonis flatus aluos adſtringit. 144

Ariſtotelis locus, vbi pro ἴονθος, ἄρθος legitur, correctus 5. Ariſtoteles errat 29. Ariſtotelis locus explicatus 89. Ariſtoteles in deſcribẽdo

torpore torpeſcit 94. Ariſtotelis ſententia reiecta 133. Ariſt. hominem primo ſeptenario perfici ſtatuit 2. de labiorum vſibus nimis ieiunè locutus eſt 58. epilepſiam & ſomnum eodem modo fieri aſſerit. 82
Aromata caput tentant 55. mulieribus nocent ibid. aromata coctionem adiuuant. 40
Arabum circa cibos in variolis accommodatos ſententia 23. Arabes in ſecanda vena audaciſſimi. 24
Aſcarides iumētis familiares ſunt 163. aſcarides cur ſiluerit Hipp. ib. aſcarides cur in iumētis potius fiant quàm in hominibus. 163. 164. aſcaridum in pueris ſigna 160. aſcarides cur cæteris lumbricis minùs praui ſint 169. 170. aſcaridum curatio 176. 177. aſcarides cur vehementioribus egeant remediis quàm vllum aliud lumbricorum genus. ibid.
Auctoris libri definitionum medicarum deprauatus textus corrigitur. 43
AuenZoar filio ſuo trium annorum ſanguinem minuit 24. Auenzoar reprehenditur. 21
Auenzoar de cauſſis variolarum & morbillorum ſententia. 78
Auerroës fallitur. 18
Auicennæ & Arabum de variolis & morbillis opinio 7. Auicennas Raſi conciliatus 19. Auicennæ locus explicatus 21. Auicennæ ſententia exploditur. 25
Auicennæ erratum. 39
Aurium in variolis dolorem curandi ratio 22. aurium dolor vnde oriatur in pueris, & qua ratione curari debeat 114. 115. aurium dolor in pueris à vermibus excitari poteſt 114. auriū excrementa amara ſunt ib. auriū dolor periculoſus eſt 114. 115. aurium doloris cauſſæ quibus ſignis inueſtigandæ ſint. 115

B

BAlbutiei tres ſpecies 96. 97. balbuties à quibus oriatur cauſſis 99. 100. Balbuties naturalis à ſola humiditate oritur 100. balbi fiunt melancholici. 99
Balbutiei ſigna. 101
Balbuties interdum ætatis progreſſu curatur. ib.
Balbi cur alui profluuio tenentur 101. 102. balbi cur melancholici ſint, & melancholicis morbis infeſtentur. ibid.
Balbi cur bonis ſint moribus. ibid.
Balbutiei curatio 103. &c. balbutiei vocis exercitatio prodeſt. 104
Balneum ſiccis conuulſionibus accommodatum 91. balnea in ſicca totius corporis intemperie accommodata. ibid.
Barbarorum infantes cur celeriùs ſua membra exerceant quàm nobilium. 94
Baſiliſci in interimēdis animalibus celeritas. 33
Bilis in corpore humano vſus. 143
Blæſi quinam dicantur. 97
Boues cur hieme emacientur, oues verò minimè. 58. 59
Bruta omnia ſanguinea menſtruas purgationes habent 10. bruta variolis non tentantur ib. bruta cur nunquam ferè vomāt 132. cur non eructent 133. cur veſicæ calculo rariſſimè laborent 138. 139. cur cibis ſiccis potiùs quàm humidis vtantur. 164
Butyrum à caſeo qua ratione ſeparetur 8. butyrum ad inungenda corpora loco olei in vſu fuit apud veteres. 38

C

CAlculus veſicæ homini peculiaris eſt 138. calculus veſicæ cur pueros frequentiſſimè infeſtet, puellas verò minimè 139. calculi veſicæ duplex generatio ibid. calculus veſicæ à quibus cauſsis producatur 140. calculi veſicæ ſigna, & curatio 140. &c. calculo veſicæ remedia calida & tenuium partium proſunt, quæque ſit ratio. 141
Calida capiti affuſa κεφαλαλγίαν tollit. 112
Canis rabidi venenum latere poteſt in corpore ad multos annos. 9
Canthárides in pueris fugiendæ ſunt. 56
Capitis aucta magnitudo quando morboſa ſit appellanda. 42
Capitis auctæ magnitudinis quæ ſint cauſſæ, & quot ſpecies. ibid.
Caput attractoriam vim habet potentiſſimam 44. Caput ventri ſuperpoſitum eſt tanquam cucurbitula quædam. ibid.
Capita augeſcentia ſana ſunt ibid. capitis tumor flatuoſus quo pacto gignatur 45. rarius in fœtu contingit quàm hydrocephalos, & quæ ſit ratio ibid. capitis ſudor cur exiguus ſit in infantibus. ibid.
Capitis inflatio cui alui fluxus ſuccedit, ferè irremediabilis eſt. 46

Capitis

Capitis inflationis curatio diætetica. 46.47
Capitis flatuoſi tumoris tum in infantibus, tum in adultioribus curatio. 47
Capitis aquoſi tumoris in adultioribus curatio. ibid.
Capitis aqua ab internis partibus ad externas propulſa quando curari poſſit, & quando non 48. *capitis aquæ in externis partib. conſiſtentis curatio* ib. *capitis aqua copioſa extra craneum exiſtens qua ratione curanda ſit, & quæ in eius curatione obſeruanda* ibid. *capitis aquæ intra cutem & muſculos temporales conſiſtentis curatio* 49. *capitis tumoris ab ichoribus humorum excitati cura.* ibid.
Cardanus allucinatur. 102
Carnes in macie conſumuntur 28. *carnium in corpore noſtro vſus* 28. 29. *carnium tria genera* 28. *carnium quænam prius in macie, quæ poſterius conſumantur* 28.29. *caro conſumi poteſt actione tactus illæſa* 29. *carne cōſumpta, vel diminuta calor natiuus offenditur, & quæ ſit ratio.* 30
Capræ pingueſcunt cicutis. 41
Caſeus recens pinguefacit. 40
Celſus à Græcis diſcrepat 62. *Celſus falsò flatuoſam herniam curari non poſſe aſſerit.* ibid.
Cerebri intemperies maximè epilepſiam gignit 83. *cerebrum vel per eſſentiam læditur, vel per conſenſum* 80. *cerebrum radix eſt omnium morborum.* 42
Χάλαζα morbus ſuillus. 5
Cibi propria natura maciem inducentes 32. *cibi nutricibus conuenientes in lactentium macie* 37. *ciborum pinguium vſu qua ratione aliàs pinguefiant corpora, aliàs verò macreſiant* 40. *cibis frigidis qui pinguefiant* 41. *cibos partibus emaciatis affigendi ratio* 40. *cibi laxantes variolis obſunt* 23. *cibi in variolis accommodati* ibid. *cibus corruptus in ventriculo inſomnia terrifica parit.* 106
Cicatrices pilos non admittunt, & quæ ſit ratio. 16
Confectio nutricis lacti vim flatus diſcuſſoriam largiens 47. *confectio extenuatis corporibus accommodata.* 40
Conuulſionis & motus voluntarij diſcrimen 80. *conuulſio ſolius morbi opus eſt* 81. *cōuulſio duplex eſt* ib. *conuulſio ex elleboro lethalis eſt.* 90
Corallus ruber ventriculum corroborat. 105
Cornarius fallitur 53. *Cornarij erratum.* 43
Corpora collum breue habentia cur ſtrumis facilè tententur 52. *corpora frigida quiete, calida motu macreſiunt* 32. *corpora longo tempore extenuata, longo tempore refici debent.* 35
Coryza effectus eſt deſtillationis 111. *coryza cur veterum tempeſtate non ita innotuerit.* ibid.
Criſis æquè bona atque mala dicitur. 21
Cucurbitulæ pueris apponendæ non ſunt ante exactum ætatis annum 76. *cucurbitulæ pueris adhiberi poſſunt tribus conditionibus obſeruatis* ibid. *cucurbitularum forma in febribus puerorum conueniens* 78. *cucurbitulis os ſtructum habentibus quando vtendum ſit* ibid. *cucurbitulæ lati oris quando vſurpandæ.* ibid.
Cura Græcis μελεδώνη *dicta, & quæ ſit ratio nominis.* 32
Cutis infantium rara eſt 45. *cutis dupliciter accipitur* 7. *cutis quæ ratione poſſit eſſe morbi ſubiectum* ibid. *cutis eſt veluti cloaca totius corporis.* ibid.

D

DEambulationes tardæ pinguefaciunt. 39
Decoctum ligni materiam euacuat in ambitu corporis exiſtentem. 173
Demoſthenes balbutiem vocis exercitatione ſuperauit. 104
Dentitio quid ſit, & quo pacto fiat 124. 125. *dentes oſſa ſunt ſentientia* 125. *dentes igne cremari nequeunt* ibid. *dentes quo pacto ab oſſibus differant.* ibid.
Dentes cur à frigore magis lædantur quàm caro. 126
Dentium vſus. ibid.
Dentes cur neruis mollibus à natura donati ſint. ibid.
Dentes cur brutis in materno vtero naſcantur, homini verò minimè. ibid.
Dentes cur ſoli inter oſſa ad finem vſque vitæ augeantur. 127
Dentes quam ob cauſſam decidant, ac denuo renaſcantur ibid. *dentes quibus ante debitum tempus oriantur.* ibid.
Dentes tot ſunt mulieribus, quot viris. ibid.

Dentium ordo. 127.128
Dentitio cur tot cruciatus in infantibus pariat. 128
Dentitionis morboſæ ſigna & curatio. ibid.
Dentitio cur alui fluxum in pueris excitare ſoleat. 147
Depilationes in morbis perpetuæ qua ratione oriantur. 16
Deſtillatio quid ſit, & quas habeat ſpecies 111. *deſtillatio in pueris rarò raucedines parit, & quæ ſit ratio* ib. *deſtillationum in pueris cauſſæ & ſigna* ibid. *deſtillationum curatio* 112. *deſtillatio mater eſt omnium ægritudinum.* ib.
Digitorum breuitas paruitatem iechoris indicat ex Auic. & Raſis ſententia. 17
Dolor magnus ſenſum requirit egregium 150. *dolor in homine clamorem, metus verò ſilentium excitat, & quæ ſit ratio.* 151
Dulcia variolis nocent 23. *dulcia cur facilè corrumpantur* 159. *dulcium vſus lumbricos parit.* ibid.
Dyſenteriæ puerorum curatio. 148.149

E

E*Brietas aſſidua maximè locutionem impedit* 101. *ebrij cur balbutiant.* 98
Effaſcinatio in infantibus quo pacto contingit 33. *effaſcinatio tribus modis fieri poteſt.* ibid. *effaſcinationes arcendi modus.* 39
Elephãtiaſi laborãtibus labia craſſiſſima sũt. 59
Empedoclis de oſſibus opinio. 18
Emplaſtra variolis non conueniunt. 26
Ἐμφύσημα κεφαλῆς 42. ἐμφυσήματος *materia quæ ſit.* 45
Epilepſia cur pueros frequentiſſimè interimat 79. *epileptici cur lunatici dicantur* 80. *epilepſia quid ſit* ibid. *quo pacto ab aliis conuulſionum generibus differat* 80. 81. *epilepſia ſymptoma eſt in genere motus deprauati* 80. *epilepſia cum motu eſt euidenti* 81. *epilepſiæ tria tempora* ibid. *epilepſia qua ratione motus præter voluntatem dicatur* ib. *epilepſiæ per conſenſum immediata cauſſa* 82. *epilepſiæ cauſſarum ſeries* 82. 83. *epilepſia interdũ fit per cõſenſum ab aliqua parte interna affecta* 83. *epilepſia quaſi per hæreditatẽ acquiritur, & quæ ſit ratio* ib. *epilepſiæ ſigna* ib. *epilepſiæ ſignum futuram acceſſionem demonſtrans* ib. *epilepſia cur extitialis ſit in pueris* 84. *epilepſia ſemel curata in pueris, ſi aliquã partem deprauatam reliquerit, non amplius reuertitur* ibid. *epilepſiæ duplex generatio* ib. *epilepſia congenita ſponte ætatis mutatione curatur, & quæ ſit ratio* ib. *epilepſiæ quæ poſt ætatis mutationem contingit cur difficillima ſit curatio* 85. *epilepſia pueris frigidas plagas inhabitantibus familiaris eſt* ibid. *epilepſiæ diætetica curatio* 85.86. *epilepſia eſt veluti quidam ſomnus* 85. *epilepſiæ per eſſentiam difficilis eſt curatio* 86. *epilepſiæ curatio pharmaceutica* 86.87. *epilepticis poſteriorum capitis vſtio confert* 86. *epilepſiæ vehementia conueniunt remedia* 87. *epilepſia interdum diu latere conſueuit, & tandem reuerti.* ibid.
Eryſipelas morbus eſt & ſymptoma. 30
Ἐξανθήματα, *ſeu* ἐκθύματα *Latini effloreſcentias, ac tubercula transferunt, & quæ ſit ratio nominis* 4. *exanthemata qua ratione oriantur* ibid. ἐξάνθημα *Ariſtoteli vitiligo dicitur* ib. *exanthematum nomen multis commune eſt* 11. *exanthematum duo genera* 12. *exanthematis alti & lati diſcrimen* ibid. *exanthemata fiunt abundantibus ichoribus.* 14
Ἐξόμφαλον *quo pacto ab vmbilici tumore inflammatorio differat* 61. ἐξομφάλου *quot ſint ſpecies, & quæ generatio* ib. ἐξομφάλου *ſpecierum ſigna primò ex Celſi, deinde Arabum & Græcorum ſententia.* 62
Excrementa latis lumbricis laborantium cur ſeminibus cucurbitæ ſimilia appareant. 166

F

F*Acultas animalis oculis diſtribuitur per ſpiritus.* 33
Facies cur maiorem patiatur humorum putredinem quàm aliæ partes 18. *facies cur naturalem facultatem habeat imbecillem.* ibid.
Fæces ſpumoſæ capitis affectionem indicant. 147
Febrium ſynocharum ortus ab ichorum ſanguinis ebullitione, vel putredine dependet 14. *febris peſtiferæ ſignum* 21. *febrium reditus quæ ſit ratio ex Galeno* 54. *febris puerorum vel dentitionem ſequitur, vel ſponte oritur* 75. *febris puerilis omnium eſt generum* ib. *febrium quæ maximè pueros infeſtet* ibid. *febris ſynochos in quibus potiſſimum fiat corporibus, & cur pueros maximè inuadat* ibid. *febres quartanæ extra vigeſimum quintum, & quæ*

& quadrageſimumquintum annum admodum breues eſſe ſolent ibid. febres in pueris quibus de cauſſis excitentur 75. 76. febres puerorum cur ferè ſemper ſalutares ſint 76. febris maximè lædit actiones naturales ibid. febris puerorum curatio 76.77. febris incendium qua ratione in pueris mitigari poſſit 77. febris puerorum præcipuam iecoris & ventriculi curam poſtulat ibid. febris ſynochos cum putredine qua ratione oriatur ibid. febri ſynocho cum putredine quæ in pueris conueniant remedia 78. 79. febris ſynochi putridæ præſtantiſſimum remedium eſt ſanguinis euacuatio 78. febris praua & magna ſpaſmum inducit, hectica verò minimè, & quæ ſit ratio. 89

Fernelij de morbillorum & variolarum origine ſententia refellitur 11. Fernelius ſibi ipſi contradicit ibid. falsò ἐξανθήματα καὶ ἐκθύματα diuerſa eſſe ſtatuit.ibid. Fernelius fallitur ib. non rectè Hipp. auctoritatem in ſuum vſum detorquet ibid. Fernelij erratum. 139

Fœtus in vtero nutritur ſanguine puriſſimo 7. 8. fœtum ali ſanguine menſtruo qua ratione dixerit Galenus 7. fœtus cur contracta labe non etiam in vtero ægrotet 8. fœtus interdum impuro ſanguine nutritur in vtero ob inopiam 13. fœtus cum ſanguine puro nonnihil etiam impuri attrahit 8. fœtum natura tribus modis ab excrementorum illuuie vindicat 10. fœtus ſi vitioſo lacte veſcatur, exitiales morbos ſubit 13. fœtum putri alimento non nutriri in vtero oſtenditur. ibid. fœtus in lucem editus reddit copioſius excrementum quàm pro magnitudine ipſius conueniat 10. fœtus recens editi ſi vlceribus capitis agitentur, immunes euadunt ab epilepſia ibid. fœtus interdum variolis inquinati ab vtero prodeunt 11. fœtus in vtero per venas vmbilicales nutritur 43. fœtus extra vterum ſæpè geſtat eſculenta matris, & quæ ſit ratio. 45

Flatus in inflatione cerebri quo loco colligantur. ibid.

Fricatio pedum & corporis qua ratione variolis proſit. 23

Frigus trib. de cauſſis locutionem impedit 100. frigidum inimicum eſt oſſibus & dentibus 125. frigus externum alui fæces indurat. 144

Fructus pinguefacientes. 40

Fuchſij de variolarum & morbillorum origine ſententia refellitur 12. Fuchſij & Arabum diſcordia ibid. Fuchſij duplex erratum ibid. Fuchſius Arabas non intellexit. ibid.

G

Galeni locus explicatus 8. Galeni de macie contradictio ſublata 29. Galeni locus animaduerſus 24. Galenus epilepſiam ſingultui comparat 80. Galenus ſibi ipſi conciliatur 144. Galenus Auicennæ conciliatus 158. Galenus Hippocrati conciliatus. 160

Gallinæ antiquæ ius aluum adſtringit. 149

Gaza in vertendo Ariſtotele fallitur. 50

Gaza Ariſtotelis locum peſſimè transfert. 28

Glandularum linguæ vſus 116. glandes nutriuntur ſanguine pituitoſo & frigido 51. glandulæ ſedes ſunt excrementorum. ibid.

Gracilitas corporis ſiccum temperamentum arguit. 31

Granatorum acidorum ſuccus à putredine conſeruat. 122

Gulielmus Placentinus fallitur. 44

H

Halitu effaſcinari corpora quo pacto contingat. 33

Hernia flatuoſa medicinam admittit contra Celſi ſententiam 62. herniæ cancroſæ non ſine maximo periculo tractantur. 63

Hiemi ſiccæ ver ſuccedens humidum febres in pueris excitat, & quæ ſit ratio. 75

Hipp. Gal. & Celſi de ſtrumarum materia ſententiæ conciliatæ 51. Hipp. & Gal. contradictio ſublata. 40

Homo imperfectis oſſibus in lucem prodit, & quæ ſit ratio 43. homo omnium animalium calidiſſimus eſt. 164

Humores in plenilunio augentur 54. humiditas copioſa relaxat membra 45. humiditatũ per nares & palatum excretio naturalis eſt 114. humiditatum ex auribus fluentium retentio pernicioſa eſt 116. humor in corpore dominans ex ſuperficiei colore cognoſcitur. 35

Hydrocephalos quid ſit in infantibus, & quæ ratio nominis 42. hydrocephali materia ſemper aquoſa eſt 43. hydrocephali materia quibus in locis colligatur ibid. hydrocephalos infantibus

familiaris eſt ibid. hydrocephalea intra craneum perniencioſiſſima eſt 49. hydrocephali materia quibus de cauſſis in capite potius quàm in aliis partibus colligatur 44. hydrocephali definitio ibid. hydrocephalos quo pacto intra craneum oriatur 45. hydrocephali curatio ſecundum Græcos & Arabes 47. &c. eiuſdem ſecundum Celſum curatio 49. hydrocephalos quomodo ab alui fluxu vindicandus ſit. ibid.

I

IEcoris & manuum pedumque ſympathia. 17
Ignis nullum animal generare poteſt. 155
Imperforati quo pacto ſuperuiuere poſſint 66. imperforationis curatio. 67
Incubus anteſignanus eſt apoplexiæ. 107
Inedia caput replet. 85
Infans in vtero per vmbilicum nutritur 39. infantes cur caput magnum habeant 41. infans cur maxima ex parte dormiat 105. infans inſomniorum memoriam non conſeruat 106. infantes facilè à quouis importuno remedio offenduntur. 47
Interpretum Galeni error. 56
Intertrigo quid ſit in pueris, & à quibus oriatur cauſſis 70. intertriginis ſigna & curatio. 71
Inteſtinorum vſus 142. inteſtina cur homini flexuoſa natura creauerit 143. inteſtinorũ functiones dupliciter vitiantur ib. inteſtina cùm ſenſu ſint obtuſo, cur eximios cruciatus ſentiant 150. inteſtinorum tormina à quibus oriantur cauſſis 151. inteſtinorum dolores à vermibus exitiales ſunt 152. inteſtinorum doloris curatio. ibid.
Ira humores ad corporis ſuperficiẽ propellit 23. ira variolarum curationi opitulatur ibid. ira corpori frigido confert 39. ira balbutiẽ parit 104. Ἰσχνοφωνία ab imbecillitate muſculorum laryngis oritur ob caloris diminutionem 100. ἰσχνοφωνίας à calore diminuto ortæ ſigna 101. ἰσχνότητος καὶ ἀτροφίας diſcrimen. 29
Iumenta caſtrata non tentantur ſtrumis. 52

L

LAbiorum ſciſſura quas potiſſimum lædat actiones in pueris 58. labiorum vſus in homine & brutis ex Ariſtotelis ſententia ib. labia quibus de cauſſis findantur 59. labiorũ ſciſſuræ cur pueris familiares ſint. ib. labium inferius cur metuentibus, ac iratis tremat ibid. labia cur frequentius à frigido quàm à calido aëre exulcerentur ib. labiorum ſciſſura quando exitialis euadat ibid. labiorum vlcera in febribus ſalutaria ſunt ibid. labiorum exulceratorum curatio ib. labiorũ exulceratorum dolori quo pacto occurrendum ſit. ibid.
Lactentes pueri medicatione nutricum curantur 21. 85. lac eſt ſangis optimè concoctus 34. lac ſanguinis qualitates in ſe recipit ib. lactis vitioſi ſigna 35. lactis tenuitas & craſſities duobus ſignis cognoſcitur ibid. lac nutricis pharmacum capientis expurgat infantem 37. lactuca ſanguinem feruidum & tenuem corrigit. ibid.
Laganorum vſus lac copioſum in nutricibus gignit. 37
Lentium ius laxat aluum 23. lentium facultates ex Galeni ſententia 24. lentes in aceto coctæ variolis proſunt. ibid.
Leproſi fiunt qui variolis numquam tentantur 5. lepræ ſeminaria in corpore per plures annos latent. 9
Leonicenus non rectè inter ψελλότητα καὶ τραυλότητα nullam eſſe differentiam aſſerit. 97
Lienis & ceterorum corporis membrorum ἀντιπάθεια 31. liene laborantibus cicatrices vlcerum turpiſſimæ fiunt. 16
Linguæ innaturalis cum ſubiectis partibus colligatio loquelam impedit 99. lingua tunicam habet communem cum ventriculo 102. lingua puerorum cur incontinens ſit. ibid.
Loca caua citiùs à grauibus replentur corporibus quàm à leuibus. 82
Locutio tribus modis in homine vitiari poteſt 96. locutio quo pacto in grauiſſimis cerebri intemperiebus lædatur. 97
Locutionis inſtrumenta. ibid.
Locutio vitiatur vel ob facultatis imaginatricis, vel ob inſtrumentorũ ſuorum læſionem. ib.
Locutio emitti poteſt ſalua voce, non contra 98. locutionis ob nimiam freni colligantiam vitiatæ curatio. 103
Loquendi impotentia morboſa non eſt in infantibus ante debitum tempus. 96
Lumbrici qua ratione maciem inducant 30. lumbricus morbus eſt in numero 154. lumbricorum cauſſa effectrix 155. lumbricos in-

febribus

febribus generari quo pacto dixerit Herodotus ibid. lumbrici cur in lactentibus non gignantur. ibid.
Lumbricorum cauſſa formalis & finalis. 156
Lumbrici qua ratione finẽ habere dicantur. ib.
Lumbricorum mundi maior eſt vtilitas quàm lumbrrcorum hominis ibid. lumbricorum cauſſa materialis 158. lumbrici ex quibus potiſſimùm cibis gignantur ibid. lumbrici cur pueros potiſſimùm infeſtent 159. vnde varios colores acquirant. ibid.
Lumbricorum cauſſæ. 160
Lumbrici veri in inteſtinis dumtaxat gignuntur, & quæ ſit ratio. 162
Lumbrici cur in autumno potiſſimùm gignantur. ibid.
Lumbrici in famelicis corporibus acerbiores euadunt 163. lumbrici cur tempore peſtis quamplurimi conſpiciantur ibid. lumbricorum quoad figuram tria genera. ibid.
Lumbrici rotundi duas habent conditiones 165. lumbricus latus cur rariſſimè fiat in homine 166. lumbricorum tres differentiæ ibid. lumbricorum differentiæ à coloribus deſumptæ 167. lumbricorum ſigna in tres claſſes diuiduntur ib. lumbrici quas in homine actiones lædant ibid. lumbrici qua ratione appetitum caninum excitent ibid. lumbrici rotundi quibus ſignis innoteſcant 168. lumbricorum latorum ſigna ibid. lumbrici quomodo à ſimilibus paſſionibus diſcernendi ſint 169. lumbricorum ſigna prognoſtica ibid. lumbrici lati qua ratione ceteris ſint deteriores ibidem. lumbricos vtrum melius ſit viuos exire, an mortuos 171. lumbricorum curatio diætetica, & præſeruatoria 172. lumbrici prius quàm è corpore expellantur, interimendi ſunt, vel ſtupefaciendi 172. 173. lumbricorum curationis ſcopus præcipuus 173. lumbricorum vniuerſalis curatio, & quæ circa ipſam obſeruanda ſint 173. 174. lumbricorum rotundorum curatio 174. 175. lumbricorum latorum curatio 176. lumbrici lati cur vehementioribus indigeant medicamentis quàm rotundi. ibid.

M

Maciei definitio 27. macies quas corporis partes priùs, & quas poſteriùs cõſumat ib. macies naturalis non facilè emendatur. 29
Macies duplex eſt. ibid.
Macies vtrum morbus ſit, an ſymptoma. 29
Maciei cauſſæ duûm ſunt generum. 30
Macies primò actiones naturales lædit, & quæ ſit ratio. ibid.
Maciei cauſſa immediata & interna duplex eſt. ibid.
Maciei internarum cauſſarum ſeries. 30. 31
Macies antiqua iecoris aliquem affectum præſupponit. 51
Macies natiua temperamenti ſiccitatem requirit. ibid.
Maciei cauſſæ externæ. 32
Maciei cauſſæ quibus ſignis inueſtigãdæ ſint. 34
Maciei propter alimenti defectum ſigna. ibid.
Maciei ob prauam lactis qualitatem ortæ ſigna. ibid.
Maciei ob virium reſolutionem ſigna. 35
Macies in febribus ſubitanea cur exitialis ſit. ib.
Macies ſubitanea non ſemper lethalis eſt. ibid.
Macies quæ melior ſit obeſitate, & quæ peior ib. macies aduentitia cur in pueris quàm in aliis quibuſuis deterior ſit ibid. maciei propter lactis vitium in pueris curatio. 36. 37
Manardi error. 6
Manus & pedes cur potiſſimum infeſtentur à variolis. 17
Matres non rectè figmentis & fabellis filios terrent. 85
Medicamenta vehementia nutricum lac ſua qualite inficiunt 37. medicamenta lac & ſanguinem attenuantia ibid. medicamenta repellentia in parotidibus fugienda ſunt 56. medicamenta purgantia febricitantibus pueris adhibere periculoſum eſt. 76
Medulla ſpinalis cur cerebro à natura ſuppoſita fuerit. 83
Melancholia quo pacto balbutiem pariat 99. melancholici celeriter imaginantur 102. membra quæque ratione ſimilitudinis iuuant ſimilia membra 136. membranarum generatio. 51
Mictio in pueris dupliciter vitiatur 134. Mictio partim actio naturæ, partim animæ. 135
Μογιλαλία quibus ſignis cognoſcatur. 101
Montani error 155. Montanus grauiter allucinatur. 164

Morbillorum deſcriptio 4.*morbillorum & variolarum diſcrimen* 5.6. *morbillorum materia ſubtilior eſt quàm variolarum* 17. *morbilli nunquam in vlcera deſinunt.* 6

Morbi definitio ibid.morbus vt effectus ſuas habet cauſſas, vt cauſſa ſuos effectus 7. *morborum qui ab aëre oriuntur conditiones* 11. *morbi noui fiunt à victus mutatione* 14.*morbi hereditarij qui ſint* 15. *& quomodo fiant ibid. morbi hereditarij ſtatim curandi ſunt* 14.*morborum puerilium diuiſio* 3.*morbi plerique noui tandem deſinunt* 18. *morbi acuti characteres* 20. *morbi in vtero contracti interdum latent per plures annos* 44. *morbus qui in medulla fit, exitialis eſt* 89. *morbus ægrotantis complexioni diſſimilis,periculoſus eſt* 90. *morbi attoniti à melancholia fiunt* 92. *morbi omnes à Chriſto curati difficillimi fuere* 94. *morbus idem ſub pluribus generibus contineri poteſt.* 140

Mulieres menſtruatæ infantes viſu corrumpunt 33. *mulieres cur facilè iniuriis exponantur* 34.*mulierum in curandis variolis error* 22. *mulieres maximè lumbricis infeſtantur* 3.*& quæ ſit ratio* 160.*mulierum in abluendis ſæpe balborum capitibus error.* 140

Muſculi obediunt voluntati 80. *muſculorum vſus.* ibid.

Mutitas ſoli homini conuenit 98. *mutitas quid ſit,& quo pacto gignatur ibid.mutitatis natiuæ propter ſurditatem ſigna ibid. mutitas ſurditati coniuncta incurabilis eſt* 101. *mutitas ab humiditate orta interdum ſponte naturæ ſoluitur.* ibid.

N

NAtura perfectè mouente nihil agere debet Medicus 25. *natura ſemper à fine ſuo fruſtrari nequit* 10.*natura non intendit morbos.* 96

Nerui non mouent partes,ſed muſculi 80.*nerui quid ad mouendas partes præſtent ibid. nerui à cerebro oriuntur ibid. nerui in conuulſione vel replentur,vel exſiccantur* 88.*nerui duabus de cauſſis contrahuntur.* ibid.

Nicolai Florentini erratum. 25

Nuces pinguefaciunt 40. *nucum eſus puerorum loquelam vitiat.* 101

Nutricum optimarum notæ duplices ſunt. 36

Nutrices optimas ex habitu corporis cognoſcendi ratio ibid.nutricum ſtomachus in puerorum macie vomitu tutiùs quàm medicamentis expurgatur 37. *nutricibus puerorum febricitantium à vino abſtinendum eſt* 76. *nutrices perperam infantibus frequenter mammas præbent* 120. *nutrimenti abſumptio maciem inducit* 30. *nutrimenti accommodati carentia triplex eſt.* ibid.

O

OBeſitas æqualiter perſeuerans melior eſt immodica macie,& quæ ſit ratio. 36

Oculi mirificè iniuriis externis reſiſtunt 17.*oculi non rigent, nec gelu tentantur ibid. oculi cur magis in variolis infeſtentur quàm in morbillis ibid.oculos in variolis præſeruandi ratio* 22.*oculi cur in copioſiſſima capitis humiditate claudi nequeant.* 46

Olea cur variolis inimica ſint 26. *olei vſus externus eryſipelati nocet ibid. oleum infecta necat.* 174

Opiata frequentius ore ſumpta ingenia puerorum obſunt. 109

Oribaſij & Montani de lumbricorum materia error. 157

Oſſa ſemel è corpore extracta nunquam renaſcuntur. 127

Oues epilepſia tentantur. 82

P

PAnis repletio cur omnium ſit deterrima. 13

Papulæ ab Aëtio relatæ à morbillis differunt. 6

Paralyſis à torpore ſecundum magis & minus differt 92.*paralyſis cur ex toto partis motum impediat,torpor non item* 93. *Paralyſeos & torporis cauſſa continens* 94. *paralyſeos & torporis diſcrimen* 93. *paralyſeos & torporis cauſſæ,& ſigna* 94.*paralyſis vetuſta aut incurabilis eſt in pueris,aut curatu difficilis ib. paralyſi & torpori ſi febris ſuperueniat,aut tremor,optimum eſt ibid. paralyſeos & torporis curatio* 94. 95. *maioribus indiget auxiliis quàm torpor.* 95

Parentum imprecationes cur formidandæ ſint filiis 33. *parentum ira cur filiorum corpora & animos corrumpat.* 34

Paulus Ægineta fallitur. 112
Pecora ſaginantur ſale. 31
Πεπυρωμένοι. 66
Peritonæũ quibus potiſſimùm de cauſis rumpi in pueris, aut relaxari ſoleat. 61
Peritoneum diſciſſum in corpore duriore non coaleſcit. 63
Pernio quid ſit, & cur pueros potiſſimùm infeſtet 72. cur manus & pedes potius inuadat quàm alias corporis partes ib. pernionum cauſſæ & ſigna. 72. 73. pernionum curatio 73. 74. perniones à ſummo calore curantur. 73
Petri Aponenſis error ibid. Petrus Aponenſis allucinatur. 162
Phantaſmatũ multitudo balbutiem parit. 99
Phrenitis quo pacto balbutiem gignat. ibid.
Pinguedo concreſcit à frigore 28. pinguedinis in animalis corpore vſus ibid. pinguefactionis modus & ratio. 36
Piſces in mari nõ nutriuntur aqua ſalſa. 31
Pituita puerorum aërea eſt & flatulenta 93. pituita duplex eſt. ibid.
Plantæ non nutriuntur rebus ſalſis. 31
Plinius fallitur 132. *Plinius non rectè Dioſcoridem damnat.* 136
Podagra cur dolores acerbiſſimos pariat. 113
Procidentia ani cur pueri potiſſimùm tententur 67. procidentiæ ani cauſſæ 68. & curatio. 69
Pueri cur ſtatim ab ortu variis morbis obnoxij fiant 3. pueri cur recèns nati plorẽt ib. pueri cur variolis & morbillis magis obnoxij ſint quàm puellæ 19. pueri plurimo indigent alimento 23. pueri colloſtrati 31. pueri cur facilè quaſuis iniurias ſubeant 34. puerorum effaſcinatorũ ſigna 35. puerorum corporis habitus difflabilis eſt ibid. pueris effaſcinatis quæ conueniant remedia 38. 39. pueri maximè calidi ſunt & humidi 75. pueri cur vitiligini obnoxij nõ ſint ibi. pueri quibus de cauſis febre quartana tententur ibid. puerorũ facultas naturalis admodum robuſta eſt 76. pueris ex febre quodnam impendeat periculũ ibid. pueris lactentibus vinum ſummopere obeſt ibid. pueri ætatis inter ſeptimum & decimumquartum annum febre ſynocho putrida laborantis curatio 78. puero febre ſynocho putrida laboranti victus tenuis conuenit ibid. pueris ante decimũquartum annũ cur ſecanda non ſit vena ibid. pueris loco ſectionis venæ vel hirudines, vel cucurbitulæ applicari poſſunt ib. pueri cur epilepſiæ maximè obnoxij ſint naturalis ſententia 82. pueri εὔτροφοι maximè conuulſionibus tentantur 83. pueri venas habent anguſtas 84. pueri facultatem motricem & neruos imbecilles habent ibid. pueri cur præ timore conuellantur 89. pueris antiquitus nomina ante octauũ diem non imponebantur; & quæ fuerit ratio ibid. pueri ſub conuulſione vt plurimũ pereunt ante octauũ ætatis diem 89. 90. pueri humiditate abundant aërea & tenui 90. puerorum complexio ſpaſmo ſicco ſecundũ aptitudinem diſſimilis non eſt ibid. pueri cur neruos habeant infirmos, bruta verò minimè 94. puerorum nonnulli aluum adſtrictam habentes qua ratione ſani viuãt 145. pueri cur magis quàm viri balbutiant 100. pueri quo pacto ad aſſumptionem medicamentorum per os cogendi ſint. 174
Puluis piguefaciens Auicennæ. 41
Puſtulas curandi ratio chirurgica 24. &c.

R

Ranas cur veteres guſtare noluerint 13.
Ranuncula qualis ſit in pueris affectus, & quæ ratio nominis 122. 123. *ranunculæ puerorum cauſſæ & ſigna* 123. *ranunculæ curatio.* ibid.
Raucedo quomodo fiat. 20
Refrigerantia impensè fugienda ſunt in pinguefaciendis pueris, & quæ ſit ratio. 41
Remedia iecur & ventriculum corroborãtia adſtrictionem habere debent 77. *remediis relaxantibus in ventriculi affectu ſemper addendum eſt aliquid conſtringentis* 38. *remediorum effaſcinationes à pueris arcentium ſeries* 39. *remedia naribus & auribus infuſa facilè virtutem ſuam cerebro communicant.* 48
Rigor fit à ſuccis acribus. 14
Ruellij erratum. 122

Salita

S

Salita appetitum excitant 39. ſalitis qua ratione pinguefiant corpora. ibid.
Sanguine puro exiſtente vrinæ puræ ſunt 11. ſanguis cur citiſſimè circa oſſa putreſcat 18. ſanguinis in variolis mittendi tẽpus, locus, quantitas, atque modus 24. ſanguis ſalſus extenuat corpus & maciem inducit 31. ſanguis à cruribus miſſus ſpiritus valdè non exhaurit 76. ſanguis brutorum terreſtrior eſt quàm hominis. 126
Sarcocolla proprietate occulta pinguefacit. 41
Satyriſmi ſignificata. 142
Scroti tumorẽ cur frequenter incurrant pueri 65. ſcroti tumoris ſex ſpecies ibid. ſcroti tumoris quis locus affectus, & quæ ſint cauſſæ ibid. ſcroti tumor in curatione cum hernia vmbilica conuenit ibid. ſcroti tumor facilis eſt curatu in pueris ibid. ſcroti tumoris per teſtium ablationem curatio perniciofa eſt. ibid.
Seminariæ partes vitæ ſunt fundamentum; in macie non conſumuntur 28. ſemen cannabinum pinguefacit 41. ſemen ab vniuerſo corpore ſuccedit 83. ſeminis magna pars à cerebro deriuat. ibid.
Senes cur vigilantiſſimi ſint 106. ſenſuum inſtrumenta à cerebro oriuntur. 80
Sermo motus & operatio eſt facultatis imaginatricis 96. ſermo grauis & tardus moderatum animum arguit. 101
Signa præſentis morbi ab effectibus ipſius, futuri verò à cauſſis ſumũtur 20. ſigna futuram in adultioribus epilepſiæ acceſſionem demonſtrantia 83. ſingultus duos affectus deſignat 129. ſingultu cur facillimè infeſtentur pueri ibid. ſingultus quid ſit ibid. ſingultus cauſſæ & ſigna 131. ſingultus ex inanitione cur exitialis ſit in pueris ibid. ſingultus à frigida intemperie orti curatio ibid. ſingultus vitio lactis facti curatio ib. ſingultus ex euacuatione curatio. ibid.
Σειρίασις morbus puerilis eſt, & quæ ſit ratio nominis 109. ſiriaſis cur tẽpore æſtatis potiſſimũ oriatur ibid. ſiriaſis cauſſæ, ac ſigna 109. 110. ſiriaſis cur foueam pariat in ſyncipite 109. ſiriaſis curatio. 110
Somnus longior maciei confert 39. ſomno cohibentur euacuationes 23. ſomnus humectat 47. ſomnus infantium immenſus minimè morboſus eſt 106. ſomni vſus ibid. ſomni terrifici quo pacto oriantur in infantibus ibid. ſomni infantium terrifici futurã epilepſiæ acceſſionem demonſtrant 107. ſomnis infantium terrificis occurrendi ratio ibid. ſomnum conciliantia. 108
Σωφρονιστῆρες ὀδόντες. 127
Spaſmus ab imbecillitate partium neruoſarum oritur 88. ſpaſmus epilepſiæ ſimilis eſt 87. ſpaſmi & epilepſiæ diſcrimẽ 88. ſpaſmi differentiæ tres ibid. ſpaſmus ſymptoma eſt in genere motus deprauati ibid. ſpaſmus vel à repletione fit, vel ab inanitione ibid. ſpaſmus vel eſſentialiter, vel per cõſenſum fit ibid. ſpaſmi internæ cauſſæ ibid. ſpaſmus febres prauas & magnas comitatur 89. ſpaſmi externæ cauſſæ ibid. ſpaſmus in pleniluniis potiſſimùm pueros inuadit ibid. ſpaſmi differentiarũ ſigna ibid. ſpaſmus à dorſo incipiens exitialis eſt in pueris, & quæ ſit ratio ibid. ſpaſmus, qui ex ſiccitate fit conſummata, incurabilis eſt 90. ſpaſmus in pueris facilior eſt curatu quàm in viris ibid. ſpaſmi ex repletione curatio ibid. ſpaſmi à ſiccitate orti curatio. 91
Sphincteris muſculi vſus. 68
Spiritus triplici modo coinquinantur. 33
Spuma & ſtridor in epilepſia quo pacto fiant. 83. 84
Stercora humana cur maximè fœteant 159
Strigæ veteribus quæ dictæ ſint, & ratio nominis 32. 33. ſtrigæ cur pueros potiſſimùm & mulieres offendant. 34
Struma morbus puerilis eſt, & cur ſcrophula dicatur 50. ſtruma ſuibus familiaris eſt ib. ſtrumæ à glandulis induratis differunt ib. ſtrumarũ materia diuerſa eſt à materia ſanguinis & carnis ib. ſtrumæ potiſſimùm in collo oriũtur ibid. ſtrumæ quas actiones lædant 51. ſtrumarũ locus affectus quis ſit ib. ſtrumæ numquam à flatu fiunt ib. ſtrumæ cur interdũ folliculum habeant, interdũ non ib. ſtrumarum cauſſæ antecedentes 52. ſtrumarũ generationi quæ corpora ſint aptiora ib. ſtrumis plerũque non tentantur eunuchi ib. ſtrumarum cauſſæ externæ ib.

ſtrumæ

ſtrumæ cur pueros & ſues maximè infeſtent. ib.ſtrumarũ differentiæ ib.ſtrumæ glãdulis induratis loco & materia ſimiles ſunt.ibid. ſtrumæ quãdo fiant ex glãdulis 53.ſtrumas à glandulis diſtinguendi modus empiricus ib.ſtrumæ iuuenũ cur lethaliores ſint quàm puerorum ibid.ſtrumarum quæ faciliùs, & quæ difficiliùs curẽtur ib. ſtrumis colli malè curatis quomodo vocẽ amitti contingat ib. ſtrumæ poſt curationem iterum atque iterũ reuertuntur ibid. ſtrumarum materiæ viſciditas & contumacia 54. ſtrumarum curationis neceſsitas ibid. ſtrumarum curatio in quo conſiſtat ibid.ſtrumarum curationis ſcopi ibid. ſtrumarum curatio diætetica ib. ſtrumis ira moderata confert,& quæ ſit ratio ibid.ſtrumis aromata nocent 55. ſtrumis pauperum pueri magis tentãtur quàm diuitum, & quæ ſit ratio ibid. ſtrumarum curationis radix eſt corporis purgatio ibid. ſtrumarum curatio pharmaceutica 55.56. 57.ſtrumis cur vomitus noceat 55. ſtrumis ea debetur curatio, quæ ſcirrho & aliis tumoribus induratis conuenit 56. ſtrumis laboranti viperam comedere prodeſt 57.ſtrumarum materiam diſſoluentia remedia trium ſunt generum ibid. ſtrumæ magnæ cur neque ferro, neque vllo graui medicamento tractandæ ſint ibid. ſtrumæ tutiùs cauſticis medicamentis quàm ſectione curantur. 58

Sudoris prouocatio febri puerorũ confert. 77

Suum morbi varis ſimiles 5.ſuum morbi exitiales 50.ſues cur vomant. 133

Surditas natiua cur mutos efficiat homines. 89

Symptomata prima quæ dicantur Galeno, & quæ ſecunda. 19.20

T

TAbidis à cibo bibere confert. 40 Tartari variolis facilè tentantur, & quæ ſit ratio. 19

Temperatura humana omniũ nobiliſsima eſt 13.temperatura frigida & humida lumbricorũ generationi obnoxia eſt 160.temperaturæ conſeruantur à ſimilibus. 164

Teneſmus in pueris ex præcedente alui fluxu oritur 149.Teneſmus ſemper dolorem coniunctum habet ib.Teneſmi cauſſa,& ſignæ 149.150.Teneſmi curatio. 150

Teſticulorum & mammillarum caro glanduloſa eſt. 28

Theodorus reprehenditur. 5

Timor perpetuus melancholiæ comes 99. timor duplex eſt 104. timor balbutiem auget,trepidatio minuit ibid. timentes balbutiunt ibid. timentibus cur ſponte fluant feces,ſemen & vrina. ibid.

Tonſillarum locus, affectus 116. tonſillarum in pueris cauſſæ 117.tonſillæ cur in pueris potius oriantur quàm infantibus ibid.tonſillæ terminari ſolent in alias graues ægritudines 118.tonſillarum curatio. 118.119

Torpori aqua gelida quo pacto conferat. 95

Trepidantibus incaleſcit pectus & facies 104.

Trepidatio quid ſit. ibid.

Tubercula inter pueriles morbos relata ab Hippocrate 4. tuberculorum perforatio in variolis quo tempore,& quo modo ſit adminiſtranda. 25

Tumorum capitis cauſſæ antecedentes & externæ 45. tumoris infantium capitis flatuoſi ſigna 46. tumoris humoroſi ſigna ib. tumor ex aqua intra craneum factus lethalis eſt. ibid.

Tyranni duo quibus potiſsimum trahuntur pueri voluptas & dolor. 76

V

VAriolas & morbillos ignorarunt veteres 13.vari potiſsimum in facie naſcuntur 4.15.& quæ ſit ratio 16. variolis vnumquemque hominẽ aliquando tentari neceſſe eſt 5.variolas perpetuò aut antecedit,aut comitatur febris ibid. variolarum febris impetuoſa eſt ibid.variolæ ferè ſemper in ichorem purulentũ finiuntur ib. variolæ proprietate quadam oculos petunt ibid.variolarum locus affectus qua ratione cutis ſit 7.variolarum materia calida eſt & viſcida ib.variolæ & morbilli æquè fiunt quibuſlibet temporibus 11. variolarum accidentia à materiæ prauitate oriũtur ibid.variolæ peſtis nomine ab Arabibus deſignantur 14. variolarum & morbillorum cauſſa materialis & effectrix ibid. variolarum materia exiens craſsior eſt

eſt quàm morbilli.ib.variolæ vitio cæli primũ ortæ ſunt 15. variolæ quibus de cauſis interdum lethales ſint,interdum ſalutares ib.variolis quinam faciliùs tententur 15. 19.variolæ quibus de cauſſis cõtagioſæ ſint 17.variolæ quibus de cauſſis genas, labia, & præputium maximè deforment 18.variolæ faciei celerrimè ſuppurantur 19.variolæ quam ob cauſſam colore inter ſe diſſideant ibid. variolarum cauſſæ internæ ib.variolarum cauſſæ externæ ibid.variolæ morbi ſunt acuti 21.variolarum ſigna ib. variolas & morbillos cur ferè ſemper delirium comitetur & fæcum retẽtio 20.variolæ duplici de cauſſa iugulant ægros 21. variolæ cur interdum videantur declinare,nec verè declinẽt ibid.variolæ etiã verè declinantes qua ratione interdum ægros perimãt ibid.variolarum & morbillorum curatio penè eadem eſt ibid. variolarum curatio 21. 22. &c. variolarum albedo quid indicet 25. variolæ qua ratione citò exſiccari poſſint. 26

Varronis locus explicatus. 39

Vaſorum quibus vtero fœtus alligatur,in homine & brutis differentia. 60

Venarum meſeraicarum ob ſiccitatem coarctatio maciem inducit. 12

Venus immodica maciem infert corpori. 32

Venus immodica caluitiem inducit. 83

Venus immoderata cerebrum, neruos, & locutionem lædit. 100

Ventriculus non conuellitur. 88

Vetularum corpora impura ſunt 33. vetulæ teneros infantes coinquinant. ibid.

Vigiliæ exſiccant mirificè 46. vigiliæ puerorum immodicæ vnde oritur 108. quibus ſignis cognoſcatur ibid.vigiliæ puerorum immodicæ curatio. ibid.

Vinum in macie puerorum accommodatum quale eſſe debeat 39. vinum craſſum nutrimenti vehiculum eſſe nequit ib. vinum pueris & nutricibus interdicitur 85. vinum neruos vehementer percellit.ibid.vini nigri & generoſi potus ſpaſmum in pueris parit 89. vires ſæpe ſimul nutriuntur & morbus. 78

Vitia facultatis ratiocinatricis quo tempore fieri incipiãt 79.vitia motricis cerebri facultatis trium ſunt generum. ibid.

Vita animalium in calido & humido conſiſtit. 155

Vitiligo ſine tuberculo macula eſt. 4

Vlcera capitis ſponte nata à deſtillationibus pueros vindicant 112.vlcerum & cicatricum à variolis relictarũ curatio 27. vlcera in partibus ſiccis facilè ſaneſcũt 49.vlcera capitis parum doloris inducunt, & quæ ſit ratio. 18

Vmbilici tumor duplex eſt 60. vmbilici tumoris inflammatorij generatio 61.vmbilici tumore cur facilè corripiantur infantes ibid.vmbilici tumor inflammatorius triplex in ſe morbi genus complectitur 62. vmbilici tumor inflammatorius ab vmbilico prociduo triplici differentia ſeiungitur 61. vmbilici tumor quo pacto fiat ibid. vmbilici tumorum qui faciles & qui difficiliores ſint curatu 62. vmbilici puerorũ tumoris inflammatorij curatio 63. vmbilici tumor reliquis remediis non conferentibus vel incidendus eſt, vel vrendus. 64

Vomitus venarum quid ſit Hippocrati 44. vomitu maximè repletur caput 55.vomitus in affectibus aurium & oculorum vitandus eſt ibid. vomitus cur pueris familiaris ſit 132. vomitus & nauſeæ puerorum cauſſæ & ſigna 133. vomitus puerorum curatio. ibid.

Voracitas ad ſtrumarum generationem maximè confert. 52

Vox à motrice & voluntaria fit facultate.84

Vrinæ incontinẽtia quo pacto in pueris oriatur 135. vrinæ incontinentiæ in pueris cauſſæ & ſigna ibid. vrinæ incontinentiæ curatio 136. vrinæ difficultas duplex eſt 137. vrinæ difficultatis cauſſæ & ſigna ibid.vrinæ difficultatis curatio. 138

Vrſarum pedes & manus cur eſu ſint iucundiſſimi. 17

Vteri calor cibos incoctos attrahit. 45

Vulnera quibus in partibus difficulter coaleſcant 18.vulnera inflicta à ferro cur difficiliùs curentur quàm ab ære. 25

FINIS.

DE MORBIS VENENOSIS ET VENENIS TRACTATVS,

Ex voce excellentiſſimi Hieronymi Mercurialis Foroliuienſis in Gymnaſio Patauino primo loco Medicinam practicam profitentis:

Per Albertum Scheligium Vvarſchauienſem diligenter & fideliter exceptus, & in duos Libros digeſtus.

LIBER PRIMVS.

Proœmium, & morbi venenoſi definitio.

CAPVT PRIMVM.

QVONIAM, vt veterum auctoritate, & quotidiana experientia compertum eſt, venena omnia cor ipſum (quod viſcus veluti fons quidam ac principium vitæ in nobis exiſtit) petere in primis ſolent: & illud præ ceteris corporis noſtri partibus maximè impugnare, decreui, quod iampridem fueram pollicitus, de venenoſis morbis, atque etiam de venenis ipſis in præſentia pertractare, eo ſanè magis quòd pauciſſimi reperiuntur auctores, qui hanc materiam vſque adeo arduam, & humano generi apprimè ſalutarem, & ſcitu neceſſariam tractauerint. Vnus quidem Nicander antiquiſſimus omniũ, quos habemus videtur eſſe: poſt hunc Dioſcorides. ſcripſerunt quoque & Galenus & Eraſiſtratus, ſed licet horum libri citentur, quemadmodũ Dioſcorides in capite de Baſiliſco citat Eraſiſtratum, tamen commentaria hæc non habemus, & præſertim Galeni de venenis, quæ ſcribit Raſes ſe vidiſſe; quæ ſi à nobis non deſiderarentur, ampliorem fortaſſe dicendi campum circa tractationem morborum venenoſorum haberemus. verùm vt pauci omnino hac in materia reperiuntur auctores: pari pacto pauca habemus nomina horum morborum. Græci quidem appellarunt modò δηλητηρίους, modò corruptiuos, modò letales; nos venenoſos communi nomine appellare conſueuimus. Fuerunt recentiorum nonnulli, qui appellare voluerunt morbos à tota ſubſtantia, ſeu à forma. ſed de his poſt dicemus. Si cui placebit, vocari etiam poterunt vocabulo Latino pernicioſi. Defi-

nitur autem morbus perniciofus hunc in modum : morbus venenoſus eſt diſpoſitio præter naturam cordis, offendens immediatè & vehementer actiones ob vim veneficam. Ceterùm ſat non eſt definitionem ita ſpecialiter tradidiſſe, ſed operæpretium exiſtimo, vt viuam quandam & exactam huius definitionis anatomen faciamus. & vt primùm auſpicemur à diſpoſitione, ſciendum actiones corporis noſtri produci ab vna anima, ita vt nulla ſit in eo actio, ſiue naturalis, ſiue vitalis, ſiue animalis, quæ non à facultate animæ, ſeu ab ipſa anima efficiatur. quod autem hæc diuerſas & varias actiones producat, id totum proficiſcitur à varietate inſtrumentorum, ita vt dicatur & viſionem, & tactum, & nutritionem facere propter diuerſitatem inſtrumentorum, quibus vtitur. Cùm igitur varientur actiones ob ipſa inſtrumenta, neceſſario fit, vt pro tali & tali actione, talis, atque talis inſtrumentorum requiratur diſpoſitio, quæ dicitur à Medicis, & à Philoſophis interdùm eſſe auctor ipſarum actionum, quamquam, vt dixi, ſit inſtrumentum ipſius animæ. Si igitur huiuſmodi diſpoſitio bona ſit, bonas actiones facit, vel in cauſa eſt, vt anima bonas actiones faciat. ſi autem mala ſit, in cauſſa eſt, vt actiones malæ ab anima fiant. ita vt ſemper dicendum ſit, actiones omnes ab anima fieri, quod voluit docere Galenus in lib. de trem. & rig. c. 5. vbi dicebat non eſſe opus muſculi, mouere, ſed animæ. Bona diſpoſitio eſt ſanitas; mala verò morbus. & hæc eſt res facta, terminus alternationis: & eſt accidens, atque in prima ſpecie qualitatis, vt dicebat Ariſt. iure igitur dictum eſt, morbum eſſe diſpoſitionem præternaturalem, ſeu malam diſpoſitionem. Dicitur, cordis, quoniam quemadmodum nuperrimè dicebam, proprium & principale ſubiectum huius morbi eſt cor ipſum. Et quamquam ſæpe vſu veniat, vt cauſſa venefica lædat aliquam aliam partem, nihilominus haud verus character huius morbi eſt perfectus, niſi prius cor ipſum affectum ſit hac diſpoſitione, & conſequenter ipſam læſionem toti corpori, aut maiori eius parti communicet. Dicitur, lædens immediatè, quia proprium eſt omnis morbi, vt immediatè lædat actiones. ſic enim definiuit eos Galenus 2. Method. 4. & lib. de diff. morb. actiones læſas immediatè ſemper ſequi morbum. ſic etiam ratio ipſa poſtulat, quia ſi illa diſpoſitio, quæ ſanitas dicitur, eſt immediata cauſſa bonarum actionum; neceſſarium eſt vt morbus qui eſt contrarius ſanitati, ſit immediata cauſſa ipſarum læſarum actionum. nec obſtat quod Galenus interdum dixerit, præſertim 3. de ſympt. cauſſis cap. 1. actiones lædi ad erroribus externis, & non à morbo, quia illæ læſiones, de quibus ibi loquitur Galenus, non ſunt veræ læſiones actionum, vt ipſemet etiam lib. 1. de locis affect. cap. 5. copiosè dicebat, adeò vt hoc ſit veriſſimum, morbum immediatè lædere actiones, & actiones læſas immediatè ſequi morbũ. alioquin niſi hoc conuerteretur, praua eſſet eius allata definitio. Dicitur, vehementer, eo quòd omnis læſio facta à veneno vehemens ſemper eſt. Nec obiiciat aliquis, quòd ſæpe videantur morbi venenoſi latenter & blandè ſerpere, ac offendere, quia quanto magis occulta, & placida videtur venenoſorum morborum actio, tanto deteriores ſunt effectus qui ſequuntur, adeò vt ex ipſis effectibus perſpiciatur certiſſimè, actionem eorum vehementem eſſe, licèt ſenſibus noſtris & mitis & blanda videatur. Dicitur poſtremò, ob vim veneficam, vt ſeparentur hi morbi à febribus vehementiſſimis & ardentibus, quæ lædunt cor vehementer immediatè, ſed cùm in ipſis deſideretur huiuſmodi vis venefica, ſequitur etiam vt nullo modo mereantur huiuſmodi febres appellari morbi venenoſi.

Morbus

Morbus venenoſus ſub quo genere morbi contineatur.

C A P V T I.

CVm itaque morbus venenoſus ſit citra omnem controuerſiam morbus, vidẽdũ eſt in quo genere reponere eum debeamus. Fernelius & Argẽterius ingenioſiſſimi; & grauiſſimi Medici exiſtimarunt non poſſe illum ſub vllo eorũ morborum genere comprehendi, qui à Medicis proponuntur; & ideo exiſtimarunt aliud genus eſſe inueniendum, ad quod referantur venenoſi, & appellarunt hoc genus morbos totius ſubſtantiæ: modò etiam formæ: modò materiæ. nec ſolùm hac ſententia contenti fuerunt, verùm etiam damnarunt veteres, & præſertim Galenum, quaſi non exactè propoſuerit omnia morborum genera. Ceterùm quia ſententia hæc refutata eſt à recentioribus Medicis, locus hic non poſtulat, vt hac de re ſolliciti ſimus: illud autem ſtatuendum erit, auctores noſtros Medicinæ, neque ſuperuacaneos, neque diminutos fuiſſe in tradendis illis receptiſſimis tribus morborum generibus, nimirum, mala complexione, mala compoſitione, & vnitatis ſolutione. Vt autem hoc intelligatur, recurrendum eſt ad veram rerum inueniendarũ normam, ſcilicet ad ipſius rei naturam. Natura morborum venenoſorum (vt docui in definitione) tota poſita eſt in hoc, vt ſit diſpoſitio lædens actiones. quare quot erunt in rerum natura diſpoſitiones à quibus lædantur actiones, totidem morborum genera eſſe neceſſarium erit. Diſpoſitiones verò quoniam ſunt affectus permanentes corporum compoſitorum, operæpretium eſt videre, quot ſint compoſitiones, circa quas fieri poſſint morbi. Ariſt. quidem 2. de part. animal. cap. 1. ſcriptum reliquit, tres eas eſſe in corpore noſtro. Prima eſt, quæ fit ex qualitatibus primis, ſcilicet elementorum. Secunda, quæ fit ex ipſis elementis; & eſt compoſitio partium ſimilarium. Tertia, eſt compoſitio ex partibus ſimilaribus, ſcilicet partium inſtrumentalium. Prima, eſt ſola ratione contemplabilis in corpore. Secunda, vt putà carnis, nerui, & oſſis, ab ipſis ſenſibus intelligitur. Tertia quoque, vt manus, pedis, & ſimilium inſtrumentorum, ſenſibus & ipſa ſubiecta eſt. Si liceret aliquid addere dogmatibus Ariſtot. poſſemus dicere, eſſe quoque quartam compoſitionem totius corporis ex pluribus inſtrumentis. Sed ſicuti hæc poſtrema ab Ariſt. & aliis non eſt recepta; à nobis itidem omittenda eſt. ita quoq; prima cùm non ſit ita ſenſibus ſubiecta, à Medicis omittitur. Supereſt igitur ſecunda ſaltem, & tertia; ſecundum quas non eſt dubium fieri duas diſpoſitiones à quibus actiones oriuntur. Vna eſt ſimilarium, quæ quotieſcunque integra, & ſana permanet, actiones ſimilares vocatas edit, pari pacto ſi hæc vitietur, actiones quoque vitioſæ redduntur. vnde oritur genus morbi, quod à Medicis ſimilare dicitur, eo quòd actiones ſimilarium partium offendat. Eſt & alia compoſitio inſtrumentaria, quæ & ipſa diſpoſitionem iunctam habet in corporibus noſtris, & hæc quouſque ſana & integra eſt, actiones inſtrumẽtales ſanas reddit: vbi verò aliquo pacto violatur, efficit actiones morboſas. Vnde conſequenter genus morborum inſtrumentariorum exoritur. Fiunt autem & actiones quædã miſtæ, ſcilicet ex actionibus inſtrumentariis & ſimilaribus, quæ vbi offenduntur, neceſſe eſt, vt lædantur à miſta diſpoſitione, quæ facta ſit ex partibus inſtrumentariis, & ſimilaribus. quo quidem in caſu tertium oritur genus morborum, quod miſtum eſt ex ſimilari, & inſtrumẽtario, & ſolutio continui nuncupata eſt. Cùm itaque plures actiones his in cor-

pore noſtro minimè reperiantur,& conſequenter non inueniantur aliæ diſpoſitio nes permanentes,neceſſariò ſequitur,nullum aliud genus, præter hæc tria morbo rum genera excogitari poſſe.Eſſe autem morbos venenoſos reponendos vel in ge. nere inſtrumentariorum,vel in ſolutione continui,multum abeſt à ratione,& ſenſu,eo quia etſi à venenis interdũ fiãt vlcera;interdum vitietur figura, magnitudo, ſitus, aut numerus: verùm tamen hoc non eſt perpetuum in omnibus venenoſis morbis, ſed potius per accidens eſt, & propterea quærendum eſt aliud quidpiam quod perpetuò ſit in ipſis; eſt autem illud, vt offendant cor ipſum, & diſſoluant temperamentum & harmoniam ipſius. Quare cùm hoc pertineat ad partem ſimilarem ipſius cordis, neceſſarium eſt fateri, hos morbos eſſe ſimilares, & conſequenter reduci debere ad genus malæ temperiei: quandoquidem temperies ipſius cordis deſtruitur omnino à vi venefica. Ceterùm dubitabit fortaſſe quiſpiam, cùm varia & diuerſa ſint intemperamenta; quæ morboſa cùm ſint, lædunt actiones corporis, quænam ſint propter quæ morbi venenoſi agunt, vtrum ſit frigidum, an calidum, aut ſiccum, vel quippiam aliud. hîc locus eſſet diſcurrendi & diſputandi, quid ſit temperamentum, & vtrum vnum, vel plura; vtrùm vna qualitas faciat temperamentum. Sed quia longum eſſet, has quæſtiones tractare, ſat erit ſi hoc reſolutum habebitur, verum, & vltimum temperamentum, quod interdum à Galeno nomine totius ſubſtantiæ appellari ſolet, nihil aliud eſſe niſi quandam diſpoſitionem permanentem,acquiſitam ex certa proportione omnium qualitatum primarum & ſecundarum; quæ ſicuti interdum ſolet agere vna, vel duabus qualitatibus manifeſtis, ita quoque ſolet huiuſmodi temperamentum vitiari vna, vel pluribus huiuſmodi qualitatibus. ita vt ſtatuendum ſit, lædi in morbis venenoſis temperamentum cordis, interdum læſa caliditate, interdum humiditate, aut ſiccitate, interdum læſis pluribus. Et ſi quidpiam eſt,quod frequentiſſimè in iis læditur, ſanè calor eſt & humor cordis; vnde dicebat Auicennas capite de venenis, & de viribus cordis, cor à venenis congelari & exſiccari, ita vt (ſi verum eſt,quod credidit antiquitas) cor eorum qui venenum ſumpſerunt cremari non poſſit, vt relatum eſt de Germanico à Suetonio & Plinio, quod propterea fieri putandum eſt, quia, vt dicebat Auicennas, ita induratur, & congelatur cor venenatorũ, vt comburi nequeat. Erunt igitur morbi venenoſi in genere ſimilarium ponendi, & conſequenter reducendi ad malam temperiem, cùm proprium ſit maximè omnium venenorum diſſoluere harmoniam ipſius cordis. quo fit etiam vt citra omnem controuerſiam conſtituendum ſit cor pro parte verè affecta in his morbis.Sed duo occurrunt circa hanc rem magna diligentia examinanda. Vnum, an verum ſit cor in his morbis eſſe veram & perpetuam ſedem affectam.Secundum,ſi eſt,propter quam rationem fiat,vt vis venefica ſemper cor tãquam propriam ſedem petat.Circa primum difficultas eſt non contemnenda: quia Gal. 1.de compoſ. medic.ſec. gen.cap. 1. & Auic. lib.2. cap.de venenis, atque poſt hos innumeri alij docuerunt, venenum leporis marini ſolummodò tentare pulmones, ita vt potiſſimum & ſolum hoc veneni genus exulceret pulmones. pariter ſcribunt cantharides ſolummodò offendere veſicam: altercum ſiue hyoſcyamum lædere primò & principaliter cerebrum. quæ ſi vera ſunt,vt proditum eſt à ſcriptoribus, & experientia quotidie probatur, non videtur verum eſſe quòd perpetuò ſedes affecta omnium venenorum ſit principaliter cor. Pro diluenda hac grauiſſima difficultate dicendum eſt,verum eſſe, quòd perpetuò venenum principaliter lædat cor tamquam propriam ſedem:ſed quia poſt læſionẽ eius, ſolet etiã alias partes lædere, hinc fit, quòd aliqua venena proprietate ſuæ naturæ poſt læſionem

cordis,

cordis, lædunt vnam aliquam partem, & alia aliam, & quæ ſunt huiuſmodi, ſolent affectus ſuos prius oſtendere in parte quam ſecundariò tentant, quàm in tentata principaliter; & hinc eſt quòd lepus marinus (primum licet tentet cor) quia tamen ſtatim ſubinde offendit pulmones, & in ipſis effectus manifeſtiores facit, dicatur exulcerare ſolos pulmones, & cantharides ſolam veſicam, quia ſcilicet non exulcerat cor, licet ipſum offendat; ſed vlcerat lepus pulmones, vel ſolos, vel ſaltē ante aliā partem omnem. Sed ſi hoc verum eſt, quomodo fieri poteſt, vt lepus marinus, vel quidpiam ſimile pertranſeat tot partes antequam ad cor veniat, & eas prius non offendat quā cor: eo maximè quòd natura tradidit ei egregiam quandam conſtitutionem, vt poſſit tamquam pars nobiliſſima & neceſſaria euitare iniurias. Hæc difficultas quoniam magna, & rariſſima eſt, multas quoque & varias habuit ſcriptorum ſententias; fuerunt qui exiſtimarunt propterea cor peti directè ab ipſis venenis, quoniam inſtar lucis ſeſe ſtatim per corpus vſque ad cor propagant, vbi poſtmodum ſua quadam natura firmantur, & vires ſuas oſtendunt. adducti ſunt hi in hanc ſententiam auctoritate Galeni 1. de ſemine cap. 16. quo in loco videtur id efficere commune omnibus venenatis inquinamentis, vt ſtatim vis ipſorum inſtar radij cuiuſdam ſeſe profundat ad ipſum cor. Alij è conuerſo putarunt propterea venenum ſtatim cor ipſum petere, quia ab eo trahatur; ſed cùm trahi poſſit aliquid ab alia re, vel vi vacui, vel familiaritate, & ſimilitudine naturali, non defuerunt, qui ſimiliter putarunt trahi venenum à corde vi vacui, quia cùm cor, atque arteriæ ſeſe dilatant, vt loco fuliginum effuſarum attrahant aërem externū, ratione ſcilicet vacui, ſimul attrahunt venenum extrinſecū. cui rei atteſtari videtur Gal. 2. aphor. ſect. aphor. 41. vbi refert hiſtoriā cuiuſdam mulieris, quæ in balneis fuligines venenatas vna cum aëre per arterias in cor traxerat. Fuerunt etiam qui putarunt proprietate quadam cor ad ſeſe trahere venena; ſed quia ſententia hæc copiosè refutata eſt à Petro Aponenſi libro de venenis cap. 3. non opus eſt, vt ego amplius in ea laborem. illud tantum in præſentia ſciendum, quòd etſi interdum venenum attrahitur à corde ratione vacui, vt attrahuntur & aliæ qualitates, verus tamen modus & ratio popter quam venena cor petunt, eſt, quia in quacunque corporis parte inſignis vitalium ſpirituum copia reperitur: quibus cùm venena aduerſa ſunt, fit vt illi hæc effugientes tamquam inimica ad cor veluti ad propriam, & tutiſſimam ſedem ſeſe recipiant, & illud inſigniter lædant, & veneno quo ipſi ſunt infecti, inficiant, & coinquinent. Sed aduerſus hanc rationem tres obiectiones ſeſe offerunt. Vna eſt, quia ſi ſpiritus vitales infecti ad cor ſtatim percurrunt: rationi conſentaneum videtur, vt priuſquam illud inficiant, partes intermedias contaminent, vnde fit, vt minimè debeat ante alia ab ipſis violari. Altera obiectio eſt, quòd ſpiritus vitales vbi veneno facti ſunt ſimiles, potius deberent ad locum veneni confugere, quàm ad ipſum cor. Tertia & poſtrema eſt, quòd tametſi ſpiritus vitales venenati ad cor ferantur, multi tamen relinquuntur in parte primò affecta: quo fit, vt iſti debeant prius huiuſmodi partes coinquinare, quàm cor ipſum inficiatur. Reſpondendum eſt ad primam, quòd tametſi ſpiritus infecti pertrāſeant alias partes priuſquam cor attingant, tamen illæ minimè ita afficiuntur à ſpiritibus currentibus & tranſeuntibus, quemadmodum afficitur cor à ſpiritibus in ipſo firmatis. illud ſiquidem experientia & natura comparatum eſt, vt omne agens dum in termino eſt, dum firmū eſt, fortius, & efficacius agat, quàm cùm in tranſitu eſt, & motu. Ad ſecundā autem obiectionem dicendum, etſi ſpiritus vitales infecti ſint ſimiles veneno, tamen multo maior ſimilitudo ipſis intercedit cum corde, à quo tamquam à principio prodeunt, quàm ipſis venenis. Ad tertiā autem dicendum, ſpiritus vitales

relictos in parte venenata lædere quidem illam, verùm tamen multo grauiorem eſſe maiorémque læſionem ipſius cordis; quandoquidem, vt dicebat Ariſtotel. in libro de Com. animal.mot. quilibet motus & error factus in principio maximum quid eſt in virtute: exemplo temonis nauis, in quo quilibet minimus error grauis eſt toti naui. Sit ergo hoc conſtitutum, venena propterea petere directè cor, quia cùm ſint ſpiritibus vitalibus inimiciſſima, illi infecti ſubitò percurrunt ad cor, & illud inficiunt: ita vt iure & meritò cor pro loco affecto in morbis venenoſis ſtatuendum ſit.

De cauſſis morborum venenoſorum.

CAPVT III.

CAVSSA horum morborum nulla alia eſt, niſi vis venefica, quæ cùm actus quidam ſit, neceſſarium eſt, vt in aliquo corpore poſita ſit, ita vt ex hac vi venefica, & ex corpore ipſi ſubiecto efficiatur miſtum, quod venenum nuncupatur. Atque hoc eſt, quod voluit ſignificare Plato 11. de legibus, vbi cùm de veneficiis tractaturus eſſet, ſcripſit aliud genus venenorum eſſe, quod corporibus corpora offendit; aliud verò, quod incantationibus, figuris, & aliis huiuſmodi lædit. Quoniam autem huc peruenimus, vt venenoſorum morborum cauſſas eſſe venena inuenerimus, operæpretium eſt gradum in hoc loco ſiſtere, & diligenter examinare vniuerſam venenorum naturam, in qua pro meis viribus ſtudebo vt pauca omnino deſiderentur, & vt multa (quæ forſan apud alios inuenire non licet) adferam. ſunt autem quæ à nobis de venenis tractari oportet hæc. Quæ ſint nomina ipſorum tum apud Græcos, tum apud Latinos: deinceps quæ ſit vera definitio, & vera natura; tum quæ ſint cauſſæ,& quæ differentiæ.adhæc tractandum de ſignis morborum venenoſorum, & propterea de ſignis venenorum; mox ratio præſeruandi ab his,& venenis, necnon curatio ipſa exactiſſimè tradenda. Sed cùm nobis vſque adeo grauis & inſignis tractatio propoſita ſit, illud ante cetera diſcutiendum eſt; vtrùm ad Medicum pertineat tractare de venenis. nam vir Hippocrates in iuramento quod omnibus Medicis ſeruandum propoſuit, ante alia omnia ſanxit, ſe neque venena propinaturum, nec conſequenter alios docturum eſſe huiuſmodi tractationem. præterea lex fuit antiquiſſima Platonis 11. de Republ. quam etiam poſteriores Legumlatores obſeruarunt, vt nulli liceat nec adminiſtrare, nec docere venena. Galen. etiam lib. de An. cap.7.damnauit Horum Mendeſium, Orpheum Theologum cognominatum, Heliodorum Athenienſem, Poëtam Aratum,& alios auctores celeberrimos, quòd & docuerint, & ſcriptis tradiderint rationem componendorum venenorum; vt his rationibus & auctoritatibus minimè videatur medico licere de illis vllo pacto tractare. Ex altera parte Eraſiſt. magni nominis Medicus, vt eſt apud Dioſcoridem cap.de Baſiliſco, tractationem de venenis copioſiſſimam habuit. quinimo Gal.in 6. Epid. cap.5.monſtrat ſeſe de proprietatibus ſecundum totam ſubſtantiam commentarium edidiſſe, in quo minimè dubitandũ, quin copioſiſſimè de venenis ſcripſerit; eò maximè quòd Raſes lib.20.ſui contin.c.2.teſtatur ſe librũ Galeni de venenis vidiſſe. Poſtremò, ſi verum eſt, venena eſſe res non naturales, vt ſuo locò dicetur,res autem non naturales eius conditionis ſunt, vt & ad ſalutem & ad perniciem adminiſtrari queant;

fit vt minimè impium videatur de iis tractare: eo maximè quòd Hipp. pleriſque in locis vtitur cantharidibus, quæ venena ſunt. Multa etiam ſunt animalia quæ venenis nutriuntur, vt relatum eſt de mure quodam qui nutritur napelló. Cicuta dicebat Lucret. barbigeras pecudes nutriri. hac eadem dicit Plinius nutriri capras, & Gal. ſturnos. quinimo (vt ſuo loco dicam) pleraque venena ſunt quæ maximè proſunt venenato corpori, vt ſi ſint ancipitis naturæ, ita vt & bonum & malū prçſtare poſſint,& minimè videatur à ratione & à Medici munere alienum de ipſis tractare. Hac in re dicendum eſt, de venenis à Medico poſſe duo tractari, vel naturam ſcilicet, vel vſum. de natura rurſum poteſt Medicus tractare, vel de ea quæ ſingulis cognita eſt, vel de ea quæ incognita & ſecreta habetur. De vſu pariter venenorum qui poſitus eſt, tum in ratione componendi, tum in tempore exhibendi, tum in quantitate,tum in modo, poteſt tractare, vel ratione ſalutis,vel ratione damni, & perniciei. De natura autem eorum ſingulis cognita, ſi Medicus tractet, minimè rem aut iniuſtam, aut inhoneſtam faciet, quia cùm ſint à Deo & à natura creata,vires & naturā ipſorum docere,haud inconueniens eſt:eò maximè, quia ad ſalutem hominis pertinet, vt huiuſmodi natura cognoſcatur, quò poſſit caueri. Sed de natura eorum venenorum, quæ arcana ſunt, & vel ab omnibus, vel à pleriſque ignorantur, minimè medico tractandum eſſe videtur. & hoc eſt quod dicebat Gal. in lib. de purg. med. eum qui repererat herbam attrahentem ſanguinem fuiſſe ductum ad ſupplicium oculis velatis,ne in itinere aliquem doceret eam humano generi vſque adeo pernicioſam;quamquam ſim admodum incertus an huiuſmodi herba reperiri poſſit, quemadmodum aliàs diſputaui; eo quia Gal ſcribit ſe dum puer eſſet huiuſmodi hiſtoriam audiuiſſe.& Meſues in Canonibus vniuerſalibus conatus eſt pluribus rationibus demonſtrare, huiuſmodi herbam quæ ſanguinem ducat, reperiri nulla ratione poſſe. Circa vſum verò venenorum ita Medicus ſe debet gerere, vt numquam ad perniciem vllius, vel tractet illum, vel doceat; gratia verò ſalutis & poteſt, & debet Medicus ipſum docere. quare mihi videtur reprehendendus Theophraſtus, qui lib. 9. de hiſt. plant. 17. docuit modū quo Chij populi cicutam parabant, vt citò interimeret. Sic etiam iure damnauit Galenus eos auctores qui docuerunt compoſitionem venenorum in perniciem hominum;etſi forſan & ipſi excuſationem aliquam ſuo facto prætenderint. ſic fortaſſe poſſet aliquis vitio vertere Platoni, qui in calce Phædonis, dum mortem Socratis nararret, docuit modum quo vſi ſunt ſatellites, vt cicuta cito interimeret ſanctiſſimum hominem. Quare iam videri poteſt,nos quoque excuſatione dignos eſſe, quod inſtitutum noſtrum ſit venenorum naturas cognitas & vulgares tradere,ſimulque vſum ipſorum non ad perniciem,ſed ad ſalutem docere, ſimulque demonſtrare, qua ratione liceat eorū omnium omnia damna euitare.

De nominibus veneni.

CAPVT IV.

QVod appellant Latini venenum, ſolent Græci ſcriptores nuncupare pharmacū. Et ſicuti apud nos hoc nomen multa ſignificat:ſic quoque & apud Græcos. ſignificat enim modò purgans medicamentum, modò letale; modò colorem, modò incantationem,totque etiam ſignificare pharmacum apud Grçcos perſpectū eſt illis,qui in commentariis eorū verſantur. Sed quia talia ſignificata ad Medicos

minimè pertinent, ſtatuamus venenum, de quo nobis tractandum eſt, ſignificare medicamentum mortale. Medicamentum autem hunc in modum acceptum apud Græcos, tam Philoſophos quàm Medicos, variis modis nuncupari ſolet. Hipp. ſanè 6. epid. commen. 6. text. vocat κακοῦργον: in iuramento appellat θανάσιμον. Theophraſtus verò, Dioſcorides, & Galenus appellarunt venenum modò φάρμακον φθοροποιόν, modò θανάσιμον, modò δηλητήριον. Ariſtoteles 1. Probl. 46. appellauit φάρμακα θανατηφόρα. quibus Græcorum vocibus totidem ferè Latinorum reſpondent. Nam interdum appellant malefica venena: interdum letalia: interdum corruptoria: ſæpè etiam deleteria. Gal. loco citato ſermonem habens de proprietatibus à tota ſubſtantia, ſcribit ea quatuor generibus contineri, alimentis, medicamentis purgantibus, maleficis, & horum remediis. Malefica rurſum ſcribit duûm eſſe generum: alia appellata deleteria, alia quæ virus eiaculantur, ſicque remedia duûm eſſe generum; alia quæ reſpiciunt deleteria, & vocantur alexipharmaca: alia verò quæ virus eiaculantia, & theriaca appellantur. de quibus præclariſſimè ſcripſit Nicander. poſt hæc declarans Galenus quæ ſit differentia inter θανάσιμα (ſeu letalia) & deleteria, ſcribit veteres Medicos nuncupaſſe medicamenta θανάσιμα, ſeu letalia, quæ inferunt quidem mortem, ſed iuuare etiam poſſunt: deleteria verò ea appellari, quæ neque ſanos, neque ægros iuuare poſſunt. Sed circa hunc Galeni diſcurſum tres oriuntur non contemnendæ difficultates. Prima eſt, quia ipſemet Galen. lib. 6. de medic. per genera, cap. 1. ſcribit deleteria eſſe veluti ſpeciem ipſorum θανασίμων, id eſt, letalium, ita vt omne quidem deleterium ſit θανάσιμον, ſeu letale: non autem è conuerſo omne letale ſit deleteriũ, quæ ſententia planè videtur contraria, aut ſaltem diuerſa ab eo, vt nuper attuli. Altera difficultas, quia idem Gal. 2. de rat. victus acut. text. 12. de deleteriis ſermonem faciens, ſcribit ea interdum vtilitatem præſtare, veluti eſt hyoſcyamus, mandragora. nam 3. lib. de ſimpl. medic. cap. 18. appellauit hæc medicamenta deleteria, vt manifeſta videatur contradictio, quia hîc ſcribit deleteria quandoque prodeſſe. 6. autem epid. loco citato dicit deleteria, neque ſanos, neque ægros iuuare. Tertia difficultas eſt, quoniam Galen. loco illo 6. epid. tradens exemplum deleteriorum, quæ nunquam iuuant, adnumerat leporem marinum, hydrargyrum, ſeu argentum viuum, & aconitum. Ceterùm Plinius lib. 27. cap. 2. ſcribit aconitum maximè prodeſſe homini aduerſus complura venena, & de argento viuo habetur apud Auſonium manifeſta hiſtoria illius ſceleſtæ mulieris, quæ cùm vellet enecare maritum, dedit ei primò toxicum, quod cum mortem tardaret, vt eam accelerarct dedit argentum viuum, ſed quod illa putabat mortem acceleraturum, vitæ potiùs miſero illi marito auctor extitit: quandoquidem argentum viuum fuit veluti remedium toxici. Vt his difficultatibus ſigillatim ſatisfiat; primæ quidem hunc in modum reſpondendum iudico, hoc nomen θανάσιμον, ſeu letale, quemadmodum colligitur ex Gal. 3. de temper. 4. dupliciter accipi ſolere, vno modo cōmuniter, prout complectitur etiam deleteria, alio modo peculiariter, ſeu propriè, prout ſcilicet contradiſtinguitur ipſi deleterio. quando igitur Gal. in 1. cap. 6. lib. de comp. medic. per gen. ita loquutus eſt, θανάσιμον non propriè, ſed communiter accepit: quemadmodum 6. lib. epidem. accepit hoc nomen non communiter, ſed propriè. Pro ſecunda difficultate ſciendum eſt, deleterium in Galeni doctrina duplex eſſe, quemadmodum colligi poteſt ex 22. cap. lib. 3. de ſimpl. med. vnum genus deleterij eſt, quod à tota ſui ſubſtantia corrumpit: aliud autem, quod potiùs ratione quantitatis, quàm tota ſubſtantia interimit. atque iſtud adhuc duplex eſt; vnum, quod vincit ſemper, & numquam alteratur, cuiuſ-
modi

modi eſt opium,id eſt,ſuccus papaueris: alterum,quod etſi vincat,tamen aliquantiſper etiam alteratur à noſtro corpore,& hoc vel eſt calidum,vt euphorbium, vel frigidum,vt hyoſcyamus, mandragora. Hoc ita conſtituto reſpondendum ; quando Gal.2. de acut.12. ſcribit deleteria interdum iuuare, loquitur de deleteriis non à tota ſubſtantia,ſed de iis quæ opus habent quantitate, & quæ licet vincant, aliquantiſper tamen alterantur.vbi verò in 6.epid.ſcribit, deleteria neque ſanos , neque ægros iuuare, loquitur de deleteriis à tota ſubſtantia;quippe quæ certiſſimum eſt naturæ noſtræ ita aduerſari , vt nullam vtilitatem præſtare poſſint. Quid verò dicemus ad tertiam ? verum profectò,immo veriſſimum eſt, neque argentum viuum , neque aconitum vnquam prodeſſe , nec ſanis hominibus , nec ægris ſimpliciter , ſed ſi quando iuuat , id contingit , quotieſcunque aliud venenum eſt in corpore , quod ſit ipſi aconito , vel ipſi hydargyro inimicum: tunc enim , vt præclariſſimè dixit Plinius, duo venena inimica in corpore inter ſeſe pugnant , vt homo ſeruetur. quapropter veriſſimum eſt , huiuſmodi venena conferre homini per accidens,hoc eſt,quando contingit in ipſo eſſe aliud quodpiam ſibi inimicum. Atque hæc circa nomen veneni conſiderare ſufficiat.

De definitione veneni.

CAPVT V.

ACcedamus ad indagandam definitionem. Solent Medici noſtri,& præſertim Galenus , venari definitiones rerum à communibus hominum notionibus: quemadmodum fecit 2. Meth. quando indagare voluit morbi definitionem : homines autem conſueuerunt appellare venena res illas, quæ irremediabiliter interimunt homines, & bruta cauſſa ignorata : quam communem rationem cùm ſequeretur diligentiſſimus Auicennas lib. 2. tract.1. cap. de venenis , dixit venena eſſe medicinam naturæ humanæ contrariam , non ſecundum contrarietatem , ſed ſecundum proprietatem. & Galenus pariter 3. de temper. 4. dixit alimentum illud eſſe quod ſuperatur à natura : venenum verò quod ſuperat & vincit. Ceterùm nos hunc in modum definiendum eſſe putamus,vt ſit miſtum non naturale, cordi inimicum, & humanæ naturæ corruptiuum. eſt quidem miſtum,quoniam,vt in præcedentibus dixi , venenum nihil aliud eſt , niſi vis quædam effectrix venefica in corpore aliquo poſita. nam cùm ſit dogma philoſophorum,actiones eſſe compoſitorum , & à venenis euidentiſſimè prodeant actiones , neceſſum eſt fateri , venenum eſſe miſtum quoddam , & conſequenter eſſe in prædicamento ſubſtantiæ; quo fit vt vehementer allucinati ſint illi , qui putarunt , venenum accidens eſſe, & in prædicamento qualitatis. ſi quidem cùm venenum & alimentum contraria ſint , & contraria ſub vno genere contineantur,ſicuti alimentum in prædicamento ſubſtantiæ eſt , haud ſecus videtur debere in eodem collocari venenum. Præterea , quæ ineptia fuiſſet Galeni appellare venenum , medicinam à tota ſubſtantia nobis contrariam (vt fecit 2. de acut. 12. 3. de temper. 46. in 6. epid. 5. & alibi) ſi qualitas eſſet ? Poſtremò , ea eſt natura accidentium, vt poſſint adeſſe , & abeſſe citra ſubiecti corruptionem. quod quidem in venenis nunquam vſu venit , vt ſit omnino conſtituendum, venenum eſſe ſubſtãtiam,& eos fefelliſſe,qui putarunt ipſum eſſe qualitatem. Sed dicet quis , quo modo venenum poſſit eſſe ſubſtantia. nam ſubſtantia nulli contrariatur ; ſubſtantia non ſuſcipit magis , & minus.

 venena

venena verò ſunt contraria & venenis, vt aconitum ſcorpioni:hydrargyrum toxico, & alimentis, &c.præterea ſuſcipiunt magis & minus,quia aliqua ſunt magis venena;aliqua minus.item ſi attendatur venenum canis rabidi;& ſcorpionis,videtur vtrumque pura eſſe qualitas,vt eſt exemplū apud Galenum illius,in quo à pede aura venenata attollebatur in caput,& epilepſiam faciebat.Reſpondeo breuiter,vt reſpondet Simplicius in antepredicaméris, ſcilicet ſubſtantiā poſſe dupliciter cōſiderari.Vel ſecundū ſe ſolam;vel ſecundum differentias,& qualitates quæ ſibi copulantur. Si primo modo conſideretur,proculdubio nihil ſibi eſt contrarium: nec ſuſcipit magis, vel minus. Sed ſi conſideretur ſecundo modo,planè & contrarium habet,& cōſequenter ſuſcipit magis & minus,eo quia ſibi cōiunctę ſunt differétiæ & qualitates quæ habent contraria, & quæ poſſunt intendi & remitti. Ad poſtremum autem reſpondendū, & venenū ſcorpionis,& venenum canis rabidi eſſe omnino ré miſtam. illud bene verum eſt, corpus hoc exiguum admodum eſſe, & ita exiguum vt videatur effugere ſenſus noſtros;quod voluit nobis ſignificare Galen. quando 6.de locis affect.c. 5.ſermoné habens de veneno ſcorpionis dicebat,huiuſmodi venenum illud mole quidem puſillum;vi autem & poteſtate maximum eſſe. quod etiam dicendum eſt de aura illa venenata, quæ aſcendebat à pede,quæq; nihil aliud erat niſi corpus vaporoſum,tenuiſſimum,mole quidem exiguum:ſed viribus,& facultate potentiſſimum.Dixi venenum eſſe miſtum non naturale,quandoquidé Auic.2.prim. tract.2.c. de illis quæ eduntur & bibuntur,adnumerat venena inter res,ſeu cauſſas non naturales vocatas.nam res naturales illæ appellantur quæ ſemper bonæ ſunt. præternaturales verò vocantur illæ, quæ ſemper ſunt malæ : vt morbi & cauſſæ morboſę.inter has conſtitutus ordo aliarum rerum,quę modò ſūt bonæ,modò malæ,& collocantur ab Auic.& aliis etiam venena,quia interdum iuuant. Neq; ab hac ſententia deflectendum iccirco, quòd omnia venena fiant à natura , quia etiam aër eſt corpus naturale, etiam cibi,& tamen paſſim vocantur à Medicis res non naturales. Dicitur cordi inimicum,quia (vt dicebat Meſues) venena omnia cor tanquam peculiarem ſcopum petunt, quod optimè probabat Petrus Aponenſis in libro ſuo de venenis,quia ſtatim ac aliquis iis percuſſus eſt,modò palpitationes, modò ſyncopen, modò cordis debilitatem protinus incurrit . & hac in re manifeſtiſſima apparet differentia inter venena & medicamenta purgantia,quia ſicuti hæc cor principaliter offendunt; ſic illa os ventriculi ſtatim labefactant. Quare Galenus & Hippocrates præceperunt, vt purgantibus medicamentis ſemper miſceantur odorata,ne ſcilicet os ventriculi ab ipſis violetur: quāquam eſt & alia differentia inter medicamenta purgantia & venena propoſita nobis ab Ariſtot. 1. problem. ſect. problem. 48. vbi ſcribit ſummus ille Philoſophus medicamenta purgantia omnia eſſe amara, & fœdi ac tetri odoris, nec interimere, niſi ſumpta in magna quantitate : contrà autem venena necare etiam in minima quantitate. de qua re paulo poſt plura dicam. Dicitur poſtremò humanæ naturæ corruptibile, cuius conditionis vt exacta notitia habeatur , expendenda eſt vnaquæque vox. nam appoſita eſt hæc vox, humanæ , quoniam etſi medicina poſſit etiam verſari circa valetudinem brutorum , peculiare tamé munus illius eſt, circa corpus humanum verſari.etſi verò multa reperiantur venena,quæ interimūt æquè & bruta & homines, ſunt tamen & aliqua quæ ſola bruta,vel ſolos homines interimere ſolent.nam ſaliua humana venenum eſt multis inſectis,homini tamen non eſt venenum. cicuta homini venenum e ſt , non tamen ſturnis aut capris ; narrat etiam celeberrimus auctor , Sextus Empiricus Hypotheſeon Empiricarum ; ſues ſeu porcos nutriri hyoſcyamo,& mandragora, quæ ſunt hominibus venena ; ſcri-

bit

bit etiam hirundines ali cantharidibus, quas pro venenis habemus. vt cùm hæc ſit inter venena varietas, iure apponendum ſit, humanæ, quaſi ſermo noſter ſit de iis dumtaxat quæ homines interimere poſſunt. Dictum eſt, naturæ, tum quia ſic & Galenus & Auic. ſunt locuti; tum quia ratio ipſa oſtendit naturam omnem hominis euerti ab ipſis venenis.nam cum natura,vt docuit Ariſt.2.Phyſic.complectatur materiam, formam, & compoſitum: ſi expendamus materiam humani corporis, erit humor, ſpiritus, & membra ſolida.hæc autem omnino à venenis corrumpi, & euerti ſolent. Si etiam expendamus formam, ſiue formam capiamus pro temperamento,ſiue pro quopiam alio diuerſo à temperatura,non eſt dubitandum huiuſmodi formam,ſiue ſit ſubſtantialis, ſiue accidentalis, ab ipſis interimi,& corrumpi. Dictum eſt poſtremò, corruptiuum, eo quia quodcumque venenum ſit, ſiue externum, ſiue internum, ſuapte natura aptum eſt humanam naturam corrumpere,vnde nugæ ſunt eorum, qui diuiſerunt illud in letale,& non letale. quia quodlibet venenum ſemper interimit, vel ſaltem ſuapte natura natum, & aptum eſt corrumpere; id quod voluit intelligere Auic.lib.2.tract.1.cap.4.quando ſcripſit venena eſſe medicinam, quæ corrumpit, ſeu apta eſt corrumpere temperaturam humanam. Et quamquam omne venenum ſuapte natura euertat, & corrumpat humanam naturam, differentia tamen eſt non exigua, quia aliqua quidem nunquam interimunt, etiamſi habeant potentiam interimendi: aliqua verò interimunt; ſed aut tardiùs, aut citiùs.

De cauſſis propter quas aliqua venena non interimant.

CAPVT VI.

Cauſſæ autem propter quas aliqua venena non interimunt, complures eſſe poſſunt. Prima, eſt proprietas indiuidualis. nam ſunt aliqui à natura adeo egregiè conſtituti, vt arcana quadam ratione ab iis non offendantur. Scribit Sextus Empiricus loco citato, fuiſſe anum quandam quæ triginta drachmas cicutæ ſorbebat ſine vlla læſione. Similiter Lyſidem quendam fuiſſe, qui drachmas quatuor opij ſine læſione edebat. Athenagoras Argiuus à ſcorpionibus nunquam lædebatur. Addam & illud, Æthiopas habitatores Hydaſpis fluuij impunè veſci ſolere & ſcorpionibus, & ſerpentibus; quod quidem aliunde proficiſci non poteſt, quàm ex inſigni quadam corporis conſtitutione ſecreta & diuina. Alia ratio propter quam non ſemper corrumpant & interimant venena, eſt, quia corpus quod capit venenum, antea ita præparatum eſt, vt acquiſierit vel facultatem corruptiuã veneni, vel ſanè illi familiarem. ſic rex Mithridates à venenis non offendebatur, quòd corpus eius aſſiduo Mithridatricæ confectionis vſu ita erat munitum,vt haberet in ſe ſe vim eorum corruptricem: ſic(ſi verum eſt)puella illa nutrita napello non offendebatur, quòd ſimilitudinem quandam cum napello contraxiſſet. de qua re tamen, cùm dubia ſit, ſuo loco diligenter diſputabo. Tertia cauſſa eſt, aut quia venena prius è corpore eiiciuntur, quàm petant cor; aut quia vel cibis, aut potibus in corpore ita inuoluuntur,vt eorum vis,aut penitus ſuffocetur, aut maxima ex parte frangatur. Poſtrema eſt, quia non capiuntur in ea copia, aut quantitate, in qua capi deberent. nam ſcriptum eſt à Gal. 3.de ſimpl. medic. cap. 23. medicamenta omnia ſiue ſint letalia, ſiue purgatoria, etiamſi ſint efficaciſſima,tamen

opus

opus habere certa menſura ad hoc, vt poſſint ſuas operationes exercere. Sic enim dicebat ille centeſimam partem ſcintillæ ignis nihil facere,quia non eſt ea menſura,qua poſſit vis ignis efficaciſſimè operari.Sed contra hoc videtur difficultas.primum,quia, vt dicebat Ariſtot. loco citato,venena illud habent peculiare, vt etiam in minima quantitate poſſint operari ; & Petrus Aponenſis in fine capitis lib. 1.de venenis, dicebat tantam eſſe eorum agendi poteſtatem, vt etiam in inſenſibili menſura homines interimant:& præter hæc ſunt etiam complura teſtimonia, quæ oſtendunt,venena in minima quantitate operari.nam Ioannes ille Leo, qui deſcripſit Aphricam in fine lib.7. rem miram narrat, quæ digna ſcitu eſt, ſcilicet in Nubia reperiri quoddam veneni genus, cuius ſi granum vnum propinetur decem hominibus, omnes ſtatim iugulat ſpatio quartæ partis horæ; ſin autem tradatur vni homini,illũ ſtatim interimit;vt his exemplis & hac auctoritate intelligi poſſit,non eſſe neceſſarium, vt menſura vlla definiatur pro ipſis venenis; ſecus quàm videtur dixiſſe Gal.Reſpondendum eſt,omne agens, quodcumque illud ſit,opus habere,vt dicebat Galenus, certa aliqua ſui inſtrumenti quantitate, infra quam non poſſit operari; quia ſi id videtur manifeſtum in igne omnium potentiſſimo agente,multo magis exiſtimandum eſt neceſſarium eſſe in aliis corporibus. illud quidem verum eſt, ſicuti varia eſt efficacia venenorum, ſic quoque variam eſſe menſuram. quia in aliquibus neceſſaria eſt paulo maior: in aliquibus verò requiritur multo maior,vt videre eſt apud plurimos ſcriptores, præſertim verò apud Arnaldum Vilanouanum in libro de venenis, vbi docet qua menſura vnumquodque venenum poſſit interimere, & ſicuti hæc varietas conſpicitur in agendo in ipſis; ita quoque non minor diuerſitas apparet in tarda, vel celeri operatione. igitur & de hac aliquid dicendum.

De cauſſis cur aliqua venena citò, aliqua tardè interimant.

CAPVT VII.

CAuſſæ cur venena aliqua citò,aliqua tardè interficiant, cõplures eſſe poſſunt. Prima, eſt natura, & vis efficaciſſima veneni. propter hoc enim ſolebat dicere Auicennas,ea venena,quæ agũt proprietate citius interimere,quàm ea quæ agũt manifeſta qualitate, propterea quòd proprietas eſt efficaciſſima potentia: & conſequenter celerrima in operando: eſt autem proprietas huius naturæ, quia ſicuti qualitas contrariatur qualitati,ſic proprietas contrariatur formæ ſpecificæ & ſubſtantiali,propter hoc proprietas citiùs interimit,quia petit & euertit formam ſubſtantialem. Huius naturæ eſt venenum illud apud Æthiopias ante recenſitum. ſimile item illud, quod ſcribit Ariſt. in lib.de mirabil.auſcult. natum in monte Circæo ſtatim homines interimere. Non præteribo etiam quod ſcribit Nicolaus Florentinus ſerm.4. tract. 3. ſumma 2. cap. 9.& tract.4.cap.6. ſcilicet Franciſcum Ordelaphum Capitaneum Foroliuij patriæ meæ genus veneni habuiſſe,quod iniectũ ſupra carbones,illico interimebat omnes circunſtantes. Itaque prior ratio propter quam aliqua venena citò, aliqua tardè interimant, eſt natura & proprietas ipſius veneni. Secunda ratio, eſt diſpoſitio & proprietas corporum. ſi quidem vbi corpus corde imbecillo eſt, citiſſimè iugulari ſolet à veneno. pariter corpora calida citius necantur ab eo,quia cùm habeant vias & meatus amplos,citiſſimè vis venenorum penetrat in cor,& conſequenter vitam tollit;ex aduerſo autem quicumque

ſunt

ſunt robuſto corde,difficilius,& tardius vincuntur.Similiter qui corpora denſa & frigida habent, ſeriùs ſuperantur à venenis, eo quòd cùm habeant venas & meatus anguſtos, minimè poſſunt illa citò in cor penetrare. Et hæc eſt ratio propter quam Gal.3.de ſimpl.medic.18.dixit ſturnos à cicuta nõ interimi, quemadmodum homines: quia ſicuti homo meatus latos & patentes habet; ita ſturni venis anguſtiſſimis ſunt,ita vt vel non poſſit in cor penetrare venenum cicutę,vel ſi penetret, non niſi fractum & magnopere diminutum accedat. quamquam Auicennas 6. 4. tract. 1.cap.2.huiuſmodi Galeni rationem non admodum probaſſe viſus eſt. Tertia ratio, eſt menſura ipſius veneni aſſumpti. Illud enim apud omnes Philoſophos compertiſſimum eſt; in maiori quantitate ſemper maiorm vim poſitam eſſe; & vbi vis maior eſt,neceſſariò quoque adeſſe celeritatem ipſius operationis,vt propterea qui plus veneni ſumunt, neceſſariò quoque citius interimantur. Quarta ratio,eſt tempus.nam ſcribit Theophr.lib. 9. de hiſtor.plant.cap.15.magnum diſcrimen eſſe in venenis colligendis; ſcilicet quo vnumquodque tempore colligatur, quia æſtate collecta magis operantur, quàm vernali tempore. & hoc fortaſſe ſpectarunt antiqui Medici,quando in componenda ſacratiſſima illa antidoto Theriaca præceperunt, ne viperæ tempore æſtiuo capiantur, quod tunc ipſarum venenũ multo ſit immanius, & efficacius.Similiter quoque non parum refert,an tempore ieiunij, an tempore cibi ſumatur venenum, quia multo citiùs operatur in corpore ieiuno,quàm in ſaturo, non ſolùm quia liberius per corpus vacuum diſcurrit, quã per plenum; verùm etiam quia membra corporis ieiuni multo vehementius illud attrahunt.Quinta & poſtrema ratio, eſt modus componendi.nam Theop. libro citato cap.17.poſtquam improbauit modum quo Chij populi componebant venenũ cicutæ,ipſe alium attulit, quem ſcribit potentiſſimum eſſe ad ſubitam mortem inferẽdam;ſic etiam relatum eſt de Locuſta illa ſceleratiſſima fœmina,quæ cùm venenũ Britannico miniſtraret iuſſu Neronis,vt celeriùs operaretur,illud magis coxit,quod certiſſimum ſit inter alias cauſſas,ob quas venena citò interimunt,potiſſimum eſſe modum componendi. Sed hoc loco ſolet à pleriſque dubitari, vtrum componi poſſint ita, vt certo quodam & determinato tempore interimant. nam Theophraſtus auctor grauiſſimus lib. 9. de hiſtoria plant. cap. de aconito ſcribit, illud ita parari ſolitum fuiſſe vt interimeret,modò ſpatio menſis, modò ſpatio bimeſtri,trimeſtri;modò etiam per annum.vt hac vna auctoritate ſibi quis perſuadere poſſit,venenum ita poſſe parari,vt tempore determinato interimat.Ad hæc Galenus in libro de partibus artis Medicæ (qui liber etſi ſit collocatus inter ſpurios, eſt tamen Galeno dignus)cap.5.ſcribit diſpoſitionem quandam neutralitatis reperiri in corporibus,quæ opus habent præuiſoria Medici operatione;atque hanc eſſe dicit,quando homines in eo ſtatu ſunt,vt habeant aliquam intemperiem in corde,ſed nondum habeant ſenſibiliter læſas actiones,& huius diſpoſitionis adferens exemplum,inquit tales eſſe,qui venenum rabidi canis intus habent, vel qui aliud in corpore gerunt; quod tempore determinato operetur; ex quo loco clariſſimè apparet Galenum, vel alium eius libri auctorem voluiſſe, poſſe inueniri venenum quod tempore determinato interimat: haud ſecus Auic. 6. quarti loco citato de putrefacientibus venenis ſermonem habens, ſcribit ea tempore determinato effectus producere. Sed ſi licet huiuſmodi rem exemplo comprobare, eſt apud Aulum Gellium hiſtoria Attilij illus Reguli,qui cùm miſſus eſſet Romam à Carthaginenſibus, vt pacem componeret, dixit illis, ſeſe accepiſſe venenum à Carthaginenſibus, quod ipſum determinato tempore occideret. Vt his omnibus videatur iudicandum, reperiri venenum quod certo tempore interimat. Sed ex altera

ra parte ſunt rationes non ignobiles,quæ demonſtrare videntur, quod huiuſmodi non reperiantur. Prima eſt, quia venenum ſi vmquam interimere debet, opus eſt vt habeat vim & cordi inimicam,& naturæ humanæ corruptiuam. huiuſmodi autem vis inſignis eſt: & propterea vbi in corpore viget, aut ſtatim nocebit, aut ita frangetur, vt in poſterum etiam necare non poſſit. Alia ratio eſt, quia actiones, quæ tempore determinato præfiniuntur, neceſſariò prodeunt à facultate, quæ operatur cum diſcurſu & iudicio. nam agere & perficere potius in hoc, quàm in illo tempore, non videtur eſſe opus alterius quàm facultatis deliberantis, & diſcurrentis. vnde bruta carere etiam videntur huiuſmodi temporis diſcrimine, propterea quòd carent & diſcurſu, & diſcurſus deliberatione: atqui certum eſt in venenis nullam reperiri poſſe huiuſmodi facultatem.idcirco non videtur etiam rationi conſentaneum, vt determinato quodam tempore venena operentur.Poſtremò,ſi aliqua huiuſmodi venena reperirentur, æquum eſſet, vt aliqua pharmaca quoque reperirentur,quæ poſſent certo aliquo tempore operari, & magis hoc deberet eſſe in purgantib.quia vis ipſorū non vſque adeo potens,non adeo efficax & fera eſt, vt venenorum. At nullum huiuſmodi medicamentum reperire eſt; imò comparans quandoque Galenus euacuationem per ſanguinis miſſionem, euacuationi per pharmaca,dicebat illam præſtare huic,quod in poteſtate Medici ſit poſitum, & quantumcumque, & quandocunque extrahere ſanguinem: vbi autem ſemel medicamentum corpus fuerit ingreſſum, non eſſe amplius in poteſtate Medici, vel accelerare, vel tardare, vel augere,aut minuere illius actionem: ſed neceſſarium eſſe, vt id totum cuidā fortunæ beneficio relinquatur. His itaque rationibus probari poſſe videtur nequaquam dari poſſe venena quæ determinato tempore interimant.In hac difficultate quam video à pleriſque tractatam,dicam quod ſentio.parare venenum aliquod, quod poſſit aut celerius, aut paulo tardius operari, eſt quidem in arte medica poſitum, quandoquidem videmus etiam venenum canis rabidi interdum ſtatim occidere, interdum ſeriùs, interdum verò tardiſſimè. Sed quòd parari poſſit venenum, quod vel decima die,vel vigeſima,vel mēſis ſpatio. vel quopiam dierum determinato numero occidat, ego certè fabulas eſſe puto. Et quamquam Theophr. & auctor illius libri ſecus docuiſſe videantur, tamen Auicennas dixit venena putrefacientia in tempore, id eſt, nōn ſtatim interimere, non autem quod certo temporis ſpatio id faciant.Et quod ait Theophr. niſi id ipſe dixerit ſecundum ſententiam vulgi, aut poſuerit definitum tempus pro indefinito, ego ſanè quomodo illius auctoritatem ſeruem, videre non poſſum. Patet igitur quomodo iure in definitione poſita ſit particula illa, corruptiua, & quomodo intelligenda ſit. Supereſt vt modò videamus,quænam ſit illa vis, propter quam venena & occidunt, & citò occidunt: deinde videndum erit quiſnam ſit modus ille quo interimant. Et quia venenorum aliqua ſunt, quæ à viuentibus animalibus iniiciuntur: aliqua verò quæ nihil viui habent, quærendum erit quomodo hæc vbi adminiſtrantur, in corpore ad actum reducantur. Nam de illis quæ eiaculantur ab animalibus non eſt ſpeculatio: quandoquidem illa non egent vlla actuatione, ſed tantum diſputatio eſt de illis, quæ ſiue ſint naturalia, ſiue artificialia, adminiſtrantur ſiue interius, ſiue exterius.

De

De vi qua venena interimunt.

CAPVT VIII.

QVæ ſit vis illa, qua venena naturam noſtram euertunt, inuenio diſcordes Medicinæ auctores. nonnulli exiſtimarunt venena non alia facultate operari, niſi temperatura, aut primis qualitatibus. atque iſti fuerunt omnes illi, qui opinati ſunt, nullam aliam formam, naturam, aut animam in corporibus noſtris eſſe, niſi temperaturam elementorum. Sed quamquam & Alexander Aphrodiſeus, & plerique alij hanc ſententiam ſunt ſecuti: à veritate tamen longè aberrarunt, ſiquidem ſi nulla alia anima, nulla alia vis reperiretur, niſi temperatura elementorum; cùm qualitates ſint accidentia (vt Ariſt. pleriſque in locis docet) neceſſarium eſſet animam omnem, naturam noſtram accidens eſſe, quod tamen abſurdum eſt. Sed huiuſmodi quæſtiones, neque ad hunc locum, neque ad hanc tractationem pertinent. Ex altera parte fuerunt, qui vim venenorum corruptricem exiſtimarunt incognitam & arcanam eſſe. Sed & hi, & priores, vt optimè dixit Auic. lib. de viribus cordis, tract. 1. cap. 10. hi, inquam, omnes vulgares homines ſunt, eo quòd ſeſe attollere ad cauſſas indagandas non poſſunt. Ceterùm Galenus & Auicennas huiuſmodi vim diuerſis nominibus appellare viſi ſunt. interdum enim vocarunt totam ſubſtantiam: interdum formam ſubſtantialem: nonnunquam formam ſpecificam: ſæpe totam ſpeciem: ſæpiſſimè proprietatem. Sed quid per hæc nomina, & per naturam venenorum intellexerit Galenus & Auicen. non conuenerunt ſcriptores Medici. Auer. lib. de theriaca 2. cap. & 5. collect. cap. 25. exiſtimauit totam ſpeciem, ſeu proprietatem, vel naturam, formámve ſubſtantialem, nihil aliud eſſe, niſi proportionem; vel proportionatam elementorum miſtionem; quæ cùm plerumque ſit nobis ignota, non eſt mirum ſi eam modò occultam proprietatem; modò naturam ſecretam vocemus. Petrus Aponenſis libro ſuo de venenis declarans & ipſe, quæ ſit hæc ſpecifica proprietas, dixit, eam nihil aliud eſſe, niſi meritum miſtionis elementorum rebus ipſis donatum à ſuperiori ſiderum influentia. quam etiam ſententiam profitetur ſeſe accepiſſe ab Auicenna libro illo de viribus cordis, loco citato. Hanc Petri Aponenſis ſententiam plerique recentiorum ſectati ſunt: & inter alios Fernelius, qui diuinis cauſſis multum tribuere delectatus eſt. Ceterùm luculentiſſimè omnium Auicennas 2. primi. doct. 2. cap. 15. de illis quæ eduntur, & bibuntur, explanauit huiuſmodi formam ſubſtantialem, ſeu ſpecificam: vt etiam libro illo de viribus cordis, multa nobis propoſuit, ex quibus clariſſimè colligere licet, quæ fuerit ipſius ſententia de hac natura venenorum, quam appellamus proprietatem ſpecificam: primum enim, quod Auicennas dixit, eſt, huiuſmodi formam, ſeu proprietatem nihil aliud eſſe, niſi naturam: ita vt differat natura à proprietate, vt differt commune à proprio. & ſicuti natura communiter accepta eſt principium motus & quietis: ſic proprietas, inquit Auicen. eſt quoddam principium motus & quietis proprium & peculiare in vnaquaque ſpecie. alterum quod docet Auicennas locis citatis, eſt, huiuſmodi naturam nequaquam eſſe temperaturam, neque eſſe vnam, vel plures qualitates, aut ſeparatim, aut iunctim acceptas: ſed eſſe quandam aliam formam, ſeu virtutem ſubſtantialem, quæ acquiritur in ipſo miſto ex diſpoſitione præuia ipſius temperaturæ: ita vt temperatura & qualitates elementorum dupliciter inſeruiant huic formæ. Vno modo, ad diſponédam materiam,

riam,vt eam recipiant;alio modo formæ,vt ea vtatur,& ſeipſa,& qualitatibus tanquam propriis inſtrumentis ad operādum.Tertio, dicit Auicennas huiuſmodi formam, & proprietatem minimè cognoſci poſſe à priori, hoc eſt,per ſuas cauſſas, ſed tantummodò cognoſci per effectus.qui cùm plerumque ignorentur à quibus cauſſis prodeant,iure fit,vt cauſſa ipſorum ſecreta,ſpecifica & propria nuncupetur. poſtremò,dicit Auic.huiuſmodi proprietates & formas,ſiue illæ ſint animæ,vt in animalibus,ſiue ſint virtutes,ſiue quid aliud,æquales eſſe in omnibus,ſed in aliquibus admirationem facere;in aliquibus verò nullam omnino patere.proprietas magnetis in attrahendo ferro,inquit Auic.adfert aliquam admirationem,eo quòd huiuſmodi effectus nobis inſuetus & penè nouus eſt. proprietas calefaciendi in igne,tametſi non videatur diuerſa à proprietate magnetis,tamen, inquit Auic. nullam facit admirationem : eo quòd quotidie huiuſmodi effectus videmus; quos ſi rarò conſpicere contingeret; proculdubio, non minus miraremur videntes & lucere,& calefacere ignem,quàm miramur magnetem ferrum attrahere. Ex hoc itaque Auicennæ diſcurſu licet facilè vnicuique cognoſcere vim illam, qua venena occidere apta nata ſunt, minimè eſſe qualitates, minimè eſſe temperaturam, ſed formam quandam, ſeu naturam acquiſitam poſt temperaturam; atque non à priori, ſed à poſteriori, ſeu per effectus ipſos cognitam. vtrum autem hæc virtus, vel à ſideribus, vel à ſuperna influentia, vt dixit Aponenſis, vel à quopiam alio auctore immittatur, non eſt præſentis negotij diſputare. Sed hoc in loco oritur difficultas, vtrum hæc facultas venenorum corruptrix ſit aliquid diuerſum à temperatura,vel qualitatibus; & quod facit difficultatem, eſt, quia Gal. 3. de ſimpl.medic. cap.18. de deleteriis loquens, ſcribit mortem nihil aliud eſſe, niſi ablationem motus cordis; auferri autem motum cordis non qualibet intemperie, ſed tantummodò inſigni. quo in loco videtur Galenus manifeſtè afferere, venena non occidere alia ratione, niſi propter intemperiem. adhæc idem Gal.3. de temper.cap.4. poſtquam dixit naturam eorum aduerſiſſimam eſſe naturæ noſtræ, ſubiungit hæc verba;Naturam autem dico vniuerſam ſubſtantiam, & temperiem ex quibus verbis videtur colligendum, vim venenorum ſecundum Galeni mentem, nihil aliud eſſe niſi ipſam temperaturam. Auic. quoque 6. quarti,tract.2. cap.1.de venenis ſermonem faciens, ſcribit, alia operari qualitate : alia verò tota ſubſtantia. ex quibus verbis colligi etiam poteſt, Auicennam voluiſſe venenorum vim eſſe etiam temperaturam quatuor qualitatum, vt etiam clariſſimè docuit Auer. 5. collect. cap. 22. Vt hæc difficultas tollatur, dicendum eſt, quòd cùm tota ſubſtantia, & natura ſpecifica venenorum ſit incognita, Galenus ſæpe nobis eam proponit ſub nomine qualitatum ipſarum, ſeu temperaturæ, quæ eſt ipſius primum inſtrumentum : ſic enim interdum conſueuit appellare animam, ſpiritum, eo quòd ſpiritus cùm ſit primum inſtrumentum animæ, nobis illius formam repræſentat. Quare ſi quandoque videtur Galenus huiuſmodi vim temperaturæ nomine deſignare, non eſt iccirco dicendum, voluiſſe illum omnem virtutem, aut omnem naturam eſſe temperaturam. id quod docuit 2. de temper. 6. vbi de virtute formatrice ſermonem habens, dixit eam quidem diuerſam eſſe ab elementorum qualitatibus,& iis tanquam organis & inſtrumentis vti. Quod verò ſecundò dicebatur ex cap.3.de temper. tantùm abeſt, mea ſententia, vt faueat opinioni eorum, qui putant naturam & animam eſſe temperaturam, vt potius ex hoc loco conii-cere liceat contrarium. quoniam ſcribit Galenus; Naturam dico vniuerſam ſubſtantiam,& temperiem : quaſi voluerit dicere naturam ipſam conſtitui ex tota ſubſtantia, quæ eſt veluti forma, & ex temperie, quæ eſt veluti organum formæ.

quod

quod quidem & in omni Philoſophia, & in omni Medicina, vt ego puto, veriſſimum eſt. Quod porrò dicebatur ex Auic. & Auer. venena aliqua operari qualitate;aliqua proprietate,id ſano modo intelligendum eſt: ſi quidem hoc perpetuũ debet eſſe fundamentum,omnia venena operari per proprietatem hanc & formam ſpecificam,verùm tamen interdum contingere, vt hæc forma vtatur qualitatibus euidentibus tanquam organis: interdum verò illis non vtatur, aut ſaltem obſcuro modo,& illud verum eſſe hoc vno exemplo liceat intelligere. quia ſi ſolæ qualitates,nimirum caliditas,aut frigiditas, poſſent abſque proprietate ſpecifica naturam euertere: proculdubio id efficerent corpora calidiſſima,& frigidiſſima. Vnde cùm aqua ſit primum frigidorum:cùm piper ſit corpus calidiſſimum,neceſſarium eſſet, vt interimerent tamquam venena, ſed cùm hoc minimè faciant,proculdubio exiſtimandum eſt,huiuſmodi qualitates non poſſe ſolas venenum facere:ſed neceſſarium eſſe, vt ſequantur alteram formam & proprietatem. Id quod intelligere volens Auer. in lib. de Theriaca, loquens de venenis calidis, & frigidis, dixit hæc interimere cum frigiditate, & caliditate mirabili. quaſi non ſola caliditas, aut frigiditas, ſed mirabilis caliditas, id eſt, iuncta admirabili virtuti hoc efficiat. ita vt conſtantiſſimum eſſe debeat, huiuſmodi naturam, naturæ noſtræ inimicam, eſſe vim ſuperiorem ipſis elementis.

An venena nutrire poſſint.

CAPVT IX.

HOc in loco dubitari poſſe video,cur apud pleroſque in controuerſia ſit poſitum, an venena nutrire poſſint, quandoquidem adeo naturæ noſtræ inimica ſunt.Ex vna parte Gal. 3. de ſimpl. medic.cap.18. referens hiſtoriam illius vetulæ quæ nutriebatur cicuta, manifeſtimè docuiſſe videtur, poſſe homines etiam venenis nutriri. præterea Auicennas loco citato de viribus cordis, ex ſententia Ruffi, antiquiſſimi Medici, ſcribit fuiſſe puellam, quæ nutrita veneno non ſolùm viuebat,ſed etiam tamquam res venenata halitu & amplexu alios venenabat.demum,vt antè retuli,ſunt populi, qui veſcuntur & ſerpentibus,& ſcorpionib. impunè. hinc ergo videre licet homines venenis nutriri. quod ſi verum eſt, minimè verum eſſe poteſt,vt facultas venenorum ſit adeo inimica naturæ noſtræ:ſi quidem,vt eſt omnium ſententia, nutrimur non contrariis, ſed ſimilibus.Ex altera parte eſt magnus Auer. lib.de Theriaca c.2. quo in loco quaſi deridens & has hiſtorias,& hanc Medicorum ſentẽtiam,ſcribit,& efficaciſſima ratione monſtrat, fieri nequaquam poſſe,vt homo vmquam veneno nutriatur;ſi quidem cùm nutritio fiat à ſimili, ſi corpus noſtrum nutriendum eſt veneno, neceſſe eſt vt euadat illi ſimile. Cùm autem venenũ ſit contrarium naturæ hominis,ergo,inquit Auer.homo euadit contrarius homini:& conſequenter,ſi contrarius erit, non amplius verè homo,ſed æquiuocè homo appellandus erit.Pro tollenda hac difficultate dicendum,nutriri poſſe dupliciter intelligi, vel verè & propriè:vel non verè. nutriri propriè eſt,cùm nutrimentum in ſubſtantiã nutriti mutatur. nutriri autem non verè dicitur,quando aliquid ſumitur,quod tametſi in ſubſtantiam minimè conuertatur, non offendit tamen, neque lædit. ſic dicitur ſtruthiocamelus nutriri ferro, non quia ferrum permutetur in ſui ſubſtantiam, ſed quia deuorat ferrum, nec ab eo læditur. Si itaque nu-

tritio impropriè accipiatur,dici poteſt,venena nutrire.quandoquidem multa ſunt, quæ intus accepta minimè offendunt. Sed ſi nutritio propriè accipiatur, tunc videndum eſt, an venena offendant tota ſubſtantia, ita vt nullam partem alimentalem habeant: an potius etiam cum iis copulata ſit aliqua alia pars alimentalis.ſi enim nihil alimentalis habeant,numquam verè nutrire poſſunt:ſed ſi etiam aliqua pars alimentalis ſit iis coniuncta, tunc dicendum eſt venena poſſe nutrire, quæcumque ſint. & ratio eſt, quia vbi corpus confirmatum,& corroboratum, vel aſſuetudine, vel alia ratione eſt; tunc poteſt partes alimentales à deleteriis ſegregare,atq; ita frui alimentalibus, & à deleteriis non offendi: aut etiam ipſas partes deleterias frangere, & ex toto delere. Sed video hoc in loco dubitari poſſe,ſi hoc verum eſt,quomodo fieri poſſit,vt frangatur venenũ,& diſſoluatur; & tamen corpus quod aſſumpſit illud impunè poſſit alios venenare;ſi quidem videtur à ratione alienum,vt ſi venenum ſit extinctum,debeat aliis nocere.Cùm tamen referatur hiſtoria illius puellæ veneno nutritæ,qua reges Perſarum alios interimebant.Dicendum non eſſe præter rationem, vt quiſpiam poſſit alios venenare, neque ipſe tamen à veneno lædatur, quemadmodum videmus quoſdam alios inficere peſte: & tamen ipſos nõ infici. ſicut etiam vſu compertum eſt mulieres impertiri luem gallicam concumbentibus,& ipſas tamen omnis mali expertes viuere. Quomodo autem iſtud fiat, hæc eſt ratio, quia quotieſcnnque cor, vel naturali facultate, vel conſuetudine; vel etiam antidotis ita paratum, & confirmatum eſt, vt à venenis non lædatur,poteſt ita illa diſſoluere, vt parte alimentali corpus nutriatur, & pars venenata,vel in humoribus, vel in pilis,vel in aliis excrementis ita conſeruetur,vt alios coinquinare & violare poſſit;corpus autẽ quod geſtat huiuſmodi venenum, remaneat illæſum; huic etiam veritati adſtipulari illud poteſt,quòd pleraque animalia venenata reperiuntur, quæ venenum non in vniuerſo corpore, ſed in aliquibus partib.geſtant.canis rabidus illud tantũmodo habet in ore;vipera in dentibus, in ſaliua, in cauda: dracho piſcis in ſpina ſolùm. & quod magis mirum eſt, paſtinaca piſcis venenum habet ſolummodò in ſummitate caudæ,quæ radius vocatur, quod vſque adeo exitiale eſt,vt (quemadmodum referunt Nicander, Opianus, Ælianus, & alij multi) non ſolùm interimat, dum viuus eſt piſcis; verùm etiam mortuo ipſo, ſi tangat, vel plantas, vel animalia, omnia ſtatim extinguat & occidat. Quare neque à ratione, neque ab vſu rerum alienum eſt, poſſe in corpore humano venenum latere, quod geſtantem non offendat, & aliis noceat.

De modo quo venena interimunt.

CAPVT X.

SEquitur vt videamus modum quo venena omnia interimunt, quandoquidem Medicis peritis non ſat eſt intelligere vim venenorum exitialem eſſe,niſi ſimul intelligatur, quis ſit modus, & quæ ratio mortis, quam inferunt. Gal. lib. 3. de ſimpl. medic. 18. docens præclara multa de medicamentis venenoſis, monſtrat mortem nihil aliud eſſe, niſi deſinentiam, vel ceſſationem motus cordis: deſinere autem motũ cordis,aut ob inſignẽ aliquã intemperiẽ, aut à tota ſubſtãtia. Ex quo loco obiter colligi poteſt,apud Galenum diuerſam eſſe totã ſubſtantiã ab ipſa temperatura,

peratura, quaſi velit potiſſimam rationem, qua venena occidunt,eſſe ingentes intemperies & ſimplices,& coniunctas, quibus afficitur cor.Auer. lib.5. collect. 22. quatuor modos proponit, quibus venena perimunt:primus eſt, quia priuant ſenſu & motu cor ipſum, atque etiam totum animal; cuiuſmodi ſunt pleraq; venena refrigerantia. Alter, eſt permutatio totius temperamenti, & totius ſubſtantiæ corporis, quaſi mutent vniuerſum corpus, perinde atq; aurum permutatur in calcem, vt dicit Auer.Tertius modus eſt veheméti attractione, quemadmodum elleborus: nã elleborus, & alia huiuſmodi medicamenta occidunt non alia ratione, niſi quia vehementiſſimè humores quoſcunq; à corpore extrahunt. Quartus & vltimus, eſt purgatio, ſeu euacuatio ipſius ſanguinis, fundamenti caloris,& vitæ. Ex quo loco colligi poteſt,Auerroëm quoque voluiſſe reperiri medicamenta, quæ purgant & euacuant ſanguiné:contra quam(vt aliàs dicebam)Meſues docuit.Ceterùm Petrus Aponenſis ſectatus Auic.6. quarti.tract. 2. cap.1.diuidens venena in operantia ſecundum proprietatem, & operantia ſecundum qualitates manifeſtas, inquit, quæ operantur proprietate ſpecifica,hoc pacto interimere, quoniam vbi aliquam parté ſemel infecerint, pars ea proximam inficit, & proxima aliam, ita vt ſeſe hunc in modũ propagent & dilatent,vſquequo in cor perueniant, quod deinde inimica & aduerſa facultate vitiant,& corrumpũt:ſicq; conſequenter vniuerſi corporis naturam euertunt. Quæ auté qualitate manifeſta interimunt, inquit Auicennas & Petrus Aponenſis id facere,vel quia calida ſunt, vel quia frigida,vel quia ſicca.Vtrũ autem humida etiam venena reperiantur, diſputatum eſt. & licet Galenus videatur quandoq; cóceſſiſſe huiuſmodi venena:tamen ſum ego huius ſentétiæ venena purè humida non reperiri,eo quòd huiuſmodi qualitas minimæ omnium actiuitatis eſt,vt propter hoc dixerit etiam Gal. 2. de medic. local. ab humido ſolum non induci dolorem. Quæ caliditate venena interimunt, vel id faciunt corrodendo, quemadmodũ lepus marinus, cuius venenum cùm calidum ſit, corrodendo interficere ſolet:atq;hoc interfectum fuiſſe Titum Imperatorem à Domitiano fratre relatum eſt. Vel interimunt inflammando. ſic enim euphorbium cùm ſua caliditate vehementer accendat,conſequenter etiam mortem inducit. Ceterùm, quæ interimunt frigiditate, aut id faciunt congelando cor, & ſanguinem, ac propterea ſenſum & motum auferendo,cuiuſmodi eſt opium,& cicuta.Vel id faciunt obſtruendó, ita vt claudatur aditus ſpiritui tum ingredienti,tum egredienti: quemadmodum facit plumbum vſtum, gypſum, quo Proculeium quendam ob dolorem ſtomachi ſe ſtrangulaſſe narrat Plinius. Poſtremò, ſicca interimere ſcribunt hi autores, vel quia humidum omne depopulantur & abſumunt, vt facit calx, chalcanthum,ſiue vitriolum.Vel quia diuidunt partes cótinuas,quemadmodum facit Reagal,ſiue toxicum muris, ſeu arſenicum. Hi ſunt modi ab aliis propoſiti, quibus venena occidunt. Sed inueniamus nos alium modum ex rei ipſius natura, qui poſſit & faciliter apprehendi,& memoria teneri.inuenietur auté hic,ſi primùm illud ſupponamus,omnia venena apta,& nata eſſe mortem inferre; mortem autem, vt præclarè docuit Ariſt. in libro de morte & vita cap. 4.nihil aliud eſſe,niſi ipſius caloris extinctionem. Quantiſper enim animalia viuunt,ſemper calida ſunt; ſecus quàm plantæ, quarum calor poténtia quidem eſt, ſed non actu. vbi autem ſemel animal expirauerit, protinus totum refrigeratur. quo ratiocinio inuitatus Ariſtoteles dicebat,mortem nihil aliud eſſe niſi caloris conſumptionem.Extinguitur autem & conſumitur calor animalis vel à ſeipſo, vel à contrario. A ſeipſo quidem, quoniã calor aſſiduè depaſcens humidũ cui innititur, illud tandé diuturnitate huiuſmodi paſſionis conſumit, & ſic mors ſubſequitur. quemadmodum contingere

videmus in ipſis animalibus ſeneſcentibus. Vocatur autē modus huiuſmodi mortis à Græcis μάρανσις. nos poſſumus dicere tabeſcentiam, vel exſiccationem. Extinguitur calor quoque à contrario alia ratione, quia ſicuti inimicus à valentiori inimico ſuperatur; ſic calor à contrario ſuo valentiori victus tandem extinguitur. & dicitur hoc genus mortis ab Ariſtotele σβέσις. nos dicere poſſumus extinctionem. Ceterùm illud conſtantiſſimum eſt, venena non occidere exſiccatione, quia ſi verum dixit Ariſtoteles, id tantummodò contingit in ſenectute. quare ſupereſt venena idcirco extinguere, quia tamquam contraria & inimica calori natiuo ob ingentem vim ipſorum illum extinguūt. Sed non ſatis eſt intelligere, mortem à venenis inferri, quia calor natiuus ab ipſis iugulatur; verùm opus eſt etiam paulo exactius intelligamus modum & rationem qua id fit. Facilè autem hoc apprehendemus, ſi cogitauerimus, ad hoc vt calor incolumis remaneat, opus eſſe quatuor conditionibus. Vna eſt, vt tota eius forma & eſſentia integra ſeruetur. Altera, vt in ea ſit perpetuò menſura, quæ poſſit ſufficere omnibus vitæ operationibus perficiundis. Tertia, vt purus ſit. nam ſicuti ad hoc, vt lucerna luceat, requiritur debita non ſolùm olei copia, verùm etiam neceſſarium eſt, vt illud ſit purum, non fæculentum, nec aquoſum: ſic calor natiuus neceſſe eſt vt ſit & in debita menſura, & puritate. Et notandum hoc in loco, dum dico calorem natiuum, intelligere me ſimul eius ſubiectum, ſiue materiam, quæ eſt humidum natiuum. Quartam conditionem dico eſſe, vt conſeruetur motus ipſius caloris. nam quemadmodum habetur ex Galeno in libro de Maraſmo, & aliis in locis, calor animalium duos perennes & irrequietos motus habet. Vnum ſurſum, quo fuligines expelluntur. Alterum deorſum, quo alimentum attrahitur. Si vel tantiſper, aut vnus, aut ambo hi motus auferantur, protinus animal concidit. His igitur quatuor caloris natiui conditionibus ſuppoſitis, dicendum eſt, quodcumque venenum interimere, vel quia proprietate naturæ, & forma ſpecifica formam & eſſentiam caloris corrumpit, vel quia ipſius copiam, & menſuram imminuit, vel quia conſpurcat & defœdat ipſum calorem: vel motum ipſi calori aufert. Quæ agunt à ſola proprietate, id ſolum facere videntur, vt formam & eſſentiam ipſius caloris euertant; quamquam etiam multa ſunt, quæ proprietate ſola videntur motum ipſius caloris auferre. & ea ſunt quæ illico interimunt. Alia verò, quæ & proprietate, & qualitate manifeſta occidunt, idque faciunt, aut quia caloris copiam imminuunt, vt ſunt refrigerantia, & calefacientia: aut quia conſpurcant, & impurum reddunt ipſum humidum, atque ipſum calorem. Atque hi ſunt modi omnes quibus venena interimunt.

Quomodo venena ad actum reducantur.

CAPVT XI.

HActenus dictum eſt, qua ratione venena interimant. Supereſt vt intelligatur quo pacto ad actum redigantur, vt operari poſſint. nam etſi venena quæ ab animalibus eiaculantur ita actu ſint, vt ſtatim in corpora noſtra agant: reliqua tamen hac conditione carent, eo quia venena animalium, cùm à viuente mittuntur, calori aſſociata ſunt, vt non egeant alio calore. Ceterùm alia cùm calore viuo ſint priuata, & conſequenter in potentia tantum eſſe dicantur, ſit vt aliquo alio egeant, quo ipſorum potentia in eum actum perducatur, vt operari poſſit. Quæ ſit autem

autē ea vis, & ille auctor,qui deducit venena ad actum,magnopere dubitatum inuenio, ſi quidem in corpore noſtro , & in corpore animalium , nihil eſt quod agat præter calorem , quandoquidem , vt dicebat Ariſtoteles , frigidum non ingreditur opera naturæ , & ſi ingreditur, non vt agens , ſed potius vt commoderans, & contemperans. Sed alienum à ratione videtur , calorem natiuum poſſe venena in actum deducere. nam, vt dictum eſt, natura venenorum eſt illi aduerſiſſima. quòd autem inimicum ad actum reducat, & quaſi arma illi contra ſe porrigat, videtur à ratione alienum ; vt iure dubitarint ſcriptores, quomodo poſſint venena in actum deduci: nec ſolum de his dubitatum eſt ; verùm & de omnibus medicamentis , de quibus copioſiſſima quęſtio habetur apud omnes Auicennæ interpretes,præſertim verò apud Gentilem. Ceterùm quia inſtitutum noſtrum non eſt , huiuſmodi quæſtionibus noſmet implicare , quæ ſit veritas ſecundum Galeni mentem (qui pleriſque in locis huiuſmodi materiam ampliſſimè tractauit)expendamus ; præſertim verò 3. de ſimpl.medicam. à capite 18. vſque ad caput 31. adeo præclarè & doctè hunc modū explicauit,vt pauca admodū deſiderari poſſint.Supponatur ergo quod ſæpius retuli,alia eſſe venena,quæ ſola naturæ proprietate, & tota ſubſtantia interimunt:alia verò , quæ & proprietate quidem , ſed multo magis qualitatibus. quæ proprietate agunt,cùm vim habeant efficaciſſimam,vt operari poſſint, ſolùm egēt, vt pauliſper incaleſcant : vbi autem calefacta ſunt,partes vbi ſunt grauiter lædunt, quæ læſæ illa propellunt ad viciniores partes,& viciniores ad proximas, vſquequo ad cor pertingant, vbi tanquam in propria ſede ad perdendum illud,& vitam, omnes neruos intendunt. Ceterùm quæ qualitate perimunt, vel calida ſunt,vel frigida.calida,& ipſa cùm ſint maximè actiua,indigent tantum,vt calefiant ; vbi autem incaluerunt,ſtatim vires ſuas explicant, & in cor penetrantia exitium adferūt.hæc omnia ferè plana , & manifeſta ſunt. Sed hoc difficile videtur cogitari poſſe, quomodo calor ſuis inimicis contra ſe auxilietur , quod tamen facit non per ſe , ſed per accidens: quia cùm calor continuò occupatus ſit in conficiendo cibo,& diſtribuenda vita , neceſſariò calefacit quidquid in corpore reperitur. vnde cùm reperiūtur venena,neceſſitate quadam,non intentione naturæ incaleſcunt, & ad actum deducuntur. Ceterùm de venenis frigidis maximè dubium eſſe poteſt , & alia re videntur egere , vt ad actum deducantur , quo fit vt Galenus coactus fuerit proponere alium modum,quo hæc à calore in actum deducuntur. eſt autem hic, quia venena frigida duas conditiones habent. Vnam , quòd craſſa & terreſtria ſunt, vt omnia frigida. aliam, quia cùm craſſa ſint , tarda & pigra ſunt ad motum, vt ſi penetrare in cor debeant, opus ſit vt attenuentur, & vt vel attractione, vel impulſu moueantur : quæ omnia neceſſariò præſtantur ſibi à calore. nam vbi frigidum venenum ſemel corpus læſit , calor natiuus aduerſus ipſum inſurgit, in qua pugna attenuantur per accidens ipſa venena frigida , & conſequenter viæ dilatantur ; ac calore quoquo pacto aucto maior attractio fit ipſorum venenorum,& conſequenter ruina pernicioſior , adeo vt ex hoc Galeni diſcurſu manifeſtiſſimè colligatur, venena frigida in actum deduci, quia in pugna à calore natiuo attenuantur, & per arterias,& per dilatatas vias impelluntur , & trahuntur ad cor. propter quod dicebat Galenus corpora calida citiùs & faciliùs ab ipſis perimi quàm frigida. quoniam calida & latiores vias habent , & in iis maior fit attractio. Hæc quamquam ſint veriſſima Galeni oracula,complures tamē,&graues difficultates ex ipſis oriuntur. Prima eſt,quia ſi venena frigida à calore natiuo incaleſcunt,non videtur poſſe amplius refrigerari.quis enim eſt qui non videat aquam calefactam actu calefacere ? Alia difficultas eſt , quia non videtur eſſe verum , corpora calida magis lædi

à venenis frigidis; primùm,quia Theoph. lib.9.de hiſt.plant.c.17.ſcribit Thraſyam illum Mantinenſem conſueuiſſe cicutam colligere ex locis frigidiſſimis, & miſcere etiam medicamentis frigidiſſimis, vt magis interimeret. quod argumentum eſſe poteſt, venena frigida, quanto magis iunguntur rebus frigidis, tanto magis exitialia eſſe. ad hæc, ſi calidum maximè actiuum eſt, & pugnat ſemper aduerſus frigus,tamquam aduerſus inimicum, videtur rationi conſentaneum frigida venena debere potius in corporibus calidis frangi & hebetari. quod forſan cùm intelligeret carnifex ille Socratis apud Platonem in Phædone, iuſſit ipſi, ne poſt ſumptam cicutam inambularet, ne ſcilicet veneni opus tardaret. præterea vinum eſt venenũ cicutæ, vt dicebat Auer. quia ſuo calore extinguit frigiditatem illius, vt etiam dicebat Galenus. igitur videtur etiam calorem natiuum imminuere vim ipſorum venenorum. Tertia difficultas eſt de venenis refrigerantibus extra applicatis,quomodo ſcilicet poſſint ad actum deduci. nam ſcribit Diodorus Siculus libro 2.ex narratione cuiuſdam Iamboli mercatoris, in Arabia felici reperiri quoddam genus herbæ,ſuper quam qui dormiunt ſuauiſſimo ſopore corripiuntur, & ita intereunt. ſoporẽ inducere frigida manifeſtũ eſt apud Medicos: quod ſi eſt, qua ratione poteſt hoc frigidum venenum deduci in actũ?quod dico de hac herba,pariter dici poteſt de aliis venenis,vt de illo quo aiũt nequiſſimos quoſdã inficere ſtapedas equorum, & ita interimere.Poſtrema difficultas eſt, quia duæ contradictiones videtur eſſe in Galeno.prima eſt,quòd loco citato 3.de ſimp. medic. vult venena frigida attenuari,calefieri,& permutari à calore:ſed 3.lib.de temper.cap.3.non longè à fine,manifeſtiſſimè ſcribit venena frigida,vt opium & cicutam,ne tantillum quidem mutari à corpore noſtro. altera eſt,quoniã Galenus 3.de ſimpl.medicam.cap.20.ſcribit,venena frigida nequaquam toto genere eſſe deleteria, ſed ſola quantitate. tertio autem de tẽper.4.ſcribit,ea tota natura, ſubſtantia, & genere eſſe deleteria. Vt ab his difficultatibus liberemur,dicendũ ad primam, id quod ſcribit Galen. 3. de temper. ex ſententia Ariſt. quæ calefiunt, vel calefieri eſſentialiter, vel accidẽtaliter.quæ calefiunt eſſentialiter,diu permanent calida actu:quæ autem per accidens,modico tẽpore durant calida,ſed protinus ad priſtinam frigiditatem redeunt.probat Galenus hoc & exemplo,& auctoritate Hippocratis;exemplo,quia & ptiſſana.& lac ſæpe frigida actu vomuntur, eo quia cùm calefacta ſint accidentaliter in ventriculo, citiſſimè exũt illam caliditatem; auctoritate etiam Hippocratis,quia is lib. de nat. hum. ſcribit, pituitam & extra corpus noſtrum, & in corpore frigidam eſſe actu, quod alia ratione fieri non poteſt, niſi quia caliditatem quam acquirit in corpore accidentariam facilè dimittit. itaque dicendum,venena frigida,etſi parum incaleſcant in corpore, eam tamen caliditatem accidentariam eſſe, & iccirco facilè eam exuere,& in propria frigidate manere,atq; ſic refrigerare, & interimere. Ad aliam difficultatem dicendum eſt,corpora calida vel multum calida eſſe,vel moderatè. ſi moderatè calida ſint, faciliùs interimuntur à frigidis venenis, propter rationem quam attulit Galenus. ſed ſi multum calidã ſint,difficiliùs interimuntur,propterea quòd potentiſſimè ipſorum calor agit in frigus venenorum: & hæc ſolutio elicitur ex verbis Galeni, qui loquens de vino & cicuta, dicebat, ſi vinum miſceatur cicutę in exigua quantitate,venenum fieri letalius,quia auget potius penetrationẽ: ſed ſi multum vini immiſceatur,contrariũ fieri,ſcilicet extingui frigus ipſius cicutæ à calore vicini. id quod etiam reſpondendum eſt ad exemplum ſumptum à Platone;ad auctoritatem Theophraſti,quæ nihil, aut parũ contra facit, quia loquitur tantũ de veneno frigido per ſe non cõparato ad corpus, quia huiuſmodi venenum, quãto pluribus refrigerãtibus commiſcetur,tãto efficacius euadit.Ad tertiã dicẽdũ eſt,

eſt, herbã illam felicis Arabiæ inferre quidem mortem ratione frigiditatis, ſed ad actum deduci ex attritione, quã faciunt corpora ſuperincũbentia:nã ex huiuſmodi attritione veriſimile eſt vapores frigidos concitari,qui ingredientes corpus ſua frigiditate, & ſoporem, & mortem inferunt;quemadmodum certa experientia docet, eos qui dormiunt ſupra crocũ non alia ratione interire,niſi quia ex eo decubitu calefactus crocus vapores morbidos,& pernicioſos in caput mittit:qui ſua illa inſigni vi cerebri temperamẽtum euertũt.idem quoq;dici poteſt de veneno illo quo inficiũt ſtapedas(ſi tamẽ verũ eſt,de qua re ego dubito) nam ex attritu pedũ ſupra illas,venenũ illud cõuertitur in vapores,qui exhalantes in cerebrum,& cor, & alias partes,mortẽ inferunt. Ad poſtrema dicendũ,& primùm ad primã contradictionẽ, duplicem eſſe mutationem,aliam quidem ſubſtantiæ,aliã verò ſecundũ qualitates. quãdo Galenus ſcribit,venena frigida à corpore noſtro mutari,intelligit de mutatione ſecundũ qualitatẽ:quia inquit huiuſmodi venena attenuari,& ad motum cõcitari.quando verò 3.de temperam.ſcribit,ea nihil mutari in corpore, intelligit nõ de mutatione ſecundũ qualitates,ſed ſecundum ſubſtantiã,quia verè frigida venena,vt opiũ, non mutantur à calore noſtro ſecundum ſubſtantiã , alioquin conuerterentur in alimentum.Pro ſecunda concilianda contradictione vehementer laborauit Fuchſius aduerſus Brach.in cõmentar.ſuis ad 3.de temper.vbi inquit, quando Galenus in 3.de ſimpl. medicam. ſcribit, frigida venena non eſſe genere deleteria, ita eſſe intelligendũ,quòd non in vniuerſum,hoc eſt,quocunque modo,ſed ſolummodò ſecundum quantitatẽ ſint deleteria. vbi verò in 3. de temper. dixit eſſe genere deleteria,intelligendum eſſe,quòd ſint ex genere deleteriorum.Fuchſij modus in cõcilianda Galeni cõtradictione, veritati quidẽ cõſonus eſt; ſed ſi verba Galeni diligenter conſiderẽtur, haud ſatis ipſis accommodari poteſt;quandoquidem iiſdẽ penè verbis 3.de ſimpl.med. 20. vtitur, quibus etiã 3. de temper. 4. vt ſi verba ſint eadẽ,pari pacto debeant eſſe eadem & ſignificatio,& vſus;accedit,hac voce τῷ γένει nũquam vti pro eo acſi dicat κατὰ γένος, vt videtur voluiſſe Fuchſius.quare cùm diu circa hanc difficultatem verſatus eſſem,vix inuenire potui,quod mihi ſatisfaceret. duobus tamen modis exiſtimo poſſe reſponderi. vnus eſt,deleteria genere , vel eſſe deleteria potentia tantum ; vel deleteria potentia & actu. potentia tantum ſunt ea, de quibus loquitur Gal.3.de ſimpl.med.20. quippe quæ ad hoc vt actu operentur,præter contrarietatem generum opus habent etiam quantitate,vt cùm quantitas maximè requiratur , dixerit Galenus interficere ſola quantitate. de venenis autem deleteriis & potentia, & actu locutus eſt 3. de temper. 4. Alius modus reſpondendi eſt,deleteria vel eſſe propriè dèleteria, vel impropriè. propriè delereria ſunt , quæcumque non poſſunt permutari in ſubſtantiam corporis. impropriè verò deleteria dicuntur, quæ tametſi poteſtatem habent necandi, tamẽ poſſunt etiam aliqua ex parte in ſubſtantiam corporis conuerti. de deleteriis propriè acceptis loquitur Galenus 3. de temper. quo in loco ſcribit , deleteria non eſſe expendenda quantitate , ſed dumtaxat contrarietate naturæ , quòd ſcilicet ea propriè dicantur genere deleteria, quæ habent contrariam naturam noſtro corpori ; atque hæc ea eſſe quæ immediatè non poſſunt cõuerti in noſtram ſubſtantiam,exemplo aquæ,& ignis , quæ dicuntur eſſe prædita contrariis naturis, quoniam nec aqua in ignem, nec ignis in aquam poſſunt mutari immmediatè. de impropriè autẽ acceptis locutus eſt Galen. 3.de ſimpl. medicam.atque id facilè perſpici poterit, ſi finis antecedẽtis capitis examinetur,vbi cùm dixerit lactucam venenum eſſe ſi largiter edatur, quæ tamen nutrit , & cùm dixerit etiam cicutam quandoque nutrire, in initio ſequentis capitis infert : venenorum igitur quæ frigida ſunt , genere non ſunt dele-

teria,ſed ſolùm quantitate,quaſi manifeſtè loquatur de venenis frigidis,quæ non habent eam naturam,vt tranſmutari poſſint in corpus: qualem habet opium,quod quidem etſi dicat Galenus 8. de medicamen. local. cap. 3. & Auicen. lib. 2. vbi tractat de opio, maximè refrigerare corpora noſtra : tamen, vt ego ſuo loco diſputabo, opium refrigerat quidem & irremediabiliter ; ſed non occidit ratione frigiditatis, ſed ratione ingentis contrarietatis, quam habet aduerſus naturam noſtram. Atque hinc compertum eſſe poteſt, quæ ſit cauſſa formalis venenorum.

De cauſa materiali, efficiente, & finali venenorum.

CAPVT XII.

SEquitur vt quæ ſint aliæ venenorum cauſſæ, & breuiter, & perſpicuè videamus. Democritus quidem & Epicurus pleriſque in locis, præſertim apud Lucretium lib.4.de natura, fuerunt eius ſententiæ,venenorum materiam eſſe corpuſcula aſperis, & hamatis, ſiue aduncis figuris prædita. ſed huiuſmodi antiqua ſententia iamdudum exploſa fuit, & ab Ariſt. & aliis. quare dicendum, venenorum duplicem eſſe materiam,alteram communem,& vniuerſalem;alteram immediatam, & particularem. materia communis ſunt elementa, ex quibus cùm omnia miſta componantur, non eſt dubitandum etiam ipſa venena componi. propria autem,& peculiaris materia triplex eſt, vapor, humor,ſiue ſuccus, & pars terreſtris. quidquid enim veneni inuenitur,ſiue ſit ab animalibus,ſiue à plantis, ſiue à mineralib, ſitum eſt tãquam in propria materia,vel in vapore,vel in humore,vel aliqua parte terreſtri. De cauſſa efficiente venenorum Aſtrologi ſenſerunt eſſe concurſus ſiderum, & propterea quodlibet venenum alicui aſtro attribuerunt: & ducti ſunt, vt puto, hac ratione, quia cùm vis ipſorum ſecreta ſit, & ſola experientia nobis cognita, neceſſariúmque ſit aliquam ipſis aſſignare cauſſam, confugerunt ad cœlum, quod vniuerſalis cauſſa eſt. ſed quod dicebat Picus Mirandul. 3. lib. contra Aſtrologos de peſte, ſcilicet fieri non poſſe, vt à cauſſa diuina pernicioſus effectus prodeat: id etiam fortaſſe dici poſſet & de venenis. Inter Theologos fuerunt, qui exiſtimarunt venena producta eſſe à peccato Adæ. ſed neque hæc opinio rationi conſentanea eſt; quia antequam Adam peccarit ſerpens erat qui ipſum ſeduxit. quare multo melius illi dixerunt,vt dixit diuus Baſilius quinta homilia ſuper Exodum, à Deo optimo producta eſſe venena eo tempore, quo omnia producta fuerunt.Medici verò & Philoſophi venenorum nullam aliam cauſſam efficientem cognoſcunt, niſi naturam ipſam vniuerſalem, quæ, quæcunque potentia ſit, ſolari calore tamquam proprio inſtrumento vtitur ad producenda omnia miſta, inter quæ cùm etiam ſint venena,iure ſtatuendum eſt, ipſa quoque ab hac natura vniuerſali medio caloris cœleſtis, & ſolaris produci. De cauſſa finali cùm loqueretur Plinius libro 2. cap. 23. dixit venena non ob alium finem eſſe producta à natura, niſi vt homo conſtitutus in fame, tormentis, & ærumnis poſſet ſtatim miſerias omnes cum vita finire. ſed nugæ impiæ ſunt, & eius auctoris qui cùm nullam animæ immortalitatem cognouerit, facilè potuit huiuſmodi monſtra proferre, ſi quidem numquam compertum eſt, vel Deum, vel Naturam mortem effectuum ſuorum intendiſſe:

intendiſſe : vt iure Ariſt. 2. Phyſic. vehementer damnarit illos, qui dicebant mortem eſſe finem rerum, nam non poteſt eſſe finis naturæ, quia ab ipſa numquam intenditur. quare multo ſatius eſt, dicere venena duobus modis conſiderari poſſe : vel vt naturæ noſtræ inimica, & letalia, vel vt corpora naturalia. primo modo conſiderata nullum finem habent : & ratio eſt, quia quòd perimant proficiſcitur tantummodò à prauo vſu, & peruerſa hominum voluntate, quemadmodum ferrum, & alia medicamenta occidunt homines, non alia ratione quàm quia malè vſurpantur : ſi autem conſiderentur, vt ſunt corpora naturalia, ſic habent fines ſuos, & quidem optimos, quia, vt præclariſſimè docuit D. Baſilius, qui etiam fuit Medicus, loco citato, ſunt tres : vnus, eſt vtilitas artium. nam complures inueniuntur artes, quibus vtiliter inſeruiunt huiuſmodi venena ; ars tinctoria, pictoria, ſutoria, ars cælandi, ars argentariorum, quæ omnes, & aliæ complures vtuntur venenis ad ſua opera aptè & integrè perficienda. Alius finis, ſeu vtilitas venenorum eſt propter animalia multa, quæ victitant, & nutriuntur iis, vt ſturni, & capræ veſcuntur cicuta, ſues hyoſcyamo, hirundines cantharidibus, coturnices elleboro, quare cùm his animalibus vtilia ſint hæc venena, eapropter etiam producta ſunt. Tertius finis eſt, quoniam non pauca ſunt venena, quæ homini ipſi vtilia ſunt ad depellendos varios morbos ; elleborus inſaniam curat, aconitum ſcorpionis morſus, hydrargyrum ſcabiem ferinam, & lepram, arſenicum valere in peſte experientia probatum eſt. immo verò Gal. 5. Meth. cap. 6. vtitur paſtillis Andronis & Paſſionis aduerſus ſputum ſanguinis, qui conflantur ex arſenico, & calcantho ; præterea quot ſunt vlcera, quæ medicamentis venenatis ſanantur ? vt etiam venena propter hunc finem eſſe producta videantur. Sed hic oritur breuis difficultas, qua ratione fieri poſſit, vt venena exitialia applicata noſtro corpori ſiue intus, ſiue extra curent morbum, & tamen corpus non offendant ? nam videtur contrarium euenire debere, eo quia natura fracta à morbo debilis reddita multo facilius offendi poteſt à cauſſis venenatis. fuerunt, qui vt hunc nodum explicarent, dixerunt naturam multo robuſtiorem euadere, vbi contra duo venena inſurgit, quàm vbi contra vnum tantum, & idcirco non eſſe mirum, ſi exiſtente vno veneno in corpore profit aliud, quia natura toto conatu inſurgit aduerſus hos duos potentiſſimos hoſtes. Sed hæc pura infantia eſt, quia nemo eſt qui clariſſimè non perſpiciat multo difficilius eſſe aduerſus duos, quàm aduerſus vnum pugnare. quapropter dicendum puto propter duas cauſſas contingere, vt venenum adhibitum corpori venenato, & morboſo minimè offendat partes ſanas, & curet morbum. Vna eſt, quia medicamenta vbi in corpore humano reperiũt humores vitioſos, in eos agunt, atque extrahunt, vſquequo ex toto ſint ſuperati, poſt quod deinde agunt etiam in humores vtiles : quod cognoſcens Hip. dicere ſolebat in Aphoriſmis, corpora ſana non eſſe medicamentis tractanda. quia hæc ſi non inueniant vitioſos humores, agunt in vtiles, atque ita conſumunt corpora : haud ſecus contingit & ipſis venenis, quæ ſi reperiant in corporibus noſtris humores vitiatos & venenatos, in eos totis viribus agunt, & conſequenter dimittunt partes ſanas. Cur autem venena agant in humores vitioſos, & venenatos, duæ ſunt rationes. Vna, ſecreta quædam antipathia, quæ eſt inter venena, & venena, quæ licet in hoc conueniant, vt ſint deleteria, differunt tamen, & materia proxima, & qualitatibus, vt propter hoc dicendum ſit, venena aggredi potius venenatas materias quàm ſanas : quod etiam appoſitiſſimè dixit Plinius loquens de aconito, quandoque inquit duo venena in corpore aduerſus ſe pugnare, vt homo ſeruetur. alia ratio eſt, quia materiæ venenatæ ſunt à

natura corporis iam penè expugnatæ. ſi quidem vbi materia quæpiam eſt in corpore, facultates omnium membrorum inſurgunt aduerſus ipſam, & illam vincere conantur: quo fit vt huiuſmodi materia iam ferè expugnata, facilè poſtmodum ſubiiciatur actioni ipſorum venenorum, quæ cùm agant in id, quod facilius pati poteſt,& humores vitioſi ſint huiuſmodi, fit vt aduerſus ipſos agant. Tertia & poſtrema cauſſa eſt,quoniam venena, quæ adhibentur vt remedia, duas partes habent, vnam vtilem,& contrariam humoribus vitioſis; alteram pernicioſam, & naturæ inimicam. parte vtili quid faciunt venena? curant prædictis rationibus ipſos morbos: calor natiuus,qui vt dicebat, Auicennas,eſt verus,& legitimus venenorum domator, euadit robuſtior, vtpote à vi & pugna prauorum humorum liberatus: vbi autem & robuſtior, & confirmator factus eſt, deinde ſummo vigore contendit aduerſus partem venenatam & inimicam, & conſequenter illam faciliter vincit. Sequitur modò, vt de differentiis venenorum agamus.

De differentiis venenorum.

CAPVT XIII

POſtquam naturam, & cauſſas venenorum tractauimus, exigit ordo vt differẽtias perquiramus,quas cõmodè inueniemus, ſi proximum genus in ſuas & particulares ſpecies partiemur. Genus proximum venenorum, vt dictum eſt in definitione,eſt miſtum non naturale: miſta autem diuiduntur ſua prima diuiſione, vel in artificialia, vel in naturalia: artificialia appello,quæ arte aliqua componuntur, naturalia verò, quæ ſponte naturæ abſque vllo humano artificio & fiunt, & adminiſtrantur. venena artificialia,aut ſunt vapores,quemadmodum fumus ille quo Franciſcus Ordelaphus interficiebat omnes proximos illi. aut ſunt ſucci, qualia ſunt vina venenata, quale erat mel illud quo narrat Gal. 11. de ſimpl. medic. cap. 1. peremptos eſſe duos imprudentes Medicos. vel ſunt pulueres,vt eſt puluis Adamãtis medicatus,puluis argenti ſublimati,& innumera alia venenorũ genera,quæ humana prauitas in perniciem excogitauit. hæc autem omnia artificialia venena vel intrinſecus,vel extrinſecus adminiſtrantur.Naturalia autem venena, vt ſcribit Ætius Promotus,ſumunt ſuas differentias vel à materia,vel à quantitate,vel à qualitate,vel à præparatione,vel ab operatione.materia venenorũ naturaliũ, vt ab hac incipiã,aut eſt in corpore humano,vbi fit,aut extra corpus.in corpore humano fieri venena luculẽtiſſimè docuit Gal.6.de loc.affect.c.5.vbi & ex ſemine retẽto,& ex mẽſtruis venenũ oriri apertè docet.extra nos materia venenorũ eſt,aut in aëre,aut in aqua,aut intra terram,aut ſupra. quæ in aëre eſt,vel in vniuerſali, vel particulari.In vniuerſali eſt tempore peſtilentiæ. & hoc dico aliorum motus ſententia; ſi quidem in tractatione noſtra de peſte probauimus, quòd tũc tẽporis aër verè venenatus nõ ſit. in aëre particulari,eſt materia venenorum in cauernis.nam ego vidi prope Romam ſpecus multas, in quas ſiue homo, vel animal quodpiam ingrediatur, illico interit, eo quòd ab aëre venenato propter chalcanthum, vt ego exiſtimo,ſtatim animalia interimuntur. in ſyris, ſeu foueis frumentorum fit aër venenatus, quem ſi quis imprudens hauriat, ſubitò interficitur. poſſumus quoque inter hæc recenſere aërem cubilium,vbi carbones malè præparati incendũtur; vidi enim

enim aliquos eſſe mortuos, qui imprudenter in huiuſmodi aëre obdormierant. Fiunt quoque venena in aqua, præſertim ſi in illa animalia venenata verſantur, & intereunt. & eſt apud Ariſt. lib. de mirabil.auſcul. & apud Vitruuium lib. 8. quòd reperiantur quædam aquarum naturalium genera, quæ potatæ ab hominibus, & irremediabiles morbos, & necem inducunt. Intra terram fiunt venena mineralia, vt arſenicum,chalcanthum, auripigmentum, & gypſum. Supra terram verò ſunt fungi,quorum multa pars ſolet eſſe letalis, vt dixerit Plinius quandoque integras familias eſu fungorum fuiſſe extinctas. Adhæc ſunt plantæ & animalia. in plantis quinque ſunt quæ ſolent eſſe venena, flores ſcilicet, vt violarum quarundam albarum,quæ ſi imprudenter edantur,ſolent effectus ſimiles venenis producere.fructus, vt poma mandragoræ, quæ dicitur vulgari nomine bella dona. & vidi ego pueros pulchritudine horum pomorum allectos interiiſſe. ſic etiam herba fabæ inuerſæ quam Telephium Matthiolus vocat.ſucci, vt opium, ſuccus lactucæ, cicutæ,ſuccus porri,ſi ad pondus drachmarum trium, aut quatuor ſumatur, & multo magis ſi plus. ſemina, vt ſemen hyoſcyami, cataputiæ, quod à Serapione vocatur derma.& demum radices, vt aconitum. Ab animalibus ſumuntur quoque variæ differentiæ materiæ venenorum ; quia vel venenata ſunt ſecundum totum,vel ſecundum partes,vel ſecundum excrementa,vel ſecundum humores vtiles.Secundum ſe tota cantharides ſunt venena. ſecundum partes vipera venenum habet in cauda & capite. paſtinaca marina in ſummitate caudæ. ſecundum excrementa, fel leopardi, vrina muris. narrant etiam Raſes & Albertus Magnus aliquos conſueuiſſe ſudore equi irati venenare cultellos, & ſagittas. ſecundum partes vtiles, vt ſaliua canis rabidi, ſaliua viperæ, ſanguis tauri, quo ſeſe Themiſt. iugulaſſe ſcribunt. oua aſpidum ſunt venena.vnde dicebat Iſaias cap. 19. ouum aſpidis qui ederit,morietur.præterea venena animalium ſolent quoque ſumi ex ipſis ſenſibus eorum, quandoquidem baſiliſcus, ſi verum eſt, ſolo viſu interimit. quidam item regulus ſibilo necat.torpedo venenat tactu,quemadmodum & amphisbæna ſerpens. atque hæ omnes differentiæ ſunt, quæ accipiuntur à materia. A quantitate autem capiuntur, quoniam alia venena interimunt minima, & ferè inſenſibili quantitate :alia paulo maiori : alia verò magna.inſenſibili quantitate necat illud quod naſcitur in Nubia, de quo aliàs ſum locutus. ſic venenum ſcorpionis dicebat Galenus minimum eſſe quantitate, ſed magnum virtute. maiori verò quantitate occidit opium, maiori adhuc cicuta, maxima copia ſuccus lactucæ. A qualitate capiuntur quoque differentiæ,quoniam aliqua ſunt calida,alia frigida,alia ſicca; alia grauem ordorem habent, alia ſunt inodora: alia ſaporis ſunt amari,vt opium, alia acris, vt arſenicum, alia ſubdulcis,vt cicuta,alia accidi,vt chalcanthum, alia coloris ſunt albi, vt arſenicum,argentum ſublimatum,alia crocei,vel auripigmentum, alia nigri, vt opium, alia viridis, vt æs viride appellatum, & alia. Capiuntur differentiæ à præparatione;alia enim parantur vna forma,alia aliâ:nempe vel in puluere, vel in potu, vel in cibis,prout impuri,& nefandi homines ea ſolent præparare. ſumuntur tandem differentiæ à modo operandi, quoniam alia interimunt diſſoluendo ſubſtantiam corporis humani,alia corrodendo & putrefaciendo,alia ſtupefaciendo,& calorem natiuum ſtrangulando,alia verò immodicè euacuando.atque hæc eſt ſeries, & tabula omnium differentiarum venenorum.

Varia

Varia quæ circa conſiderationem venenorum occurrunt problemata.

CAPVT XIV.

QVinque hoc in loco pulcherrima problemata diſcutienda veniunt. Primum, vtrum verum ſit cantharides toto corpore eſſe venenatas. Secundum, vtrum venenum vllum animalium poſſit eſſe frigidum. Tertium, cur ſit quòd natura varios ſapores in venénis fecit, cùm Ariſtotel. dixerit, omnia ferè eſſe amara, atqué hoc prouidentia naturæ poſtulare videatur. Quartum erit, vtrum in corpore noſtro poſſit venenum generari. Quintum, quæ ſit ratio, propter quam in animalibus venenatis non generantur vermes; hoc enim ſolùm inueni apud Senecam lib. 2. quæſt. natur. cap. 31. vbi ſcribit, animalia venenata non verminare; & id ex eo cognoſci, quòd ſi tangantur à fulmine, ſtatim incipiunt verminare, eo quia à fulmine deletur prorſus totum eorum venenum. Circa primum problema reperio aliquam difficultatem. nam Hippocr. in lib. de natur. mulieb. & in lib. de morbis mulieb. ſæpius vtens cantharidibus cauet, vt auferantur capita, pedes, & alæ, atque hæc abiiciantur: id quod etiam monuit in calce 4. libr. de rat. vict. acut. vbi docens quoddam medicamentum pro hydropicis, in quo ingrediuntur cantharides, præcipit vt abiiciantur capita, pedes, & alæ. ex quibus facilè licet colligere, Hippocr. voluiſſe non in toto corpore venenum eſſe, ſed duntaxat in capitibus, alis, & pedibus. ſententiam hanc ſecutus eſt Aëtius. Ex altera parte Dioſcorides, & Plinius ſcribunt, alas eſſe alexipharmaca, & antidotos pro iis qui corpora cantharidum ſumpſerunt, quaſi venenum horum animalium potius in reliquo corpore, quàm in alis poſitum ſit. Galenus autem 11. de ſimpl. medic. ſcribit, cùm reliqui Medici abiicerent in medicamentis cōponendis extrema cantharidum, ſeſe integras apponere conſueuiſſe. & in lib. 4. de ratione victus acut. narrat quoſdam ſecutos documentum Hippocratis, abiectis alis, pedibus, & capite dediſſe corpora cantharidum hydropicis, & eos occidiſſe: adeo vt facilè intelligi poſſit, non paucam diuerſitatem eſſe inter ſcriptores de veneno huius animalis. Ego, poſtquam huiuſmodi res nulla ratione determinari poteſt, quòd venenum horum animalium, quemadmodum & aliorum ſola experientia conſtet, ſum huius ſententiæ, venenum eſſe in toto corpore: ſed differentiam eſſe, quia extrema ſunt & acriora, & magis exitialia, ac propterea forſan Hippocratem præcepiſſe, vt hæc abiicerentur. nam ſi experimento conſtat, corpora cantharidum extremis detruncata mortem inferre, minimè dubitandum eſt, ſecundum ſe tota venenum geſtare. In ſecundo problemate non paucæ etiam difficultates ſunt. nam quidquid in animalibus eſt viuentibus calidum, ſenſu ipſo apparet, & dicebat Auerr. 5. collect. calidum animalium actu eſſe, non tantummodò potentia, quia plantarum eſt tantummodò potentia. præterea, ſi frigidum venenum reperiretur in animalibus, neceſſarium eſſet, vt eſſet in quarto gradu, quia non ſolùm frigiditas quæ minus actiua eſt, verùm etiam & caliditas opus eſt vt ſit in quarto gradu, ſi debet interimere. iam verò quî fieri poteſt, vt putemus in animali viuo & calente reperiri poſſe frigus, quod in quarto gradu ſit? ex altera parte non deſunt auctoritates, & exempla, quæ probant in animalibus frigida venena reperiri. Gal. 4. Meth. c. 3. manifeſtiſſimis verbis ſcribit ſcorpionis venenum frigidum eſſe. idem 2. de loc. affect. in fine viperas frigidas eſſe aſſerit. Salamandram frigidam

frigidam eſſe omnes ferè affirmant: vnde Nicander & Serenus Medicus dixerunt, etiam præ frigiditate ipſam non cremari, quod tamen falſiſſimum eſt, cùm à Gal. in lib.de cóp.med.ſecund.loc. habeantur medicamenta in quæ ingreditur ſalamandra combuſta.præterea torpedo venenat ſua frigiditate,quandoquidẽ nó ſolùm ſuo tactu, verùm etiã per media retia ſtupefacere conſueuit ipſos piſcatores. vt ex his omnib. facilè intelligi poſſit etiã in animalibus viuẽtibus reperiri venena quæ frigida ſunt:niſi etiã illud accederet, quod cũ hæc venena curentur antidotis calidis, certum ſignum eſſe poteſt, venena eſſe frigida. Pro diſſolutione huius difficultatis dicendum eſt, aliud eſſe animalia interimere veneno frigido; aliud eſſe interimere,& frigida eſſe.frigido veneno minimè animalia poſſunt perimere:quia nulla in viuente corpore poteſt eſſe vſque adeo inſignis frigiditas quæ enecet. ſed illud verum eſt, poſſe animalia venefica vi interimere, & tamen frigida eſſe: ſed quod conſpicitur in animalib.prædictis,quæ frigida quidem ſunt, ſed non frigiditate interimunt, verùm alia vi.neque valet, quòd aut curẽtur remediis calefacientibus,aut quòd ſequantur effectus frigidi, quia calefacientia adhibentur,quoniam euacuant & conſumunt materiam venenatã:& ſi frigidi effectus apparent, non eſt mirum, quoniã etiam à calidis venenis fiunt tremores & rigores, vt dicebat Auic. 6.quarti.tract.3.cap.21.vbi inquit aduerſus Raſem,ex veneno viperæ fieri effectus frigidos, quoniam ab eo ſtrangulatur calor natiuus, quo ſtrangulato deinceps apparent effectus frigidi.Erat tertium problema,cur natura non fecerit venena odoribus,& ſaporibus ingratis.nam etſi,vt ait Ariſt.1.ſect.probl.42.multa ſint venena grauibus odoribus,& ſaporibus prædita, ſunt tamen & aliqua, quorum neque ſapor, neque odor ingratus eſt, vt eſt cicuta, cuius ſapor ſubdulcis; venenum illud, quod Ephemerũ & Colchicon vocatur,quo vſam eſſe Medeã ſcribunt,vſque adeo gratum & iucundum eſt, vt dixerit Dioſcorides, ſe ſe propterea diligenter eius deſcriptionem attuliſſe, ne voluptate illius homines tracti deciperentur. debebat autem natura ſi ſollicita eſt ſalutis humanæ,ita efficere omnia venena,vt neque ab eis decipi, neque delectari homines poſſent. Dicendum pro ſolutione, naturam minimè produxiſſe venena ad perniciem, ſed tantummodò vel propter vſum artium,vel quia remedia ſunt,vt iccirco iure non fuerit vſq; adeo ſollicita,vt omnia venena ingratis odoribus, & ſaporibus produceret. accedit & alia ratio, quam attulit D. Baſilius in 5. homilia ſupra Geneſim, quòd natura dederit homini rationem & diſcurſum,cuius ductu poſſit optimè diſcernere vtilia ab inutilibus, letalia à ſalutiferis,& conſequenter abſque adminiculo guſtus, atq; odoratus ſeſe à venenis tueri. Erat quartum problema, vtrum poſſint in corpore noſtro venena perinde letalia generari,quemadmodũ fiunt extra corpus. Gal.6.de loc. affect.5.manifeſtiſſimis verbis dixit ſemen retentum, & menſtruas purgationes venenũ euadere. ſunt & multæ aliæ experientiæ, quæ hoc idem demonſtrant: conſtat enim menſtruatas mulieres venenare ſpecula,ſegetes,vt dixerit Columella mori omnes herbas ſi per hortũ mulier inambulet, dũ ſibi menſtrua profluunt. eſt quoque & illud certiſſimum,quòd omnes hi qui aliquando concũbunt cum mulieribus menſtruis laborantibus, letaliſſimos ſæpe morbos cótrahunt, ſæpius autem leproſi euadunt: qùo fit vt tempore Heſiodi, atq; etiam apud Hebræos fuerit lege vetitum, ne viri in eodem balneo verſarentur in quo mulieres menſtruatæ, & ne cum ipſis habitarent,vt veriſſimum ſit, quod dixit Solinus, Plinius, & alij, ſanguinem menſtruum interdum euadere purum venenum. his rationibus facilè colligi poteſt, venena etiam in corporibus noſtris generari.Sed ex altera parte,videtur à ratione alienum eſſe, vt in corpore noſtro fiat venenum. nam ſi fieri debeat, cùm auctor omnium

ſit

ſit calor,vel fiet à calore natiuo, vel à præternaturali. non à natiuo, quia hic ſemper auctor eſt vitæ & ſalutis,non auté veneni,aut perniciei;non ité à calore præternaturali, quia nihil agit ſupra potentiã propriam : vis auté veneni maior eſt quàm facultas , aut potentia caloris præternaturalis. ideo non videtur rationi conſentaneũ,vt à calore præternaturali producatur.nec quidquam valet quod ſemen retentum putredinem venenatam concipiat : quoniã id ſi verũ eſſet,quot ſunt virgines, quot ſunt homines , qui cùm abſtineant ab vſu Veneris , tamen nullum detrimentum incurrunt ? quia etiam ſi abundet ſemen, vſq; adeo benigna eſt illius materia, vt minimè credibile ſit,cõuerti poſſe in materiam veneficã.accedit etiã, ſi quãdoq; nimis excreſcat copia ſeminis , naturam conſueuiſſe illud expellere per nocturnas pollutiones, quibus fortaſſe tentatur vnus homo,& non bruta , vt dicebat Ariſt.in probl. quia cum vnus homo copioſiſſimo ſemine abundet , natura voluit vt copia expurgaretur per hanc viam , ne noceret : non autem cauſſa eſt , quam propoſuit Ariſt.ſcilicet quòd vnus homo dormiat ſuper dorſum,& non bruta. Dicendum ergo pro huius difficultatis explicatione , venenum fieri in corpore noſtro , duobus modis intelligi poſſe , vel quòd fiat verum venenum , vel quòd fiat res ſimilis illi. fieri verũ venenum propter antè dictas rationes, abſurdum eſt :fieri autem rem illi ſimilem , eſt rationi conſentaneum. atque hoc pacto locutum eſſe Gal. 6. de loc. affect. facilè videri poteſt, ſi Græcus contextus,& non Latinus inſpiciatur : ſi quidem verba Gal. ita ſonant, qualitatem ſimilem veneno generari in corporibus noſtris ex ſemine & ſpermate retentis. porrò hæc ſimilitudo in tribus poſita eſt ; primùm in celeritate mortis : quoniam æquè citò interimuntur homines ab humoribus, qui generantur in corporibus noſtris veneno ſimiles,ac illi qui necantur à veneno letali.Gal.3.epid.com.3.text.75. diſputans de quodam phrenetico, qui tertio die obierat , inquit illum non interiiſſe propter phrenitim , ſed propter prauos & letales humores , qui ita citò iugulant, quemadmodum letalia venena , non copia, ſed qualitate occidentia. in altero conſiſtit ſimilitudo , quoniam ſicuti vera venena grauia ſymptomata adferunt,& dolores , & lipothymias, & dementias , & infinita alia : ſic quoque humores praui in corpore noſtro geniti, & ſimilia,& maiora his inducunt. Tertiò , conſiſtit ſimilitudo, quia ſicuti venena vera corrumpunt & putrefaciunt corpus noſtrũ ; haud ſecus etiã & humores huiuſmodi corrodunt & corrumpunt vniuerſum corpus:adeò vt perſpici poſſit magnam ſimilitudinem eſſe inter humores prauos, qui fiunt ſponte in corporibus noſtris, & inter ipſamet venena. Erat quintum & poſtremum problema,cur ſit, quòd animalia venenoſa non verminant,hoc eſt,in ipſis non producuntur vermes.nam,vt antea dixi,fuit ſententia Sen.2.nat.quæſt. cap. 31. iccirco apparere non verminare huiuſmodi animalia, quia poſtquam tacta ſunt fulmine,incipiunt verminare : eo quia à fulmine deletur tota vis venefica. In hoc nouo preblemate dicendum eſt propter duas cauſſas in huiuſmodi animalibus venenoſis non generari vermes. vna eſt , quia in ipſis deeſt materia apta generationi horum animalium. nam fiunt vermes animalium ex excrementis,& præſertim crudis & inconcoctis:in venenoſis autem animalibus omnia exerementa ſunt & cocta, atque etiã ea vi prædita, vt minimè poſſint eſſe apta generationi animaliũ:atque id probatur, quia excrementa animaliũ venenoſorum non fœtent,immo verò vbi habitant ſerpentes,& vbi deponũt ſenectã,ſolet potius fragrãtia quædam ſentiri quàm fœtor.Cur auté excreméta horũ animaliũ non fœtent,eſt,quia non ſunt voracia, tantum cibi ſumunt ; quantũ poſſunt concoquere, & ferè tota hyeme latent ſine cibis.alia cauſſa eſt, quia cùm vermes producantur à calore quodã cõmoderato & viuifico , hæc animalia venenoſa aut ſunt frigidiora,

aut

aut calidiora,quàm vt poſſint in ipſis habere calorem viuificum. poſſumus his addere,in huiuſmodi animalibus, ſicuti eſt proprietas quædam inimica vitæ iam factæ: pari pacto adeſſe aliam proprietatẽ inimicam vitæ futuræ. Sed quî fit,vt poſtquã hæc animalia fulmine tacta ſunt (ſi verum eſt) omnino à veneno liberentur? nã deberet potius contrariũ euenire ex ſententia Senec. qui libro eodem c. 53. loquens de gener. & vi fulminum, inquit ea præter alias mirandas operationes illud habere, vt in corporibus quæ ab ipſis tanguntur, relinquant peſtiferam & letalem auram:idq; probat,tum quia vnguenta & olea tacta à fulmine teterrimo odore afficiuntur, tum quia vinum ab eodem congelatum, vbi ad propriam & antiquam conſiſtentiam redit,ſi potetur,dementat, & exanimat homines;quaſi pernicioſiſſima & exitialiſſima vis ſit quam relinquit fulmen in rebus tactis. hæc ſi vera ſunt, quomodo verum eſt, venenum animalium extingui à fulmine? Pro explicatione huiuſmodi repetendum eſt memoria, quod aliàs dixi, ſcilicet venena eam habere naturam,vt in corporibus veneno priuatis exitiale damnum adferant: vbi autem venenum aliud reperiunt,illud potius oppugnant contrarietate naturali quam habent inter ſeſe venena. quare cùm fulmina propter ſulphur, & alias graues partes ex quibus conflantur, habeant in ſe vim venenoſam, in iis animalibus quæ prædita ſunt veneno, contendunt áduerſus illud, & expugnant:in aliis autem corporibus, in quibus ſimile venenum non reperiunt, ſuas vires venenoſas relinquunt.

Vtrum venenum à veneno extinguatur, & alia quædam pulcherrima dubia.

CAPVT XV.

RVrſum ex iis quæ diximus, oritur altera dubitatio, an verum ſit, venenum à veneno extingui. & ratio dubitationis eſt,quia Ariſt.8.de hiſt.animal. cap. 29. (vbi multa præelara habet de animalibus venenum iaculantibus) ſcribit, ſi animal venenatum ederit aliud animal venenoſum,multo exitialius euadere illius venenum, exempli gratia: ſi anguis edat ſcorpionem, inquit Ariſtoteles multo valentius euadere illius venenum:quod quidem ſignum eſt, venenum in corpore animalium non profligari ab alio veneno. & vt huic tractationi finis imponatur, duo quoque addam problemata, ad prædictam ſpeculationem pertinentia. Vnum eſt, cur ſit quòd quemadmodum ſcribit Ariſtoteles loco citato, ſues minimè omnium læduntur à ſcorpionibus; alterum eſt, vtrum quemadmodum complura venena reperiuntur inimica homini:ſic poſſit reperiri homo, qui ſit aliis animalibus venenum, ita vt alia animalia interimat. Pro ſolutione prioris difficultatis dicendum eſt, magnum diſcrimen eſſe inter venena animalium, & aliarum rerum: quia venena aliarum rerum habent naturalem antipathiam & inter ſe, & cum venenis animalium.Ceterùm venena animalium,etſi in aliquibus inter ſe differunt,habent tamen hanc conuenientiam, quòd omnia ſunt coniuncta calori viuenti & actuali, quo ſit vt quemadmodum ſeſe expugnant cetera venena ob antipathiam; ſic venena animalium ob huiuſmodi ſimilitudinem in ſeſe conuertantur: & quia nutritum augetur ſemper à nutrimento, eapropter non eſt mirum, ſi venenum animalis

animalis nutriti alio animali venenato exitialius & immanius euadit, quemadmodum magnus Ariſt. docuit. Sic enim reſponderi etiam poterit: cur ſit, quòd ſi vipera commordeat viperam,non venenat,neq; ſcorpio ſcorpionem, quia propter hanc ſimilitudinem caloris innati potius ſeruantur,& efficaciora euadunt, quã vt lædantur.atque ſic huic difficultati ſatisfactum ſit.Cur autem ſues non lædantur à morſu ſcorpionis,aut lædantur minus quàm alia,puto rationem eſſe,quia ipſorũ coria ita craſſa & dura ſunt, vt non facilè poſſit virus animalium illa permeare;& propterea ſi commorſi ingrediantur ſtatim aquas, moriuntur, inquit Ariſtoteles: quia ab aqua molle factum corium facilius admittit vim peſtiferam morſus. Sed dicet quis,ſi hoc verũ eſt,deberẽt & elephãtes,& boues magis eſſe liberi à ſcorpionibus quàm ſues.& probatur,quia Ariſt.5. de gener. anim. 3. loquens de pilis animalium, & comparans pilos ſuum pilis boum, dicit pilos elephantis, & bouis eſſe tenuiores, quia coria eorum ſunt denſiora, quàm ſuum: & ideo excrementa quæ exeunt per denſiores meatus, ſunt tenuiora, quàm quæ per laxiores. Reſpondendum eſt ex Ariſt.10.probl.23.vbi quærens rationem,cur ſues hyme pilos non amittunt; præter alias cauſſas apponit & hanc,quòd calidiſſima animalia ſint, & multam habeant pinguedinem circa ipſam cutim: quæ etiam cauſſa eſſe poteſt,cur venena ſcorpionum nũ penetrent intima horum animalium, quia præterquam quòd ſint calidiſſima, habent corium craſſum, & ſubtus hoc gerunt multam pinguedinem,in qua facilè extinguitur vis venenata ſcorpionum, antequam ad cor penetret. Ad poſtremum dicendũ eſt,id quod præclarè nonnulli determinarunt,ſcilicet hominem, aut ſanum eſſe, & inculpatum,aut aliqua mala valetudine præditũ.homo ſanus fieri non poteſt,vt alicui animali ſit venenum:& ratio eſt,quia huiuſmodi homo medius eſt inter omnia animalia, ita vt temperatus iure vocetur, ſed homo aliqua graui,& peregrina infirmitate affectus,poteſt venenum eſſe aliis animalibus, vt dicit Auic.lib.8.de animal.c.2.ſe vidiſſe hominem,qui commorſus ab animalibus venenatis ea occidebat, ita vt quòd ſtatim ac venenata animalia ipſum commordiſſent,protinus extinguerentur. quod quidem mea ſententia alia ratione fieri non potuit, niſi quòd corpus eius erat aliquo tabo, ſeu prauo humore infectum,ita vt animalia illum humorem guſtantia illico obirent. dicit enim Ariſtoteles loco citato ſaliuam hominis eſſe venenum cũctorum animalium:multo magis, dicit Gal. 3.de ſimpl.med.ſi ſaliua illa ſit hominis ieiuni, & malè affecti. ſicut igitur ſaliua eſt venenum aliis animalibus, pariter poteſt fieri, vt humor quidam ſaliuoſus in toto corpore alicuius hominis generetur, qui non aliter interimat venenata animalia, atque ſaliua oris. Sed tempus eſt vt ſignorum tractationem aggrediamur.

De ſignis venenorum.

CAPVT XVI.

Veteres qui medicinam docuerunt tam Græci, quàm Arabes, diligentiſſimi omnes fuerunt in docendis omnibus cauſſis,& ſignis venenorum: ſiquidem ſine his in medicina nihil ſciri poteſt. inſiſtens ergo & ego eorum veſtigiis, in tradendis his vtar ea diligentia, ne res vllæ neceſſariæ circa eadem à nobis omittantur. Signa venenorum alia ſunt quæ indicant illa, antequam ſumantur: alia quæ demon-

demonſtrant, quo tempore ſumantur: alia quæ docent, poſtquam ſumpta ſunt. hæc poſtrema ſint ſigna morborum venenoſorum. & vel ſunt particularia, vel vniuerſalia. Vniuerſalia vel ſunt diagnoſtica, vel prognoſtica. quæ ſignificant venena antequam ſumantur, omnia ſunt arcana quædam, quæ potius conſtant experientia quàm vlla ratione euidenti: eo quòd vbi venena porriguntur à nefariis hominibus, ita occultantur, vt non poſſint facilè cognoſci. Tria tamen ſigna ea produnt, vbi in menſam appoſita fuerint. Vnum eſt cornu ſerpentis; quod ſi teneatur in menſa, quo tempore venena ibi ſunt, dicunt ſecreta quadam naturæ conditione protinus ſudare. vtrum autem hoc fiat vel antipathia naturali, vel quia vapores venenati cornu attingentes condenſentur in ſudorem, non admodum refert vt diſputem. aliud eſt aurichalcum, ex quo ſi fiant vaſa, & teneantur in menſa, vbi venena eò deportantur, dicunt illa varios ſtatim colores contrahere. Tertium eſt ſmaragdus, ſi habeatur in manibus, & offerantur venena, ſtatim viriditatem propriam amittit, & alium colorem acquirit. hæc tria ſunt quæ ſolent Medici proponere ad cognoſcenda venena occultata, priuſquam ſumantur. Vt autem cognoſcantur venena animalium venenoſorum, priuſquam homines ab ipſis percutiantur, ſigna tantum capiuntur ex aſpectu, odoratu, & locis. aſpectu, quoniam ſi horrendæ & peregrinæ formæ animalium videantur, ſemper ſuſpicandum eſt de veneno. pariter, vbi graues odores ex animalibus ſpirant, ſemper timendũ eſt, vim aliquam veneni ipſis ineſſe: demum, perſpicienda ſunt loca, quia vbi ſunt cauernæ & antra inacceſſibilia, ſignificatur ibi poſſe eſſe animalia praua & venenoſa. narrat Ælius Promotus, & plerique alij, eſſe quaſdam arbores ſub quibus animalia venenoſa habitare delectantur, vt ſunt pinus, picea, quercus, cupreſſus, nux, buxus, & huiuſmodi aliæ: ideo vbi videbuntur huiuſmodi arbores, & ſub his animalia reptare ſentientur, ſemper ſuſpicandum eſt, ea animalia venenata eſſe. atque hæc ſunt ſigna venenorum, priuſquam corpus humanum ingrediantur. Quo tempore ſumuntur venena, habentur quoque & alia ſigna, in quibus debent Medici diligentes eſſe; & hæc ſumuntur ex odoratu, guſtu, tactu, & viſu. Ex odoratu, quia ſi ſit cibus grauis alicuius & tetri odoris, timendum eſt de veneno: pariter ſi ſit ingrati & peregrini ſaporis. à tactu capiuntur ſigna, quia ſi cibo aſſumpto, aut potu, ſtatim appareant roſiones, tormina doloris, verendum eſt venenum eſſe hauſtum: & eo magis ſi color cibi, aut potus fuerit vel albus, vel luteus, vel niger, vel rubeus. Poſtquam autem accepta ſunt venena, ſunt quædam ſigna propoſita nobis à Gal. 6. de loc. affect. 5. vbi diſputans, vtrum poſſint certa ſigna haberi venenorum aſſumptorum, inquit hæc eſſe, quotieſcumque homo ſano corpore, ſanæ mentis, temperans in victu, abſque vllis prauis humoribus repente moritur: & præſertim, ſi poſt mortem eius cadauer aut liuidum, aut nigrum, aut rubris, & variis maculis conſperſum fiat. aliud ſignum propoſitum à nonnullis eſt, & præſertim à Plinio lib. 2. cap. 63. vbi etiam locutus eſt de cauſſa finali venenorum, cadauera interemptorum veneno non tentari neque à feris, neque ab auibus: cuius ratio eſt, quia venena ſiue calida, ſiue frigida ſint, congelant & exſiccant dulcem illam humiditatem, qua feræ delectatæ ſolent proſequi cadauera. niſi etiam dicamus à cadaueribus exire quoſdam prauos & inſuaues halitus, qui cùm ſentiantur à feris & auibus, fugiuntur; veluti & illa loca auerna quæ prauas exhalationes ſpirant. ſed hæc Galeni, & aliorum ſigna pertinent tantum ad defunctos veneno. Quibus indicantur morbi venenoſi, multa ſigna proponuntur ab Aëtio lib. 17. cap. 47. multa quoque ab Auicenna, & ab Ælio Promotò. hæc autem omnia nihil aliud ſunt, niſi effectus quidam, qui contingunt hominibus corpore & mente ſanis poſt acce-

ptum cibum & potum.ſunt autem hæc ſyncope,palpitatio cordis,vomitus prauus, reiectio ſanguinis tetri,ſingultus,tremor, ſtupor, impedimentum vrinæ,excretiones rerum frigidarum,pulſus defectio, feruor totius corporis, frigus, maculæ variæ circa corpus,tumor,apparitio papularum, mordicatio ventriculi, roſiones inteſtinorum, dolores, quos dicit Gal.6.in 6.epid. com.5. malignos. hæc ſunt ſigna, quæ demonſtrant morbos factos à venenis deleteriis ore acceptis. Cæterùm venena quæ ab animalibus eiaculantur,aliis indiciis ſolét cognoſci. nam huiuſmodi animalia,vt optimè docuit Promotus, venenum inferunt aut morſu, aut aculeo, aut ſputo, ſeu ſaliua; quodcumque enim animal venenoſum fuerit, ex nobis cognitis vno horum modorum neceſſario venenat. quatuor autem ſigna huiuſmodi venenorum inuenio apud Gal.in lib.de cib. bon.& mal.ſuc.cap.1. vnum, eſt mortificatio partis percuſſæ. alterum,eſt putrefactio.tertium, inflammatio. quartum, dolor.vbi enim hæc ſigna apparent poſt percuſſionem,vel morſum illatum, ſtatim habendus eſt affectus pro venenoſo, maximè, ſi præter hæc appareant aliqua ex iis, quæ venena ore accepta conſequuntur.atque hæc ſigna vniuerſalia ſunt. Particularia verò,vel indicant genera ſubalterna, vel ſpecies ſpecialiſſimas:de poſtremis tractabo in particularium tractatione. nunc videamus tantum ea ſigna, quæ indicant genera venenorum ſubalterna. imprimis ſi venena illata, vel accepta fuerint ex iis quæ proprietate ſola interimunt,vt dicit Auicennas,cognoſcuntur,quia ſtatim cadit pulſus, virtus deficit,accedunt palpitationes & ſyncope abſque omni alio penè ſigno. Si autem ſint ex iis, quæ non ſolum proprietate, ſed etiam manifeſta qualitate interficiunt,aut ſunt calida, aut frigida, aut ſicca, aut putrefactiua. ſi ſint calida, & ea inflammatiua,cuiuſmodi eſt euphorbium, cognoſcuntur facilimè,quoniam ſtatim aderit ſummum faucium incendium, rubor ingens vniuerſi corporis,& præſertim vultus, faucium ſitis inextinguibilis.ſi calida ſint corroſiua, præter ſigna prædicta,adeſt corroſio oris, ventriculi lancinatio, tormenta inteſtinorum,excretiones ſanguineæ,& ore,& aluo, & veſica. Cæterùm ſi frigida venena ſint,vt eſt opium,cicuta, ſcribit Gal.8. de plac.Hipp. & Plat.7. vbi frigefactum corpus eſt à veneno,ſtatim amittit ſenſum arteriarum,neruorum, & muſculorum: & ſi viderit aliquis apud Platonem in Phædone, quæ poſt epotam cicutam Socrati contigerunt;primùm,impotentia quædā mouendi crura. deinde refrigeratio, adeo vt inter præcipua frigidi veneni ſigna ſit ſtupor, ſeu immobilitas, frigiditas, & ſomnus ferè inexcitabilis: adeſt etiam in nonnullis dementia quædam, vt in iis qui ſumpſerunt mandragoram, vel altercum. ſi venenum ſit ſiccum, vt eſt calx, cognoſcitur & ſiccitate oris,& ſiti. vnde qui percuſſi ſunt à dipſade ſerpente, inter alia vexantur ſiti incredibili, propter ſiccitatem illius veneni. Si venenum ſit ex genere ſtrangulantium,vt eſt gypſus,vt ſunt fungi,cognoſcitur, quia ſtatim ſpiritus impeditur.Sed ſi venenum putrefactorium ſit,febre putrida, egeſtionibus,ſudoribus, & excrementis valde fœtentibus cognoſcitur. atque tot ſunt vniuerſalia ſigna diagnoſtica. Prognoſtica autem pauca ſunt; quia vel letalia, aut ſalutaria ſunt: letalia hæc ſunt,ſi venenum ex corpore nullo modo exeat,neque per vomitum,neque per aluum, neque alia ratione: ſi accidentia perſeuerent & augeantur: ſi remedia nullum fructum adferant, ſpes omnino nulla eſt, & mors propinqua, quotieſcunque ſyncope perdurat, refrigeratur corpus,ſudores frigidi ſunt, pulſus deficit, oculi ſurſum contorquentur. nam ſcribit Ariſt.4.probl.1. eos qui morituri ſunt citò oculos conuertere ſurſum, eo quòd calor expirans, & exiens per partes ſuperiores eiuſmodi partes attollit. Sed hæc ratio valeat quantum poteſt. Signa verò ſalutaria ſunt, ſi venenum exierit vel vomitu, vel ſeceſſu, vel ſi non exeat,

ſalutare

alutare tamen erit, ſi accidentia omnia remittantur, & remedia adhibita aliquem fructum adferant. Sed video dicturum aliquem; Si venena è corpore non exeant, cùm eius naturæ ſint, vt nunquam à calore natiuo ſuperari poſſint, quomodo fieri poteſt, vt accidentia eorum remittantur? poteſt hoc contingere propter duas cauſſas: propter vnam, quia ab antidoto fracta ſit vis motifera veneni,& quod remanſit, purum ſit excrementum & iners; propter aliam rationem poteſt hoc fieri, quòd venenum à facultatibus naturalibus cuiuſque membri, præſertim cordis, amandetur in aliquam partem longinquam & ignobilem, vbi tandem ſponte conſumatur, aut ſaltem remaneat inefficax & innoxium. vel poteſt venenum amandatum à partibus nobilibus commiſceri excrementis, atque ita paullo poſt, aut etiam longo poſt tempore exire. ſat eſt numquam poſſe permutari, & vinci ab ipſa natura. Atque hæc de venenorum ſignis dicta ſufficiant.

De præſeruatione à venenis per victus rationem.

CAPVT XVII.

PArum ſanè vtilis eſſet hæc noſtra longa ſpeculatio, niſi cognoſceretur ratio euitandi detrimenta venenorum: quæ in duobus potiſſimùm collocata eſt. in vno, vt diligenter præſeruentur corpora à venenis: in altero, vt ſi forte fortuna corpus humanum ſit veneno percuſſum, à malo & ab imminenti nece vindicetur. Præſeruationis ratio duo adhuc capita habet. Vnum, vt caueatur, ne venenum corpus ingrediatur: alterum eſt, ne venenum ingrediens corpus perturbationẽ, aut noxam vllam inferat. primum conſiſtit in optima rerum non naturalium adminiſtratione; alterum verò in vſu aliquorum remediorum. Quoad primum, in effugiendis venenis illud eſt procurandum, vt circa aërem ſumma cuſtodia habeatur, vt ſcilicet fugiatur aër peſtilens & venenatus, fugiantur ſpeluncæ, antra, ſyri ſeu foueæ frumenti, montes. nam circa hæc omnia loca ſolere habitare venenata animalia, & Nicander & experientia docet. ſic etiam fugiendus eſt aër cubilium, vbi carbones ſint incenſi, vbi ſuſpicio ſit ſuffumigiorum venenoſorum, neque ſpectandi, neque contrectandi ſunt ſerpentes, bufones, rubetæ, ſcorpiones. Cæterùm, quia interdum contingere ſolet, vt homines cogantur habitare, aut verſari in iis locis in quibus poſſunt vel eſſe, vel fuiſſe animalia venenata, Nicander, & Dioſcorides tria docuerunt, vt ab his locis fugari poſſint huiuſmodi animalia. Vnum eſt, vt fiant ſuffitus ex rebus accommodatis, vt eſſet cornu cerui, damnæ, bitumen, lapis gagates, & alia. galbanum, & cedrum laudauit Virgilius hunc in vſum. Alterũ documentum eſt, vt ſternantur ſuper hæc loca herbæ huiuſmodi animalibus inimicæ, vt eſt origanum, ſerpyllum, ſolanum, abrotonum, aſphodelus. huiuſmodi enim herbæ, & aliæ ea vi pollent, vt ſi ſubſternantur, animalia venenata abigant. Tertium eſt, vt corpora hominum, aut ipſa loca vnguentis accommodatis illinantur. multa enim proponit vnguenta Nicander & Aëtius, & inter alia vnguẽtum roſatum. nam cùm odores ſint, vt dicebat Ariſtoteles, exhalationes quædam ſiccæ & calidæ, procul dubio inimicæ ſunt ſerpentibus, qui maiori ex parte frigidi ſunt. circa ſomnum prouidendum eſt, vt numquã dormiatur, neque in locis huiuſmodi, nec ſub vlla arbore, ſub qua ſolent ſerpentes habitare, aut à qua exhalationes peſtiferæ & venenatæ

manant:cuiuſmodi dixit eſſe buxum,nucem,piceam , cupreſſum. vitanda etiam eſt omnis ambulatio in huiuſmodi locis.& quia experientia compertum eſt aliquos in balneis fuiſſe veneno extinctos,qui timent venena , cauere ab his debent tum naturalibus, tum artificialib. circa veſtimenta debet quoque diligentia adhiberi , vt continuo tractentur à fidelibus perſonis,ſemper diligenter mundētur, nec teneantur in locis,vbi vel ſcorpiones, vel ſimilia poſſint morari. & aliquando ego curaui ictum à ſcorpione , qui in induſio repertus fuit. in coitu quoque diligentia adhibenda,vt fugiantur mulieres quo tempore menſtruatæ ſunt. illud enim cōpertum eſt,poſſe homines huiuſmodi vſu veneris venenari : & eſt inter alia exemplum antiquum de Calphurnio Beſtia , qui coitu vxores venenabat, vt diues fieret. vnde rumor erat Romæ,Calphurnium digito interficere vxores. Nec minor diligentia adhibenda eſt circa reliquam victus rationem. nam alia circa cibos & potus , alia circa inſtrumenta,alia circa ipſos miniſtros obſeruanda ſunt. Circa cibum & potum in primis ſumma diligentia habenda eſt:circa ciborum genera : deinde circa præparationes , tum circa odores & ſapores , poſtremo , circa tempus & modum. Circa genera , debebit ille qui timet venena,abſtinere ab vſu eorum ciborum , qui & ſuapte natura,& prauorum hominum arte venenoſi fieri ſolent , vt ſunt carnes ſuffocatæ,putridæ,fructuum genera rancida,vt nucum,nucleorum pini;à ranis potiſſimùm abſtinendum. & puto forſan hac ratione veteres non conſueuiſſe edere ranas,quòd ex his animalibus aliqua ſæpe venenata ſint. pariter ab anguillis abſtinendum,quandoquidem ſolent huiuſmodi piſces commiſceri faciliter anguibus,& conſequenter venenari.Inter herbas etiam aliquæ ſunt, quæ fugiendæ erunt;quippe quas ſoleant venenata animalia coinquinare,cuiuſmodi eſt ocimum,quo & generantur,& nutriuntur,& delectantur ſcorpiones. fœniculum etiam huius generis eſt. ſerpentes enim vbi exeunt è latebris cùm habeant oculos obductos quadam vligine,docti ſunt à natura,vt affricent oculos ipſi fœniculo , quo fit vt quemadmodum ipſi ſanitatem conſequuntur ab illa herba , ita quoque venenum indant: & puto hoc eſſe illud fœniculi genus quod Florentini appellant baccatum , atque pro venenato habent. à fungis abſtinendum eſt ; ſcimus enim Claudium Imperatorem ab Agrippina boleto fungo venenatum. debent quoque qui venena metuunt prudentes eſſe in fructibus guſtandis , vt non guſtent eos fructus quos numquam viderint. nam ſunt quædam poma , quæ vti oculis placent , ſic perniciosa & letalia ſunt:vt dicebam de fructu mandragoræ.à ſuccis herbarum aliquantum cauendum,vt à ſucco lactucæ,porri.nam dicit Plin.lib.19. cap.6. Melam quendam equeſtris ordinis virum acceptis ſucci porri drachmis tribus ſtatim ſine dolore exſpiraſſe. aquam frigidam, & vinum frigidum præſertim corporibus calefactis venenum eſſe , certa experientia conſtat. ſanguine animalium imprudenter non eſt vtendum,quia nō ſolùm in ipſis faciliter poteſt venenum occultari,verùm etiam ſanguis quorundam , vt taurorum , ſuapte natura venenum eſt.eadem penè ſolertia vtendum erit in adhibendis cibis vario modo paratis. quandoquidem ſcelesti facilè occultant venena huiuſmodi eduliis:eapropter abſtinendum erit ab intinctu , à paſtitiis,à tortis , ab omni pultis genere, & potiùs vtendum erit carnibus aſſis quàm elixis.quandoquidem difficillimum eſt venenare carnes aſſas , eo quòd vbi igne torrentur,conſumuntur venena , præterquam quòd non poſſunt ipſis facilè commiſceri : ſecus autem eſt de elixis. eapropter ab his quantum fieri poterit, abſtinendum erit illis qui timent venena , & multo ſatius erit vno, vel altero genere cibi vti , quàm variis & diuerſis. peregrini omnes odores , & ſapores in cibis ſuſpecti habendi ſunt , eo quod vbi externa , & rara qualitas apparet in cibis

ſuſpi

ſuſpicionem inducere poteſt, ne facta ſit ad occultandum venenum. Quare cibi aut albidiores,aut rubri, aut lutei, aut virides fugiendi erunt: ſic qui habent ſapores aliquos inſignes & peregrinos, vt qui ſunt nimium amari, nimium acidi, nimium acres, nimium ſalſi. De tempore edendi & bibendi illud eſt omnium documentum, vt qui timent venena, nunquam cibum, aut potum ſumant tempore magnæ famis, vel ſitis, præſertim cibum in quo poſſit eſſe veneni ſuſpicio. ratio eſt, quia tunc cibi & potus ingenti auiditate hauriuntur, vt facile ſit imprudenter ſimul haurire venenum. accedit etiam quòd viſcera famelica attrahunt auidiſſimè huiuſmodi cibum. & quod dicebat Auicennas, cùm hoc tempore venæ ſint exinanitæ, facilè eas permeat venenum: quemadmodum vbi corpus paſtum eſt, & venæ plenæ, non ita aditus patet veneno. qua etiam ratione impulſus Nicander, præcepit, vt illi qui verſari debent in locis, vbi ſunt animalia venefica, nunquam ſint ieiuni, ſed ſemper paſti. Modus verò cui etiam attendere oportet,eſt,vt quo tempore ſumitur cibus,illi qui timent, nunquam affatim cum impetu cibum,aut potum deuorent, ſed priùs aliquo tempore in ore detineant,& mandendo huc atque illuc vertant: ſic enim poteſt diſcerni, numquid cibus vlla qualitate venenata ſit affectus. propter quod commune præceptum eſt Auicennæ, vt ſemper priuſquam edatur, aut bibatur, diligenter os aqua pura abluatur:ſic enim poteſt deinde omnis qualitas venenata faciliùs diſcerni, & percipi. Aliud meum documentum hac in re eſt,vt qui ſuſpicantur venenum, dum potant ſiue ius,ſiue vinum,ſemper ad minus quartam partem rei potæ relinquant in fundo,& hoc didici auctoritate ſcriptorum, & ratione: auctoritate quidem, quia Seneca lib.6. Controu. cap.4. proponit exemplum cuiuſdam mariti, qui eodem poculo venenauerat vxorem, quod ipſe hauſerat: nam cùm prior ille potaſſet,quod erat in fundo dedit vxori, atque ita ipſo incolumi vxor extincta eſt: ratione etiam hoc didici,quia maior pars venenorum,quæ ore ſumuntur, aut eſt ſuccus,aut puluis, quæ omnia corpora grauia ſunt; & cùm non poſſint optimè miſceri, facilè fundum petunt. In inſtrumentis ciborum, & potuum debet quoque magna cura & ſtudium poni. in primis vaſa ſemper habeantur munda & deterſa, præſertim figulina: nam vt ſcribit Vitruuius lib. 8. veteres cùm haberent menſas argenteas, ſtanneas,& figulinas, his poſtremis vti maluerunt quàm aliis: tum quia ſua natura ſunt ſalubriora,tum quia minus poſſunt infici:ſi haberi poſſint vaſa illa murrhina à Latinis vocata,à noſtris porcellana dicta,optima ſunt; quia facta ſunt cū aceto,& corticibus ouorum,vt iure exiſtimentur aduerſus venena magnam vim habere. Cornu cerui putatur etiam maximè valere ad auertenda venena. & narrat Ælianus lib.4.de animal.conſueuiſſe Reges Indorum potare cornibus aſini Indici,quòd experientia didiciſſent,illud & aduerſus pleroſque graues morbos, & aduerſus venena mirificè valere:imò verò ſum huius ſententiæ, ferè omnia cornua animalium vim aliquam habere aduerſus venena. & forſan veteres in vſu habuerunt propter hanc cauſſam potare cornibus animalium. vnde apud Græcos dicitur temperari vinum κεράννυσθαι, ἀπὸ τοῦ κέρατος, hoc eſt,à cornu. Præterea debet diligentia adhiberi, ne vaſa tractentur à ſuſpectis hominibus, neque teneantur in locis, vbi ſuſpicio ſit animalium venenatorum. nam ſerpentes omnes delectantur vino, & facilè ingrediuntur vaſa vbi ſit vinum, quod poſtmodum venenant. narrat Nicol. Florent. Florentiæ in monaſterio Eremitanorum tempore ſuo multos Monachos fuiſſe peremptos ex potu vini,in quo fuerat extinctus araneus peſtifer,ob negligētiam eorum,qui curā habebant vaſorū vinariorum. & quæ dico de his inſtrumentis,idem etiam dicendum & de omnibus aliis;prauitas enim hominum vſque adeo

inſignis eſt, vt necandi innumeros modos inuenerit.lubet vnum narrare; Cteſias auctor antiquiſſimus in libro de rebus Perſicis ſcribit quandam mulierem Statiram vocatam maximè ſemper timuiſſe venenum,& omni diligentia vſam, vt illud euitaret,factum tamen vt quædam alia mulier eam hoc modo venenaret; cultelli partem alteram tantum veneno affecit, & deinde coram Statira diuiſit auiculam paruam coctam,& qua parte auis tacta fuerat à veneno cultelli oblata Statiræ, illico eam extinxit,cùm interim qua parte auis non fuerat tacta à veneno, nullum detrimentum ipſi miniſtranti intulerit. quare qui timent venena,non permittant, vt carnes ſibi ab aliis incidantur & offerantur. pari pacto debet diligentia adhiberi circa miniſtros,vt eligantur & coqui,& pocillatores fideles & probati,neque vnus habeatur,ſed plures.nam difficilius eſt, vt plures ſimul conſpirent aduerſus vitam alicuius quàm vnus. miniſtri etiam debebunt prius guſtare omnes dapes, & aduertendum dum guſtant, num mutentur ore, aut oculis. nam ex his quoque deprehendi poteſt venenum. vidi quoſdam magnates curare, vt miniſtri fruſto panis tangant dapes appoſitas,& deinde modicum panis guſtent:vana ceremonia eſt, ſolum ad pompam inſeruire poteſt. meliùs autem aliquo ante tempore præguſtarentur ipſæ dapes, & guſtantis facies diligenter attenderetur.quare non debebunt etiam qui timent venenum ita apud quoſuis edere, aut potare; vnicuique enim ſalutem concredere haud tutum eſt. Atque hæc prima ratio eſt præcauendi à venenis.

De præſeruatione à venenis per medicamenta.

CAPVT XVIII.

ALia ratio præſeruationis, & forſan nobilior ea eſt, quæ poſita eſt in vſu eorum remediorum, quæ ita præparant corpus hominum,vt à venenis minimè lædatur, ſiue intus ſumantur, ſiue extrinſecus inferantur. ſunt autem hæc remedia partim ſimplicia,partim compoſita. ſimplicia rurſum aut externa ſunt, aut interna.externa ſunt ea,quæ geſtata tuentur corpus à nocumentis venenorum.de his loquens Albertus Magnus ſcribit,ſmaragdum,adamantem, topaſium, ſi continuò geſtentur,ita vt carnes tangant,efficere,ne venena vlla offendant. ſed vt liberè dicam,paucam fidem in his caſibus ſoleo adhibere his externis remediis: multo autem efficaciora exiſtimaui ea quæ ingrediuntur corpora.ſunt autem hæc propè infinita ab auctoribus nobis propoſita.potiora autem videntur, lapis ille Bezoar vocatus,qui naſcitur in ventre cuiuſdam animalis cornigeri, & ab omnibus efficaciſſimum remedium exiſtimatur aduerſus venena, bolus armena, terra ſigillata inter præcipua numerantur. vincetoxicum vocatum efficaciſſimum eſt, raphanus, zedoaria,dictamnū Cretenſe,ſcordeum,allium. ſed præ ceteris inuenio tria magnopere commendata in hunc vſum:vnū eſt rutha,aliud eſt citrium,tam fructus quàm ſemen:tertium eſt cydonium malum.De rutha ſcribit Athenæus lib.3. Dipnoſoph. Archelaum quendam regem Ponti cònſueuiſſe populos ſuos veneno interimere, atque ob id eos edoctos conſueuiſſe priuſquam exirent domo ſemper ruthā edere, atque ita ſe defendiſſe à tyranni crudelitate. refert idem de citriis experientia probatum eſſe,homines fuiſſe venenatos,atque ex iis fuiſſe ſeruatos,qui priùs ederant citrium:pariter de cydonio narrat,venenum miſtum ipſi vires ſuas amittere,vt non immeri

immeritò & à Theophraſto, & à poſterioribus magnopere aduerſus venena commendentur rutha,citrium, & cydonium. Vſus autem horum omnium varius eſt, quia interdum exhibentur in puluere cum vino, interdum fiunt confectiones & electuaria, interdum ſucco & liquore præbentur. illud autem commune eſt, vt ſi debeant prodeſſe,vſurpentur ſemper ante alios cibos. Cæterùm compoſita medicamenta tot ferè ſunt,quot ſcriptores habemus:imò multo plura. quia Medici Regum & Imperatorum antiqui,vt inſeruirent, & adularentur ſuis dominis, in nulla re magis fuerunt ſolliciti,quàm vt eos à venenis tutos reddere profiterētur. prima compoſitio,& omnium vulgatiſſima eſt illa,quæ componitur ex nucibus, ficubus ſiccis,& foliis ruthæ,cui ſunt qui addunt ſalem.alij verò addūt caſtaneas,vt Auenzoar: & certè magnopere miratus ſum ſæpe, quomodo Mithridates ille Rex huiuſmodi compoſitionem tanti æſtimauerit, vt in capſula pretioſiſſima eam ſeruarit,ſiquidem,vt videre eſt,vilis admodum & trita eſt. pillulæ illæ Ruffi, quæ componuntur aduerſus peſtem,mirificè etiam valent ad præſeruandum à venenis: ſed omnium maximè prodeſſe putatur Athanaſia, ſic dicta quod homines reddat immortales;Mithridatum, Theriacæ omnes.

Dubia circa præſeruationem.

CAPVT XIX.

CÆterùm de iis omnibus remediis quæ iuuant ad præſeruandum à pernicie venenorum, tria breuiter à nobis videnda ſunt. Vnum erit,an conueniant,. deinde,qua menſura,& quo tempore conueniant.circa primum quæſtio eſt,& auorum noſtrorum temporibus,& nunc etiam magnopere diſputata,nimirum an corpora ſana vt defendantur à venenis,vti debeant huiuſmodi remediis,quæ & alexipharmaca & alexeteria dicuntur. ex vna parte eſt Galeni auctoritas, qui lib. 5. de ſimpl.med.cap.18.ſcribit dicta medicamenta eſſe media inter venena & inter corpora;ac propterea ſicuti proſunt venenis,pari pacto obeſſe corporibus ſanis, vt ex hoc loco facilè intelligi poſſit, Galenum damnaſſe vſum horum remediorum in præſeruatione à venenis.cur enim iis remediis præſeruentur corpora ſana,quæ ſibi non conueniunt?Auerroës tum in libro ſuo de Theriaca,tum lib.5. collect. cap.23. tria memoria digna nobis reliquit. vnum eſt, quòd dum refert hanc ſententiā Galeni,ei non ſubſcribit,quin potius diuerſum quiddam loquitur, quaſi dixerit Galenus,alexeteria eſſe media inter medicamenta & venena. vnde autem hac in re feſellerit,ego diuinare non poſſum.Alterum eſt,quod dicit alexeteria,ſeu, vt ipſe loquitur,remedia bezoartica,minimè eſſe media inter medicamenta & venena: (eo quia medium & extremum cùm ſint eiuſdem generis,ſimilia ſunt) ſed potius contraria eſſe ipſis venenis, & propterea minimè media eſſe vocanda. Tertium quod ſcribit, eſt medicamenta bezoartica duas operationes habere,alteram vtilem, alteram verò perncioſam:vtilem facere,quotieſcumque exhibentur corporibus venenatis: perniciem autem adferre, vbicumque præbentur corporibus ſanis: ita vt Auer.ſentire videatur,alexeteria ſeu pharmaca bezoartica minimè conuenire ſanis. excipit tamē ſemen citrij, quaſi hoc vnum inter tot remedia poſſit à ſanis corporibus vſurpari.ex altera parte eſt auctoritas Gal.qui lib. de Ther.ad Piſon.16. ſcribit Theriacæ vſum præſtantiſſimum eſſe ad tuendum corpora ſana à facultate

venenorum.præterea lib.1.de antid.16.proponit Theriacam Democratis,qui inter præcipuas vtilitates quas refert compoſitionem eam præſtare,recenſet & hanc, vt tueatur eos omnes qui metuunt venena. hi autem proculdubio ſunt homines ſani.Adhæc Aëtius,Auicennas in libro de viribus cordis,& ferè omnes alij videntur in hoc conuenire,vt huiuſmodi remedia maximè congruant corporibus ſanis, vt defendantur à venenorum iniuriis. eſt quoque experientia quotidiana, quoniam videmus homines ſanos impunè alexeteriis vti tam ſimplicibus, quàm compoſitis. Pro ſolutione huius vtiliſſimæ difficultatis reducenda ad memoriam, quæ ſcripta ſunt ab Auer.loco citato,ſcilicet alexeteria eſſe diuerſorum generum;quoniam aliqua ſunt,quæ iuuant contraria qualitate: vt frigida in calidis venenis & calida in frigidis.alia ſunt quæ iuuant attrahendo venena, vt caro ſcorpionis affricata vulneri proprio attrahit in ſe venenum. alia verò ſunt quæ iuuant à tota ſui ſubſtantia,& hæc vel iuuant,quoniam alterant,vt dicebat Galenus, ipſa venena, vel quia corpus,& præcipuè cor ita præparant, & corroborant, vt venenis maximè reſiſtant.iam verò de remediis,vel ſecundum qualitatem agentibus,vel attrahentibus, certum eſt hæc vſurpanda non eſſe, niſi vbi iam venenum in corpore eſt, & de his nulla eſt dubitatio. De aliis autem quæ à tota ſubſtantia proſunt, ſic definiendum; ſcilicet ea quæ alterant venenum, minimè conuenire ſanis corporibus. ratio eſt, quia hæc omnia, aut ipſiſſima venena ſunt, aut ſaltem magnas partes venenoſas habent, vt ſi venena non reperiant, proculdubio ipſa venenent: huiuſmodi autem eſt inter alia caro viperina, vinum viperinum. nam eſt certa omnium ſententia,& præſertim Galeni carnem viperæ,& vinum viperinum magnam vtilitatem præſtare tum leproſis,tum venenatis.& exemplum eſt apud Porphyrium 4.de abſtinen.ab animal.vbi ſcribit ſeruum quendam Crateri Medici dum laboraret lepra immaniſſima,ita vt carnes ab oſſibus abſcederent,potato vino in quo extincta erat vipera, ſtatim conualuiſſe.ſed & carnem viperæ & vinum ipſius ſi ſanis exhibeatur, compertum eſt plurimum nocere: ob quod ſummo iure Dioſcorides monuit,vt magna diligentia adhibeatur in conſeruandis vaſis vinariis à viperis,quaſi vinum in quo extincta ſit vipera,ſi potetur à ſano, ipſum venenum euadat.Cæterùm remedia alexipharmaca, quæ iuuant præparando corpus, & ipſum roborando,conueniunt pro ſanis,eo quòd hæc omnia aut nihil, aut exiguum in ſe poſſident veneni.igitur quæ corroborant, & conueniunt ſanis corporibus alexeteria,ſunt bolus armena,ſmaragdus,ſemen citri.& miror quare Auerroës adnumerauerit inter hæc dumtaxat ſemen citri,cùm ſint complura etiam alia alexeteria,quæ ſanis conueniunt.

Vtrùm Theriaca conueniat ſanis, & vinum viperinum.

CAPVT XX.

SED licet res hactenus manifeſta videatur, dubitatur tàmen de nonnullis compoſitis alexteriis,& inter alia de Theriaca, vtrum ſanis in præſeruatione conueniat. Auer. in libro de Theriac. diſputans aduerſus Auicen. qui dixit theriacam roborare cor, & conſeruare calorem natiuum, tribus rationibus conatur probare eam

eam minimè conuenire. Prima eſt, quòd per theriacam homines nihil à veneno patiantur, quo fit, vt videantur ſimiles fieri ipſi veneno: ſi ergo theriaca facit homines ſimiles veneno, non videtur vllo pacto ſanis corporibus conuenire. Alia eſt; theriacam attrahere venenum, ſed omnis attractio fit per ſimilitudinem: igitur theriaca ſimilis eſt veneno, & iccirco non videtur conuenire ſanis. Tertia ratio eſt, theriacam potentiſſimam eſſe, & maximæ actiuitatis, atque id ex eo colligi, quia venena debellat & minuit. ſi igitur maximæ actiuitatis eſt, non videtur conuenire poſſe corporibus ſanis. atque hæ ſunt rationes Auer. quibus probare conatus eſt theriacam minimè ſanis corporibus præbendam eſſe. Ex altera verò parte ſunt auctoritates & Galen. & Auic. quas attuli; ſunt etiam exempla; quandoquidem relatum eſt ſummos Imperatores Mithridatem, M. Antonium, Neronem in frequenti vſu habuiſſe eam ſine vllo detrimento; imò verò quotidiana experientia docet eam à ſanis corporibus vſurpari, vel cum fructu, vel ſaltem abſque detrimento. Pro ſolutione tria conſtituenda ſunt; vnum eſt, corpora ſana alia eſſe ſimpliciter talia, alia verò ſecundum quid, quemadmodum luculentiſſimè docuit Gal. in arte Medica: alterum eſt, theriacam corporibus ſanis exhiberi poſſe propter duos fines, vel vt conſeruetur ſanitas, vel vt corpora ſana præſeruentur à maioribus malis. Tertium eſt, vſum theriacæ variari poſſe, vel ſecundum ſui ætatem, vel ſecundum menſuram qua capitur. his conſtitutis in hunc modum definiendum eſt, theriacam recentem nullis corporibus ſanis conuenire. ratio eſt, quia in theriaca recenti ſunt multa medicamenta venefica, quæ cùm nondum ſint caſtigata fermentatione, periculum graue imminet ne offendant; & hinc eſt quòd in theriaca recenti opium ſolet magna detrimenta adferre. cæterùm fermentata conuenit tum corporibus ſimpliciter ſanis, tum etiam ſanis ſecundum quid: conuenit prioribus, vt conſeruetur ſanitas. ſiquidem ſcribit Auic. quòd corroborat & viuificat calorem natiuum, à quo poſtmodum conſeruatur ſanitas: conuenit poſteriori-bus, vt præſeruentur à maioribus malis, eo quia proprietatem quandam largitur corporibus humanis, ob quam facilè reſiſtant omnibus grauibus iniuriis. differentia tamen eſt, quia vbi conſeruanda tantùm eſt ſanitas, theriacæ doſis minor eſſe debet: vbi verò præſeruanda ſunt corpora à grauioribus malis, tunc in maiori copia exhibenda eſt, atque etiam frequentiùs: ſicuti vbi iam eſt venenū in corpore, & maior copia, & frequentior vſus conuenit. His ita conſtitutis & definitis, iam facilè apparet, rationes Auer. exigui momenti eſſe. nam minimè verum eſt, vſu theriacæ corpora fieri venenoſa; quin potius illud verum eſt, corpora acquirere quandam proprietatem ſiue contrarietatem aduerſus venena, qua faciliter illa ſuperant. Nec valet quod ait, ſi non fiunt corpora ſimilia veneno vſu theriacæ, fieri ſaltem ſimilia alexeteriis, & propterea media eſſe inter venena & alexeteria; quia fiunt quidem ſimilia alexeteriis, ſed ſecundū hanc tantùm rationem, vt contrarientur venenis, non autem alio modo. quòd ſi theriaca attrahit venena, facit id ſimilitudine quadam arcana, non ſimilitudine ſubſtantiæ, & omnium qualitatum: nam ſicuti videmus Magnetem attrahere ferrum, & tamen in multis illi eſſe diſſimilem: haud ſecus exiſtimandum, theriacam attrahere poſſe venena, & tamen in multis diſſimilem eſſe iis. fateor quidem theriacam eſſe ſummæ actiuitatis, vt dicebat Auerroës; verumtamen hæc actiuitas minimè nocet corporibus ſanis; ſed nocet illis, quorum vires admodū imbecilles ſunt; propter quod Gal. lib. de ther. ad Piſ. atque 8. Meth. damnabat eam, tum in corporibus calidis & ſiccis, tum maximè in pueris, eo quòd in illis facilè febres ex eius vſu oriantur: pueri verò ob viriū infirmitatem minimè ſuſtineant magnitudiné actionis ipſius. Sed quid dicemus ad Galenum? qui

ſcripſit alexeteria omnia media eſſe inter corpora & venena. puto dupliciter reſponderi poſſe in hac re graui admodum & difficili. Vnus modus eſt, medium duplex eſſe, aliud ſecundum compoſitionem, ſeu miſtionem: aliud verò ſecundum operationem. appellatur medium ſecundum miſtionem illud, quod ex extremis conflatum eſt: medium verò ſecundum operationem, eo quia facit operationes extremis partim ſimiles, partim diſſimiles. iam alexeteria non dicuntur à Galeno media ſecundum miſtionem, ſed duntaxat ſecundum operationem, eo quia habent aliqua ex parte operationes ſimiles corporibus ſanis, & naturalibus; aliqua verò ex parte ſimiles venenis:quod ſignificare voluit Gal.5. de ſimpl. med.cap.18. quando dixit eandem proportionem eſſe inter corpora & alexeteria, quæ eſt inter venena,& alexeteria;& è conuerſo. Alter modus reſpondendi eſt,ſententiam Galeni (ſcilicet alexeteria eſſe media inter corpora & venena) verificari quidem de multis,ſed non de omnibus:atque huic ſententiæ adſtipulari videtur Auic.6.quarti.tract.3.cap.1.quo in loco duo animaduerſione digna ſcribit. Vnum eſt,accidere aliquibus alexeteriis,vt ſint media inter corpora,& venena.alterum eſt,huiuſmodi ſententiam eſſe cum ſapientibus diſputandam, propterea quod ex toto non ſit verificata.ex quibus verbis Auicennæ poteſt quiſque colligere minimè verum eſſe, omnia alexeteria eſſe media inter venena, & corpora: imò verò,ſi diligenter examinentur verba ipſiuſmet Galeni,primò loquitur in eo loco, non de omnibus alexeteriis,ſed de iis tantum quæ corrumpunt,& alterant ipſa venena. præterea ſcribit,non ſimpliciter,ſed omnia hæc fere eſſe media;tum autem nocere, cùm in magna copia ſumuntur,vt ex huiuſmodi verborum Galeni examine colligi facilè poſſit,eam ſententiam minimè de omnibus veram eſſe. Cùm autem hunc in modum conſtitutum ſit de Theriaca,ſupereſt videamus de vino theriacali,hoc eſt, de vino in quo extinguuntur viperæ,nunquid ſcilicet ſanis corporib.conueniat, necne.cóuenire iis eſt in primis auctoritas Nicolai Florentini, qui in primo de venenis ſequutus Rabbi Moyſen,& alios,ſcribit vinum in quo extinctæ ſint viperæ,frequenter potatum,magnopere conducere ad præſeruandum à venenis:ratio verò eſt,quia vinum viperinum,vt docuit Gal.ſect. 6.6. epidem.text. 5. magnopere valet aduerſus venena, veluti & carnes viperæ etiam vtiles ſunt,vt huiuſmodi ratione probari poſſit,illud etiam ſanis corporibus conuenire: ſed ex altera parte præceptum eſt Dioſcoridis,& aliorum,vt diligenter vaſa vinaria cuſtodiantur à viperis & ſerpentibus,ne venenent vinum,& conſequenter corpora.accedit etiam, quod ſicuti vinum ſolet eſſe veluti vehiculum aliorum medicamentorum;pari pacto hoc in caſu ſit vehiculum veneni ipſius viperæ,ita vt & maiorem perniciem, & celeriorem interitum inferat.Hac in re à paucis animaduerſa,puto ego hunc in modum eſſe decernendum:vinum viperinum aut caſu ita fieri,aut arte:ſi caſu fiat,proculdubio nō conuenit;quia extinguuntur in ipſo totæ viperæ, & cauda & caput miſcentur, neque ſit fermentatio,vnde redditur potius vinum illud venenatum,quàm vtile.Cæterùm ſi arte fiat,vti Nicolaus videtur innuere, tunc amputatis amputandis, cùm fiat debita mixtio & fermentatio,ſit conſequenter,vt vinum illud vtiliſſimū etiam pro ſanis corporibus reddatur. atque ex his iam colligere licet, omnia alexeteria, vbi corporibus ſanis exhibentur,ſemper in minori doſi eſſe exhibenda,quàm dum præbentur vel iam venenatis,vel illis quæ obnoxia ſunt morbis,& in venenatas affectiones vergunt.vnde quoque iam colligere licet, quodnam debeat eſſe tempus, quo ſani poſſunt vti alexeteriis.nam Rabbi Moyſes 22.aphoriſ.loquens de ſmaragdo,inquit eum ſanis corporibus exhibendum quo tempore ventriculus vacuus eſt, & iam conſummata eſt omnis concoctio, eo ſcilicet pacto, quo Galenus libro de

ther.

ther.ad Piſon.cap.17.præcipiebat, vt theriaca ſumeretur cùm celebrata eſt ex toto ciborum coctio,& quod dicimus de theriaca,& ſmaragdo, idem decernendum eſt de quocumque alexeterio:& ratio eſt,quia ſi hæc remedia ſumerentur, cùm cibus eſt in ventriculo,proculdubio aut is corrumperetur,aut ipſorum virtus à cibis hebetaretur.atque hæc de præſeruatione dicta ſint.

De curatione vniuerſali venenatorum ab animalibus,& de temperamento ſerpentum.

CAPVT XXI.

SI venenum iam in corpus aſſumptum fuerit, duplex erit ratio curationis, alia vniuerſalis,alia verò particularis vniuſcuiuſque ſpeciei.vtile autem erit vniuerſalem curationem priùs cognoſcere, quoniam ab hac multa ad particularem deriuabunt.quia verò,vt ſæpe dictum eſt,venenorum alia ore ſumuntur, alia extrinſecus inferuntur,initium ſumam à curatione eorum venenorum quæ extrinſecus inferuntur. Inuenio autem huiuſmodi venena communicari corporibus noſtris tribus modis,aut morſu,aut expuitione,& afflatu,aut aculeo. morſu inferunt venena in primis ſerpentes, deinde animalia rabie efferata. de quibus cùm tractatio noſtra ſit,nó erit opus eam inutiliter repetere:expuitione verò & flatu aſpides, qui dicuntur ptyades, baſiliſcus, quem tametſi Gal.ſe minimè vidiſſe ſcripſerit, grauiſſimi tamen ſcriptores eum reperiri, & halitu, ac viſu interficere ſcribunt. & ego dum apud Imperatorem Maximilianum eſſem, vidi cadauer baſiliſci, quod hactenus in theſauris eius ſeruatur. inferunt venenum aculeo omnia araneorum genera, veſpæ, apes. & quamquam hæc animalia diuerſimodè venenare videantur, illud tamen commune habent,vt ipſorum venena tota ſubſtantia potiùs quàm qualitate interimant.neque valet quod Gal.ſcribit lib.Quod animi mores.cap.3. in fine,aſpidis venenum frigidum eſſe,ac perinde afficere, atque cicutam, quia refrigerant quidem omnes ſerpentes,vt infra dicetur, ſed non interimunt frigiditate, verum proprietate naturæ,& tota ſubſtantia.Modus verò, quo ab huiuſmodi animalibus infertur venenum, hic eſt: animalia quæ morſu venenant, virus venenoſum geſtant in veſica quadam ſubtus linguam,qua rupta emanat quidam ichor ſaliuoſus, qui vbi corporibus infigitur,ea venenat.quod voluit ſignificare antiquiſſimus Nicander,quando ſcripſit venena ſerpentum contineri in cute.modus verò quo frangitur hæc veſica,vt ego inuenio,duplex eſt;vnus,quando mordent. vbi enim mordent, cùm corpora contrectent huiuſmodi veſiculam, illa frangitur,quod tamen fit diuerſimodè; quia ſerpentes femellæ quatuor dentibus, mares autem duobus ſolis mordent.alter modus,quo frangitur hæc veſicula linguæ,eſt compreſſio.nam comprimitur illa ab his animalibus ita intentè, vt frangatur, & virus, ac ſaliua emanet:ſic puto aſpidem ptyadem expuendo venenare; quia ſic diſrupta hac veneni veſicula illud eiaculantur,& quadam arte profundunt.hæc,vt dixi, videntur eſſe communia omnibus animalibus venenum iaculantibus. Cæterùm priuſquam curationem aggrediar, nonnulla de ſerpentibus notatu digna ſunt præmittenda. primum eſt,hoc nomen ſerpentis apud ſcriptores, & communiter & propriè accipi ſolere. communiter accipitur,non ſolùm pro ſerpentibus propriè vocatis, verùm etiam pro ſcorpionibus,& araneis,vt eſt apud Cornelium Celſum,pro lacertis; inuenio etiam & Plin. & Apul. appellaſſe pediculos ſerpentes, vbi ſcribunt

Pherecy

Pherecydem Syrum Pythagoræ præceptorem ſerpentibus periiſſe;quem tamẽ conſtat pediculis eſſe necatum.propriè ſerpens accipitur pro animali ſanguineo pedibus orbato,& ouiparo. nam hoc proprium ſerpentum eſt, oua parere.ſic definiuit Ariſt. ſerpentes in lib. de gen.anim. & alibi : ſic etiam Gal.in lib. de Ther.ad Piſ.8. vt cùm nos etiam loquimur de ſerpentibus,de iis loquamur qui ſine pede ſunt, & ouipari.Sed de his quæſtio eſt à nemine exactè tractata & abſoluta, ſcil. cuiuſnam temperamenti ſint ſerpentes propriè ſic dicti.Gal. loco citato, quod animi mores, &c. manifeſtè credit ſerpentes omnes eſſe frigidi temperamenti,quod etiam colligi poteſt ex l.2.de tẽp.c.5.vbi pluribus verbis nititur adferre cauſſam propter quam ſerpentib.deſunt pili.hanc eandem ſententiam habuit ante Gal.Plin.lib.10.cap.72. habuit Raſes 34.Contin.3.ſed præter horum auctoritates ſunt etiam rationes. vna eſt, quia omnes qui venenantur à ſerpentibus, frigore quodam mirifico ſtatim tentantur; altera eſt,quia hæc animalia, vt dicebat Ariſt.38. de hiſt.anim. cap.15. latent quatuor menſibus in cauernis,non alia ratione, niſi quia cùm frigidi temperamenti ſint, non poſſunt ſuſtinere aëris frigus, & propterea in latebras terræ vbi calor eſt,ſe recipiunt:tertia eſt, quòd ſi ſumma æſtate ſerpentes & angues omnes tractentur,nemo eſt,qui ſenſu ipſo non experiatur, hæc animalia ſummè frigida eſſe; vt ex his rationibus, & auctoritatibus facilè intelligi poſſit,eos eſſe frigidi temperamenti. ſed Auic. 6. quart. tract. 3. cap. 31. miratur inuentos eſſe homines, qui crediderint ſerpentes eſſe frigidæ temperaturæ: imò verò ſubiungit eos omnes longè feſelliſſe, qui huiuſmodi ſententiam ſunt ſectati. ad rationes autem propoſitas reſpondet, non eſſe mirum ſi ex morſu ſerpentum oriantur & frigora, & horrores: eo quia cùm vi veneni natiuus calor extinguatur, fit vt frigus per accidens quodam pacto ſentiatur: quemadmodum etiam videmus propter ſummas inflammationes ſequi & gangrænas, & refrigerationes,& mortificationes partium. pariter inquit Auic.non valere,quòd hæc animalia lateant hyeme, quia veſpæ, crabrones hyeme quoque latent, quæ tamen calida eſſe experientia docet. Pro ſolutione huius difficultatis ſciendum eſt de ſerpentibus nos loqui poſſe, vel ſecundum partes aliquas ipſorum, vel ſecundum totum. ſi ſecundum partes loquamur,non inconuenit in ipſis aliquas partes reperiri quæ calidæ ſint, vt eſt fel. ſed ſi de toto loquamur, vt certi hac de re ſimus,confugiendum eſt ad rei ipſius naturam; vt enim Ariſt. & experientia docet,ſerpentes ſunt quidem animalia ſanguinea, ſed exiguo admodum ſanguine prædita: iam verò cùm omnis animalium calor ſit in ſanguine locatus,quis non videt eos neceſſariò frigidos eſſe, quia paucum ſanguinem habent? adhæc fuit ſententia Hipp. quæcunque habent multum caloris,multo etiam nutrimento egere;vt quæ pauco nutrimento opus habent,minùs etiã calida ſint.iam verò doctrina eſt Ariſt.8.de hiſt.anim.4.quam etiam ſecuti ſunt omnes,& experientia comprobatur,ſerpentes pauciſſimo cibo egere, & quatuor menſibus ſine cibo viuere;quod præ cæteris probabat exemplo pharmacopolarum,qui pluribus menſibus ſeruant in pyxidibus viperas, alióſque ſerpentes ſine vllo cibo:quod ſi verum eſt,minimè dubitandum eſt, hoc genus animalis frigidi temperamenti eſſe.quod cognoſcens etiam Albertus Magnus lib.7. de animal.c.4. dixit,ſerpentes diu viuere ſine cibo,eo quòd ob frigiditatem humoribus frigidis & viſcidis abundant,quibus nutriuntur.poſſumus etiam addere eos propter ſui frigiditatem mirificè delectari vino,atque dum ſub ſole ſunt,huc atque illuc agitari,eo quod illorum frigiditas huiuſmodi temporibus ſedetur.quare,vt liberè dicam,non poſſum non ſatis mirari Auic.qui & hic,& 2.de medic.c.de ſerpẽt.vſque adeo in re clara cæcutiuit,vt nõ viderit omnia teſtari ſerpentib.eſſe temperamentũ frigidum.

Sed

Sed vtcumque ſit, cùm venenum horum animalium proprietate potiùs, quam qualitate manifeſta interimat, iure in curatione inſtituenda idem Auic. 6. quarti. tra.3.cap.1.quatuor ſcopos nobis propoſuit.Primus eſt, vt calor natiuus corroboretur,quo poſſit pugnando aduerſus venenum illud ſuperare.Secundus, vt viſcera omnia roborentur,ne à veneno ingrediente faciliter lædantur. Tertius, vt quàm citiſſimè illud è corpore extrahatur. Quartus & poſtremus, vt operationes venenorum frangantur omnino, & deleantur. Sed quamquam quatuor hi ſcopi ſint propoſiti,differentia tamen eſt in conſequendis illis, quia licet dignitate prius ſit, vt calor confirmetur: attamen executione prius eſt, vt quamprimùm venenum è corpore extrahatur, & vt prouideatur, ne in cor, & in intima corporis penetret. quapropter vbi contigerit alicui commorſum, vel à ſerpente, vel ab araneo curare, debebit ſtatim proſpicere, ne venenum in intima corporis recipiatur. quod quia citiſſimè fieri ſolet, citiſſimè quoque hic ſcopus adimplendus erit. prouidebitur autem ligaturis, ſuctione,attractione,cucurbita,inciſione,vſtione,& medicamentorum poſitione. primum autem quod faciendum,eſt,vt, ſi fieri poteſt, ſupra partem commorſam tres,aut quatuor digitos arctiſſimè pars ligetur. Gal. enim 3. de loc. affect.7. narrat ſe vidiſſe,dum ruri eſſet, ruſticos quoſdam percuſſos eſſe à vipera,& ſtatim ſe arctiſſimè ſupra partem commorſam obligaſſe: deinde partem illam amputandam curaſſe, atque ita mortem euaſiſſe. ſed hæc in ruſticis forſan toleranda: in vrbanis verò omnia priùs experienda, quàm pars aliqua amputetur. quod monebat Dioſc.lib. 6.cap. 40. ſcilicet ad inciſionem partis commorſæ tum tantum deueniendum,quando nulla alia ſpes ſupereſt vitæ.itaque liganda eſt pars, vel ſi ligari non poſſit, medicamentis adſtringentibus obducatur, vt ablumine oui, gummate, ſanguine draconis, bolo armeno, atque tum deueniendum eſt ad exugendam partem commorſam, vt huiuſmodi exuctione totum venenum extrahatur. in qua re aduertendum ſæpe huiuſmodi morſus, ſiue dente, ſiue aculeo fiant,vſque adeo puſillos & obſcuros eſſe, vt vix conſpici valeant. Circa exuctionem Dioſcorides nonnulla proponit documenta conſideratione digna. Vnum eſt,vt qui exugere debet partem commorſam, numquam ſit ieiunus.aliud eſt, vt ſemper os prius abluat vino, atque eo generoſo. tertium, vt ore contineat oleum. poſſumus his addere, vt qui exugere debent, plures ſint, & ſæpe mutentur: ſic enim multo tutiùs poterit extrahi totum venenum. quòd ſi ori exugentis priùs affricata eſſet theriaca, magna quoque ſecuritas accederet. ſed quia rari inueniuntur, qui vulnera venenata exugere velint, eapropter loco illorum ſuccedunt cucurbitulæ:quæ ſi vulneribus commorſorum applicentur, potentiſſimè extrahere poſſunt venena. Proponit Dioſc. & alij quoddam aliud præſidium loco exuctionis; & eſt,vt gallus, vel gallina,vel palumbus viui accipiantur, & deplumato podice vulneri admoueantur: ſic enim non ſolùm proprietate quadam, verùm etiam calorifica illius loci facultate fit efficaciſſima ipſius veneni extractio. verùm, quia, vt ſuperius dixi, horum animalium morſuræ obſcuriſſimæ, & exiles ſunt, operæpretium eſt locum commorſum ſcarificare, quod fit longis, latíſque inciſionibus. Vbi autem apertus & dilatatus eſt locus, diu conſeruandus eſt apertus,& quo tempore conſeruatur,ſemper apponenda ſunt remedia, quæ vim auxiliarem habent ad extrahendum quidquid veneni intus eſt. ſunt autem hæc cōplura apud Medicos,rutha,allium contuſum,dictamnus Cretenſis: ſed omnibus præfertur theriaca, imò verò fuit ſententia Galen. 11. de ſimpl. medicamen. cap. de dracone marino, & lib.de theriac.cap.11. ſingulare præſidium eſſe in omni genere vulnerum venenoſorū,vt ipſa animalia quæ vulnus inflixerunt,trita ipſi affricentur,

centur,& applicentur,quod qua facultate, & qua vi efficiatur, pollicitus eſt quidem Galenus docere,ſed vt ego puto,non fecit,aut infeliciter fecit.ſolet interdum venenum inflictum vſque adeo contumax & præceps eſſe, vt non poſſit etiam hac arte debellari; & iccirco Ægyptij Medici, in quorum regione venenata animalia ſunt plurima,conſueuerunt, vt ſcribit Auic.6.quarti.tract. 3. cap. 1. confugere ad ignem;quippe qui non ſolùm venena,verùm etiam omnia mala expellit.modus autem quo vtebantur igne in his caſibus,multiplex erat,vt habetur apud Auicennam eo loco.modò enim ferro candente,modò fune accenſo,modò oleo vrente: medicamentis etiam vſtoriis hoc agebant.Sed dubitatio eſt de theriaca; vtrum vtile ſit eam extrinſecus adminiſtrare.fuerunt qui omnino negarunt, impulſi hac ratione, quòd theriaca ſua facultate fugat,& expellit venenum; vnde cùm venenum internum expellatur à theriaca extrinſecus appoſita, dicunt iſti,venenum magis, atque magis in cor ſeſe recipere, & propterea periculoſum magis euadere. alij volunt theriacam à proprietate ad ſeſe attrahere venenum, & propterea extrinſecus vtendam,quo virus veneni extrahatur. In hoc diſſidio puto ita decernendum, theriacam recentem numquam extrinſecus apponendam, quia cùm adhuc frigida ſit ob opium,ſi non caſtigetur,periculum imminet, ne venenum intro magis repellatur ob frigus. cæterùm iam fermentata vtilis eſt,ſi extrinſecus apponatur,tùm quia facultate quadam attrahit venenum,tum quia ſi non attrahit, tamen illud potentiſſimè frangit,& hebetat.vbi hæc omnia facta ſunt,ſolet quoque veneni qualitas, & veſtigium aliquod per corpus propagatum relinqui,quod opus eſt radicitus euerti. iccirco in his caſibus inſtituenda eſt in primis recta victus ratio, quam proponam, cùm tractabo de venenis interius ſumptis. adhæc vtendum eſt & chirurgicis, & pharmaceuticis remediis.Si venenum ſit per totum corpus diſperſum, atque illud ſanguine plenum,fuit Auic.ſententia loco citato,vtendum eſſe ſanguinis miſſione, tum vt paſſim venenum hunc in modum euacuetur,tum maximè vt pabulum ipſi auferatur, hoc eſt, ſanguis ipſe:quare vtile erit,modo nihil prohibeat, confugere ad ſanguinis miſſionem.De pharmacis autem hunc in modum conſtituendum eſt, quamprimùm ad purgationem deueniendum eſſe. maximè autem confert in hoc caſu vſus agarici,quem præter purgandi vim reſiſtere etiam venenis,clariſſimè intelligi poteſt ex auctore compoſitionis theriacæ, atque ex ipſo Galeno. Sed circa purgationis adminiſtrationem duo dicenda: vnum eſt, in his caſibus non expectandam eſſe humorum præparationem, eo quia humores venenati non poſſunt ad benignum reduci, ſed quamprimùm fieri poteſt è corpore extrahendi ſunt, ne huc atque illuc moti in cor tandem præcipitentur.alterum eſt, circa initia magnopere cauendum eſſe,ne vel purgatorio medicamento,vel ſectione venæ, vel vomitu vtamur; ratio eſt,quia ſi hæc tempeſtiùs peragantur quàm par eſt, certiſſimum periculum imminet, ne ab externis partibus in internas venena rapiantur. Sed dicet quis,cur Aëtius lib.13.c.de veneno viperæ ſcribit,eos qui morſi ſunt à vipera debere (priuſquam vrinæ appareant cruentæ) bibere vinum, & vomere? Reſpondeo, etiamſi hoc præcipiat Aëtius, non propter hoc tamen voluiſſe, vt vomitus ſtatim in principio adminiſtretur, ſed tantummodò priuſquam ſigna letaliſſima adſint,& omnis ſpes ſublata ſit.atque hæc eſt vniuerſalis ratio,& methodus curandi venena extrinſecus ab animalibus illata.

De

De curatione venenorum ore ſumptorum.

CAPVT XXII.

IN venenis quæ ore capiuntur duplex curandi ſcopus eſt,vt traditur à Gal.lib.de conſt.art.19.vnus eſt,vt quàm citiſſimè fieri poteſt,venena è corpore educantur: alter eſt,vt vis & operatio eorum omni ingenio & arte eneruetur. euacuari verò poterunt vel ore,vel aluo,vel vrina,vel ſudore. cæterùm quia per os ingreſſa ſunt, & multo ſecurius eſt per eandem partem illa euacuare ; iccirco ſtatim ac ſe offeret aliquis,qui venenum ore ſumpſerit,proſpiciendum erit vt illud vomitu euacuetur. Sed circa vomitum inſtituendum quinque documenta opus eſt ſemper ante ocu-los habeamus.primum eſt,vt vomitus fiant medicamétis familiariſſimis;propterea iure damnatur ab omnibus hoc in caſu ellebori vſus : commoda verò ſunt oleum, butyrum,copia lactis,decoctio florum geniſtæ.Scribonius Largus auctor antiquiſ-ſimus commendabat,vt vomitus concitetur , vel penna, vel loro vomitorio. quid autem ſit apud Scribonium lorum vomitorium,ingenuè fateor me ignorare.conii-cio tamen fuiſſe in vſu apud Medicos & pharmacopolas lori , ſeu corrigiæ genus aliquod,quod in os immiſsū vomitus prouocabat,ſed de hoc forſan in 6.Variarum lectionum aliquid plus dicam.Secundum documentum eſt , vt vomitus cieatur iis remediis,quæ vim emplaſticam habent:ratio eſt,quia pleraque venena acria , mor-dacia & tenuia ſunt. vnde à remediis viſcidis & vnctuoſis non ſolum vis ipſorum mordax obtunditur,verùm etiam ipſis vnctuoſis venena adhærentia,& veluti inui-ſcata,ſicuti minus nocent,ita feliciùs & tutiùs vomitu educuntur:vnde pinguedi-nes,iura pinguia,vt dicebam , butyrum , magnopere conferunt;quorum vltimum Auicen.in his caſibus prætulit cuique alteri medicamento vomitorio.Tertium eſt, vt vomitoria habeant vim incidendi & attenuandi. quocirca iure commendatum eſt à Medicis lixiuium,oxymel, acetum. hæc enim præterquam quòd citiſſimè vo-mitum excitant,ſubſtantias etiam venenorum incidunt & hebetant.Quartum do-cumentum eſt , vt vomitoriis ſemper immiſceantur aliqua , quæ vim habeant ve-nenis ipſis reſiſtendi , vt eſt puluis cornu cerui , puluis lapidis bezoar , ſmaragdi, terræ ſigillatæ,boli armeni,& aliorum. huiuſmodi enim,ſi miſceantur , non ſolùm famulantur vomitui faciendo , verùm etiam & vi emplaſtica , & vi alexeteria mi-nuunt vires ipſorum venenorum.Quintum eſt,vomitum non ſemel, neque exiguo tempore eſſe concitandum , ſed tantiſper inſiſtendum quouſque nulla veneni ſu-ſpicio remaneat , hoc eſt,omnis ſapor,color , & odor venenatus ſit ſublatus : nec amplius appareant vel morſus , vel nauſea , vel cruciatus inteſtinorum. ſolent in-teſtina citiſſimè à venenis offendi , vt ſcribunt Aëtius , Scribonius , & Auicennas. itaque præter vomitum ſtatim etiam clyſteribus & ipſa eluenda erunt , vt ſi quid veneni ad ea peruenit , omnino elidatur. fiunt autem clyſteres in his caſibus , in-terdum lenes , interdum verò validi & fortes , cuiuſmodi laudauit Aëtius. le-nes fiunt ex butyro , lacte , oleo. fortes verò ex agarico, chamelea, & aliis. exem-pla eorum hæc erunt. Rec. lactis vaccini lib. j. s. ol. amygd. dulc. vnc. 4. butyri vnc.3.pul.cornu cerui drach.j.ſalis drach.j.s. miſce pro clyſtere. Item Rec. chame-leæ,conſolidæ,centaureæ,maluarum an.m.s.agarici in petia ligati drach.j.s.fiat de-coctio ſecundum artem.deinde Rec.dictæ decoctionis lib. j. olei dulciſſimi vnc. 6. elect.de dacty.drach.3.ſalis drach.j.s.cornu cerui puluerizati drach.j.miſce,fiat cly-ſter.

ſter.Si fortè venenum ad vrinam pertingere videatur, eſt ſententia Dioſc. & Auic. quòd ſtudium conuerti debeat ad vrinam prouocandam: quod cùm fieri poſſit variis remediis,eligenda ſunt mitiora,quæ nihil acrimoniæ,vel inſignis caliditatis poſſideant. vnde & caſſiam magnopere laudo, & ſuccum ſeminum melonum, radicem maluæ. & vt habeatur formula horum, quæ in hoc caſu poſſunt prouocare vrinam: Recipe florum caſſiæ drach. 10. puluerizentur,glycyrrhizæ drach. 2. miſce:& notandum admiſcendam glycyrrhizam in hoc caſu,quia,vt docet Meſues, caſſia ſuapte natura non prouocat vrinam, ſed tum demū ſi ſibi miſceantur diuretica:cuiuſmodi eſt glycyrrhiza,quæ præterquam quòd prouocat vrinā,habet etiam vim alexeteriam & emplaſticam, meritò cuius vim venenorum maximè retundit. ſi caſſia non placeat,poterit ſic aliud diureticum parari.Recipe ſem.cucurbitæ vnc. 2.rad.maluæ vnc. 1. glycyrrhizæ drach.1.s. ſem. citri ſcrup.2. fiat decoctio ſecundum artem.deinde Recipe dictæ decoctionis vnc.4.mannæ electæ vnc.3.ſucci ſem. melonum vnc.1.s.miſce:hoc enim medicamentum poterit ſimul & vrinā & aluum mouere,& venenis obſiſtere. Sed quæ dixi hactenus de curatione vniuerſali, ſatis aperta & certa ſunt inter Medicos; illud autem incertum eſt, an in curatione venenorum,quæ potu ſumuntur,conueniant medicamenta purgantia. Galenus quidem nullibi eorum mentionem facit. Aëtius qui diligentiſſimus fuit, ſemel tantum in cura veneni ceruſſæ purgantis medicamenti meminit. Auicen. etiam 6. quart. in initio, vbi loquitur de vniuerſali curatione venenorum, nunquam meminit purgantis medicamenti. ex altera verò parte, vbi tractat de veneno arſenici, & calcis, & gypſo, & ceruſſa, aliquam eius mentionem facit. Hunc in modum decernenda hæc puto, venena quantum ex ſe requirere vſum purgantium. quoniam illa ſemper ſunt è corpore educenda, ſed quia medicamentis ſolent magis attenuari, & attrahi ad ventriculum, vbi damna inferunt, eapropter iure vſus eorum à Medicis ſilentio præteritus eſt, exceptis tamen illis venenis, quæ cùm ſuapte natura adhæreant partibus corporis, opus habent aliquo, quod ipſa educat,vt eſt gypſum,ceruſſa.quare ſi interdum vtendum erit his medicamentis,quod fiet,quando vel vomitus fieri non poterit, vel clyſteres nihil proderunt, confugiendum erit ad purgantia. & quamquam Auic.& Aëtius interdum proponant ſcammonei vſum,agaricus tamen cunctis aliis præferendus eſt, quia præterquam quòd euacuat & expurgat humores, habet etiam alexeteriam facultatem & vim veneno inimicā.& vt purgatorij aliquod exemplum habeatur:Recipe fol.acetoſæ,pimpinel.an.m.1.florum cord.p.1.s.citri,zedoariæ an.ſcrup.s.fiat decoctio ſecundum artem. deinde Recipe dictæ decoctionis vnc.4. agarici præparati ſcrupul. 4. infundantur omnia ſecundum artem. deinde facta diligenti expreſſione adde mannæ electæ vnc.3.ſyrupi de cortic.citri vnc.j. miſce. præter hos modos educendi venena eſt alius,qui fit per reuulſionem à partib.infimis ad extimas; hoc autem fit frictionib.extremorum ligaturis, cucurbitularum appoſitione, lotione pedum lixiuio feruenti, vſu balneorum, præcipuè laconicorum, ac omnium eorum quæ prouocant ſudorem. poſſumus quoque inter hæc præſidiorum genera connumerare auxilij genus quoddam,quo Cæſarem Borgiam dum venenatus eſſet, ſeſe ſeruaſſe aiunt;& eſt,vt vel mula,vel bos exenterentur viui,& intra aluum horum animalium calentē corpora venenata ponantur: habent enim hæc animalia proprietate vitalis caloris quem adhuc obtinent, vim attrahendi venena ab intimis ad ſuperficiem. verùm etſi hæc omnia prudenter adminiſtrata profint, remanet tamen periculum vitæ magna ex parte ſublatum. tanta eſt celeritas penetrationis venenorum, vt ſtatim ſoleant viſcera violare, & inſigniter contaminare. iccirco

Medicus

Medicus non debet contentus eſſe,quòd ſubitaneum euaſerit periculum,ſed ſimul proſpicere, vt quidquid mali impreſſum eſt in viſceribus, emendetur,& deleatur. ad quod agendum conferunt, & ratio victus, & antidoti, ſeu remedia alexiphar-maca, quæ non modò conferunt in venenis ore acceptis, verùm etiam in iis quæ ab animalib. extrinſecus inferuntur. nam de remediis Chirurgicis, quia iam pro-poſita ſunt, non eſt vt quidquam repetatur: illud ſat ſit hic attuliſſe,quod pauciſ-ſimis verbis docuit Auicennas, ſcilicet ſi mittendus eſt ſanguis, debere mitti. cog-noſcitur autem id eſſe faciendum,ſi corpus venenatum ſuapte natura ſanguinolen-tum ſit, & ſi venena reliquerint accidentia vlla inflammatoria,quia, vt huiuſmo-di accidentia aboleantur, & vtile, & neceſſarium eſt ſanguinem mittere. Circa vi-ctus rationem quæ pro curatione vniuerſali omnium venenorum exigitur, in pri-mis proſpiciendum eſt aëri,vt ſcilicet qui venenati ſunt,detineantur ſemper in lo-cis calidis & ſiccis,vbi aër purus & clarus ſit,vbi odores aromatum fiant; & præ-cipiunt ferè omnes, vt habeantur ſerui ſani & integri, qui frequenter halent in os venenati. quòd ſi etiam iſti qui expiraturi ſunt in os, prius res odoratas maſti-cent, vt zedoariam,folium vocatum,ſeu malabathrum,nucem myriſticiam, caryo-phyllos, vtiliſſimum quoque erit. in omnibus ferè aliis morbis ſolet ſomnus ſal-tem moderatus commendari. ceterùm in curatione venenorum ſecus eſt, nimi-rum prouidendum eſt, vt parciſſimè,quantum fieri poteſt, venenati dormiant, & præſertim in initio. ratio eſt,quia oportet remedia diligenter,& ſollicitè adhibere, quod fieri non poteſt in dormientibus. accedit etiã ſomno venena magis in cor ra-pi. poſtremò, cùm dormientes ſuos dolores & ſua mala non ſentiant, nequaquam remedia adhiberi poſſunt. quare prouidendum, ne venenati dormiant, ſed modò huc, modò illuc mouendi ſunt, quia corporum agitatione venena magis in cutem trahuntur, & magis etiam conſumuntur. à venere abſtinendum eſt, aluus lubrica conſeruanda.Pro potu autem, vt habetis ab Hipp. 6. in 6. Epid. com. 5. conuenit vinum, acetum, ſapa. Ex cibis conueniunt omnes vnctuoſi & craſſi, cuiuſmodi eſt lac, butyrum,oleum, oua, cerebella animalium,pedes vitulorum.ex herbis,allium, raphanus,borago,bluglosſa, pimpinella, tormentilla, meliſſa, conſolida. ex fructi-bus verò,nuces auellanæ, caſtaneæ,ficus, citria,cydonia, & ſimilia.Gal.6. Epid. lo-co citato adferens rationem omnium eorum quæ proponit Hippoc. aduerſus ma-lefica medicamenta, inquit iccirco laudare vſum ſalis, quia à ſale omnia venena extenuantur & conſumuntur. quamobrem vtile erit ſalem ſimplicem, vel theria-calem in frequenti vſu habere; imo laudo vt habeantur aliqua aromata, quæ fer-culis inſpergantur, cuiuſmodi eſſet. Recipe zedoariæ, gentianæ an. drach.s. cina-momi, caryopyll. nucis myriſt. an. ſcrup. ij. croci ſcrup. s. puluerizentur, hyacin-thi, ſmaragdi an. gran. 15. ſacchari fini vnc.ij. miſce. præter hanc rationem victus neceſſarium eſt, vt ſi corpora venenata rectè curari debeant, tractentur etiam an-tidotis. omnibus ferè venenatis vniuerſaliter conuenit vſus Theriacæ, & Mithri-dati: ſed,vt inquit Auicennas, ſi ſpecies veneni cognita fuerit Medico, debebit antidotos peculiares,& accommodatas illi ſpeciei adhibere. quare ad eorum quo-que tractationem iam deſcendamus.

HIERONYMI MERCVRIALIS DE VENENIS.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

VANVM profectò & inutile fuiſſet vniuerſalem hanc venenorum curationem tradidiſſe, niſi etiam ſimul & particularis adferatur. neque enim Medici verſantur circa vniuerſalia, ſed tantùm circa particularia. ceterùm immenſum eſſet hoc, & forſan ſuperuacaneum, tractare curationem,& naturam omnium particularium venenorum, quandoquidem penè infinita ſunt, & particulariter etiam à ſcriptorib. tractata. quare vt immenſitatem hanc operis fugiamus, ſtatui ex vnoquoque genere venenorum vnum, vel alterum ſeligere. ſic enim facilè quiſque poterit reliquorum indiuiduorum methodum ſibi acquirere. & quia ſupra diuiſi venena in ea quæ ab animalibus inferuntur,& ea quæ ore ſumuntur:eandem diuiſionem nunc ſequar,initium ſumens à venenis,quæ extrinſecus ab animalibus inferuntur. Quoniá verò,vt dixi,animalia quæ venenant, vel morſu offendunt, vt ſerpentes,vel ictu, vt aranei,& phalangia, vel ſolo tactu,vt dracones Atlantici,vel afflatu, vt ſunt alij quidam angues Indici, & baſiliſcus; de his poſtremis non erit opus multa dicere,quia peregrina ſunt animalia,& à nobis valde remota.tractabimus ſolum de iis quæ morſu,aut ictu venenũ inferunt: & licet inter hæc præcipuum locũ obtineat canis rabidus, quoniam tamen copioſiſſimus tractatus noſter de eo ante hæc editus habetur, nõ erit opus iterum nunc de illo loqui. vnde tractaturus tantum ſum de veneno aſpidis, & viperæ,quod morſu inferunt; ſubinde de veneno ſcorpionis & phalangij,quod ictu communicatur. ratio autem tractationis erit; primò,vt paucis animal,vel venenũ ipſum deſcribam,mox,differẽtias, deinde, modum quo infertur,poſt,temperamentum,ſubinde,ſymptomata & effectus, poſtremò,particularem curationem tradam.

De Aſpide.

CAPVT II.

NIcander ſcriptor venenorum antiquiſſimus primum locũ tribuit aſpidi venenato, qui ſerpens terreſtris eſt; dico terreſtrem, vt diſtinguatur ab aquatico, qui ſic vocatur. & cùm ſit ſerpens, animal eſt ſanguineum, pedibus carens, latens hyeme, & ouiparum. nam, vt ſuo loco dicetur, inter omnes ſerpentes ſola vipera fœtum viuum parit. Gal. lib.de Ther. ad Piſ.cap.8.ſecutus veteres omnes, & præſertim Nicandrũ, tria genera facit aſpidis.vnũ eſt,quod appellant cherſęon ſeu terreſtre:aliud vocant chelidoniũ,ſeu hirundinaceum:tertium ptyadẽ;barbari vocant expuitorem.

expuitorem. priorum duorum generum color eſt cinereus, & ſubuiridis. hirundinacea verò ſpecies aſpidis tota ſimilis eſt hirundini,vnde nomē habet. conueniunt autē omnia hæc genera,quia omnes aſpides ſunt viſu imbecillo, inceſſu tardo,auditu autem ſubtiliſſimo. nam, vt habetur apud Dauidem pſal. 57. ea eſt natura aſpidum, vt quotieſcumque excantantur, cauda obturent aures, ne audiant verba incantatoris. & hæc eſt ratio propter quam nuncupantur ſurdi: conueniunt verò omnes & in alia re, quia ſemper (vt ſcribunt) coniuges & pares incedunt. quòd ſi contingat alterum interimi, ſuperſtes perſequitur occiſorem alterius vſque quò ipſum mordeat.ſcribit Plin. lib. 2. cap. 63. omnes ſerpentes vbi percuſſerint ſemel hominem,numquam amplius à terra recipi.quod vtrum ſit verum, dubito; quandoquidem id nuſpiam inuenio apud alium ſcriptorem. De temperamento etiam aſpidis inuenio controuerſiam eſſe inter ſcriptores. Gal.enim in lib. Quod animi mores, cap.3. ſcribit aſpidem paullo minus frigidum eſſe ipſa cicuta. ceterùm qui ſectati ſunt Arabes Medicos, & de venenis ſcripſerunt, omnes affirmant aſpidem eſſe calidiſſimum: ſed quod aliàs dixi de omni genere ſerpentum, idem quoque aſſerendum eſſe puto & de aſpide, nimirum ipſum eſſe frigidum, & conſequenter omnes allucinari qui exiſtimarunt illum eſſe calidum.neque valet,quòd ex eius morſu incendia,dolores,rubores,& inflammationes ſuboriantur.quoniam id quod contingit,totum oritur non ex caliditate animalis, ſed ex dolore prauo quem conſequuntur omnia accidentia, quæ æmulantur caliditatem. Mordent aſpides ac infundunt morſu venena; fœminæ quatuor dentibus, mares verò duobus tantum. vtrum autem ſolo morſu venenum habeant, an verò illud toto etiam gerant corpore, dubium eſt: nam Gal. lib. de theriac. c. 8. quærens rationem propter quam antidotos non ingrediatur caro aſpidis, & aliorum ſerpentum, ſed tantummodò caro viperæ, ſcribit hoc fieri, quoniam vniuerſum corpus aſpidis venenoſum eſt, vt ex hoc loco clarè colligatur, venenum eius per totum corpus eſſe diſtributum. ceterùm idem Gal. circa finem lib.2.ad Glauc. ſcribit populos Marſos veſci carnibus aſpidum. hoc autem fieri non poſſet, ſi huiuſmodi ſerpentes toti eſſent venenati.Dicendum eſt,venenum quidem in toto ipſius corpore eſſe.quòd ſi verò Marſi populi veſcuntur ipſis, aut eſt quia ſub ipſorum cœlo non ſunt venenati, quemadmodum alicubi, neque viperæ etiam, neque ſerpentes venenati; vel quia,vt dicebat doctiſſimus Fracaſtorius, huiuſmodi populi quandam ſympathiam habent cum aſpidibus, vt ab ipſis non lædantur. Symptomata quæ ab his inferuntur varia ſunt; quatuor autem præcipua de ptyade dicuntur, viſus perturbatio, tumor faciei, ſurditas, & dolor exiguus: propter quam poſtremam conditionem puto ego Cleopatram Ægypti reginam, vt refert Gal. loco citato lib. de ther. voluiſſe ſeſe potiùs aſpide interimere, quàm vllo alio veneno. alia genera aſpidum faciunt & ipſa diuerſa ſymptomata, ſtuporem, pallorem vultus, palpitationem cordis, refrigerationem,crebros hiatus,colli inclinationem, & alia. De loco affecto in hoc veneno poſſet dubitari primùm,quia ſi prædicta ſymptomata attendantur,videtur & cerebrum, & cor potiſſimum affici. Aëtius & Promotus ſcribunt in curatione morſus aſpidis Ægypt.id potiſſimum aduertiſſe,vt commorſis propinetur acetum, vſquequo illius ſapor percipiatur,& præſertim eius vis penetret in dextrum latus, eo quia(inquiunt iſti)ab aſpide obſtruitur iecur, & eius ſenſus penè perditur, vt ex his locis colligi poſſit potiùs iecur affectum eſſe. Dicendum pro ſolutione; primum quod petitur ab hoc veneno eſſe cor,ſecundo loco iecur & cerebrum,vt iure Ægyptij etiam de iecore curam gerendam cenſuerint. aſpidū venenū exitialiſſimū eſt;immo verò Moyſes,qui nūquam fallit,in Cantico ſuo ſcribit eſſe inſanabile;neq;

ſolum irremediabile eſt, verùm etiam citiſſimè interficit, vt ſe vidiſſe in Ægypto teſtatur Galenus. eſt tamen differentia, quia hirundinaceus ſtatim interimit: terreſtris autem ſpatio trium, aut quatuor horarum: ptyas verò paullo tardiùs. Curatio huius veneni cùm citiſſimè iugulet, eſt ſollicitanda. ſtatim enim deueniendum eſt ad exuctionem plagæ, vel ore, vel arundine, vel cucurbitula, vel galli, aut palumbi podice; & quia vulnus obſcurum & exiguum eſſe ſolet, curandum vt amplius reddatur, & vt ſcarificationibus ſanguis partium circumpoſitarum extrahatur: quo peracto deueniendum ſtatim ad ea quæ propriè aſpidis veneno aduerſantur: huiuſmodi autem ſunt rutha, quæ appoſita vulneri bezoarticam vim habet. Theriaca maximè ab omnibus commendata eſt. fit quoque miſtura quædam ex opio, myrrha, & centaurea, quæ applicata vulneri magnopere confert, immò verò Aëtius ſcribit centauream vino tritam, & potu exhibitam, ſi non vomatur, liberare; ſed ſi vomatur, certiſſimum ſignum eſſe futuræ mortis. Neque ſolum externis his remediis ſollicitandum eſt, verùm etiam adhibenda interna theriaca, mithridatum, antidotus Zopyri, & antidoti illę quæ à Galeno proponuntur 2. de antidotis aduerſus aſpides. Marcus Varro dum 83. ætatis annum ageret ſcripſit, vrinam commorſi ab aſpide potam ſingulariſſimum præſidium eſſe aduerſus aſpidis venena. Sed illud certiſſimum eſt Ægyptiorum inuentum, & experimentum, acetum quo copioſius potetur, vtilius eſſe hoc in genere veneni; & narrat Plin. lib. 23. cap. de aceto, fuiſſe quendam ab aſpide commorſum, vas aceto plenum geſtantem, quod quamprimum depoſuiſſet, ſtatim incipiebat ſentire ictum, vbi verò iterum vas illud recipiebat, illico omnis dolor, & malum ceſſabat: vt intelligi poſſit acetum eſſe ſingulare remedium aduerſus hoc venenum.

De vipera.

CAPVT III.

Aſpidem iure excipit viperæ tractatio, quæ & ipſa inter ſerpentes ſuum locum habet. vnde ſatis mirari non poſſum Auguſtini Sueſſani infantiam, qui in cōmen. ad primum Ariſt. de gen. ani. 1. c. 10. ſcribit, viperam nō eſſe ſerpentē, eo quòd ſerpens ab Ariſt. dicatur ὄφις, vipera verò ἔχις. certè mera puerilitas eſt, eo maximè quòd ipſemet Ariſt. 5. de gē. anim. c. vlt. viperā ponit inter genera ὄφεων, ſeu ſerpentum. & quamquam certiſſimum ſit, viperam ſerpentem eſſe, ea tamen duas habet conditiones à reliquis ſerpentibus diuerſas. vna eſt, quòd ſola viuum fœtum edit, vt Ariſt. loco citato & experientia docet. nam reliqui ſerpentes oua excludunt, & incubant; deinde pullos ex ouis faciunt: vipera verò oua primum intra ſe, & in ventre ex ouis viuum fœtum edit, quem deinde excludit. altera conditio eſt, quod, vt idem Ariſt. ſcribit 8. de hiſt. anim. cap. 15. ceteri ſerpentes hyeme latent in terra, vipera autem in ſaxis: quam Ariſt. ſententiam cùm Plinius lib. 8. cap. 39. perperam intellixiſſet, contrarium dixit, ſcilicet viperam in terra latere, & ceteros ſerpentes in ſaxis. Galen. lib. de theriac. ad Piſon. ſecutus, vt puto, Nicandrum & veteres, meram fabulam de vipera ſcriptis mandauit, quam alij deinceps quoque ſuſceperunt. nam opinio fuit, viperam fœminam dum coit cum mare, ei caput amputare, & deinde fœtus quaſi vindices paternæ mortis, dum exeunt, diſcindere matris ventrem, atque ita matricidas exire. ſed, vt dixi, hæc fabula eſt, quandoquidem non deſunt, qui oculis viderint in pyxide viperam enixam eſſe fœtus, atque ipſam & fœtum ſuperſtites extitiſſe. narrat Philoſtratus in vita Apollonij Tyanæi, vidiſſe ſe viperam fœtus ſuos tenellos lambentem. ſed

cur

cur plerique in hanc ſententiam venerint, & præſertim Plinius, puto fuiſſe verba Ariſt. malè intellecta,quæ habet 5.de hiſt.anim. cap. vlt. vbi ſcribit, fœtus viperæ corroſis membranis, quib. intra vterum obuoluuntur, exire, non enim Ariſt.vult eos exire dilaniato matris gremio, ſed tantum ruptis illis membranis, quibus inuoluuntur. Viperarum multæ ſunt differentiæ ſecundum magnitudinem & paruitatem, nam aliæ paruæ ſunt, vt illæ quæ oriuntur in regionibus frigidis: aliæ maiores,aliæ verò maximæ;ita vt referat Strabo l.Geogr.15.in India eſſe viperas,quarum corpora non modò excedant longitudinem octo, vel nouem cubitorum, ſed etiam ſexdecim cubitis ſint lõgæ;ſunt colore cinericio, interdum ſubflauæ, maculis nigris,vt plurimùm,interſtinctæ, valde differens eſt mas à fœmina. nam fœmina caput habet latius quàm mas, ceruicem minùs elatam, dentes quatuor, corpus craſſius, ſed breuius, caudam magis extenſam, tardiùs incedit, contra verò mas habet caput anguſtius, ceruicem magis eletam, ſolos duos dentes, corpus & longius,& tenuius,& velociter incedit. De temperamento viperarum diſputatum eſt non parum. Gal. lib. de loc. affect. 3. cap. vlt. ſcribit, omnia animalia quæ frigidi ſunt temperamenti, hyeme ſeſe in latebras recipere;& propterea tunc temporis viperas ferè immobiles manere. ex quo loco minimè dubitandum eſt Galenum cenſuiſſe eas eſſe frigidi temperamenti. ceterùm Auic. 6. quarti. tract. 3. cap. 21. manifeſtiſſimis verbis docet, viperam eſſe calidi temperamenti. quinimo 2. primi. doct. 2.cap. 15.ſcribit eius venenum calidum eſſe, eiuſque calorem veneficam proprietatem adiuuare ad reſoluendos ſpiritus cordis,vt non ſit dubitandum,mentem Auicennæ fuiſſe viperam eſſe calidam. ſequaces Auic. non contenti etiam mediocri caliditate viperarum, dixerunt eſſe intenſiſſimè calidas. ſed quod magis eſt, huic opinioni videtur quoque interdum aſſentiri Galen. qui lib. 11. de ſimpl. medicam. circa initium loquens de carne viperarum, inquit eam exſiccare, & moderatè calefacere. Reſponderi poteſt pro ſolutione huius dubij, viperas ſecundum varia tempora conſiderari debere,ſcilicet,aut ſecundũ hyemẽ, aut ſecundũ æſtatẽ. ſi conſiderentur ſecundum hymẽ,frigidæ videntur,quia tũc nec edunt,nec mouẽtur,nec venenoſæ ſunt:ſi cõſiderentur tẽpore æſtatis,calidæ, imo feruidæ vidẽtur, ita vt Gal. 2. de loc.affect. c. vlt. dixerit eas ſub cane æſtuoſiſſimas eſſe, & furere. Sed hæc reſponſio minimè eſt commoda. primùm, quia ſi corpora viperarum etiã in ſummo æſtatis contrectentur, ipſo ſenſu gelidiſſimæ apparent. adhæc tum etiã ſine cibo conſeruantur, vt quod de aliis ſerpentib. dixi, idem & de his dicendum putem, earum ſcilicet temperamentum eſſe frigidum, & hac in re Arabes longè lateq; eſſe allucinatos. neque valet, quòd,vt mox patebit, ſubſequantur in his caſibus partis affectæ incendia, quæ caliditatem arguere videntur; quoniam id potiùs fit propter varietatem ſubiectorum corporum, quàm propter ipſius animalis feruorem. Sed quid dicemus ad Galenum? facilis eſt reſponſio, quia quicumque attentè legit caput illud,videre poteſt,eum loqui non ſimpliciter de carne viperarum, ſed de carne, quæ ad modum anguillæ paratur vt ſit edendo,qui modus apparatur anetho,ſale,& porro;quod condimenti genus non eſt dubitandum affi-cere carnes viperæ & calefaciendi,& ſiccandi facultate.eſt tamen venenum huius animalis totum ferè in capite, vt etiam Galenus quandoque damnaret eos,qui abſcindunt caudam dum parant trochiſcos pro Theriaca,quaſi neque in cauda,neque in reliquo corpore venenum ſit,vt mirari etiam non oporteat,ſi quemadmodũ ipſemet Galenus teſtatur, Ægyptij, aut alij populi carnibus viperarum veſcantur. Dum viperæ modent,ſi fœminæ ſint, quatuor vulnera, atque ea exigua inferunt: ſi mares,duo tantummodò.vbi vulnus factum eſt,ſtatim exit ſanguis ſatis floridus,

paullo poſt ichor potiùs ſanguinolentus, oleoſus, & liuidus, tumor fit in parte vulnerata rubens, biliofus, grandinoſus, tuberoſus, qui paullo poſt fit modò niger, modò viridis, quinimmo ſcribit Dioſcorides etiam vniuerſum corpus tumidum euadere. adhæc ſequuntur horrores, refrigerationes, mentis ſtupores, capitis grauitates, vomitus bilioſi, ſingultus, febres, anhelitus difficultates. dicunt etiam alij quaſi perpetuò ſequi commorſos à vipera icteritiam. ſed hoc à nemine ſcriptore probatæ fidei inuenio, neque à Græco, neque ab Arabe. illud bene verum eſt, commorſos à vipera modò pallidos, modò virides, modò flauos euadere; & ratio eſt, quia cùm hoc venenum proprietate maximè aduerſaria offendat, ſtatim calorem natiuum iugulat. vbi hoc factum eſt, pro varietate ſubiectorum deinde corporum, non eſt mirum, ſi diuerſa ſymptomata occurrant, ita vt in bilioſis fiat effuſio bilis, & color pallidus & flauus euadat, in melancholicis viridis & ater, in illis qui imbecillo ſunt capite, & ventriculo, fiant alia ſymptomata quæ retuli, & tandē penè extincto calore natiuo viridis color ſe offerat. quòd ſi interdum icteritia vera contingat, vt non diffiteor fieri poſſe, illud contingit, quia vbi copia bilis abundat in corpore ex agitatione & commotione illius, effunditur in ſuperficiem, eámque tingit. Nicolaus Florentinus & alij ſectatores Arabum tres ordines venenorum effecerunt; primum, eorum quæ ſtatim interimunt. ſecundum, eorum quæ non ita ſtatim, ſed breui tempore enecant. tertium, eorum quæ paullo tardiùs. atque inter has ſpecies repoſuerunt viperam, quaſi illius venenum ſerò interimat. ſed licet non inficias eam, in aliquibus regionibus viperas non eſſe vſque adeo letales, neque ita citò interimere: verumtamen non eſt dubitandum, alicubi venenum ipſarum vſque adeò exitioſum eſſe, vt citiſſimè perimat, præſertim verò ſi morſus factus ſit à vipera ieiuna in corpore ieiuno, ſi tempore æſtatis in ſummo calore, ſi à vipera irata. Vtrum autem fœmina, aut mas venenum letalius inferat, controuerſum inuenio; quandoquidem alij exiſtimant à fœmina venenum exitialius effundi, alij contra putarunt marem venenoſiorem eſſe fœmina. ſed hæc lis conciliari poteſt, quia & aliquo pacto venenum fœminæ letalius eſt, aliquo pacto maris. fœmina, quia quatuor facit vulnera, maiorem veneni molem pluribus morſibus effundere videtur: mas autem etſi duo tantum inferat, tamē vis ipſorum comparata moli veneni fœminæ multo acerbior & efficacior eſt; ita vt & qui dixerunt marem, & qui fœminam letalius venenum inferre, vtrique poſſint veritatem dixiſſe. quod cùm ita ſe habeat, certum eſt mortem eſſe proximam, ſi qui percuſſus eſt, incidat in ſyncopen, aut illi ſanguis ex naribus profluat, labia viridia fiant, vngues refrigerentur, totum corpus tremat, & veluti grandine, vt dicebat Nicander, percutiatur. Solent autem occidere omnes viperæ ſpatio interdum ſeptē horarum; plerumque ad tertium diem vix perueniunt percuſſi, ſi tamen perire debent. Curationis ratio ea eſt vniuerſalis, quam iam præſcripſimus, vt ſcilicet quāprimùm venenū extrahatur, & ſi id fieri non poteſt, vt pars percuſſa obligetur, & ſi neceſſe erit, etiam amputetur. peculiaria hoc in caſu complura referuntur à Galeno & aliis, præcipua tamen eſt viperæ ipſius caro, ſiue comeſta, ſiue extrinſecus appoſita, theriaca, paſtilli viperini, oleum viperinum. præ cæteris autem commendari ſolet rutha, allium. Aëtius ex Archigenis ſententia laudat potum vini meraci larga copia, ita vt vomatur. ſed quia dixi in vniuerſali curatione vomitum in initio perniciofum eſſe, intelligenda eſt ea Archigenis auctoritas, procurandum eſſe vomitum, cùm iam initium morſus pertranſierit. vrina potata ipſiuſmet percuſſi vtilis eſt; inuenio & ſuccum fraxini, & folium mirificè laudari in morſu viperæ, ſiue intus, ſiue extra adhibeatur; & mira res eſt, ſi hinc ponātur folia fraxini, & hinc

ignis, atque in medio conſtituta fuerit, vipera, potiùs eligit ſeſe in ignem conii-cere, quàm ſupra fraxinum tranſire, tanta eſt antipathia huius ad fraxinum. idem dico de ſucco taxi; & ſcribunt Claudium Imperatorem edicto publico monuiſſe omnes huiuſmodi remedium efficaciſſimum eſſe. ſcribit Aulus Gellius lib.4. c. 13. ex ſententia Theophraſti tibicinem modulatè canentem curare morſos à vipera. ſed puto hoc fabuloſum eſſe.

De animalibus quæ aculeo venena fundunt, & primùm de ſcorpione.

CAPVT IV.

SEquitur vt breuiter, & perſpicuè loquamur de his venenatis animalibus, quæ aculeo venenum fundunt; hæc enim omnia id habent commune, vt ſpirituale, ſeu materiale venenum, non puram qualitatem effundant in corpora animalium. ſed aduertendum, vt docuit Ariſt. 4. de hiſt.anim. 7. horum animalium alia habere aculeum intra corpus, vt veſpæ & apes; alia verò habere externum, vt ſcorpiones; & quæ intus aculeum habent, aut illum exerunt ore, vt apes, quæ vſque adeo tenaciter ipſum infigunt, vt poſtmodum non poſſint retrahere, propter quod dicebat Virgilius: Vitamq; in vulnere ponunt. alia verò exerunt aculeum aluo, vt ſcorpio. Cur autem hæc animalcula ſint dotata à natura aculeo, Ariſt.4. par. anim. 6. attulit hanc cauſam, ſcilicet vt ſeſe tueri poſſint huiuſmodi armis aduerſus noxias beſtias. Scorpio, de quo nunc ſumus acturi, animal eſt inſectum exãgue, quod, vt habemus ab Ariſt.5.de hiſt.anim.26. quinque brachia habet ex vtraque parte inſtar forficum dentata, & ſolus caudam longam habet & extenſam, in qua plerũque vnus aculeus, interdum duo ſunt; aculeus autem cauus eſt & plenus tabo venenato. addit Apollodorus quidam curioſus ſpeculator, etiam hoc venenum eſſe album, quod effundunt in corpora, dum aculeo ipſa feriunt, vt à ſcriptorib. medicinæ appellentur vulnera huius animalis ictus potiùs, quàm morſus. Habet ſcorpio hanc peculiarem conditionem, vt narrat Plin.lib.29.c.4. quòd nunquam ferit volã manus, & ferè nunquam percutit vllam partem, niſi vbi ſit pilus; quod vtrum verum ſit, non conſulo vt quiſquam experiatur. Nicander, & Ælianus, & Promotus nouem genera eſſe ſcorpionum tradiderunt, ſed ſolùm differentia, vt ego puto, colore, quia alios dicunt albos, ſeu ſubalbos eſſe, alios virides, alios nigros: omnia tamen hæc genera, vt docet Ariſt. loc. cit. vermiculos gignunt, quos deinde incubant, atque adeo numeroſa proles, & valida naſcitur, vt dicant ab ipſa parentem interimi. ſed non poſſum credere Ariſt. hæc omnia certò vidiſſe, ſed potius ipſa accepiſſe ex libris Democriti præceptoris Hippocratis, qui ſagaciſſimus fuit harũ rerum indagator, & cuius libri ſi haberentur, hodie forſan philoſophia Ariſtotelis nõ eſſet in ea exiſtimatione. Temperamentum huius animalis fuerunt qui exiſtimarũt diuerſum eſſe ſecundum diuerſa genera ſcorpionum, ita vt albi ſint huius tẽperamenti, virides, & nigri ſint alterius. ſed huiuſmodi ſententia exploſa eſt à diſputatione Auer. 5. collect.cap.26. vbi plurimis verbis oſtendit colorem poſitum eſſe in ſuperficie corporum, & propterea ex ipſo colore non eſſe iudicandas ſubſtantias remediorum, neque ipſorũ temperamenta, vt non valeat hæc ratio: ſunt diuerſi coloris ſcorpiones: ergo ſunt diuerſi tẽperamenti. quare multo ſatius eſt dicere cum Gal.3.lib.de loc.affect. cap. 7. & cum Auic.6.quarti, locis citatis, temperamentum omnium ſcorpionũ eſſe frigidum. Symptomata quæ oriũtur ex morſibus ſcorpio-

num varia & diuerſa ſunt: nam, vt habemus ex Promoto, vbi quis ab albo ſcorpione percutitur, dolores fiunt vehementes: circa plagam ipſam vſque adeo ingens ſuboritur incendium, vt locus vidatur peruri: circa labia apparent veluti formiculationes, oculi contorquentur, corpora videntur veluti guttis quibuſdam percuti, in oculis fiunt lacrymæ viſcidæ, tenaces, ſitis, muſculi & nerui omnes quodammodo videntur tendi. Sin autem percutiatur quis à viridi ſcorpione, fiunt quoque dolores vehementes, horrores, aſſiduus veluti frigoris ſenſus, ita vt Gal. 3. de loc. affect. 7. dixerit ſe quandoque audiuiſſe à percuſſo à ſcorpione, quòd veluti glacie quadam corpus eius opprimebatur; ſudores oboriuntur frigidi, & ſi partes infernæ percutiantur, tumores oriuntur in inguinibus, ſi partes ſuperiores, oriuntur in locis ſubaxillaribus; in his quoque ſolet interdum oriri conuulſio, ſolet anus extra procidere, ſi à nigro ſcorpione venenum effundatur, delirant percuſſi, & veluti ignorantia quadam rerum perpetua detinentur, vultus contorquetur, indurantur omnes artus, & lingua craſſa, & impotens ad loquendum redditur. tot ſunt calamitates eorum qui ab hoc animali percutiuntur; quæ omnia mala naſcuntur tum ob corporum percuſſorum varias diſpoſitiones, tum maximè ob facultatem prauam, & aduerſam huius veneni, de quo loquens interdum Gal. ſolebat dicere, venenum ſcorpionis eſſe quidem minimum mole, ſed facultate & immanitate eſſe maximum, atque potentiſſimum, vt minimè dubitandum ſit eſſe letale, præſertim verò ſi à ieiuno ſcorpione effundatur, ſi tempore æſtiuo, & ſub cane. dicebat Plin. lib. 11. c. 25. à veneno ſcorpionis maximè interimi fœminas, & præſertim virgines: viros autem ſolummodò interimi, quando mane à ſcorpione percutiuntur, eo quod tunc temporis cùm nondum effuderint venenum, ieiunum multo letalius ſit. Verùm de eius quod dicitur veritate dubitari poteſt. nam Theophr. lib. 4. de hiſt. plan. c. 10. ſcribit nonnulla eſſe venena, quæ malè tractant ſerpentes, & ab iis homines nihil patiuntur, vt ſunt ſcorpiones, ita quod manifeſtè aſſerere videtur eos minimè hominib. exitioſos eſſe. Dicendum eſt, ſententiam Theophraſti, niſi prudenter intelligatur, falſiſſimam eſſe, & tanto philoſopho indignam: rectè autem intelligetur, ſi dicamus ipſum non de omnibus, ſed de aliquib. ſcorpionibus eſſe locutum, quaſi non omne genus ſcorpionum homini letale ſit. quod autem reperiantur ſcorpiones, qui non ſint hominib. letales, vt prætermittam teſtimonium Promoti, qui de albo ſcorpione id aſſerit, eſt auctoritas Ariſt. 8. de hiſt. anim. c. 28. vbi ſcribit in Syria magnos fieri ſcorpiones, qui interimunt beſtias, & præſertim ſues, qui alioquin à venenatis pati non ſolent. circa Pharum autem, qui eſt locus in Ægypto, inquit ſcorpiones minimè exitioſos eſſe. cui etiam ſententiæ videtur conſentire Gal. lib. 3. de alimen. facul. vbi ſcribit in Ægypto à pleriſque impunè comedi ſolere ſcorpiones, vt certum ſit, ſicuti alicubi ſunt venenati & letales, ita alibi nihil nocere, atque de his locutum eſſe Theophraſt. Gal. lib. 10. de ſimpl. medic. ad morſus ſcorpionis præſtantiſſimum remedium eſſe docet ſaliuæ humanæ vſum, & præſertim corporis ieiuni, vbi etiam refert hiſtoriam, qua compertum fuit ſolam ſaliuam humanam occidere ſcorpiones. ſed præ ceteris omnib. magnopere confert commorſis à ſcorpione, ſi illud idem animal quod venenum intulit, parti commorſæ affricetur. id quod ipſemet Galen. comprobauit & lib. de ther. ad Piſo. 10. & lib. 11. de ſimpl. medic. cap. de dracone marino. quia verò, vt ipſemet Galenus teſtatur 3. de locis affect. 7. ſcorpiones altè & profundè aculeum inferunt, ita vt vulnus quidem ſit profundum, ſed tenue, & obſcurum, eapropter magna vi, magna diligentia ſunt affricanda remedia parti ipſi commorſæ, vt ſcilicet motu, & attritione poſſit vis remedij altius penetrare, pro-

pter

pter quod etiam magnopere iuuat, vt remedia & fomenta, quæ applicantur in his caſibus ſint liquori alicui commiſta, qui poſſit ducere vim in profundas partes. itaque iure laudatur fomentum maioranæ cum vrina humana, fomentum myrti in vino, cyperus, calamentum, pulegium, aſſa fœtida in vino applicata mirificè iuuare ſolet huiuſmodi commorſos. Laudant plerique Theriacam diateſſeron vocatam, aſparagum, in vino elixatum, & alia quamplurima, quæ proponuntur à Gal. lib. 2. de antidotis.

De Phalangiis.

CAPVT V.

SVccedit tractatio Phalangiorum, quæ ab Auicenna & ſequacibus rotellæ dicuntur, & ſunt citra omnem controuerſiam ex genere araneorum. ſed illud in primis ſciendum eſt, veteres, vt narrat Plin. lib. 29. cap. 4. diſtinxiſſe phalangia ab araneis in hoc, quod araneas appellarint quæ non ſunt venenatæ, phalangia verò quæ ſunt. Ceterùm huiuſmodi differentia apud Medicos non inuenitur. quandoquidem, vt videre eſt apud Aëtium & Paulũ Æginetam, ipſi tractationem faciunt ſeparatam & de aranea venenoſa, & de phalangiis, quaſi voluerint ipſi araneas cõmuniter appellatas venenoſas fieri. Vtcumq; autem ſit, hac de re illud certum eſt, phalangium animal eſſe inſectum, & ſanguinis expers, quod plura brachia habet tenuia & longa, necnon tribus veluti internodiis donata; propter quam conditionem ſcribunt vocata eſſe phalangia, quòd pedes habeant ad imitationem digitorum humanorũ, quorum internodia appellantur phalanges. Variæ & diuinæ penè conditiones huius animalis deſcribuntur ab auctoribus, ſed potiſſimùm ab Ariſt. 9. de hiſt. anim. c. 39. & ab Albert. Magno de anim. c. 1. inter alias autem hanc vnam habent tam phalangia, quàm araneæ, quòd ſiue ſint in terra, ſiue ſupra terrã, telam quandã conſtruunt, vt ea venentur animalcula pro cibo: quæ vbi irretiuerint vi quadam mirifica exugũt ipſorum humiditatem, ita vt cadauera ſola relinquant. quomodo verò faciant telam, Democritus fuit huius ſententiæ, ex puris excrementis aluo emiſſis eam fieri. Albert. Magn. loco citato putauit ſententiam fuiſſe Ariſtotelis, quòd hæc tela fiat à parte alimenti tranſmiſſa per corpus, eo pacto quo bombices vocati faciunt telas ſericeas. ſed vera ſententia Ariſt. habetur lib. 9. de hiſt. animal. 39. vbi ſcribit fieri eiuſmodi telas eo pacto quo fiunt cordices in animalibus, nimirum ex craſſiore, & terreſtriore parte ipſius alimenti. ſed huiuſdi diſputatio ſubtilior eſt ipſis telis aranearum. quare à Medicis dimittenda. Illud autem ſcire ad nos pertinet, animal hoc effundere venenum aculeo paruo, vel, quemadmodum dicebat Gal. ore. Auic. 6. quarti. tract. 5. cap. 5. imponit Gal. quaſi dixerit phalangia non ferire venas, quemadmodum ſcorpiones. ſed vera Galeni ſententia fuit 3 de loc. affect. 7. ictus ſcorpionis in hoc differre ab ictibus phalãgiorum, quòd hi altè inferunt aculeum, ita vt pungant venas, arterias, & neruos: illa verò pungere & ferire tantummodò cutim, ita tamen vt à cute deinde venenũ ipſum cõmunicetur omnibus partib. ſubiectis, tam neruoſis quàm carneis, eo quia, vt ait Gal. cutis ipſa & continua eſt & neruoſa. Sed dicet quis, ſi animal hoc venenoſum eſt, qua ratione Alber. Magn. 7. de anim. c. 5. ſcribit ſe vidiſſe puellam quæ perſequebatur araneas & iis veſcebatur? Dico, quod aliàs dixi, verè hæc animalia eſſe venenata ſecundum totum corpus. nam, vt relatũ eſt à Nicol. Florẽt. ſæpe mortui sũt homines ex potu alicuius liquoris, in quo extincta fuerat aranea. quòd autẽ

reperiatur quiſpiam, qui impunè veſcatur hoc genere animalis, fit nulla alia ratione niſi ſecreta quadam ſympathia & ſimilitudine hominis ad huiuſmodi animal. Vnde non poſſum aſſentiri Plutarcho, qui in libro de capienda vtilitate ab inimicis putauit, animalia omnia quæ veſcuntur ſerpentibus & ſcorpionibus, & aliis venenatis, id facere, quia robuſtiſſimo ſunt ventriculo, ac optima valetudine, cùm ſecus ſæpe contingat, vt & inter animalia, & inter homines hi potiſſimùm res venenatas impunè edant, qui & imbecilla valetudine, & infirmo ſunt ſtomacho. Temperamentum huius animalis citra controuerſiã & frigidum & ſiccum eſt. vnde colligebat Albert. Magn. etiam venenum eius frigidum eſſe, quod ego quoque facilè confirmabo: ſed ſi intelligere voluit hoc venenum exitiale eſſe propter frigus, falſiſſimum eſt, quia quantumcunque fateamur ingens frigus huius animalis, vſque adeo tamen parua illius moles eſt, vt non poſſit officere, quemadmodum dicebat Galenus centeſimam partem ſcintillæ ignis non lædere. Rideo etiam interdum eximiam nonnullorum diligentiam, qui imaginati ſunt, hoc animal lædere propter prauitatem humoris melancholici, quo abundat; certè ſi hic humor in eo conſiſteret, neceſſarium eſſet, vt multo ſubtilior eſſet, quàm fila aranearum, quod quidem neque vſu, neque ratione compertum eſt. Debet ergo conſtitutum eſſe, arcanam, & letaliſſimam vim eſſe, qua venenum horum animalium infectum eſt. Nicander nouem genera aranearum & phalangiorum proponit. Ariſt. tria ſumma facit, quæ deinde in plures ſpecies diuidit. Aëtius & Promotus ſex. Auicennas autem imponit Gal. loco citato, quaſi effecerit duodecim genera phalangiorum: ſed apud Galenum huiuſmodi numerum inuenire non potui, neque tamen id refert ſcire, vtrum tot, vel tot ſint genera. ſat ſit diuerſitatem & differentiam omnium horum animalium poſitam eſſe in varietate colorum, atque etiam in magnitudine; quoniam alia ſunt flaua, alia cinericia, alia alba, alia nigra, alia parua, alia magna. & alia phalangiorum in terra viuunt, alia in parietibus. Symptomata quæ inferunt complura ſunt, in primis vulnus ipſorum ſuperficiale, atque adeò exile eſt, vt vix perſpiciatur, veruntamen dolores fiunt circa vulnus, tumores, qui modò liuidi, modò rubri, modò flaui ſunt: tumeſcit interdum totum corpus, atque etiam graue fit: fiunt tremores, ſpaſmi, vigiliæ, dolores capitis, ſtomachi, vomitus, difficultas egerendi vrinam & fæces, rubor in toto corpore. proponit vnum Aëtius, & eſt, quod quando mingunt commorſi à phalangiis, aut egerunt fæces, aut vomunt, & ſæpe & in vrina, & in fæcibus, & in vomitu apparent veluti telæ aranearum. quam ſententiam retulit etiam Auicennas tanquam ſuam, & Arabicæ medicinæ ſectatores, qui circa hoc ſymptoma mira figmenta faciunt, vt etiam de vrina eorum qui commorſi ſunt à cane rabido. ſed vt ingenuè dicam, non puto ego hanc rem ita eſſe æſtimandam, vt diligentiùs ratio & cauſſa illius indaganda ſit. quandoquidem etiam in iis qui non ſunt commorſi à phalangiis, apparent plerunque & in vrinis, & in fæcibus veluti telæ aranearum. ſat ego eſt, accidentia ſæuiſſima oriri ex morſu phalangiorum, & conſequenter niſi huic veneno occurratur, magnopere exitiale eſſe. Curatio eorum qui commorſi ſunt à phalangiis, non admodum diuerſa eſt à curatione commorſionis à ſcorpione. nam & in hoc veneno cùm vulnus ſit exile & obſcurum, magna fricatione ſunt ipſi remedia adhibenda, & inter cætera laudat Auic. & Aëtius, vt cõmorſi frequenter balneis immergantur, quia ſic omnis dolor & omnis cruciatus facilè euaneſcit. iuuat etiam fouere loca ipſa vino, in quo bullierint origanum, ſerpyllum, rutha; iuuat etiam affricare & potare theriacam. potus vini quoq; commendatur, præſertim in quo bullierit calamus odoratus. ſed complura ſimilia videre eſt apud Aëtium.

De

De Tarantula.

CAPVT VI.

INter phalangia, & araneas adnumerant nonnulli animal illud quod Tarantula populari nomine appellatur, & eſt propria Italiæ, & præſertim Apuliæ. vnde intelligi poteſt fefelliſſe Plinium, qui ſcripſit phalangium eſſe Italiæ peregrinum. quandoquidem non ſolùm hoc genus eſt Italiæ peculiare, verùm etiam multa alia genera in regionibus Italiæ naſcuntur, vt & experientia, & auctoritate ſcriptorum comprobatum eſt. Facit hoc animal mirabilia ſymptomata, & penè omnia quæ faciunt araneæ & ſcorpiones, & alia. vnum verò dicunt præcipuum facere, quòd quando momordit aliquem, in eo ſtatu, & opere in quo inuenit ſemper eum conſeruat, vſque quò venenum è corpore pulſum ſit, ita vt ſi mordet aliquem ambulantem, ſemper ille ambulet; ſi tripudiantem, ſemper tripudiet, ſi ridentem, ſemper rideat. vtrum autem hoc verum ſit, ego affirmare non audeo, ſed qui in Apulia verſati ſunt, illud pro certo affirmant, & aliquando vidi quendam qui perpetuò ſaltabat, & dicebat ſeſe commorſum à tarantula; ſed cùm à prætore eſſet captus, & funi alligatus, curatus fuit. præ cæteris tamen aduerſus morſum tatantulæ dicunt magnopere facere muſicam. ſed remedia huius veneni potiùs ab incolis Apuliæ petenda ſunt. & hic ſit finis tractationis particularis de venenis, quæ ab animalibus immittuntur.

De venenis ore ſumptis, & primùm de Opio.

CAPVT VII.

QVam rationem ſum ſecutus in tractandis venenis quæ ab animalibus inferuntur, eandem quoque ſeruaturus ſum in iis, quæ ore ſumuntur, vt ſcilicet in vnoquoque genere vnum, vel alterum ſeligam, cuius exemplo poſſint deinceps ſingula venena tractari. Sumam autem initium ab Opio, quod, vt docet Dioſc.lib. 4. cap. 60. & Plin. eum ſecutus lib. 20. c. 22. fit duobus modis. vel enim contunduntur folia & caules ipſius papaueris, atque ex illis contuſis ſuccus exprimitur, qui exſiccatus & in vſum ſeruatus dicitur meconium. alter modus faciendi opium eſt, quòd inciduntur ſcapi ſecundum cutim, & ex inciſura ſuccus ille, qui inſtar lacrymæ defluit digito colligitur, & deinde concretus ſeruatur. at ſi auctorum mens perſpiciatur, poſtremum hoc genus ſolet verè nuncupati opium, eo quia, vt dicit Dioſcorides, meconium eſt multo inefficacius quàm ſit hæc lacryma, quæ eſt verum opium. Gal. 2. de antid. 7. ex ſententia Aſclepiadis videtur ſecus ſenſiſſe, nimirum quod appellat Dioſcorides meconium, ipſe videtur nuncupaſſe ſuccum papaueris; quod autem appellat Dioſcor. opium, ipſe nuncupat meconium. Sciendum autem, ne quem decipiat ille interpres, quod vbi dicit Gal. lingua Græca μηκώνιον, transfert ille lacrymam papaueris, quod non ſatis accommodatè factum eſt. Scribonius in lib. de medic. videtur hac in re ſecutus Aſclepiadem, cùm opium quod efficacius eſt, appellauit meconium, ſecus quàm

Dioſcor.

Dioſcor. ſed vtcumque ſit, illud perſpectum eſſe debet, ſuccum expreſſum papaueris viridis eſſe inefficaciorem quàm lacrymam: vtrumque tamen hoc medicamentum venenoſum eſſe; quandoquidem, vt docet Gal. 1. de temp. 4. naturam toto genere homini contrariam habet. illud tamen ſciendum eſt, huiuſmodi vim opij eſſe ſatis exiguam, & inefficacem reſpectu aliorum venenorum; & hinc eſt, quod vt interimat, opus habet & qualitate actiua tanquam organo, & copia maiore quàm alia venena, quemadmodum ſæpiùs dixi ex ſententia Gal. Quæ autem ſit qualitas illa, quæ auxiliatur facultati deleteriæ opij, explicuit in primis Dioſc. loco citato, tum Gal. lib. 7. de ſimpl. medic. & poſtremò Auic. lib. 2. omnes hi & ſequaces ipſorum conuenerunt, opium eſſe frigidum in quarto & vltimo gradu: de qualitatibus paſſiuis Galen. ſuam non explicuit ſententiam, ſed Dioſcor. dicit opium exſiccare, & Auic. addidit exſiccare in quarto gradu. qua de re non obſcuræ oriuntur difficultates, & in primis dubium eſt de qualitate paſſiua, vtrum ſcilicet opium ſit ſiccum. nam ſi effectus opij ipſius ſpectemus, minimè ſiccum eſſe videtur. quandoquidem inducit non ſolùm ſomnos, verùm etiam ſopores inexcitabiles & letargicos. Gal. 2. aphor. 3. loquens de ſomno, inquit, ſi frigiditas iungatur humiditati, efficere ſomnos letargicos, ſi iungatur ſiccitati, inducere catalepſes, ſeu vigiles ſtupores. vt ex hoc Galeni ratiocinio liceat colligere non poſſe opium eſſe ſiccum, quia facit letargicas affectiones: illud etiam compertum eſt, ætatem decrepitam maximè vigilem eſſe, & minimè ſomnolentam, quæ tamen frigida & ſicca eſt. de qualitatibus etiam actiuis non minor eſt quæſtio. diximus enim quæ fuerit ſententia & Gal. & Dioſcor. & Auicennæ: ſed contra ſunt & rationes & exempla; ratio eſt, quia, vt prodidit Galenus, & Auicenna, vbique ſapor amarus eſt ſequax caliditatis, non frigiditatis, ſed opium amarum eſt. itaque calidum potius quàm frigidū; neque valet in opio eſſe partes frigidas & calidas; quia, vt acutiſſimè reſpondet Auerr. 5. collectan. 27. qualitates ſecundæ ſequuntur ſecundum gradum qualitates primas, ita vt ſi qualitas ſecunda ſit remiſſa, ſequatur & primam remiſſam; ſi ſit intenſa, ſequatur & primam intenſam. iam verò amaritudo opij eſt intenſiſſima. quare debet quoque caliditas eius eſſe intenſiſſima: hac enim ratione putauit Auerroës ſe cogere Medicos, vt afferant non ſemper amarorem ſequi caliditatem. alia ratio eſt, quia odorata omnia ſequuntur calorem, vt docuit Ariſt. lib. de ſenſ. & ſenſil. 5. & Galen. 4. de ſimpl. medicam. cap. 22. ſed opium odoratum eſt, hoc eſt, graui & tetro odore præditum. quapropter calidum potiùs quàm frigidum. adſunt & exempla: nam ſunt complures nationes & in Auſtria, & in agro Tridentino, quæ veſcuntur ſemine papaueris, & in placentis, & ad conficiendum oleum, neque tamen à frigiditate huius ſeminis vnquam læduntur. idem quoque fit in Ægypto; neque valet quidquam ratio Conciliatoris differ. 204. ſcilicet, quòd illud contingat propter cœli Ægyptiorum varietatem, quoniam potiùs deberet contrarium eſſe, quia ſi verum eſt, vt ſcribit Alexander in probl. vina in Ægypto fieri frigida, quòd ſcilicet ob calorem externum terra ipſorum minùs caleat, multo ergo magis deberet frigidum eſſe in Ægypto papauer quàm alibi, ob eandem hanc cauſſam. adhæc Turcæ & Indi etiam nunc vtuntur quodam ſucco ad excitandam libidinem, & ad exhilarandos animos, quem appellant amphian, & omnes dicunt qui ad eas regiones appulerunt, illum ſuccum eſſe opium, vt hoc exemplo liceat etiam aſſerere opium eſſe potiùs calidum, quàm frigidum. de hac quæſtione pro nunc ſcire ſat erit, opium miſtum eſſe ex partibus frigidis, atque etiam calidis, necnon ex ſiccis, & humidis, atque ita eſſe compoſitas huiuſmodi qualitates, vt vix appareant omnes, neque ab inui-

cem

cem bene diſcerni poſſint: non ſunt enim per coctionem ita caſtigatæ & tempe-ratæ, quemadmodum deberent; quo fit vt non ſit mirum, ſi apparent effectus fri-gidi, & interdum calidi. quamquam frigidas partes ſuperare experientia ipſa ſatis oſtendit, neque valet, quia amaritudo ſit maxima, calorem etiam maximum eſſe debere, quandoquidem amaroris tanta eſt vis, vt quantumcumque minimus ſit hic ſapor, longè alios ſemper videatur excedere idque compertum eſt vſu, quia ſit, modicum aloës multo melli commiſceas, ſemper apparet amaror inſignis, eo quia vſque adeo hic ſapor guſtui noſtro inimicus eſt, vt ſemper magis appareat quàm vllus alius: quæ etiam ratio facit vt non ſit mirum, ſi odorem grauem, & tetrum de ſe mittit, quia, vt habetur apud Ariſt. in ſect. problem. pertinente ad odores, & etiam apud Alexandrum, odores praui fiunt ex inconcoctione; quemadmodum grati ex concoctione: at partes opij ſunt inconcoctæ. non eſt iccirco ex hoc ar-guendum, opium eſſe calidum, quia grauiter olet. quòd autem fiant ab ipſo effe-ctus calidi, cauſſa eſt, tum quia, vt docuerunt Galenus & Dioſcorides, variæ ſunt papaueris ſpecies, inter quas ſunt etiam aliquæ quæ non nocent, tum quòd pro-pter cœli & terræ varietatem fieri poteſt, vt non ſolùm in longo interſtitio, verùm etiam in breui videantur mirę earundem arborum varietates, vt prę cęteris ſignifi-cauit Hippocr. lib. 4. de morb. atque etiam Theophr. & Meſues. Effectus opij varij & diuerſi ſunt; in primis autem ſolet cognoſci opium ex ipſo graui odore, quem relinquit in corpore illius, qui ipſum aſſumpſit. nam cùm in ſatis inſigni copia ſu-matur, ſi debet nocere, fieri non poteſt, quin amarorem, & grauitatem odoris corpori inferat: adhæc fiunt ſomni inexcitabiles, exitiales, letargici, pallor to-tius corporis, ſenſuum ſtupiditas, laxitas genarum, inflammationes labiorum, vt docet Nicander, ſingultus, narium torturæ, præcordiorum diuulſiones. addit Scri-bonius Largus, fieri etiam anhelitus difficultatem, & Nicander deſcribit faciem eorum, qui opium ſumpſerunt quaſi cadaueroſam & Hippocraticam, quod ſcili-cet propter caloris extinctionem fiant tempora demiſſa, oculi caui, & nares acutæ. lethale eſt, vt dicebam, opium, & ita lethale, vt niſi ſuccurratur, citò interimat. qua-re ſi quis hoc venenum ſumpſerit, in curatione illius ſtatim, vt monuit Galenus ex ſententia Aſclepiadis 2. de antid. 7. deueniendum eſt ad vomitum, & clyſteres: vo-mitus concitandus eſt oleo, & mulſo, aceto, oxymelle; ſed quia vſque adeo gra-uati ſunt ſopore, qui ſumpſerunt opium, vt interdum neque os aperire poſſint, ſtu-dendum eſt quamprimùm eos à ſomno excitare, quod fit arctiſſimis ligaturis, aſ-peris frictionibus, vellicationibus omnium extremorum, & præſertim narium & aurium, ſternutatoriis, præcipuè ſinapi & caſtoreo. nam Galenus 8. de compoſ. medicam. ſecundum locos dicit, caſtoreum eſſe veram & efficacem antidotum ip-ſius opij. quare accepta æquali portione ſinapis, & caſtorei, atque naribus immiſ-ſa poterunt ſternutationes fieri. & ad expergefaciendum Scribonius Largus lau-dat vt in his caſibus ſinapi aceto tetatur, atque extremis artubus apponatur; & lo-co huius, niſi profuerit, poterunt cauteria adhiberi, & veſicatoria, qualia ſolent paſſim vſurpari. vbi excitatus fuerit æger, vt dicebam, concitandus eſt vomitus, & clyſteres infundendi, qui in tanto ſenſuum ſtupore neceſſarium eſt vt ſint acres & vehementes, cuiuſmodi iam retuli. poſtquam autem & vomitu & clyſteribus fuerit venenum è corpore eductum, ſtudendum eſt, vt & vis venefica, & fri-gus relictum in membris omnino deleatur, quod quidem fit iis medicamentis & externis, & internis, quæ poſſunt ſimul & calefacere, & veneni vim comprime-re. extrinſecus laudatur vſus balneorum, laconica conferunt, & balnea natura-lia, dropaciſmi, frictiones factæ ex nitro & ſinapi. intus verò confert ſumere

therracam

theriacam antiquam cum vino, Mithridaticam confectionem cum vino, vel vinum ipſum meracum, vinum cum pipere, piper ipſum, diatrionpipereon, diacalamentum.aromaticum roſatum, quæ omnia medicamenta debent vſurpari, vſque quo certum argumentum appareat omnes veneni opij reliquias eſſe ſuperatas.

De venenis calidis, & peculiariter de Euphorbio.

CAPVT VIII.

INTER venena calida primum locum tribuere videntur auctores euphorbio, quod eſt ſuccus, ſeu gummi quoddam arboris inuentum à Iuba rege, vt docuit Plin. lib.25.cap. 7. & nominatum eſt Euphorbium nomine Medici ipſius Regis Iubæ qui vocabatur Euphorbius, & frater fuit Antonij Muſæ Medici Auguſti Cæſaris.quæ volui dixiſſe, ne quis miretur, ſi Theophraſtus Euphorbij nullam mentionem fecit,quandoquidem longè anteceſſit hæc tempora, in quibus inuenta eſt hæc planta. Galenus etiam pauca omnino de euphorbio ſcripſit lib. 2. de med. local. cap. 3.necnon 3.de med. per gen.ſi mentionem fecit euphorbij, potiùs aliorum relatione locutus eſt. Dioſc. autem diligentiùs perſecutus eſt modum colligendi euphorbium, quod ſcripſit conſeruari in ventriculis ouium, quemadmodum etiam Gal.confirmauit 9.de medic.localib.cap.4.cur autem potiùs hoc genus gũmatis cõſeruetur hoc genere ventris,puto fieri ſecreta potiùs proprietate quàm manifeſta qualitate: quandoquidem Hipp.4.lib.de morb. ſcribit Africanos populos vti pellibus pro indumentis, & iumentorum ventriculis pro crumenis, quaſi propter duritiem, non magis ouium quàm aliorum animalium eſſet ventriculus eligendus. Omnes Arabes docuerunt,euphorbium eſſe calidum & ſiccum in quarto gradu, præſertim verò Meſues. addit Serapio, ſi euphorbij drachmæ tres ſumantur, interimere: nec miretur quis Serapionem docuiſſe hanc menſuram,quaſi ſit venenorum demonſtrator, quia vbi medicamenta lethalia crebrò veniunt in vſum medicum, licet docere menſuram lethalem, vt poſſint qui vtuntur cauere huiuſmodi menſuras: in aliis autem venenis minimè hoc licet, & propterea non poſſum excuſare Arnaldum Villanouanum, qui in libro ſuo de venenis demonſtrauit menſuras ferè omnium venenorum.& quamquam euphorbium ſit calidum & ſiccum in quarto gradu, ac propterea interimat, verùm tamen habet & ipſum proprietatem aduerſariam naturæ noſtrę,quo fit,vt Andromachus dum recenſeret commoda ſuæ Theriacæ, inter alia ſcripſerit, ipſam valere aduerſus venenum euphorbij. quamquam multò efficacior eſt euphorbij vis manifeſta quàm ſecreta, vt iure Arabes Medici dixerint euphorbium eſſe inflammatiuum. Gal. verò 6.de ſimpl. medic. dixerit eſſe cauſticum.Sed cùm opium & euphorbium ſint venena,tam occultis, quàm manifeſtis qualitatibus,iure poſſet quiſpiam percunctari à me,vtrũ ſit magis venenũ, opiũne an euphorium?nam vtraque ſunt in quarto gradu. Dico opium multo magis venenum eſſe:& ratio eſt, quia temperatura humana: & calor noſter eſt in primo gradu, aut ad ſummum in ſecundo: iam verò ab huiuſcemodi gradu caloris multò remotiora ſunt frigida in quarto gradu, quàm calida in quarto,vt cùm ſint remotiora, iure etiam ſint magis contraria, & conſequenter magis inimica.Effectus euphorbij ſunt, ingẽns æſtuatio,inflammatio oris,ventriculi, inteſtinorum,ſitis,ſingultus,cõuulſio, fluxus. quæ omnia ortũ ducunt ab vno calore immenſo.Quare curatio huius veneni tota poſita eſt in eductione euphorbij per

vomi

vomitum, & per clyſteres. Pro vomitu laudant omnes oleum roſatum, quod non ſolum prouocat ipſum, verùm etiam ſimul incendium veneni permulcet: ſi etiam butyrum huic oleo miſceatur, optimum eſt. maximè autem omnium conueniunt clyſteres, qui fiunt ex lacte, oleo roſaceo, butyro. Vbi verò vomitu & clyſteribus fuerit eductum venenum, quoniam ſolent reliquiæ incendij permanere, enitendum eſt, vt medicamentis refrigerantibus compeſcatur omnis feruor. vnde magnopere valet aqua hordei copiosè ſumpta, aqua endiuiæ, lactucæ. præ ceteris autem confert magnopere ſerum caprinum, aut quodcumque larga copia acceptum. coagula animalium omnia commendantur ab Auicenna, quæ adminiſtrari poſſunt liquata, aut aqua hordei, aut iure aliquo pingui, & ſimilibus.

De Arſenico.

CAPVT IX.

INter calida venena & naturam noſtram corrumpentia adnumerat Gal. 5. de ſimpl. med. 15. arſenicum, ſeu arrenicum. nam vtroque hoc nomine vtuntur ſæpiſſimè Medici Græci. Duplex autem eſt arſenicum, alterum naturale, alterum verò factitium. naturale eſt, quod ſponte oritur in metallis, cuiuſmodi dicuntur eſſe in Caria, atque etiam in Ponto. Vocatur autem huiuſmodi arſenicum, auripigmentum, atque etiam ſandaraca. nam tam auripigmentum, quàm ſandaraca fiunt in iiſdem mineris, & differunt dumtaxat ſecundum maiorem & minorem naturæ coctionem. ſolent autem appellari & auripigmentum, & ſandaraca, arſenicum citrinum. Auctor lib. de plantis ſub nomine Ariſtotelis, loquens de arſenico fabuloſam quandam illius generationem attulit, vbi ſcribit fieri arſenicum ex aquis ſulphuratis accenſis, & limo æris permiſtis: ſed quod magis eſt, ſubiungit, ex auripigmento & arſenico fieri etiam plantas. atqui citiùs fieret homo ex luto, quàm planta ex arſenico. factitium duplex eſt, aliud fit ex arſenico naturali & ſale pari pondere miſtis, nec non in vaſe fictili combuſtis, donec vapores concreſcant circa vas inſtar cryſtalli; vnde huiuſmodi arſenicum cryſtallinum nũcupari conſueuit. aliud factitium eſt, quod fit ex arſenico naturali & ſulphure ſimul combuſtis & miſtis, quod genus Arabes Medici appellant realgad, noſtri corrupto Arabum vocabulo vocant rizagal. Vtrumque tamen genus eſt calidum & ſiccum in quarto gradu, immo verò in fine quarti gradus, & quamquam ratione harum qualitatum excedentium ſit aduerſarium naturæ noſtræ, habet tamen & proprietatem occultam, & deleteriam aduerſus nos, ita vt ſi compararetur euphorbio, proprietas hæc letifera multo maior & efficacior ſit in arſenico, quàm euphorbio, vt propterea etiam ſit magis mortale. Inuentum eſt temporibus noſtris arſenicum ſupra cordis regionem geſtatum tempore peſtilentiæ magnum adiumẽtum attuliſſe: quod non eſt mirum, cùm iampridem dixerim aliqua venena eſſe veluti alexipharmaca, & antidotos aduerſus alia venena, vt non ſit rationi diſſentaneum, arſenicum aduerſus peſtilentiæ venenum antipathiam habere, quemadmodum habet argentum viuum aduerſus toxicum: niſi fortè dicere velimus, hoc facere mirificã ſua exſiccandi vi; ſed ſi hoc eſſet, pleraque alia ſunt, quæ huiuſmodi vi pollent, & tamen non ita conferre putantur. Accidentia arſenici ſunt ferè eadẽ, quæ etiã euphorbij. ſed paullulũ valentiora. nam ſitis & inflammatio maior eſt, immo verò vlcerantur labia oris, ſtomachus, inteſtina, conuelluntur omnes nerui, ſinguliunt: hinc dolores & cruciatus inteſtinorum

incredi

incredibiles exſurgunt,quæ omnia cùm nota haberem diebus elapſis, conductúſq; eſſem ad videndos tres illos iuuenes miſeros, qui vna nocte extincti ſunt, iudicaui eos ebrios arſenicum ſumpſiſſe præ mentis errore, quòd ſcilicet apparerent & nares,& labia,& ora eſſe vlcerata.Ratio curationis horum venenorum eſt,vt, quēadmodum de euphorbio dicebam,ſtatim vomitus prouocetur oleo roſaceo, lacte, butyro,& melle,iure pingui copioſo:deinde fiant clyſteres, poſtea,vt capiantur ea quæ poſſunt viſciditate,& frigiditate occurrere facultati ipſius arſenici corruptoriæ & vlceratoriæ. præ ceteris autem, vt ego puto, mirificè confert ſi qui ſumpſit arſenicum,ſtatim aquam copiosè bibat,& præterquam quòd hoc mihi compertum eſt,qui quandoque in cauernas miſi canes, vbi arſenicum erat,atque eos exanimes extractos, vbi copia bibendi aquam facta eſſet, reuixiſſe vidi; poteſt quoque idem docere nos exemplum murium, qui ſi quando accepto arſenico aquam biberint, liberari videntur.tum & hoc quod relatum eſt de vulpibus à Plutarcho 6.Sympoſ. cap.2. ſcilicet vbi deguſtarint amygdalas amaras præ inſigni ſiccitate interire,niſi ſtatim aquam bibant. Hoc verò pacto & curanda, & tractanda erit quoque omnis læſio, quæ contingit ex calce. nam calx cùm & ipſa ſit calida & ſicca in quarto gradu, & hac ratione veneneт, eadem penè accidentia facit, quæ euphorbium & arſenicum, & conſequenter eandem curandi rationem poſtulat.

De venenis ſepticis, ſeu putrefacientibus, & peculiariter de Aconito.

CAPVT X.

THeophraſtus c. li.9.de hiſt.plant.c.16. & Gal. lib.5.de ſimpl. medic. c.15.necnon lib.3.cap. de aconito,propoſuerunt inter ſeptica & putrefaciētia venena, aconitum,quod Plinius lib. 27. cap. 2. dixit eſſe omnium venenorum ocyſſimum, hoc eſt,& potentiſſimum & celerrimum in occidendo.Sed ſi veteres cognouiſſent venena reperiri quæ hodie habentur, & præſertim in regionibus Indicis, & Mauritanis, dixiſſent profectò multo acutiora & celeriora aconito. Vnde hæc planta nomen aconiti ſit adepta, variæ ſunt ſententiæ. aliqui putant ſic appellatam eſſe, quòd vbi naſcitur nullus puluis adſit. nam ἀκονιτὶ apud Græcos idem eſt ac ſi diceretur, ſine puluere. alij putarunt ſic vocatam eſſe, quòd oriatur in ſaxis, quæ vocantur acones. Theophraſtus dixit ſic vocatam, quòd naſcatur in Acone, qui eſt vicus Periandinorum populorum in Ponto.Vtcumque ſit, ſatis eſt plantam hanc, neque fructu, neque folio quidquam nocere,ſed tantummodò ſucco radicis.nam ſunt plantæ, quæ venenatæ ſunt flore; ſunt quæ fructu,vt mandragora; ſunt quæ radice, vt aconitum. Cur autem potiùs in radice venenum hæc planta gerat,quàm in folio, vel in fructu, puto ego nullam potiorem poſſe aſſignari cauſam, quàm proprietatem ſpecificam ipſius. Nicander vnum genus aconiti videtur propoſuiſſe: Dioſcorides duo fecit; ſunt qui tria: & recentiores ſtirpium inueſtigatores inuenerunt quoque nouem genera, inter quæ adnumerant napellum celeberrimum venenum, adeo quòd quæcunque de aconito dicuntur, poſſint quoque referri ad ipſum napellum. Vtrum autem toxicum, frequenter nominatum à ſcriptoribus, ſit reponendum inter aconiti genera, decernendum eſt. Pro-

motus.

motus quem ego Græca manu ſcriptum habeo,fuit huius ſententiæ,toxicum fuiſſe non ſimplex genus ſtirpis,ſed venenum quoddam compoſitum,quemadmodum etiam pharicum.ſed puto ego,toxicum neque fuiſſe apud veteres vllum genus ſtirpis venenatæ,neque medicamenti venenati compoſiti, ſed appellatum fuiſſe toxicum omne veneni genus,quo tela & ſagittæ venenabantur,quæ à Græcis vocantur τόξα, ſeu τοξεύματα; vnde cùm inueniatur veteres cōſueuiſſe tingere ſagittas napello, aconito,pardalianche,elleboro,& pleriſque aliis ſuccis venenatis,tum ſimplicibus, tum mixtis,fit vt putem,omnia hæc & potuiſſe,& poſſe appellari toxica, ſcilicet à ſagittis,quæ tinguntur ipſis;nam apud Galen. lib.de ther.ad Piſon. cap. 10. ſcripta eſt quædam hiſtoria helenij,qua videtur exiſtimaſſe helenium eſſe venenum , quo tingebantur ſagittæ , & quia certum eſt apud ſtirpium ſcriptores , helenium non fuiſſe , neque eſſe venenum , ſed herbam quandam aliam ab Helena repertam, hinc plerique putarunt eam non eſſe Galeni farinam , & ideo librum illum eſſe ſpurium.& quanquam ea de re iudicium noſtrum ſit in voluminibus Galeni à Iuntis editis,tamen quoque hoc loco volo quidpiam aliud dicere.Iulius Scaliger tempeſtate noſtra vir doctiſſimus,in ſuis commentariis ad librum Ariſt.de plantis, putauit locum illum Galeni ita eſſe corrigendum,vt loco helenij ſcribatur velenium, ſcilicet ἀπὸ τῶν βελῶν,hoc eſt,à iaculis,& à ſagittis;quaſi eo in loco vſus ſit hac voce populari & Romana,quæ idem ſignificat quod ſonat apud Græcos vox toxici : & certè hæc coniectura mihi non diſplicet. etſi enim huiuſmodi vox,nimirum velenium , non reperiatur apud ſcriptores Græcos , nihil rèfert , quia vox eſt materna populi Romani,& Galenus ſolet interdum vſurpare eiuſmodi voces, quemadmodum 7.Meth.nominat decoctam,quæ erat vox non Græca:ſed populi Romani, & certè ſi priùs huiuſmodi rem cognouiſſem,forſan eam interſeruiſſem inter alias rationes , quibus vtor ad probandum librum illum præſtantiſſimum fuiſſe Galeni, poterit hoc tamen eo in loco adiungi. De temperamento aconiti nihil certi prodiderunt ſcriptores veteres;Ioannes Gorræus Medicus celeberrimus in adnotationibus ſuis ad Nicādrum voluit aconitum frigidum eſſe, & adductus eſt hac ratione; quoniam curatur medicamētis calidis,cuiuſmodi proponit Nicander. poſſet etiam & alia ratio addi,frigidum ſcilicet eſſe iccirco , quia naſcatur in regionibus frigidis,vt eſt Pontus,ſed(pace huius viri dicam)deceptus eſt.quandoquidem,vt docuit Gal.5.de ſimpl.med.cap.15. & Auicennas libr.2.non longè ab initio medicamenta omnia,& venena putrefacientia calida ſunt & humida. vnde cùm aconitum ſepticum ſit,ſeu putrefactorium , quis dubitat neceſſarium eſſe vt ſit calidum & humidum?neque valet quòd curetur remediis calidis, quia remedia putredinis ſunt omnia ſicca,ſiue ſint calida, ſiue frigida;imò verò quotieſcūque volumus ſtatim compeſcere ingentes putredines,vtimur medicamentis calidis & ſiccis,quemadmodum manifeſtum eſt in curatione grangrenæ,quæ licet originem ducat ab immenſo incendio,tamen vt comprimatur,ſolemus adhibere & lixiuia & calcem, quæ eſt caliдiſſima,& ſicciſſima;neque etiam valet aconitum eſſe frigidum, quia oriatur in regionibus frigidis. quandoquidem in his ob aëris rigorem ſolent intima terræ calidiſſima eſſe , vt propterea in Ponto dixerit Theophr.in lib.de igne;metalla liquari ob calorem coactum in terra,vt non ſit mirum, ſi in regionibus frigidis oriantur, & fiant radices in terra calidiſſimæ.atque hoc eſt quod dicebat Alex.2.Probl.6.ſcilicet in Scythia,quemadmodum & in Germania,fieri vina potentiſſima & calidiſſima,quia frigore cæli calor coactus in terra radices vitium calefacit,& conſequenter in eis ſuccum calidum producit:eſt itaque aconitum calidum & humidum , atque etiam inſigniter,vel in tertio,vel in initio quarti gradus;ſed tametſi calidū ſit,

non eſt lethale ob caliditatem tantùm,ſed proprietate naturæ deleteriæ, ob quam cùm iugulet calorem natiuum animalium,conſequenter inducit extraneum,& putredinalem,ita vt putrefaciendo interimat non ſolùm homines,verum etiam feras immaniſſimas, veluti pantheras,lupos, & leones: neque ſolùm ſi potetur,verùm etiam,vt ſcribit Theophraſt.9. de hiſt.anim. & Plin.lib.27.cap.2. ſi ipſo tangantur genitalia, vnde Calphurnius illa Beſtia interimebat vxores ſuas, vt ditaretur tactis ipſarum genitalibus ſucco aconiti.eſt enim hoc venenū illud, quod dicebat Theophr. parari ita vt interdum occideret vna die,interdum hebdomada,interdum vno, vel tribus menſibus. Varia ſunt ſymptomata,& varij effectus,quos producit aconitum:in primis eſt,qui ſumpſerunt aconitum,ſolent ore primùm percipere ſaporem quemdam ſubdulcem,deinde paulò poſt ponticum, deinde magnopere caput perturbari ſolet.ad hæc fiunt vertigines,deliria,conuulſiones,tremores,grauitates pectoris & pulmonis,ſitis,æſtuatio, inteſtinorum tormina & rugitus; & ſi vita veneñati protrahatur,apparent & in excrementis,& etiam in cute ſigna inſignis putredinis.Duo autem occurrunt circa ea,quæ diximus pulcherrima problemata.Vnum eſt,quomodo fieri poſſit,vt ſagittæ,vel tela veneno aconiti,aut alio infecta poſſint venenare,& interficere. aliud,qua ratione fieri poſſit, vt aconitum ſolo contactu genitalium,& homines & bruta interimat.Pro primo dico, duo cōcurrere ad hoc, vt venenum quo tinguntur ſagittæ,efficax ſit & lethale;vnum eſt, viſciditas ipſius ſucci. nam ſi debent venena telis in tractu adhærere, & conſeruari dum iaciuntur; neceſſarium eſt vt aliquo lentore & viſciditate prædita ſint, merito cuius tenaciſſimè hæreant iis.alterum eſt, quòd motu venena incaleſcunt, quemadmodum dicebat Ariſt.3. de cœlo, plumbum quod ineſt ſagittis à calore motus liquari. cùm itaque illa venena calida ſint,& motu calefacta,vbi penetrant carnes, ſtatim tanquam ignis in venas,& arterias ſe inſinuant, atque per vniuerſum corpus propagantur.vnde quemadmodum ſcribit Plin.lib.25. cap.5. Galli vt ferarum carnes teneriores redderent, conſueuerunt tingere ſagittas ſucco ellebori; atque inde circumcidere carnes tactas ab illo, & reliquis vti,certa experientia edocti, ſic carnes euadere teneriores,nimirum ob igneum calorem à ſagittis elleboro tinctis immiſſum. Ad aliud problema dicendum eſt,non eſſe præter rationem, vt venena, putrefacientia extrinſecus adhibita genitalibus necem inferant, quia partes illæ factæ ſunt à natura calidæ & humidæ propter generationis beneficium, quæ ſita eſt in calido & humido.vnde vbi tanguntur hæc corpora à venenis calidis & humidis,ac ſubinde putrefacientibus,rationi conſonum eſt,vt cùm & ipſa ſint calida & humida, facilè recipiant putredinem venenatam, atque eam propter vaſorum latitudinem ſtatim communicent partibus ſpiritualibus, & præſertim cordi, cum quibus & teſtes & genitalia habere maximam ſympathiam, teſtis locupletiſſimus eſt Hippocrates 2.Epid.nam id contingit de venenis huiuſmodi, quod etiam contingit de lue venerea,quia ſicut per contactum ſolum genitalium virus Gallicum contrahitur,& per vniuerſum corpus diſtribuitur:haud ſecus etiam exiſtimandum eſt contingere,vbi genitalia à veneno hoc tanguntur.Curatio eſt,vt ſi aconitum intus acceptum ſit,primùm ſtudeatur illud euomere,aut per clyſteres educere.ſin autem ſit gladio,aut ſagitta extrinſecus immiſſum, enitendum eſt illud ſuctu, cucurbitulis, ſcarificationibus,extrahere:& ſi in vllo veneno extrinſecus illato vtile eſt ad ignem confugere, procul dubio vtiliſſimum eſt; quippe cum igne omnis putredo ſtatim cohibeatur.adhæc ſunt adhibenda ea remedia,quæ huic veneno propria exiſtimantur. Heraclitus Medicus approbauit radices eryngij ſiue in puluere, ſiue in ſucco acceptas. Galenus autem 2. de antid. laudauit rutam acceptam in iure gallinaceo, vel

vel vino : laudatur etiam triſſago,origanum,caſtoreum. inuenio etiam non parum commendari vſum ſcoriæ ferri, ſeu æris in vino acceptæ,valet theriaca, & mithridatum,ſed omnium maximè commendatum eſt balſamum,quo cùm veſcantur viperæ in Arabia, dicunt ob id in ea regione viperas minimè venenatas eſſe. Ariſt.9. de hiſt.animal. 6. ſcribit pantheras vbi acceperunt aconitum,quod vocatur pardalianche,eo quia enecat pardalos,ſeu pantheras , ſtatim quærere ſtercus humanum, quod ſi inuenerint , eo accepto ſtatim liberari , quaſi illud ſit antidotus aduerſus hoc venenum. & Albertus Magnus exponens locum illum dicebat ſtercus humanum,præſertim recens,& adhuc calore natiuo præditum habere vim theriacalem, vt non ſit damnandus Raſes,ſi etiam in venenis fungorum laudauit illud aſſumptum,quod voluit ſignificare,non vt aliquis eo vtatur , indignum enim homine videtur,ſed ita in mentem venit.nam & Gal.11.ſimp.medic. loquens de ſtercore humano,ſcribit ſeſe nullam habuiſſe experientiam huius remedij , ſed tantùm ex relatione aliorum ſibi eſſe cognitum.

De Gypſo, & Ceruſſa.

CAPVT XI.

GYpſum & ceruſſa recenſentur apud ſcriptores in numero venenorum : & quia hæc frequentiſſimè in manibus hominum habentur , operæpretium eſt diligenter ipſa cognoſcere.Ceruſſa enim ſpecies eſt terræ artificialis,quæ,vt docuit Theophr.lib.de lapid.necnon Vitruuius & Dioſcorides, ſit ex vaporibus aceti feruentis circa plumbum concreſcentibus. gypſum verò duplex eſt , aliud artificiale , aliud verò naturale. artificiale , vt docuit ibidem Theophraſtus , conficitur ex lapide in fornacibus deuſto , perinde atque calx , & appellatur à nonnullis iſtud gypſum lapis ceruſſæ. naturale verò gypſum fit in mineris tam Græciæ, quàm Italiæ,& fit eo pacto quo cetera mineralia. Vſus ceruſſæ & gypſi varius fuit apud veteres,atque etiam nunc eſt.nam ceruſſa vtuntur pictores.Medici vtebãtur antiquitùs , & etiam nunc vtuntur mulieres ad dealbandas facies, quemadmodum clarè habetur apud Plautum,Athenæum,& apud Clementem Alexandrinum lib. 3. Pædagog.cap.2.gypſo ſimiliter vſi ſunt,atque etiam nunc vtuntur varij artifices, cæmentarij,pictores;Medici vtebantur,& veteres ad tingendos pedes ſeruorum venalitiorum.tradit Theophraſt. in vſu fuiſſe ad depuranda vina , quemadmodum hoc tempore aliquæ nationes vtuntur. Siccam eſſe temperaturam & ceruſſæ , & gypſi, inter omnes ferè ſcriptores conuenit.ſed aduertendum hæc propter ſiccitatem minimè eſſe venena,ſed tum propter inimicam cordi proprietatem , tum quia ſolent ſubſtantiam quandam lentam,tenacem & craſſam habere,merito cuius vbi imprudenter deuorantur,ſtrangulare conſueuerunt. Sed de ceruſſa dubitari poſſet,numquid verè ſicca ſit.nam ſi ipſius generationem & ſubſtantiam ſpectemus, ſit ex vaporibus aceti,& ſubſtantia plumbi corraſa.iam verò Ariſtoteles decimo tertio Problematum 6.ſcribit vinum,vbi in vapores conuertitur,euadere aquam.ex quo loco colligunt nonnulli cognouiſſe aquam vitæ, & conſequenter diſtillandi artem ; ſed acetum eſt vinum corruptum , vnde & gypſum in vapores conuerſum veriſimile eſt euadere aquam.adhæc Gal.9.de ſimp.med.ſcribit, plumbi ſubſtantiam conſtare ex multa parte aquea , & aërea , pauca verò terrea, ex quibus verbis colligi poteſt,ceruſſam ipſam tam ratione aceti,quàm ratione plumbi humidam potius eſſe,

quàm ſiccam.Dicendum eſt quod ad acetum pertinet, etſi in vapores conuerſum quodam pacto in aquam vertatur, ſeruare tamen facultatem ſiccandi. de plumbo autem dicere poſſumus,Galenum aſſeruiſſe quidem illud conſtare ex multa parte aquea,ſed concreta & coacta.quamquam,vt liberè dicam,puto, ea in re Galenum pauliſper ipſum dormitaſſe,quia cùm ſit plumbum corpus grauiſſimum,neſcio vllo modo cogitare,quomodo in eo multus aër ſit, quemadmodum videtur dicere Galenus.Vtrum autem ea in re defendi poſſit, quiſque ſecum cogitet.De gypſo etiàm iure dubitari poteſt,vtrum frigidum ſit an calidum. Theoph.lib. de lapidib. ſtatuit eſſe calidiſſimum,& id aſtruit duobus argumentis. Vnum eſt, quia ipſum vbi aqua maceratur,ſtatim inflammatur,& vrit perinde atque calx; imò verò inquit nauem interdum combuſtam propter veſtem gypſatam, & aqua conſperſam. alterum eſt, quia gypſum vbi manibus cōteritur,ſtatim incaleſcit,ita vt vrere videatur; ex quibus omnibus clarè videri poteſt eſſe calidiſſimum.Sed ex aduerſo Galen.9.de ſimp. medic.aſtruit quidem gypſum ſiccum eſſe,ſed de frigiditate, aut caliditate nullum verbum fecit.quanquam,vt placuit nōnullis,videatur colligi poſſe, ipſum tribuiſſe gypſo frigiditatem, cùm dicit illud præditum facultate repercuſſoria.Serapion dicit eſſe ſatis frigidum, eo quia adſtringit & repercutit.Arabum etiã ſectatores manifeſtè tradiderunt eſſe frigidum in ſecundo gradu, adeo vt manifeſtiſſima appareat contradictio inter Theophr.& Arabes.Quæ ſi ſolui poſſit,hæc vna mihi videtur ſoluendi ratio,nimirum Theophraſtum locutum eſſe de gypſo artificiali, quod ſit ex combuſtis lapidibus:Serapionem verò & Arabes de naturali. quod ſi iudicetur etiam ipſum locutũ de artificiali, dicere poſſumus huiuſmodi gypſum aut vetuſtum,aut recens,vetuſtum frigidum eſſe,atque de hoc locutos Arabes. nam licet videre calcem vetuſtam aqua conſperſam,neque inflammari,neque vllum caliditatis ſignum habere.quod ſi etiam de recenti loquutus ſit Serapio, poſſumus dicere in gypſo ratione terræ frigiditatē eſſe,ratione verò ignis relicti ineſſe caliditatem, propterea verè cenſuiſſe & Theophr. & Arabes. Cognoſcere ceruſſam vel gypſum aſſumptum non eſt difficile, quandoquidem qui hæc deuorarunt, ſi diligenter inſpiciantur,ſemper habent linguam,palatum,dentes,& labia dealbata, ita vt oculis ipſis ſtatim huiuſmodi venena conſpicua euadant.ſed præter hæc ſigna ſunt & alia, quæ ſunt veluti accidentia conſequentia huiuſmodi venena: imprimis enim adeſt ſingultus,tuſſis,ariditas faucium,torpor,mentis perculſio,delirium,præ cæteris autem dolor circa ſtomachum.nam,vt ſcribit Gal.1.de ſympt.cauſſ.cap.7.omnib.illis qui ſumpſerunt vel ceruſſam, vel gypſum, oboriuntur dolores grauiſſimi circa os ventriculi & ſtomachum præter hæc ſolent habere tota corpora dealbata, fiunt illis anxietates,ſyncopes,ſtrangulationes:dicebat Auicennas interdum fieri etiã vrinas nigras & ſanguinolentas.cur autem fiant huiuſmodi vrinæ, poteſt ea ratio aſſignari,quòd facultas retentrix renum ab hoc veneno infirma reddatur: ita vt relaxata vaſa ipſorum permittant ſanguinem exire. de nigredine autem vrinæ dicunt interpretes Auicennæ eam fieri propter extinctionem caloris natiui;ſed hæc ratio minimè accommodata mihi videtur,quandoquidē id ſi eſſet verum.in veneno opij deberent vrinæ nigriores fieri,quia citra omnem controuerſiam ab opio magis extinguitur calor natiuus,quàm à gypſo vel ceruſſa.Quare dicendum eſt,cauſſam huius nigredinis eſſe obſtructionem quæ fit in vaſis deferentibus ſuccum melancholicum à iecore ad lienem.propter quam cùm impediatur trãſitus humoris melancholici & nigri,fit vt ille refuſus in renes & veſicam, nigras reddat vrinas, vel potius dicendum eſt,minimè verum eſſe, quòd fiant vrinæ nigræ; quandoquidem Scribonius Largus inter aliã ſigna horũ venenorum ponit vrinas albas. Eſt autem

procul

procul dubio huiuſmodi venenum exitiale ex ratione quam antea retuli:vt credendum ſit Plinio,Proculeium quendam grauiter in ſtomacho cruciatum,vt tormentum illud effugeret,ſeſe poto gypſo ſtrangulaſſe. Curandi ratio eſt,vt clyſteribus & vomitu ſtatim venenum educatur, & quia tenaciſſimum eſt, vtendum vomitoriis grauiſſimis,atque etiam elleboriſmo,ſi opus eſt:poſt vomitum etiam ad vſum ſcamonei deueniendum eſt,vt conſuluit Auicenn.deinde vtendum medicamentis,quæ vim habeant & pinguem,& emplaſticam, vnde Nicander iure laudauit oliuas: ſic etiam commendatur decoctum ex dactylis,ficubus aridis,origano:amygdalas amaras plerique laudant. ſed veram & propriam antidotũ huius rei dicunt eſſe ſtercus muris tritum,& ex vino potum,vt præter eam alias antidotos,& theriacã, & athanaſiam,& mithridatum,quæ educto iam ex corpore per vomitum,vel medicamenta veneno maximè conueniunt,tum ad delendam penitus materiam veneficam, & proprietatem illam inimicam cordi, & deleteriam, tum maximè ad corroborandum,& conſolandum ventriculum qui ab hoc veneno plurimùm patitur.

De Fungis.

CAPVT XII.

SVnt & fungi connumerati inter venena,quos tanto magis cognoſcere neceſſe eſt,quanto grauius periculum impendet homini ex vſu horum. nam ſunt nonnulli vſque adeò dediti gulæ, vt potius periculum mortis ſubire eligant, quàm à fungis abſtinere.eſt fungus,vt placuit Theophr.& Galen.planta ſine radice,mollis, ſpongioſa,& alba.Nicander appellauit terræ fermentum, eo quia propriè generetur ex terra acido ſucco fermentata,vel,vt dicebat Plinius lib.22.cap.23. ex pituita arborum,nam ſi loca ſpectemus, vbi naſcuntur fungi,plerunque ſunt vliginoſa & humore limoſo veluti fermentata.quod autem ſcribit Theophr.lib.4. de hiſt.plant. 8. nimirum in quadã regione maris rubri fieri fungos ex aqua pluuiali,qui tacti à Sole ſtatim lapideſcant,nihil refert ad noſtram tractationem.plerique ſcriptores,& inter alios Plin.varia effecerunt eorum genera,alia enim appellarũt à locis in quibus naſcuntur:alia ab arboribus propè quas oriuntur:alia à calore : alia verò à magnitudine:ſiquidem inter fungos aliqui parui ſunt,aliqui maiores,aliqui verò maximi,ita vt pilei formam æmulentur:vnde extat Plaut.ille iocus,apud quem ſeruus neſcio quem pileatum vocat fungum.Dioſc.lib.4.cap. 78. duo genera tantùm poſuit, alterum quod edi poteſt:alterum verò pernicioſum. fungus edendus eſt pratenſis vocatus, *Pratenſibus optima fungis natura eſt*,dicebat Horatius. Boleti etiam vocati inter hos numerantur quos Galen.2.de alim. facult. & lib. de cibis boni & mali ſucci dixit ſemper eſſe innoxios,& ioco quodam ſolebat dicere Nero Imperator,huiuſmodi fungos eſſe deorum cibum.genus verò pernicioſi tale eſt vel copia, quando ſcilicet comeditur in maiori copia,quàm conuenit, vel apparatu, quando ſcilicet non coquuntur, quemadmodum deceret, vel ſuapte natura fungus pernicioſus eſt,vel propter naturam & ſubſtantiam ſpongioſam, vel ob prauam & deleteriam qualitatem.nam ſicuti videmus ſpongias deuoratas à canibus eos interimere,quòd in ventre tumeant,& aqua impleantur, atque ſic euictæ ſtrangulent : pari pacto & fungi ; & corpora huiuſmodi deuorata ſolent certam perniciem adferre. Quomodo autem fungi acquirãt prauam & deleteriam qualitatem,luculentiſſimè docuit Dioſc.qui ſcripſit eos venenoſos euadere, vel quia fiunt circa ferrum rubi-

ginoſum,vel circa pannos putres & marcidos,vel prope cauernas. nam cùm in cauernis latent animalia venenoſa,vbi illa exeunt,fungos contrectare ſolent, & eos lethali veneno inficere. Cognoſcuntur fungi pernicioſi copia & apparatu,eo quòd ſingularia quædam & grauia ſymptomata inducunt; nam primò illi qui copiosè ipſos ſumpſerunt,ſentiunt veluti anguſtiam quandam,necnon oris ſtomachi grauitatem ſummam;adhæc percipiunt ſtricturam quandam pectoris, qua videntur veluti ſuffocari,incurrunt interdum ſyncopen, ſudoribus frigidis diffluũt, alui fluxu, & cholera tentantur.qui verò pernicioſos fungos ſumpſerunt,dignoſcuntur & ipſi propriis quibuſdam ſymptomatibus, namque & hi angorem ventriculi ſentiunt, tormina patiuntur,vomitus,vlcera inteſtinorum,colli dolores,decolorātur,& quibuſdam ventriculi puncturis premi & affligi conſueuerunt.atque his ſignis cognoſcuntur illi qui pernicioſos deuorarunt.Sed ſolent etiam cognoſci fungi venenoſi priuſquàm ſumantur. 1.quidem colore,quoniam, vt dicebat Auic.6. quarti.tract.2. cap.10.ſunt modò virides, modò nigricantes, modò purpuraſcentes; adhæc vbi auulſi ſunt à terra,ſtatim computreſcunt,& ſi cultello incidantur, fiunt modò liuidi,modò nigri. hi itaque ſuapte natura omnes ſunt exitiales, ita vt retulerit Plin. viſum eſſe quandoque integras familias vſu eorum fuiſſe extinctas: quare in tanto vitæ periculo multo tutius eſt omnes fungos auerſari, exceptis innocētiſſimis boletis. verumtamen quia interdum nonnulli gula tracti hanc perniciem deuorant, videnda eſt curatio. Vbi itaque contigerit aliquem vocari ad eos qui fungis læſi ſunt,proſpicere debebit,vt quàm citiſſimè ij è corpore educantur,id quod 4.modis fieri poteſt,vomitu,clyſterib.vrina,& medicamentis. Primùm autem vomitus tentandus eſt oleo roſaceo,ſucco raphani,oxymelle.præſertim verò laudat Gal.ex ſententia Hipp.6.in 6.Epid.5.aceti vſum, eo quòd illud non ſolùm vomitum excitet, aquæ præſertim & oleo miſtum,verùm etiam ſua tenuitate incidit & abſumit ſubſtantiam fungorum.Clyſteres conueniunt acerrimi,vt eſſet:Recip.fol.centaur.m.s. colocynt.drach.1.fol.puleg.calamenti an.m.1.fiat decoctio ſecundum artem.deinde recip. dictæ decoctionis lib.1.s.hieræ Archig.vnc.s.mellis roſac.ſol.vnc.iij.pul. dictamni Cretenſ. drach.j. ſalis parum miſce,& fiat clyſter. per vrinam porrò prouocandus eſt exitus fungorum,decocto petroſelini,ameos,aſari,& inter cætera ſoleo vti huiuſmodi decocto.Recip.rad.aſparagi ſilueſtr.rad.petroſel.an. vnc. s. aſari, ameos,dauci,an.drach.s.fiat decoctio ſecundum artem, deinde recipe dictæ decoctionis lib.1.mellis communis vnc. ij. deſpumetur parum bulliendo, & ſumantur pro ſingula vice vnc.iiij.plus minuſve;ita enim plerumque fructuoſa ſolet eſſe vrinæ prouocatio in hoc caſu;vt Nicolaus Florent.dixerit ſeſe vidiſſe interdum fruſta fungorum per vrinam excreta. Poſtremo loco eſt euacuatio per medicamenta; & laudant omnes vſum agarici atque ſcamonei:poterit verò huiuſmodi medicamentum cōmodè exhiberi.Recip.elect.Indi drach.iij.diacathol. drach.v. agarici troch. drach.j.trochiſ.viol.cum ſcammon.ſcrup.s.miſce,& fiat bolus.Vbi fuerint his auxiliis fungi euacuati,ſupereſt vt proſpiciatur vētriculo, & intus nihil eſt vtilius ipſo melle, quod vſurpari poteſt, & colatum & non colatum;& dicebat enim Auicen. propriam & peculiarem antidotum fungi venenati eſſe ipſum mel.& iure,quiá mel & humiditatem,& frigiditatem eius corrigit,& ſi quid ipſius ſubſtantiæ in ventriculo relinquatur,attenuat,atque diſſipat.præter hæc in vſu habendæ confectiones omnes calorificæ,vt eſt diamuſcon,dioſpoliticon, diatrionpiper; & poſtremò theriaca antiqua,quæ maximè commoda eſt. Atque hic finis eſto tractationis noſtræ de venenis,quorum etſi non omnia genera ſimus perſecuti, potiora tamen ita tradidimus,vt liceat vnicuique ex exercitatione in his alia omnia pertractare.

INDEX

INDEX RERVM IN LIBRO DE VENENIS MEMORABILIVM.

A

Accidentium conditio. 9
Aconitum ſcorpionis morſui medetur 25. aconitum vnde dictum ſit 64. aconitum ſucco dumtaxat radicis lædit, & quæ ſit ratio ibid. aconiti genera ibid. aconitum temperamenti eſt calidi & humidi ibid. aconitum proprietate naturæ deleteriæ interimit 66. aconitum parari poteſt ita, vt interimat ſtatutis temporibus ibid. aconiti ſymptomata & effectus ibid. aconitũ qua ratione ſolo genitalium contactu interimat & homines & bruta ibid. aconiti vel intus accepti, vel extrinſecus gladio, aut ſagitta immiſſi curatio. ibid.
Actiones humani corporis ab vna anima producuntur 2. actiones ob inſtrumenta variantur ibid. actiones læſæ immediatè ſequuntur morbum ibid. actiones humani corporis triplices ſunt 3. actiones corporum ſunt compoſitorum. 6
Agarici vſus venenis reſiſtit. 14
Agens omne efficacius in termino agit quàm in motu 5. agens omne opus habet certa ſui inſtrumenti quantitate. 12
Alexeteria quo pacto media eſſe inter corpora, & venena dicantur à Galeno. 42
Alexeteria in magna quantitate ſumpta nocent ibid. alexeteria quo tempore aſſumenda ſint. ibid.
Anima qua ratione bonas, & quo pacto malas edat actiones 1. anima cur interdum ſpiritus vocetur à Galeno 16. animalia venenoſa quo pacto venenũ eiaculẽtur. 43
Arbores ſub quibus animalia venenoſa plerumque latitant. 33
Argenterius & Fernelius allucinantur. 3
Arnoldus Villanouanus reprehenditur. 62
Arſenicum peſti prodeſt. 25
Arſenicum duplex eſt. 63
Arſenici fabuloſa generatio ibid. Arſenicum factitium dupliciter fieri poteſt ibid. Arſenicum calidum & ſiccũ eſt in fine quarti gradus ibid. Arſenicum euphorbio lethalius eſt. ibid. arſenici accidentia ibid. arſenici curatio 64. arſenico copioſus aquæ potus confert. ibid.
Aſpidum tria genera 50. aſpidum ſolertia 51. aſpides auditu præditi ſunt ſubtiliſſimo ibid. aſpides cur ſurdi nuncupentur ibid. aſpides ſemper pares incedunt ibid. aſpides temperamenti ſunt frigidi ibid. aſpidis morſum qua ratione inflammationes & rubores ſubſequantur ibid. aſpides venena morſu infundunt ibid. aſpidum caro cur non ingrediatur antidotos ibid. aſpides toto corpore venenati ſunt ib. aſpidum morſus ſymptomata ibid. aſpidis venenum primò cor offendit, deinde cerebrum & iecur ibid. aſpidis venenum exitialiſſimum eſt ibid. aſpidum morſus curatio 52. aſpidis veneno aduerſantia remedia. ibid.
Auerroës fallitur 39. Auerrois rationes refelluntur. 40
Auguſtinus Sueſſanus fallitur. 52
Auicennas allucinatur 44. Auicennæ & Arabum circa ſerpentium temperamenta error. 53

B

Baſiliſcus halitu & viſu interficit. 45
Boleti fungorum ſunt innocentiſſimi. 70
Boues cur facilius à ſcorpionum ictu lædantur quàm ſues. 32

C

Cadauera veneno interemptorum cur neque

neque à feris, neque ab auibus tententur. 33
Calor animalis quot modis extinguatur 20. caloris natiui incolumis quatuor conditiones ibid. calor animalium duos perennes motus habet ibid. calor natiuus verus eſt venenorum domator 26. caloris animalium & plantarum diſcrimen. 28
Calphurnius coitu vxores venenabat. 36
Cantharides veſicam offendunt 4. cantharides toto corpore venenatæ ſunt. 28
Carnes aſſæ cur difficilius venenari poſſint quàm elixæ. 36
Caſtoreum vera eſt opij antidotus. 61
Ceruſſa ſiccandi facultate pollet. 67
Ciborum venenatis conuenientium ſeries. 49
Cicuta ſturnos nutrit & capras 7. cicuta vino in exigua quantitate commiſta letalior eſt 22. cicuta quandoque nutrit. 23
Citrium & cydonium venenis reſiſtunt. 38
Claudius Imperator boleto fungo venenatus interiit. 36
Compoſitiones circa quas morbi fiunt, trium ſunt in humano corpore generum. 3
Contraria ſub vno genere continentur. 9
Cordis temperies omnino deſtruitur à vi venefica 4. cordis temperamentum in morbis venenoſis qua ratione vitietur ibid. cor à venenis congelatur & exſiccatur ibid. cor veneno peremptorum cur cremari nequeat 4. cor egregiam à natura nactum eſt conſtitutionem qua poſſit iniurias euitare 5. cor aëre attrahit ratione vacui ib. cordis & partiū genitalium συμπάθεια. 66
Corpus imbecillo corde præditum citiſſimè à veneno iugulatur 12. corpora calida moderatè citius à frigidis venenis interimuntur quàm frigida 22. corpora ſana cur medicamentis tractanda non ſint. 26
Cornua animalium, & præſertim cerui vim habent aduerſus venena. 37

D

Δηλητηρίων & θανασίμων diſcrimen 8. deleteria duûm ſunt generum ibid. deleteria propriè quæ dicantur. 23
Dioſcorides cur Colchicon venenum diligenter deſcripſerit. 19
Diſpoſitiones affectus ſunt permanentes corporum compoſitorum. 3
Dolor ab humido ſolo non inducitur. 19

E

Elleborus inſaniam curat. 25
Error omnis in principio commiſſus maximum quid eſt in virtute. 6
Euphorbium vnde dictū ſit 62. Euphorbium conſeruatur in ventriculis ouium ibidem. Euphorbium calidum & ſiccum eſt in quarto gradu 147. euphorbij effectus ibid. euphorbij aſſumpti curatio. 62.63
Excrementa animalium venenoſorum cur minimè fœteant. 30

F

Febris ardens lædit cor vehementer immediatè. 2
Frigida ſoporem inducunt. 22
Fulmen vim veneficam delet. 31
Fungorum eſu interdū integræ familiæ extinguuntur 27. fungus terræ fermentum Nicandro dicitur, & quæ ſit ratio 69. fungorum genera ibid. fungi qua ratione interimant ibid. fungi quo modo prauam, & deleteriam qualitatem acquirant 70. fungorum venenoſorum effectus, & ſymptomata ibid. fungorum venenoſorum antequàm aſſumantur ſigna 70. fungi venenati peculiaris antidotus eſt mel ibid. fungorum venenoſorum curatio. ibid.

G

Galeni de venenis commentaria deſiderantur 1. Galenus à duplici contradictione vindicatus 23. Galenus meram de viperis fabulam proponit 52. Galeni locus à Iulio Scaligero correctus 63. Galenus allucinatur. 68
Genus proximum venenorum eſt miſtum non naturale. 10
Gypſum duplex 67. gypſi & ceruſſæ varius vſus ibid. gypſum & ceruſſa temperamenti ſunt ſicci 67. gypſum & ceruſſa qua vi inter

terimant ibid. gypſi & ceruſſæ accidentia, & ſigna 68. gypſi & ceruſſæ aſſumptorum curatio 69

H

Herbæ venenoſis animalib. inimicæ 35.
Homo qua ratione aliis animalibus venenum eſſe poſſit 32
Hydrargyrum ſcabiei ferinæ medetur, & lepræ 9
Hyoſcyamus cerebrum offendit 4

I

Ignis putredines ſtatim cohibet 66
Inteſtina citiſſimè à venenis offenduntur 48
Ioannes Gorreus fallitur. 65

L

Lactuca venenum eſt ſi largiter edatur 23
Leporis marini venenum pulmones exulcerat 4

M

Marſi carnibus aſpidum veſcuntur 50
Medicamentorum purgantium, & venenorum diſcrimen 10. medicamenta, & venena putrefacientia calida ſunt, & humida 65
Medicinæ peculiare munus eſt circa corpus humanum verſari 11. Medici circa particularia verſantur 50
Mithridates à venenis non offendebatur 11
Morbi venenoſi definitio 1. morbus omnis immediatè lædit actiones 2. morborum tria genera 3
Morituri cur oculos ſurſum conuertant, Ariſtotelis ratio 74. mors non eſt finis rerum 25
Mouere non eſt opus muſculi, ſed animæ 2
Mures accepto arſenico ſi ſtatim aquam biberint, liberantur 64

N

Natura complectitur materiam, formam, & compoſitum 11. natura cur omnia venena non creauerit graui odore, & ſapore prædita 29
Nocturna pollutione cur homines dumtaxat tententur, non bruta 30
Nutritio dupliciter accipi poteſt 17

O

Odores cur ſerpentibus inimici ſint 35
Odores exhalationes ſunt calidæ, & ſiccæ ibid. odores grati ex coctione fiunt, ingrati contra 61
Opium duobus modis fieri poteſt 60. opium frigidum eſt in 4. gradu ibid. opium calidum non eſſe 61. qua ratione effectus producat calidos ibid. opij aſſumpti effectus & ſymptomata ibid. opij hauſtu læſorum curatio 61. opium cur lethalius ſit euphorbio 62

P

Phalangiorum, & aranearum diſcrimen 57. phalangiorum nominis ratio ibid. phalangiorum & aranearum conditiones 57. phalangiorum, & ſcorpionis ictuum diſcrimen ibid. phalangiis, & araneis qua ratione quidam impunè veſcantur 58. phalangia temperamenti ſunt frigidi, & ſicci ibid. phalangiorum differentiæ 58. phalangiorum morſus ſymptomata ibid. phalangiorum morſus curatio ibid.
Pharmaci ſignificata 8
Pherecydes pediculis interiit 42. 43
Pili boum cur tenuiores ſint quàm ſuum 32
Pituita qua ratione, & extra corpus, & in corpore frigida ſit actu 22
Plato reprehenditur 7
Plauti iocus. 69
Plinius allucinatur 24. Plinius animæ immortalitatem non cognouit ibid. Plinius pediculos ſerpentes appellat 42. 43. Plinius decipitur 58
Plutarchus fallitur 58
Potus aceti copioſior ab aſpide commorſis confert 52
Proprietates à tota ſubſtantia quatuor generibus continentur. 8
Præſeruatio corporum à venenis per victus rationem 35. 36

Præcauendi à venenis ratio per medicamenta 38.39

R

R*Anas cur veteres edere non conſueuerint.* 36
Remediorum aduerſus venena ſeries 39. *remedia alexeteria ſanis conuenientia ibid.*
Rerum non naturalium conditio 6
Rutæ aduerſus venena efficacia 39

S

S*Aliua hominis ieiuni aliis animalibus venenum eſt* 32
Sal venenis reſiſtit 49
Sanguis menſtruus interdum purè venenoſus euadit 19
Sanitas immediata eſt bonarum actionum cauſſa 2
Scorpio ictu venenum effundit 55. *ſcorpionis venenum album eſt ibid. ſcorpionis peculiares ex Plinio conditiones ibid. ſcorpionum nouem genera* 55. *ſcorpionum proles numeroſa eſt ibid. ſcorpiones temperamenti ſunt frigidi* 55. *ſcorpioni albi morſus ſymptomata* 56. *ſcorpionis viridis morſus ſymptomata ibid. ſcorpionis nigri morſus ſymptomata* 56. *ſcorpionis venenum mole minimum, facultate maximum eſt ibid. ſcorpionum morſus curatio* 56.57. *ſcorpionis, & canis rabidi venenum eſt corpus miſtum* 10
Semen in corpore retentum venenoſum euadit 20
Serpentes delectantur vino 37. *& quæ ſit ratio* 44. *ſerpentes pedibus orbi, & ouipari ſunt ibid. ſerpentes dupliciter accipi poſſunt ibid. ſerpentes frigidi ſunt temperamenti ibid. ſerpentes quam ob cauſſam diu ſine cibo viuant* 44
Signa venenum indicantia priùs quàm corpus humanum ingrediantur 32.33. *ſigna venenis interemptorum ibid. ſigna venenorum aſſumptorum ibid. ſigna venenorum quæ ab animalibus eiaculantur* 34. *ſigna venenorum diagnoſtica ibid. ſigna venenorum prognoſtica* 35
Somnus venenatis non conuenit, & quæ ſit ratio 49
Spiritus eſt primum animæ inſtrumentum 16
Spongiæ à canibus deuoratæ qua ratione ipſos interimant 19
Sturni cur à cicuta non interimantur 13
Subſtantiæ duplex conſideratio 10. *Subſtantia qua ratione magis, & minus ſuſcipiat ibid.*
Sues cur à ſcorpionis morſu minimè lædantur 32. *ſues à ſcorpione commorſi ſi aquas ingrediantur, ſtatim moriuntur, & quæ ſit ratio ibid. ſues cur hyeme pilos non amittant ibidem.*

T

T*Arantula propria eſt Italiæ* 59. *Tarantulæ morſus ſymptomata ibid.*
Taurorum ſanguis venenoſus eſt 36
Temperamentum totius ſubſtantiæ à Galeno dictum quid ſit, & qua ratione vitietur 4
θανάσιμον *dupliciter accipi poteſt* 8
Theophraſtus reprehenditur 7. *Theophraſti, & Arabum de gyſi temperamento controuerſia ſublata.* 68
Theriaca corporibus ſanis ob duos fines exhiberi poteſt 41. *theriaca recens nullis corporibus ſanis conuenit, & quæ ſit ratio* 42. *theriaca attrahit venena ibid. theriaca quo tempore aſſumenda ſit* 43
Toxicum vnde dictum ſit 65
Trahitur aliquid ab alia re dupliciter 5

V

V*Enenoſorum morborum principale ſubiectum cor* 2. *varia nomina* 1.7. *character* 2. *natura* 3. *cauſſa* 6. *venenoſi morbi, & ardentis febris diſcrimen* 2. *venenoſi morbi ſimilares ſunt* 4. *venena rès non naturales* 6. 10. *quid* 9. *ſubſtantiæ ſunt, non accidentia ibid. quo occultiora, eo deteriora* 2. *ſpiritibus vitalibus aduerſa* 5. *ancipitis naturæ* 7. *inter ſe mutuò contraria* 9. *qua de cauſſa cor ipſum petant* 6. *à corde ratione vacui attrahuntur* 5. *ſuapte natura corrumpentia* 11. *agentia proprietate cur citius interimant* 12. *aſtate*

12.æſtate collecta,efficaciora 13. in ieiuno corpore celeriora effecta ibid. parari poſſunt ad effectus citos & tardos 14.poſſunt nutrire 18. qua vi interficiant 15.incorpore vt lateant 18. purè humida non reperiuntur 19. ab animalibus eiaculata aliis fortiora 20.quo pacto ad actū deducantur 21. quando creata 24. morbos citra corporis noxam ſanare poſſunt 11. in vitioſos humores cur agant 25.in corpore noſtro fieri poſſe dicuntur 30. exrrinſecus tripliciter inferri poſſunt 43. quantum ex ſe requirunt vſum purgantium 48.quibus remediis è corpore educenda ibid.venenorum duo genera 6.tres ordines 54. cauſa efficiens 24. 25. materia duplex 24. proprietas ſpecifica 15.finis triplex 25. differentia in interimendo 11.quædam non interimunt ibid. quædam citò,quædam tardè 12.13.eorum tractatio qua ratione ad medicum pertineat 7. eorum curationis ſcopi 45.eorum è corpore exeuntium accidentia quo pacto remitti poſſint 35.eorum quæ extrinſecus ab animalibus inferuntur,curatio 46. 47. ore ſumptorum curationis ſcopi,& curatio 47.48. venenorum & prauorum corporis noſtri humorum ſimilitudo 20. venenum quo tinguntur ſagittæ, qua ratione efficax ſit, & lethale 66. venena frigida duas habent conditiones 21.quomodo ad actum deducantur ibid.à natiuo calore calefacta qua ratione refrigerando interimant 22. quo pacto à calore natiuo mutari dixerit Galenus 22. 23.qua vi interimant 29.venenorum artificialium diuiſio 10. naturalium variæ differentiæ 27.frigidorum ſeries 29.venenati à ſerpentibus cur frigore tentētur 44. venenatorum animalium,& aliarum rerum diſcrimen 31

Veteres cur figulinis menſis vti maluerint quàm ſtanneis, aut argenteis 37

Vinum eſt venenum cicutæ 22.vinum viperinum aduerſus venena valet 42. dupliciter fieri poteſt ibid. an corporibus ſanis conueniat ibid. vina cur in Ægypto naſcantur frigida 60.cur in Scythia,& Germania calidiſſima oriantur 65

Vipera inter omnes ſerpentes ſola fœtum viuum parit 50. viperæ cum foliis fraxini ἀντιπάθεια 51.eius venenum effectus parit frigidos 29

Vomitum in curatione venenorum excitandi ratio. 47

HIERONYMI
MERCVRIALIS
FOROLIVIENSIS,

DE PESTE IN VNIVERSVM,
præſertim verò de Veneta & Patauina.

Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo

D. IACOBO BONCOMPAGNO S. ROMANÆ ECCLESIÆ GVBERNATORI,

HIERONYMVS ZACCHVS S. P. D.

CLARISSIMVS *atque eximius ætatis noſtræ medicus Hieronymus Mercurialis quaſdam de peſtilentia lectiones in Patauino Gymnaſio, quæ patria mea eſt, vbi medicinam maxima cum laude, & omnium admiratione profitetur, habuit: in quibus ita doctè, dilucidè, & eleganter peſtilentiæ naturam eſt proſequutus, & cuiuſcunque in vniuerſum, ſed eius præcipuè, quæ in Venetos, & Patauinos hoc anno graſſata eſt, vt præſtantius nihil hoc in genere multis abhinc annis ſcriptum fuiſſe putem. Has ego ex ipſius ore qua potui diligentia cùm excepiſſem, & tam multi eas à me efflagitarent quotidie, vt nec ipſis omnibus, nec mihi, nec verò ipſi Mercuriali ſatisfacere vllo modo poſſem, typographo in publicum emittendas tradere ſum coactus. Quod eò minùs grauatè feci, quòd occaſionem mihi datam eſſe vidi pulcherrimam,* IACOBE *Princeps excellentiſſime, munus aliquod amplitudini tuæ offerendi: quod iampridem vehementiſſimè cupiebam. Ita enim omnibus nota eſt eximia tua virtus, ſingulariſque amor erga ſtudioſos, vt omnium penè ora in te ſint conuerſa, tanquam in numen quoddam, ad quod illorum lucubrationes & labores deferantur. Exiſtimaui præterea Mercuriali, quem amplitudini tuæ deditiſſimum eſſe non ignoro, gratiſſimum futurum, ſi hæc ipſius ſcripta*

in lucem tuo nomine inſignita prodirent. Huc accedit, quòd Patauinam noſtram ciuitatem tibi multùm debere intelligo; non tam quòd illam, relicto Bononienſi Gymnaſio, tua præſentia illuſtraueris aliquando, eáque te delectari præ te tuleris, quàm quòd Speronem, vrbis noſtræ ornamentum, quem ob miram integritatem, rarum iudicium, incredibilem ingenij vim, atque incomparabilem eruditionem, vniuerſa Italia ſuſpicit, & admiratur, ſingulari beneuolentia proſequaris. Cùm denique audiam non paruum Romæ metum eſſe peſtis, qui vtinam vanus ſit, nec indecorè, nec inutiliter facturum me putaui, ſi ad te, S. R. Eccleſiæ Gubernatorem, pulcherrimum hoc opuſculum mitterem, in quo non tantùm, qua ratione ſe quiſque à peſte tueatur, ſed & quibus auxiliis Principes, & Prouinciarum, ciuitatúmque rectores illius impetum à ſuo imperio ſubiectis auertant, diligentiſſimè pertractatur. In qua re eò magis Mercuriali ab omnibus fides præſtanda erit, quòd vnus ferè non modò ex multa omnis generis librorum lectione, verùm etiam ex inaudita quadam in medendis Patauij, ac Venetiis peſte affectis ſedulitate, &, vt ſic dicam, intima cum iis conuerſatione, quid proſit, quídque noceat, verè intelligere potuerit. Id ſi tibi, vt ſpero, gratum erit, incredibilem capiemus voluptatem: omnino tamen noſtram tui ſtudioſiſſimam voluntatem pro tua humanitate, puto, amabis. Vale. Patauij, Kalend. Martij, M. D. LXXVII.

INDEX

INDEX CAPITVM.

Proœmium, vbi & cur de peſtilentia tractetur, & ordo tractationis proponitur. pag. 1

i De iis quæ in Veneta & Patauina peſte euenerunt, quæ corpora laborarint, & quando inceperint morbi. 2

ij Ad quod morbi genus ſint reducendi. 3

iij Vtrum contagium ſit ponendum in definitione peſtis, & locus Hippocratis expenditur. 4

iiij Definitur peſtis: & oſtenditur, Venetam, & Patauinam fuiſſe veram peſtem. 6

v De cauſis peſtis. 7

vj Quòd fuerit vitium in aëre, & quomodo aër dicitur vitiatus, & inducere peſtem. 8

vij Quid appellet Hippocrates diuinum in morbis, an aliæ conſtitutiones aëris à calida & humida poſſint peſtem procreare. 12

viij Quæ qualitates aëris fuerint hoc tempore cauſa peſtis. 14

ix Quòd neceſſariò ad ſuſpiciendam peſtem requiratur corporum diſpoſitio, & quænam hæc ſit. ibid.

x Qualitatem aëris modò eſſe intenſiorem, modò remiſſiorem, modò mediocrem: & qualis fuerit Veneta & Patauina. 16

xj De natura contagij, vbi, quid ſit, quod corpus communicetur, & per quæ, diligenter examinatur. 17

xij Quomodo contagium agat in corpus ſanum. 20

xiij Proponuntur ſex problemata pulcherrima de contagio, & diſſoluuntur. 21

xiv Quibus modis in peſte Veneta, & Patauina operatum ſit contagium. 25

xv Afferuntur rationes negantium aërem nihil contuliſſe ad hanc peſtem efficiendam. 26

xvj Reſpondetur prædictis rationibus. 27

xvij Quare, & quomodo facta fuerint accidentia, quæ in hac, & etiam in aliis peſtibus euenerunt. 32

xviij Rationibus & exemplis oſtenditur, ſperandum eſſe, Venetam, & Patauinam peſtem extinctam eſſe, nec amplius renaſcituram. 35

xix Proponitur curatio peſtis, & docetur, quid oporteat Principes & Reſpublicas facere antequam adueniat peſtis. 38

xx Quid ſit agendum Principib. & Reſpub. cùm peſtis graſſatur, & cùm iam deſiit, ne renaſcatur. 40

xxj Qua ratione debeat vnuſquiſque ſe præſeruare à peſte. 42

xxij Quæ medicamenta conueniant in præſeruatione à peſte. 46

xxiij De victu febrium peſtiferarum. 48

xxiv Quæ medicamenta conueniant in curatione febrium. 50

xxv De auxiliis chirurgicis, quæ in febribus peſtiferis ſunt adhibenda. 53

xxvj De bubone peſtilenti. 55

xxvij Bubonis peſtilentis curatio. 58

xxviij De carbunculo peſtilenti. 59

xxix De curatione carbonis peſtilētis. 61

FINIS.

PESTILENTIÆ EIVS, QVÆ PELOPONNESIACO BELLO ATHENIENſes crudeliſſimè infeſtauit, deſcriptione ex ſecundo hiſtoriarum Thucydidis deſumpta paginas alioqui vacuas occupare non erit fortaſſis

ἀπὸ σοδιόνυσον.

INeunte æſtate, Peloponnenſes, ſociíque ex duabus, quemadmodum ſuperiore anno, partibus Atticam ingreſſi ſunt, duce Archidamo Leuxidami filio Lacedæmoniorum rege: caſtríſque poſitis, regionem populabantur. Vbi quum nō multos dies fuiſſent, morbus primùm apud Athenienſes cœpit: priùs quidem, vt aiunt, alibi quoque & circa Lemnum, & aliis multis in locis graſſatus: cæterùm neque tantùm peſtilentiæ, neque tantùm funerum vſquam fuiſſe memorabatur. Nam huic nec medici pares erant, ignoto eis inter initia, (imò ipſorum plurimi extinguebantur) omnia fruſtra fuerunt, eáque tandem miſſa fecerunt, malo ſuperati. Incepit autem (vt fertur) primùm ex Æthiopia, quæ eſt ſuper Ægyptum, deinde in Ægyptum, Lybiámque deſcendit, & in Regis magna ex parte regionem: confeſtímque Athenas inuaſit, principio in Pyræo contagionis facto: ita vt ab eis diceretur, verena in puteos (nondum adhuc enim illic fontes erant) à Peloponnenſibus eſſe deiecta. Mox & in ſuperiorem vrbem proceſſit: multóque magis iam mors ingruebat. De eo igitur malo pro ſuo quiſque ſenſu pronunciet, vel peritus medicinæ, vel imperitus, vnde credibile ſit id extitiſſe, quáſve ſatis idoneas exiſtimet cauſas quæ ad tantam mutationem vim haberent. Ego verò cuiuſmodi fuerit referam, & quæ ſibi quiſque proponés, ſi quando hoc rurſus incidat, iam prædoctus, habeat aliquid præcipuè vnde non ignoret, aperiam: quippe qui & ipſe paſſus ſim hunc morbum, & alios patientes ſim intuitus. Enimverò annus ille (vt confeſſione ferè omnium conſtat) maximè immunis fuit aliorum morborum: quòd ſi quo quis alio prius laborabat, is morbus in hunc omnino conuertebatur. Cæteros quoque ſalubri corpore repentè nulla ex cauſa corripiebant ante omnia capitis acres feruores, oculorum rubores & ardor. Introrſum verò fauces & lingua ſtatim ſanguinolenta erant, & halitum tetrum ac graueolentem reddebant. Deinde ex iis ſternutatio raucitaſque exiſtebat; nec diu poſt dolor in pectus cum vehementi tuſſi deſcendebat: & cum in cor incubuerat, ipſum ſubuertebat: omnéſque bilis excretiones à medicis nominatæ, ſequebãtur, & hæc cum ingenti cruciatu. pleriſque etiam inanis incidebat ſingultus, acrem ciens conuulſionem, quæ in quibuſdam protinus, in quibuſdam ſerius ſedabatur. Et corpus quidem exteriùs non admodum feruens tactu erat, neque pallidum, ſed ſubrubrum, fuſcum, minutis puſtulis ac papulis ſcatẽs. Interiùs autem ita ardebat, vt neque perquam tenuia veſtimenta aut lintea iniici, neque aliud quippiam, niſi nuditatem ſuſtineret. Iucundiſſimum quoque erat in gelidam ſeſe aquam abiicere: id quod in puteos multi eorum quibus cuſtos deerat fecerũt, inexhauſta ſiti adacti. Quanquam perinde erat plus ac minus bibere. Accedebat huc inquies

membro

membrorum, perpetuáque vigilia. Neque verò corpus, quoad morbus augebatur, extenuabatur, ſed opinione hominum fortiùs peſti reluctabatur. Itaque plurimi aut intra nonum, aut ſeptimum diem ab ardore vrente vitalia necabantur, adhuc aliquid roboris habentes: aut ſi hoc tempus exiſſent, tamen, deſcendente in ventrem morbo, & vlceratione vehementi in eo exorta, idque cum aſſiduo profluuio: multi quoque poſtmodum debilitate ipſa peribant. Peruagabatur enim totũ corpus in capite primùm coalita lues. Quòd ſi quis è ſummis periculis euaderet, attamen ſummorum eius actuum occupatio apparebat. Siquidem ad verenda, & ad ſummas manus, ſummóſque pedes prorumpebat: quibus nonnulli amiſſis liberabantur, quidam amiſſis & oculis. Fuerunt etiam quos, ſimulac conualuerant, omnium pariter caperet obliuio, ignoraréntque ſeipſos ac neceſſarios. Nam genus morbi cum aliis in rebus extitit maius quàm vt exprimi, & acerbius quàm vt humana natura tolerare poſſit, tum in hoc potiſſimùm declarauit ſe aliquid eſſe aliud præter conſueta, quòd quum multa hominum cadauera iacerent inſepulta, alites quadrupedéſque ea vel non adierunt, vel quæcunque guſtarunt, attigerúntque, periere. Argumento autem eſt euidens defectus, qui fuit harum auium: quippe quæ nec circa tale quicquam, nec vſquam alibi viſerentur. Canes porrò magis propter ſuum cum hominibus cõtubernium, euentus ſignificationem dabant. Morbus hic igitur (vt alia multa de eius inſolentia omittam, prout aliquid diuerſum alij ab alio contingebat) talis erat ſpecie. nec verò tum temporis alius vllus morbus ex conſuetis infeſtabat: quòd ſi quis exoriretur, in hunc deſinebat. Peribant autem alij per incuriam, alij in diligenti etiam curatione: nec de vlla medicina conſtabat, quam quis diceret vtilem fore, ſi offerretur. Quod enim alteri profuerat, id officiebat alteri. Nullúmque corpus viſum eſt, quod ei par eſſet, quod quidem ad vires aut imbecillitatem attinet: ſed omnia pariter conficiebat, etiam quæ omni victus ratione curabantur. Teterrimum tamen totius mali fuit animi defectio, vbi quis ſe morbo detineri ſenſerat. nam ad deſperationem ſalutis animo conuerſi multo magis ſeſe proiiciebant, neque reſiſtebant morbo: & quod alter alterius curatione oppleti tanquã pecudes moriebantur: quæ præcipua mortium cauſa extitit. Nam ſiue præ metu ſe inuicem non adirent, deſtituti peribant: (vnde multæ domus vacuæ factæ ſunt, inopia eorum qui curarent) ſiue adirent, interibant, iique potiſſimum qui virtutis nonnihil ſtudioſi erant, vtpotè pudore non adeundi amicos, ipſi ſibi non parcentes. Siquidem ipſi etiam propinqui ad complorationem morientium, ad poſtremum deficiebant, mali grauitate ſuperati. Verùm ij præcipuè morientem laborantémque miſerabantur, qui ipſi euaſerant: quippe id iam antea experti, ac de ſe ſecuri. Neque enim bis eundẽ morbus corripiebat, ita vt extinguere. Atque hi tum ab aliis beati cenſebantur, tum ſua ipſi ſponte ob ſuæ ſoſpitatis lætitiam ſpem in poſterum præſumebant, ſe ne ab alio quidem morbo vnquam abſumptum iri. Angebat autem eos, præter ingruentem peſtem, comportatio rerum ex agris in vrbem, iis etiam qui ex agro migrauerant, non minus grauis, quippe domorum penuria: quum habitarent in caſulis æſtuoſis ob anni tempus, confuſa quædam ſtrages edebatur: quin etiam alij ſuper alios mortui iacebant: ſemianiméſque in viis & circa fontes omnes aquæ deſiderio volutabãtur. Quin ipſa templa in quibus tabernacula fecerant, referta erant illic mortuorum, hominibus violentia mali quid agerent non habentibus, abalienatíſque à cognitione ſacrorum ſanctorúmque, perturbatis pariter omnibus ſepulchrorum iuribus, quibus antea vtebantur: quippe qui ſepelirent quiſque vt poterant. Multi quoque ob crebram iam familiarium ſtragem, quia idonea deerant, ad pudenda conuertebantur ſepul-

chra,

chra. Nam alij occupatis quas alieni extruxerant pyris, mortuum ſuum imponebant, ignémque ſubiiciebant: alij, quum alter arderet, ſuperiecto, quem ferebant, abibant. Principiúmque attulit ciuitati hic morbus ad alia maioris improbitatis mala. Promptior enim quiſque erat ad audendum ea quæ prius diſſimulabat ſe pro libidine patrare: & videntes tantam in promptu fortunæ commutationem, diuites repentè morientes, qui modò inopes erant, repentè illorum bona conſequentes, operæpretium putabant frui quamprimum & cum voluptate bonis illis, diariam arbitrantes & vitam, & pecuniam. Nemóque ſtudioſus erat elaborandi in eo quod ſibi honeſtum viſum eſſet, incertum exiſtimans, an priuſquam id conſequeretur, interiret. Quod autem in præſentia erat iucundum, & vndique ad ſe animum pelliciens, id & honeſtum conſtituebat & vtile, deorum metu aut hominum legibus nequaquam coërcitus: quum in æquo ponerent pium & impium eſſe, videntes æqualiter cunctos oppetere mortem; nec timerent euſque vindictæ veniendum, vt delicta viuentes luerent: multóque maiorem illius iudicij pœnam imminere, in quo tuliſſent iam fata ſententiam: quæ antequam inuaderet, conſentaneum eſſe ſe aliquantulum vita frui. Tali igitur clade Athenienſes circumuenti vexabantur, hominibus intra muros mortem obeuntibus, & extra hoſtibus agrum ferro, ignique vaſtantibus.

* * *

PRO

PROOEMIVM.

VT hoc tempore de Peſtilentia tractarem, multa me impulerunt. illud primum fuit, quòd, cùm Dei Opt. miſericordia factum ſit, vt hæc mala ſint magnopere imminuta, & vt nos ex hac tempeſtate incolumes euaſerimus, videmur quodammodo ipſi Deo gratias acturi, ſi & de hoc ipſius flagello verba fecerimus. Dicebat enim Themiſtius Philoſophus, gratas eſſe Deo eas diſputationes, quæ & de ipſius natura, & de eius effectibus habentur. Alterum fuit, quod anno præterito librum ſecundum Epidemiorum Hippocratis interpretari cœpimus, quem cùm proſequi non licuerit, atque de peſtilenti febre ordinariè tractare non ſit conceſſum, iacturam illam videbimur reſarcire, ſi nunc etiam de febre peſtilenti tractabimus. Poſtremum & illud fuit, quòd maximus quidam terror omnium animos inuaſit, fore vt hæc mala denuò reuertantur: propter quod conſultum, & optatum omnibus erit ſi quomodo hæc immaniſſima fera ſit euitanda, diligentiſſimè docebo. Quoniam autem ea docendi ratio optima eſt, qua vniuerſalis cognitio per exercitationem circa particularia comparatur, eapropter opportunum futurum eſſe exiſtimo, ſi de Peſtilentia tractaturus, vos circa præteritam conſtitutionem exercuero: id enim videtur antiquiſſimum inſtitutum, & à digniſſimo Hippocrate nobis relictum. Tractabo autem circa præteritam conſtitutionem ſex capita. Primum erit de iis omnibus, quæ in communi hac clade euenerunt. Secundum caput erit, ad quod morbi genus hæc mala ſint reducenda, an ad veram peſtem, an ad aliquod aliud genus. Tertium erit de cauſa & origine, de qua cùm diſputatum ſit, & diſputetur, an ſit ex aëris inclementia, an ex contagio, an ex alia cauſa, diligentiſſimè, quantum in me erit, hanc rem examinabo; & de contagio ita breuiter, & dilucidè diſſeram, vt fortaſſe pauca ſint deſideranda. Quartum erit, qua ratione factum ſit, vt tot mala euenerint. Quintum, quod iudicium ſit ferendum, an ſcilicet timendum ſit, ne redeat miſeriarum funeſtus ille ſtatus, an potius ſperandum, fore vt ſaltem nos, qui vapulauimus à Deo, liberi in poſterum remaneamus. Poſtremum erit, quæ ratio ſit, ſi reuertatur, curandi morbo oppeſſos, quid debeant Principes & Reſpublicæ in populi ſalutem facere, quid priuati, vt, quantum fieri poteſt, ab imminente periculo conſeruentur.

DE IIS, QVÆ IN VENETA, ET PATAuina peſte euenerunt; quæ corpora laborarint: & quando inceperint morbi.

CAPVT I.

DE malis, quæ euenerunt, (vt iam incipiamus) videbimus, & quæ fuerint ipſa, quæ ſubiecta, & quo tempore. Itaque mala, quæ contigerunt, fuerunt aut morbi, aut accidentia. Morbi fuerunt febres peſtilentes, ardentes, mites, quarum aliæ intus ardorem, extra teporem oſtendebant, vel & intus, & extra tepidæ apparebant. Ad hæc tumores plerumque parui, interdum maiores, modò cum dolore, modò ſine; rariſſimè ad maturationem peruenerunt. Atque hi in variis corporis partibus, in inguinibus, ſub alis, ſub tus aures: Carbunculi in omnibus corporis partibus, ſæpe plures, modò vnus tantùm, vel alter, aliàs parui, aliàs magni, nònnumquam maximi, phlyctænæ etiam, ſed rariores conſpectæ ſunt. Symptomata autem, quæ viſa ſunt, in actionibus læſis hæc fuere, dementationes, confuſiones animi, deliria, ſopores, vigiliæ, dolores capitis graues, tinnitus, impotentia quædam ad motum, iactationes corporis, inappetẽtiæ; nauſeæ, ſitis, pulſus parui, celeres, inæquales. In excrementorum mutatione hæc fuerunt, ſanguinis ſtillæ è naribus, vomitus ciborum, humorum crudorum, bilioſorum, vermium, egeſtiones crudæ, fœtentes, bilioſæ, vermes: vrinæ à principio interdum optimi coloris, ſæpius igneæ, paulo pòſt turbatæ, confuſæ, ſubiugales. Diſpoſitiones verò præter naturam hæ apparuerunt, color vultus, & corporis eryſipelaceus, vibices frequentiſſimæ in dorſo, maculæ nigræ, violaceæ, rubeæ, modò paucæ, modò plures, modò anguſtæ, modò latæ, & modò in vna parte corporis, modò in alia, interdum in toto corpore, plerumque odoris graueolentia. Hæc mala conſecutæ ſunt frequentiſſimæ mortes, ita vt viſum ſit interdum integras familias eſſe extinctas; &; quod maximum fuit, rari fuerunt, qui quintam diem tranſgreſſi ſint, maior pars in quarta, vel intra quartam obiit. Non defuerunt etiam, qui ſecunda, & prima die occubuerint: quod etiam ſi in aliis peſtibus eueniſſe relatum ſit, in celeberrima tamen illa Athenienſium adeò à Galeno memorata nequaquam conſpectum fuit: quandoquidem, vt narrat Thucydides libro 2. & Lucretius libro 6. ægri in ea conſtitutione vt plurimum interibant ſeptima vel octaua die. Corpora tentata his malis fuerunt ſola corpora humana: hoc dico, propterea quòd & antiquiſſimus ſcriptor Homerus, & Hippocrates in libro de Flatibus, & infiniti propè ſcriptores memorarunt peſtes, in quibus etiam bruta interibant, exceptis tamen piſcibus, quos auctor eſt Ariſtoteles 3. de Hiſtoria animalium cap. 19. non tentari peſte. Homines autem non promiſcuè hac labe fuerunt infecti, ſed potiſſimũ mulieres, nec omnes mulieres, ſed virgines, puellæ, & prægnantes. Inter viros frequentius omnibus percuſſi ſunt pueri vſque ad 14. annum, aliqui etiam ætate conſiſtente, pauciſſimi ſenes: quos dicebat Plinius ſemper putatum eſſe à peſte minimè tentari. neque etiam cuiuſuis ordinis homines laborarunt hac lue, ſed ignobiles, ſerui, miniſtri, intemperantes, incontinentes, & qui nullam prorſus rationem aut vitæ, aut valetudinis habuerunt. Principium huius mali fuit, quòd, vt ferunt, quidam Tridentinus circa menſem Iulij, quo tempore Tridenti graſſabatur peſtis,

appulit Venetias: quo repentè extincto inquinamenta ſunt ſparſa. & ab eo tempore vſque ad totum Decembrem anni MDLXXV. durauit, ita vt modò vnus, vel alter moreretur, modò plures. Ineunte anno MDLXXVI. omnia ſemina viſa ſunt penitus extincta. Circa Martij verò menſis initium, aut circa finem Februarij iterum malum viſum eſt renouari, capta, vt ferunt, occaſione ex contaminata ſupellectile, quæ per aliquot menſes latuerat concluſa. ab eo tempore vſque ad menſem Iulij ſemina illa modò maiorem, modò minorem fructum prodiderunt: ita vt interdum plures dies ſine cuiuſquam morte tranſierint, interdum vnus, vel alter obierit, quandoque plures, quandoque pauciores. Circa medium Iulium mala omnia acerbiora facta ſunt: complures viſi ſunt ægri, frequentiores mortes: atque hæc omnia incrementum ſuſceperunt per totum menſem Auguſti, Septembris, atque etiam initium Octobris: quibus menſibus, ſi omnia diligenter penſentur, facilè iudicari poteſt morbum in ſuo vigore fuiſſe. Poſtea omnia cœperunt declinare, adeò vt hoc tempore Dei ſummi beneficio vix quædam reliquiæ videantur ſupereſſe. Hæc contigerunt Venetiis. Patauium autem vſque ad initium menſis Iunij, aut finem Maij, anni MDLXXVI. ab omni morbo peſtilenti, ab omni ſuſpicione liberum fuit: ſed, vt dicunt, ex rebus infectis huc tranſlatis factum eſt, vt initium & origo ſtragis, quæ viſa eſt, data fuerit. & circa initia omnia mitia fuerunt: pauci enim ægroti, pauciſſimæ mortes videbantur. menſe autem Iulij non longè à medio omnia exacerbata ſunt, & deinceps mala creuerunt, & conſtiterunt perinde ac Venetiis: adeò vt qui diligenter omnia animaduerterit, potuerit vidiſſe ſimilem admodum & penè eandem fuiſſe morborum conſtitutionem Patauij, quæ Venetiis. Hæc de iis, quæ contigerunt: nam non eſt vt hoc loco alia proponam, quæ ad medicam tractationem non pertinent.

Ad quod morbi genus ſint reducendi.

CAPVT II.

NVnc videndum eſt, ad quod morborum genus hæc mala ſint reducenda. Conſtantiſſimum hoc eſt, ex genere morborum vagantium fuiſſe: eò quòd non tantùm in his noſtris regionibus, verùm etiam in magna Europæ parte certum eſt hæc eandem mala graſſata eſſe. Quæ vagantium morborum genera ab antiquis medicis, præſertim verò ab Hippocrat. & Galen. in principio Epid. ſunt in duo genera diſtributa: alterum genus appellatur Sporadicum, ſeu Diſperſum, alterum verò Commune, aut Communiſſimum. Diſperſi, & Sporadici morbi ſunt appellati, quotieſcunque in vna, vel pluribus regionibus morbi diuerſorum generum vagantur, ſiue ſint ſalubres, ſiue ſint lethales, cuiuſmodi ſunt ophthalmiæ, dyſenteriæ, variæ febres, & alia mala, quæ in Epidemicis propoſita ſunt nobis à magno Hippocrate. Vocantur autem Communes, quotieſcunque eiuſdem generis morbi vagātur, qui vel in vna regione, vel in pluribus inueniuntur. ſi in vna regione, Endemij ſunt vocati: nonulli Latini vocarunt Inquilinos, cuiuſmodi, vt dicebat Lucretius 3. de natura, Podagra Athenis, Elephantiaſis in Ægypto, in ſubalpinis regionibus Bronchocele, atque in aliis regionib. alij. Sin autem non in vna regione, ſed in pluribus dominentur morbi ſimiles, aut ſunt lethales, aut ſunt ſalutares. qui ſalutem promittunt, vocati ſunt communi nomine Epidemij, aut Epidemi-

ci,nos populares ſimpliciter dicimus. qui autem interimunt morbi communes, peſtilentes ab omnibus nūcupati inueniuntur,& etiam peſtis nomine donati ſunt. ita vt medici antiqui non aliud genus peſtis nobis reliquerint,quàm quod ſub hac diuiſione comprehenſum eſt. Iam verò noſtra hæc mala planum eſt inter communes morbos recenſenda eſſe,quia vnius generis fuerunt febres peſtilentes & tumores,quæ ſecum claſſem accidentium relatorum portarunt.& quia, vt monſtratum eſt, mala hæc mortes frequentiſſimas intulerunt : etiam hoc certum argumentum eſſe poteſt , non ad aliud genus referenda eſſe, niſi ad ipſam peſtem : nam dicebat Galenus tertio in tertium Epid. 19. peſtem non eſſe vnum genus morbi : ſcilicet quod vel ſolus tumor,vel ſola inflammatio,vel ſola febris ſit appellanda peſtis, ſed quando ſimul eodem tempore communi morbo plures ægrotant, & ægrotantium pars maior interimitur. Quare cum in hac noſtra conſtitutione multi ægrotarint vno genere morborum , & ægrotantium maior pars ſit extincta, certiſſimum mihi videtur eſſe, peſtem veram extitiſſe, aut negandum eſt nobis, neque Hippocratem , neque Galenum veræ peſtis vnquam mentionem feciſſe.

Vtrùm contagium ſit ponendum in definitione peſtis : & locus Hippocratis expenditur.

CAPVT III.

Sed hoc in loco duo occurrunt examinatione digna. Vnum eſt , an præter characteriſmos peſtis ex Hippocrat. & Galeno captos , alia proprietas peſti tribuenda ſit : nam ex vna parte videtur etiam alia proprietas inueniri , quæ conſequitur peſtis naturam , vt ſit morbus contagioſus. Primum enim hoc quotidiana oſtendit experientia , eos , qui verſantur apud peſte correptos , facilè contaminari. Accedit etiam teſtimonium Baſilij Magni , Philoſophi , & Medici , qui in Homilia ſuper primum Pſalmum memoriæ prodidit , à Medicis & Philoſophis hoc ſemper eſſe peſti tributum , vt vno infecto , alter etiam coinquinetur. Accedit his omnibus teſtimonium & Thucydidis , & omnium hiſtoricorum , qui non ſolum peſtes deſcriptas contagioſas fuiſſe dixerunt : immo multi addiderunt , ex contagio plures eſſe interemptos , quàm ex vlla alia re. Ex altera parte ſunt & rationes , & auctoritates. ratio capta eſt ex iis, quæ prodiderunt & Medici & Philoſophi. nam , vt à Principe noſtro incipiam , Hippocrates nullibi , vt ego diligenti ſtudio inueſtigaui , contagij expreſſa ſemina memorauit. neque Auicennas , qui diligentiſſimè peſtilentiæ naturam proſecutus eſt , vllam contagij mentionem facit. & , quod magis mirum videri poteſt , poſteriores , tam Arabes , quàm Græci , qui Galenum , & Auicennam ſectati ſunt , nuſquam videntur meminiſſe contagij. Ariſtoteles primo Problemat. ſectione ſeptima pauca quædam , & ſatis obſcura dixit. quod ſcribit , peſtem ſolam eſſe maximè contagioſam , mihi placet , etſi illius non meminit ſeptima ſectione , problemate quarto , vbi etiam alios morbos contagioſos tradidit : cùm verò profitetur tradere cauſam , propter quam peſtis ſit contagioſa , ſatis ieiunam rationem affert, ſcribens , non ob aliud peſtem proximos contaminare , niſi quia morbus communis eſt. Galenus quoque primo de Differe. febrium cap. ſecundo, exigua

quæ

quædam, & nullo modo ſententiam ſuam clarè explicantia, de contagio protulit, vt perſpicuum ſit, veteres medicos debiliter, & obſcurè de contagio fuiſſe locutos. Procopius libro ſecundo de bello Perſico, narrans maximam illam peſtilentiam, quæ contigit ſub Iuſtiniano in ciuitate Conſtantinopolitana, ſcribit, eam peſtem fuiſſe quidem grauiſſimam, ſed nequaquam contagioſam. Gregorius Nyſſenus in expoſitione illius dicti Saluatoris noſtri, *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*, longa oratione laborauit, vt oſtenderet, peſtilentiam non eſſe contagioſam: & inter alias rationes hac vſus eſt: quòd nullus morbus poſſit eſſe contagioſus, eo quia neque ſanitas eſt contagioſa. Cum enim, inquit, contrariorum ſit eadem ratio, atque ſanitas & morbus ſint contraria, ſi morbus vllus eſſet contagioſus, eſſet & ſanitas. Et quia videbat ſcriptor egregius, hic experientiam ſibi reluctari, quandoquidem multi quotidie conſpiciuntur ex conuerſatione peſte laborantium contaminari, inquit, hoc euenire, non quia infecti contaminent, ſed quia omnes, qui capiuntur peſte, communi aëre vtuntur, & eandem internam diſpoſitionem habent. Tot itaque hinc & inde ſunt difficultates, an peſti ſit addenda hæc proprietas contagioſa. Alterum diſquiſitione dignum eſt circa dictum Hippoc. primo de Acutis tex. nono: quo in loco aliquibus videtur ſentire, morbos ſporadicos perniciofos eſſe, imo verò peſtilentibus eſſe magis lethales. quæ ſententia contrariam habet ſententiam communem omnium medicorum, præſertim Gal. in principio libri Epid. vbi & ipſe, quemadmodum & cæteri omnes, facit peſtiferos morbos omnib. aliis lethaliores. Pro reſolutione primi, dico hoc ſtatuendum omnino eſſe, peſtem eſſe contagioſam, etiam quamcũque, ac maximè contagioſam: & propterea neceſſariò videri exprimendum eſſe contagium in eius definitione, ſiue deſcriptione, quaſi quandam proprietatem illi ſemper conuenientem, atque etiam ſoli: quandoquidem, vt dicit Ariſtoteles loco Probl. citato, vna peſtis omnium eſt maximè contagioſa: quia, etſi lepra & phthiſis id habeant, vt ſint morbi contagioſi, non tamen maximè ſunt tales, vt ex effectibus conſtat. Sed de contagij natura, déq; omnibus illius conditionib. ſpero ſuo loco in hac tractatione me multa ſcitu digna eſſe dicturum. Verùm quid dicemus ad auctoritates propoſitas? Non deſunt doctiſſimi viri, qui videntes contagium eſſe prætеritum ab antiquis, dixerunt, eos tanquam rem claram ſuppoſuiſſe. Sed ſanè mihi difficile videtur excuſare antiquos, qui res alioquin pauci momenti longa oratione ſunt proſecuti, rem verò maximè difficilem, maximis dubiis plenam prætеrierũt. Quapropter ſum ego huius ſententiæ, nequaquam contagium eſſe ignoratũ à veteribus, eo quòd non deſunt antiqui ſcriptores Græci hiſtorici, qui contagij in peſtib. meminerunt. Sed tacuerũt ipſum, mea ſententia, quia non cognouerunt aliud genus contagij, niſi id, quod fit per aërem, vt videbitis ſuo loco, & idcirco ſub aëre ipſum complexi ſunt. Niſi mauultis dicere, prætеriiſſe contagium, eò quòd non exiſtimarunt hoc cauſam eſſe morbis peſtiferis efficiendis: nam Gal. loco citato libri de Diff. feb. videte, quæſo, quàm timet circa contagiũm. inquit primo, haud tutum eſſe conuerſari cum ipſis peſte affectis, deinde periculum imminere ne conuerſantes cum ipſis inficiantur: præter hæc, pauca, aut nulla omnino de contagio dicit Gal. qui (pace illius dicam) loquaciſſimus eſſe ſolet, in rebus etiam nullius momenti, vt norunt omnes, prætеriiſſet contagium ſilentio, ſi ipſum exiſtimaſſet in peſte rationem cauſæ habere? nunquam adducar, vt hoc credam, niſi maioribus rationibus perſuadeatur. Quid dicemus ad Procopium? habeo contextum ipſius Græcum manuſcriptum, in quo deſiderantur ea verba, quæ ſunt in codice Latino, & in quibus tradit eam peſtem non fuiſſe contagioſam. Gregorius autem Nyſſenus, quamquam fuerit Philoſophus

egregius, nec expers Medicinæ, tamen eo in loco oratorem agebat, cui ſat erat, hoc exemplo peſtis, & morborum propoſito ſcopum ſuum, & intentionem conſequi. Nam, cur ſanitas non ſit contagioſa, ſed tantùm morbus, explicuit nobis Ariſtotel. problem. quarto, ſectione ſeptima. Pro reſolutione alterius quæſiti breuiter dicendum eſt, inter morbos nullum reperiri magis lethalem ipſo morbo peſtilenti. Sententia verò Hippocratis primo de Acutis, ſecundum meam ſententiam, ita eſt interpretanda, vt morbi ſupradicti, ſi ſint acuti, omnibus ſint lethaliores exceptis peſtiferis.

Definitur Peſtis: & oſtenditur, Venetam, & Patauinam fuiſſe veram peſtem.

CAPVT IV.

Conſtituamus itaque hanc definitionem, ſeu deſcriptionem peſtis: ſcilicet, eam eſſe morbum communem, complures ſimul etiam diuerſarum regionum infeſtantem, lethalem, & maximè contagioſum. Dicitur morbus ſimpliciter, quandoquidem, vt dicebam in heſterna lectione ex ſententia Galeni tertio in tertium Epid. Peſtis non eſt vnus morbus determinatus, ſed quicunque morbus poteſt eſſe peſtis, modo complures attingat eodem tempore, & maiorem partem perdat. Dicitur morbus communis, ad differentiam ſupradictorum. Dicitur infeſtans complures etiam diuerſarum regionum, ad differentiam morborum Endimiorum, qui ſemper vnam tantùm regionem lædunt. Dicitur lethalis, ad differentiam illorum morborum communium, qui ſimpliciter Epidemici ſunt nuncupati, de quibus in maiori parte librorum Epidemicorum tractauit Hippocrates. Dicitur poſtremo maximè contagioſus, non tam ad differentiam febrium peſtilentium, quæ non ſunt contagioſæ, & quæ ſunt ſine peſte, cuiuſmodi fieri plurimas citra vllum contagium ſatis conſtat: quàm vt hac proprietate, vt paulo antè dicebam, eius natura magis illuſtretur: licet enim & alij morbi à peſte contagioſi ſint, & ſit proprium peſtis, quod veteres medici tradunt, vt ſcilicet ſit morbus communis, quoniam tamen nulla peſtis eſt ſine contagio, & ipſa inter alios morbos contagioſos maximè eſt contagioſa, vt dicit Ariſtoteles, apud quem illud μάλιστα non ſatis accommodatè vertit Gaza, præcipuè: videtur hæc vox neceſſario addenda, vt deſcriptio totam eius naturam complectatur quantum fieri poteſt. Nec miremini, me dixiſſe febres peſtilentes ſine peſte, quia clariſſimè, & explicatiſſimè hoc dixit Galenus tertio in tertium Epidemic. commentario quinquageſimo ſeptimo, necnon etiam tertio de Præſag. ex pulſ. cap. quarto. quibus in locis clariſſimè ſcribit, fieri febres peſtilentes ſine peſte. Cum itaque iam conſtituta ſit definitio, & natura peſtis, videamus, nunquid huic noſtræ conſtitutioni adaptetur tota definitio peſtis. Si enim adaptabitur, certi erimus hanc fuiſſe veram peſtem. Primum, clariſſimum eſt fuiſſe morbum; & febres continuæ, ardentes, & tumores, & carbones ſunt morbi, qui, vt in expoſitione hiſtoriæ dixi, frequentiſſimè apparuerunt. Fuiſſe etiam morbum communem quis dubitet? quandoquidem magna pars Europæ vno & eodem tempore tentata eſt hoc infortunio. quòd etiam plures diuerſarum regionum ſimul ægrotauerint, clariſſimum eſt: Auſtria enim, Tranſiluania, aliæque

Germa

Germaniæ nationes eodem tempore, quo modo in Italia Forum Iulij, Venetiæ, Patauium, Mediolanum, Calabria, Sicilia, Illyrium, compluréſque aliæ gentes peſte laborarunt. ſic & noſtro magno damno experti fuimus, fuiſſe lethales, & maximè lethales hos morbos; quandoquidem maxima pars ægrotantium interiit. Fuiſſe etiam contagioſam hanc peſtem, luculentiſſima ſunt & plurima teſtimonia, quæ non referam vobis, cum vnuſquiſque ſua habeat exempla. Si ergo omnes conditiones veræ peſtis, tum traditæ ab antiquis, tum etiam explicatæ à nobis & additæ, repertæ ſunt in hac noſtra conſtitutione, non eſt, quòd dubitemus aſſerere, ipſam fuiſſe veram & legitimam peſtem. quamquam non eiuſcemodi fuerit eo tempore, quo tres vel quatuor, paulo plures aut pauciores, quaque die moriebantur: ſi quidem, vt clariſſimum eſt, deficiebat potiſſima conditio, quæ ſecundum Galen. requiritur, vt ſcilicet ſimul multi ægrotent, & multi pereant. Nec dicat quiſquam, magis, & minus haudquaquam ſpeciem variare, ac propterea non minùs appellandam fuiſſe peſtem, quando pauci, quàm vbi multi interirent: quoniam ſi, vt nemo negat, peſtis morbus cõmunis eſt, quomodo quæſo morbum vocabimus communem, niſi multi ægrotent eodem vitij genere? & quomodo peſtem, niſi, vt docuimus ex Galeno, ægrotantium pars maior intereat? aliis quidem temporibus fiunt interdum morbi acuti & febres peſtiferæ, quæ ſtatim ægros iugulant, ſed nemo peſtem dicit quod non ſit morbus communis, id eſt, non multos tentet.

De cauſſis peſtis.

CAPVT V.

SVpereſt nunc, vt cauſas huius peſtis inueniamus: inueniemus autem, ſi peſtis veræ cauſas erimus perſcrutati. Sunt cauſæ peſtis aliæ quidem internæ, aliæ verò externæ. Cauſæ internæ ſunt calor præter naturam putredinoſus, & humor putreſcens ac veneficus. dico calorem præternaturalem: quia, tametſi in peſte ſæpe contingat, vt ad ſenſum calor neque intus, neque extra mutatus videatur, fieri tamen nequaquam poteſt, vt ille calor ſit naturalis, eò quòd concidunt ſtatim operationes propè omnes caloris naturalis, & coctionis, & attractionis, & alia omnia opera, quæ fiunt beneficio caloris natiui. Materia autem putrida & venefica, quæ eſt cauſa interna peſtis, non eſt vnius generis, ſed omnes propè humores confunduntur, conturbantur, & computreſcunt. neque hæc putrefactio exigua eſt, ſed valdè inſignis: vt iure merito dixerit Hippocrates communi nomine fuiſſe putrilaginem: id quod etiam explicatiſſimè dixit ſæpe Galenus Hippocratem imitatus. Sed neque ſolum in hac materia adeſt inſignis putrefactio, verum etiam aliquid aliud excellentius, quod in peſte eos profert effectus, quos nulla putrefactio efficere videtur. quid autem ſit hoc excellens, diſputatum inuenio inter poſteriores medicinæ ſcriptores. Non defuerunt, qui exiſtimarunt hoc nihil aliud eſſe, niſi quandam abditam, & immanifeſtam qualitatem, inter quos diligentiſſimus, & ingenioſiſſimus Fernelius primum locum tenuit, qui ſecundo de abditis rerum cauſis hanc opinionem diligentiſſimè explicauit. Contra autem Fernelium Altimarus diſputauit, probans nullo modo adeſſe qualitatem vllam manifeſtam, ſed duntaxat ſummum quendam gradum putrefactionis,

merito cuius hæc omnia fiant. Sed cum perſpectiſſimum ſit, non omnes febres peſtiferas eandem putredinem habere, imò verò ſæpè contingere, vt vbi minora ſigna putredinis appareant, & velociores mortes contingant, & accidentia grauiſſima, fit, vt neceſſarium mihi videatur aſſerere, præter putredinem in hac materia adeſſe vim quandam veneficam occultam, quam medici omnes, & præſertim Galenus ſcribit ineſſe medicamentis, atque venenis deleteriis. De cauſis ipſius peſtis externis ita ſtatuo, duas ad efficiendam peſtem perpetuò conſpirare cauſas, nimirum aërem ipſum, & contagium. Aërem concurrere ad peſtem efficiendam, mihi videtur Hippocrates demonſtratione euidentiſſima indicaſſe, quam & Galenus, & Auicennas ſectari videntur. eſt autem hæc: Peſtis eſt morbus communiſſimus, ergo à cauſa communiſſima: cauſa communiſſima eſt aër, ergo peſtis neceſſario ab aëre. Huiuſmodi argumentatio Hippocr. tantùm potuit apud ſcriptores medicinæ, vt neminem ferè inuenire liceat, qui non putarit veram peſtem fieri ab aëre. Eſt itaque poſt Deum veræ peſtis cauſa aër. Dico, poſt Deum: quandoquidem, vt meminit Galenus, veteres ferè cauſas peſtilentiæ in Deum referebant: quod etiam Auicennas 6. metaph. & Auenzoar nequaquam damnarunt. Sed dubitatio oritur, quomodo Hippocrates dixerit ſolum aërem eſſe cauſam peſtilentiæ, quando Galenus in libro de Cibis boni, & mali ſucci, & primo de Diff. feb. cap. tertio monſtrat, etiam peſtiferos morbos oriri ex mala victus ratione. Hanc difficultatem vt tolleret Altimarus, dicebat, fuiſſe quidem morbos illos, quos memorat Galenus, factos à praua victus ratione, ſed nequaquam fuiſſe peſtem, verùm peſtiferos duntaxat morbos. Sed hæc Altimari reſponſio non ex toto nodum tollit: nam idem Galenus ſecundo commentariorum in librum de Natura humana, tex. quarto, dixit rectè quidem dixiſſe Hippocratem, communem morbum fieri à cauſa communi: ſed non rectè dixiſſe, fieri ſolùm ab aëre, quandoquidem etiam praua victus ratio, vapores elati ex putridis aquis & ſpeluncis poſſunt morbos communes facere, quemadmodum ipſemet Hippocrates de conſtitutione in Eno ſcriptum reliquit. Quapropter, vt Hippocratis ſententiam ratam faciamus, ſatius eſſe exiſtimo dicere, aërem vel ſolum accipi poſſe, vel vnà cum aliis cauſis. Si accipiamus aërem ſolum, planè non ſemper aër ſolus eſt cauſa morbi communis, vel peſtilentiæ: ſed ſi ipſum accipiamus cum aliis cauſſis, ſemper eſt cauſa morbi communis. Vel poſſumus etiam dicere, morbum communem eſſe duûm generum, alios communes vni regioni, alios pluribus regionibus. morbi communes vni regioni qui Endemij Græcis dicuntur, fiunt à praua victus ratione, fiunt à vaporibus elatis ex aquis, & terra. Ceterùm, qui ſunt communes pluribus regionibus ſemper ortum ducunt ab aëre. Quapropter liquidò conſtat, apud Hippocratem, & omnes ſcriptores, veram peſtilentiam ſemper fieri ab aëre.

Peſtem Venetam, & Patauinam ortum ortum habuiſſe ex aëre.

CAPVT IV.

Poſſumus igitur hanc demonſtrationem de noſtra peſte inſtituere. Omnis vera peſtis fit ab aëre, vt probatum eſt: peſtis hæc noſtra, quemadmodum fusè demonſtrauimus, habuit omnes conditiones veræ peſtilentiæ: igitur hæc noſtra

ſtra peſtis facta eſt ab aëre. Cum dico noſtram peſtem, intelligo omnes eos morbos, qui has regiones ſunt depopulati. Sed quia peſtis habet præterea neſcio quid diuini, placet, præter demonſtrationem allatam ex auctoritate medicorum, etiam adiicere alia ſigna, ab hiſtoricis, & aliis mememorata, quibus probabiliter ſaltem confirmare poſſumus, ortum habuiſſe hanc peſtem ex aëre. ſunt autem huiuſmodi ſigna omnia capta ex obſeruatione. atque, vt ego conſequi potui, duûm ſunt generum: alia ſunt antecedentia, alia verò comitantia. antecedentia ſunt, terræmotus præcedentes, cometæ, vel ſidera inuſitata, ignes aërei, eclipſes, annus biſſextilis, monſtra, animalia orta ex putri materia, peſtes alibi vagantes. adiiciam etiam his ſignis duo alia, capta ex Philoſtrato in 4. & 8. vitæ Apollonij, nec non etiam in libro de Viris illuſtribus, qui ad Troiam iuerunt. Refert enim hic ſcriptor, Apollonium Tyaneum ſummum virum prædixiſſe peſtem Epheſis, eo quod ipſe, qui vir temperantiſſimus erat, laborauerit morbo: quaſi auguraretur hic Philoſophus, cum ipſe nullum errorem committeret, tamen ægrotaret, neceſſarium fore, vt alij ægrotarent propter aëris vitium. refert præterea, lupos hominibus damna inferentes conſueuiſſe præmonſtrare peſtem hominibus. Si hæc omnia ſigna expẽdamus, & præteritum ſtatum harum noſtrarum regionum cõferamus, ſi non omnia, ſaltem plurima ex iis ſignis præceſſerunt. Fuerunt terræmotus & Pauij, & Venetiis, ſed maximi Ferrariæ. nec quidquam refert, quòd Ferraria non ſit tacta peſte, quia halitus exeuntes per terræmotus poſſunt longè latéque diſſeminari, nec tangere regiones proximiores. Præterea habuimus ſidus inuſitatum annis elapſis, de quo diſputatum eſt in Germania, nunquid fuerit cometa, & extant ſcripta. Viſum eſt toto hoc anno inſolens illud Martis ſidus, quod pleríſque admirationem, compluribus ſtuporem, atque terrorem quendam iniecit, qui ſeſe illud veluti tenebroſum interdum conſpexiſſe narrant. habuimus annum biſſextilem. anno præterito, ſi memoria tenetis, viſa eſt incredibilis copia bruchorum, & per vias, & per parietes, & per feneſtras: quæ animalia ortum ducũnt ex putredine. habuimus monſtrum illud Venetiis. peſtes vagantes clarum eſt adfuiſſe, vt Conſtantinopoli, & in Sicilia, & Tridenti: habuimus hoc anno Eclipſim. vt, ſi id facere nobis placet quod veteres faciebant, poſſimus planè dicere, ſigna vſitata præceſſiſſe hanc noſtram peſtẽ ex aëre. Non ſilebo etiam illud, quod mihi relatum eſt, lupos hoc anno impetum feciſſe in complures villas agri Patauini. Signa comitantia peſtem ex aëre ſunt ea ſymptomata, ij morbi, qui ſemper comitantur omnes peſtes ex aëre. Sunt autem febres ardentes, febres placidæ, dolores capis, deliria, carbunculi, tumores, mortes ſubitaneæ, extinctiones familiarum. Hæc omnia accidentia, ſi placebit vobis videre, omnes peſtes ex aëre euenerunt & in illis, & etiam in noſtra: immò verò, ſi conferatis peſtem narratam ab Ouidio 7. Metamorphoſeon, relatam ab Hippocrate ſecundo Epid. de Cranone, relatam à Thucydide ſecundo hiſtoriarum, & à Lucretio 6. de Natura, eas, quas refert Galenus contigiſſe ſuo tempore: peſtem illam maximam, de qua Euagrius ſcribit lib. 4. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 28. Nicephorus lib. 17. cap. 18. ſi eam horrendiſſimam peſtem, quam ſcribit ſub Iuſtiniano Imperatore fuiſſe Conſtantinopoli Procopius 2. de bello Perſico: ſi, inquam, has & innumeras alias conferatis huic noſtræ peſti, videbitis maximam ſimilitudinem, ne dicam identitatem. His ſignis alia etiam non contemnenda adiungi poſſunt, ſed hoc potiſſimum, toto tempore quo peſtis perdurauit, præſertim in ciuitatibus, raros eſſe viſos, qui alio morbi genere fuerint tentati: quod quidem medici omnes pro argumento certiſſimo habent, peſtem ex aëre eſſe: imò verò, quicunque tentabantur à prin-

cipio vel tertiana, vel aliquo alio morbo, magna ex parte (quæ omnia etiam in peſte tanquam præcipua quædam adnotauit Thucydides) conuertebantur eorum morbi in hos. Referent vobis doctiſſimi medici huius vrbis, aliquos fuiſſe vulneratos, & vulnera illa conuerſa fuiſſe in peſtem. Nec parum ad aëris vitium confirmandum illud refert, quod & ipſe in his noſtris regionibus obſeruaui, & in aliis pariter peſtis expertibus cõtigiſſe audiui, magnã ſcilicet partẽ eorum, qui ſine vlla peſtis ſuſcipione obierunt, poſt mortem poſteriores corporis partes vibicibus, latiſque maculis deturpatas habuiſſe: quod quidem rariſſime aliis temporibus conſpici ſolet. Sunt præterea infiniti, qui conſcij ſe nihil infectum contrectaſſe, attamen correpti ſunt hac labe. Innumeros præterea, ſi percunctari placebit, audietis, quibus inguina atque alæ ſubtus ex laboribus intumuerunt, nec non varia tubercula ſponte eruperunt ſine vllo inſigni detrimento: quæ quidem mala cum non fuerint peſtifera, & annis præteritis aut nunquam, aut multo minus conſpicerentur, certe neceſſarium eſt fateri, præſentis anni conſtitutionem, & aliquod aëris vitium in cauſa fuiſſe, ſub quo corpora diuerſimodè diſpoſita aliqua mitius, aliqua pernicioſius ægrotarint. Sed nec illud fortaſſe præter rationem eſt adiungere, menſe Iulij, quo tempore cœpit incrudeſcere morbus & Venetiis, & Patauij, cœpiſſe etiam pluuias, quæ fuere paruæ, & placidæ, & ferè continuæ, quales retulit Hippocrates de Cranone: & clarum eſt conſtitutionem auſtrinam perduraſſe fere toto menſe Septembri, & Octobri. Habuimus etiam & aliam calamitatem, oſtendentem aërem fuiſſe infectum, nimirum fatuitatem omnium terræ fructuum, qui licet fuerint copioſi, conſuetam tamen iucunditatem amiſerunt. Nec id etiam negligendum eſt, quod ab omnibus obſeruatum fuit, hoc anno aut nullas, aut rariſſimas cicadas ceciniſſe. victitant cicadæ, vt noſtis, rore: & rationi conſentaneum eſt, eas conſueto alimento orbatas aut fuiſſe extinctas, aut tacuiſſe. Non deſunt etiam qui apertè fateantur, ſeſe obſeruaſſe, quo tempore in his regionibus peſtilentia furebat, raras admodum eſſe conſpectas aues. Habemus igitur & ex demonſtratione allata, & ex ſignis etiam adnexis, peſtilentiam hanc noſtram ex aëre originem duxiſſe.

Quod fuerit vitium in aëre: & quomodo aër dicatur vitiatus, & inducere peſtem.

CAPVT VII.

NVnc videamus, quod hoc fuerit vitium in aëre. Ita ſtatuo, fuiſſe qualitatem quandam vitæ hominum inimicam, aptam in corporibus præparatis, & diſpoſitis morbos producere peſtilentes. Fernelius, vir doctiſſimus & ingenioſiſſimus, in ſecundo de abditis rerum cauſis ſecutus eſt hanc ſententiam, huiuſmodi qualitatem ſecretam, occultam eſſe. Altimarus autem, qui, vt alij docti omnes, putauit quamcunque veram peſtem fieri ab aëre, aduerſus Fernelium multis rationibus conatus eſt demonſtrare, nullam adeſſe ſecretam qualitatem in aëre peſtilenti, ſed ſolummodò manifeſtam, ortam ſcilicet ex putredine. Ego verò ſum huius ſententiæ, poſſe peſtem oriri cum ex qualitate manifeſta ipſius aëris, tum etiã ex qualite arcana. Ex qualitate arcana oriri poſſe inde coniicio, quoniam, ſi in ipſo aëre fit qualitas cœleſtis, & occulta genitalis, vt Ariſtotel. ſecundo de Generatione animalium, & alibi ſæpe monſtrauit, fatendum eſt etiam fieri interdum in aëre

qualita

qualitatem corruptricem ſecretam. Accedit etiam, quòd peſtes multæ auxilium perceperunt ex Antidotis arcanis & ſecretis: ſcribit enim Galenus interdum peſtem curatam eſſe bolo armena, interdum vrina humana, interdum theriaca. Si igitur contulerunt remedia arcana, conſentaneum eſt rationi, arcanum etiam fuiſſe illud quod nocebat. Hæc qualitas occulta, ſeu vitium hoc immanifeſtum induci poteſt in aërem à duabus cauſis, primò à ſideribus, non quòd ſua natura ſidera quidquam mali faciant per ſe, ſed per accidens: atque hoc ita fieri non modo Aſtrologi, verùm etiam magnus Auicennas confirmauit: immò verò id quoque aperuiſſe videtur Hippocrates, aut Polybus, qui 4. de Morbis lib. tria morborum principia ſtatuens, vnum ex iis eſſe ſcribit, ſi contingat, vt ea quæ ex cœlo eueniunt, inepta ſint, & præter victus rationem. Poteſt induci ſecundo hæc ſecreta qualitas in aërem à vaporibus prauis, qui eleuantur ex aquis putrefactis, aut ex ſpecubus. Dicebat enim Galenus ſecundo commentariorum in librum de Natura humana tex. 5. vapores, qui eleuantur ex huiuſmodi rebus putrefactis, nequaquam nocere manifeſta qualitate, ſed proprietate ſubſtantiæ. Poſſe autem ab huiuſmodi exhalationibus, & vaporibus oriri grauiſſimas peſtes, duo hiſtoriarum exempla præclarè teſtantur. Vnum eſt, quo narratur, olim in Babylonia in templo Apollinis aurea miræ vetuſtatis arca aperta, expiraſſe pernicioſiſſimum halitum, atque inde peſtem emanaſſe, quæ vſque ad Parthos immaniſſimè graſſata fuit. Aliud eſt apud Ammianum Marcellinum, qui ſcribit, Marci Veri Imperatoris ætate in Seleucia poſt direptum templum, & Apollinis ſimulacrum Romam allatum, milites Auidij Caſſij quoddam anguſtum foramen inueniſſe, quo aperto ſpiritum grauiſſimum exhalaſſe, qui peſtem maximam induxerit. Porro qualitas manifeſta eſt ea, quæ aëri ingeneratur ex corruptione ipſius ſubſtantiæ, quæque interdum ita grauis eſt, vt peſtem faciat: interdum verò minus grauis, vt duntaxat morbos communes, & Epidemicos. Quatuor ſunt hic diligentiſſimè à vobis notanda. Vnum eſt, aërem dupliciter accipi poſſe, vel pro ſimplici elemento, vel pro corpore compoſito ex elemento & vaporibus, ſeu corpuſculis illis, quæ Democritus & Epicurus commenti ſunt. Si primo modo accipiamus aërem, nequaquam eius ſubſtantia corrumpi poteſt, & hoc modo interpretanda eſt ſententia Ariſtotelis libro de longitudine, & breuitate vitæ, necnon 25. ſectio. Proble. probl. 20. quibus in locis dicebat Philoſophorum princeps aërem non corrumpi, non putrefieri: ſed ſi capiamus aërem pro corpore permiſto, proculdubio ſic aër putrefit & corrumpitur ſubſtantialiter: quod intellexit idem Ariſtoteles in principio quarti Meteorologicorum. Sed illud ſcitote, quando ſic corrumpitur aër, corrumpi propter vapores antiquitus ipſi immixtos: dico, antiquitus, quia qui vapores recenter putrefacti immiſcentur aëri, & qui ab Hippocrate ſua lingua nuncupantur μίασμα, à nobis verò inquinamenta, fit aliud genus corruptionis, quæ propriè corruptio non debet appellari ſubſtantialis. Aliud adnotandum eſt: cum dicimus aërem ſubſtantialiter putrefieri, nequaquam id ita intelligendum eſſe, vt fiat venenatus aër, ſed intelligimus ipſum merito huius corruptionis fieri aptum ad generandum venenum in corporibus omnibus diſpoſitis. Non poſſe fieri aërem venenatum, illa videtur eſſe cauſa, quod, vt dicebat idem Ariſtot. 25. ſectione, problemate 20. aër plenus eſt multo igne, ignis autem, vt noſtis, longe à ſe venenum & etiam alias res repellit. cui cauſæ acceſſit & conſilium ſapientiſſimæ, atque omnia doctæ, vt dicebat Hippocrates, Naturæ, quæ cum ſtudeat animalium naturam conſeruare, ſemper id prouidere ſolet, vt venena in pauca copia gignantur. At ſi aër fieret venenatus, copioſiſſimus

eſſet

eſſet veneni prouentus; & cum ab omnibus animalibus continuò aër inſpiretur,ſi vel tantillum aër eſſet venenatus, ita vt eſſet venenum, perderet ſtatim omnia animalia, quemadmodum videmus quodlibet venenum omne animalis, præſertim verò hominum perdere genus, & eo magis omni veneno perderet, quia ſemel tantùm,atque in exigua copia venenum quodlibet ſumitur,aër verò & copioſus,& continuò in corpus trahitur.Tertium notandum eſt, aërem peſtiferum conducere ad veneni generationem in corporibus noſtris, quoniam in corporibus præparatis inducit quendam calorem præternaturalem naturali inimicum, qui cum calorem ipſum natiuum confundat,& expugnet,fit deinceps,vt omnes humores noſtri corporis,priuati cuſtodia caloris natiui, protinus confundantur, computreſcant, & conſequenter veneni naturam concipiant. Quartum eſt, qualitatem aëri infixam vocari à me manifeſtam, eo quod, tametſi conſequatur & mutationem ſubſtantiæ aëris,& alterationem,veruntamen ea alteratio.& ea mutatio efficitur ab aëris manifeſto aliquo intemperamento, quod manifeſtum intemperamentum ab Hippo. vocatum vbique inuenitur κατάστασις, ſeu conſtitutio. hoc autem intemperamentum,prout eſt varium & diuerſum,ſic etiam varios & diuerſos communes morbos facit.Si enim ſit calidum,& humidum,vel erit ita,vt ſubſtantiam aëris corrumpat: aut ita,vt ſolum alteret. ſi ſubſtantiam aëris corrumpit, ſubſtantiam, inquam,non elementarem, ſed miſtam, inducit peſtem, quemadmodum luculentiſſimè docuit Galenus primo de Tempe. cap. quarto, vbi ſcribit, hoc intemperamentum calidum, & humidum, ſi totum annum detineat,fieri magnam peſtilentiá, ſi verò detineat ſolùm partem anni,fieri minorem peſtilentiam. Huiuſmodi autem intemperamentum fit in in ipſo aëre,vt docet Auicennas prima quarti,à formis cæleſtibus: poteſt etiam fieri ab exhalationibus, & à ventis. Si autem hoc intemperamentum ſubſtantiam aëris alteret, fiunt morbi Epidemici ſimpliciter, non peſtilentiales, vt ſunt deſtillationum varia genera,alia aëris intemperamenta calida & ſicca, calida ſimpliciter,frigida & humida. Frigida & ſicca numquam inducunt peſtem, ſed ſolummodo morbos Epidemicos: quorum clariſſima exempla habetis apud Hippocratem in primo & in ſecundo Epid. atque etiam in aliis libris.

Quid appellet Hippocrates diuinum in morbis: an aliæ conſtitutiones aëris à calida & humida poſſint peſtem procreare.

CAPVT VIII.

SEd,antequam vlterius progrediamur,duo hic digna dubitatione inſurgunt.Alterum eſt, quid diuinus Hippocrates in primo Prognoſticorum ſignificare nobis voluerit,quando ſcribit, Medicum, morbos præcognoſcere optantem, debere reſpicere illud, quod in morbis eſt diuinum.alterum eſt, an verum ſit,alias conſtitutiones aëris à calida & humida nequaquam peſtem procreare.Quod ad primum attinet, Galen. poſtquam aliorum ſententias explorauit, videtur hoc conſtituere, apud Hipp. nihil aliud eſſe diuinum in morbis, niſi aëris intemperamenta, aëris conſtitutiones. Sed vtor ratione eadem aduerſus Galenum,qua ipſe vtitur in eodē commentario aduerſus alios,nimirum,nō facilè inueniri poſſe, Hippocratem aliis in locis vſum eſſe hac voce,Diuini,in aëris conſtitutione.Etenim in initio libri de Natura

Natura mulìebri auctor ille quiſquis ſit ſub Hippocratis nomine vulgatus, hominibus morborum cauſam ſcribens eſſe τὸ θεῖον, id eſt, diuinum, & idcirco ἀπὸ τοῦ θεῖου inchoandum eſſe, certè aëris conſtitutionem non intelligit. Quare potior mihi videtur ſententia & Stèphani Athenienſis in interpretatione illius loci, & Thadæi Florentini, qui dixerunt, id diuinum in morbis appellari ab Hippocrate, quod in aëre quidem eſt, ſed à cœlo cauſatur, quemadmodum cæleſtem quoque morborum cauſam conſtituit quarto de Morbis. Etenim, vt etiam antea vos docui, non eſt dubitandum, quin, quemadmodum cœlum, ex ſententia omnium medicorum, imprimit in hæc corpora terrena qualitates reconditas, etiam in aërem ipſum imprimat huiuſmodi qualitatem ſecretam, & maleficam, & benignam, quemadmodum clariſſimè docuit Auicennas, & in prima quarti, vbi tractat de peſtilentia, & fen. tertia primi, doctrina 5. cap. primo. Appellauit itaque diuinum in morbis Hippocrat. non ſimpliciter quamlibet conſtitutionem aëris, ſed conſtitutionem & qualitatem ſecretam. Simili enim pacto locutus eſt Hippoc. in lib. qui malè inſcribitur, περὶ σαρκῶν, ſeu de Carnibus, & qui potius inſcribendus eſt, περὶ ἀρχῶν id eſt, de principiis: dicebat enim ibi, calorem noſtrum eſſe quid immortale, omnia intelligens. Nec aliud puto ipſum ſignificaſſe 2. Epid. ſect. prima, quando ſcripſit, morbum & tempus ſibi ipſis correſpondere, niſi quid in ſuperiori natura inuouetur. Sic etiam diuinus Plato Hippocratis imitator in Epinomide, in generatione omni aliquid diuinum eſſe. quod ſimiliter inſinuauit nobis Ariſtot. in principio ſecundi de Generatione animalium. & , vt obiter hoc etiam adiiciam, puto idem Homerum voluiſſe ſignificare, quando ſcribit, Apollinem peſtilentiam ſagittis in homines mittere. Quod verò ad alterum dubium propoſitum, quod facit difficultatem, eſt: quia Galenus in primo de Temperamentis cap. quarto, manifeſtè protulit, ſolam calidam & humidam conſtitutionem morbos peſtiferos parere. Ex altera parte Ammianus Marcellinus libr. 19. ſcribit, Philoſophos atque illuſtres medicos tradidiſſe ob nimietatem frigoris, aut caloris, vel humoris, vel ſiccitatis peſtilentias gigni. Præterea ſunt hiſtoriæ, quæ nobis ſummæ rationis loco eſſe debent. Princeps poëtarum Latinorum in tertio Æneidos ſcribit, in Creta ob calidam & ſiccam intemperiem contigiſſe peſtem. Liuius libro primo decadis quartæ narrat, Romæ peſtem eſſe factam propter ingentem ſiccitatem: quod etiam ſcriptum inuenitur apud Nicephorum Calliſtum lib. 15. cap. 10. contigiſſe quandoque, vt ſcribit, peſtem ortam eſſe ob ſiccitatem, in qua homines inflammatis oculis primum viſum amittebant, deinceps accedente tuſſi peribant: cui peſti addit nullum repertum eſſe remedium. Auenzoar etiam, maximus, vt noſtis, medicus, à ſiccitate fieri peſtem docuit. Non deſunt, qui tradant fieri quoque à frigido intemperamento: atque huiuſmodi peſtem dicunt contigiſſe MCIXX. ſalutis anno. Pro huius controuerſiæ reſolutione hoc conſtitutum eſſe apud vos debet, nequaquam veram peſtem fieri poſſe ab alio intemperamento, quàm ab humido & calido, id quod etiam videtur nobis inſinuaſſe magnus Ariſtot. ſect. prima problem. 21. vbi ſcribit, tunc fieri annum peſtilentem, quando ſolis calor multos vapores à terra tollit, atque humida conſtitutio efficitur. Sed quid dicemus ad exempla hiſtoricorum? nihil aliud, niſi eas peſtes non ſolùm factas eſſe à relatis intemperamentis, ſed etiam ab aliis cauſis: nam ſemper cum iis intemperamentis vel adfuit penuria annonæ, vel bella, vel terræmotus, vel aliqua alia cauſa, quæ potuit vnà cum illis intemperamentis peſtem inducere, aërem ſcilicet vitiando.

Qua

Quæ qualitates aëris fuerint hoc tempore cauſa peſtis.

CAPVT IX.

SEd cùm hæc iam conſtituta habeamus,nunc opportunum eſt,determinemus, quæ qualitas fuerit in aëre hoc tempore, propter quam data ſit occaſio peſti gignendæ. Tria in aëre hoc tempore fuiſſe exiſtimo, primum malas & tetras euaporationes, quæ, vt dicebam, proprietate totius ſubſtantiæ aërem ipſum infecere. Adducor ad hoc exiſtimandum, quia loca, quæ primum capta ſunt peſte in Italia, ſunt obnoxia prauis exhalationibus: eiuſmodi enim eſt Meſſana in Sicilia: Tridentum; eſt enim veluti in quadam cauea repoſitum, vndique à montibus circumdatum. Mantuam eſſe prauis exhalationibus ſubiectam nemo planè dubitat. Sed quæ vrbs magis infeſtatur prauis exhalationibus vrbe Veneta? Patauium etiam noſtrum, ob illius viciniam, non eſt vero diſſimile, aërem prauis exhalationibus contaminatum habere potuiſſe. Cur autem potius hoc anno, quàm cæteris exhalationes prauæ & peſtiferæ ſint eleuatæ, cauſa referenda eſt in cœlorum influxus, ſiue velimus ſecretos influxus dicere, ſiue motum & lumen: quæ cœlorum inſtrumenta non eſt dubium non ſemper eodem modo agere, ſed modò magis, modò minus, ita vt modò magis ſol proprio ſuo lumine eleuet has exhalationes, modò minus, quemadmodum elicitur ex ipſo Ariſtotele prima ſectione problem. 21. Alia, quæ fuit in aëre hoc anno qualitas, fuit manifeſta ex intemperamentis ipſius aëris. nam ſi rectè meminiſtis, anno præterito hyems ſatis clemens fuit, raræ ſunt viſæ niues, æſtate antecedente ſæpe pluit: hoc vere proximo citò calores cœperunt, interdum fuerunt remiſſi: habuimus frequentiſſimas pluuias tota æſtate: autumnus auſtrinus fuit, calidus, & humidus, ita vt, cum nullum tempus anni proprium temperamentum ſeruauerit, non ſit mirum, ſi morbi peſtiferi orti ſint: quandoquidem, vt dicebat Hippocrates tertio Aphor. vbi tempora non ſeruant conſtitutiones proprias, fiunt morbi mali iudicij: neque valet ante pluuias, & auſtrinam conſtitutionem iam peſtem fuiſſe: quoniam, vt dixi, & vt dicam, vera peſtis in hiſce regionibus nulla fuit ante Iulij menſem M.D.LXXVI. ſed tantùm perniciosæ, & peſtilentiales febres. Poſtrema qualitas quæ fuit in aëre, fuit occulta quædam proprietas aëri cœlitùs infixa: propter quam factum eſt, vt in morbis vagantibus viſæ ſint aliquæ conditiones, quarum nulla penè naturalis ratio aſſignari poteſt: quemadmodum etiam videri ſolet in omni peſte: vt meritò, quemadmodum dicebat Galenus, veteres in peſtiferis conſtitutionibus ſemper conſuluerint Deos de remediis.

Quòd neceſſariò ad ſuſcipiendam peſtem requiratur corporum diſpoſitio; & quænam hæc ſit.

CAPVT X.

SEd vt perfectè veritatem huius reſolutionis conſequamini, duo hoc in loco ſunt vobis cognoſcenda. Primum eſt, nullam qualitatem quantumuis grauem reperiri

reperiri poſſe in aëre, quæ aut peſtem, aut alium morbum inducere poſſit, niſi accedat corporum diſpoſitio: quæ ſententia non modò rata eſt apud Philoſophos, verùm etiam apud omnes medicos, vt & Hippocrates in libro de Flatibus,& Galenus primo de Differe. feb. manifeſtè docent. Diſpoſitio autem corporū ad peſtem ſuſcipiendam, & ad aëris recipiendas impreſſiones duplex eſt, & immanifeſta, & manifeſta, quemadmodum etiam duplex eſt aëris agētis qualitas, & immanifeſta,& manifeſta: quanquam Fernelius vir alioquin ingenioſiſſimus ſolummodo qualitatem ſecretam in omni peſtilentia conſtituerit. Diſpoſitio corporum ad peſtem occultà nihil aliud eſt, niſi quædam proprietas cordis, qua à ſeſe minimè repellit omnes noxias impreſſiones: quam proprietatem exiſtimo ego voluiſſe nobis ſignificare Auicennam, quando de proprietate diſpoſitionis in prima quarti, cap. de peſte loquebatur. Eſſe huiuſmodi proprietatem cordis occultam, vt credam, duobus argumentis impellor. Vnum eſt, quia, quemadmodum habetis à Galeno primo de Diff. feb. aër generaturus peſtem, ante omnia cor ipſum aggreditur, & niſi prius expugnatus ſit cordis ſtatus, nequaquam inducitur peſtis. Dico cordis ſtatum expugnare, eò quia ſpiritus, & humores, & conſequenter etiam ſolida ipſa ab aëre peſtifero confunduntur. Alterum argumentum eſt, quòd niſi hanc proprietatem cordis occultam ſtatuamus, quomodo reddere poterimus rationem veram multorum euentuum? nam videbitis in ipſa peſte multos eſſe, qui perpetuò verſantur inter ægtos infectos, qui corpus habent prauis humoribus refertiſſimum, neque tamen vnquam tentantur peſte, etiam quòd intemperanter viuant, & omnia agant vt intereant, quemadmodum narrat Euagrius contigiſſe in ea peſte magna, & quemadmodum contigit etiam in hac noſtra, in qua & veſpillones plurimi, & alij innumeri, qui & ægros, & res infectas frequentiſſimè tractarunt, ſeruati ſunt. Ex aduerſo videbitis multos corpore optimè conſtituto, temperatiſſimos, prudentiſſimè viuentes, qui tamen qualibet leuiſſima occaſione afficiuntur peſte. cuius euentus nulla alia ratio afferri poteſt, niſi hæc, quod qui non tentantur peſte, proprietatem quandam habent in corde, qua repellunt à ſeſe omnes pernicioſas impreſſiones: qui verò facilè peſte capiuntur, promptitudinem cordis ſecretam habent, qua fit, vt cor nequeat reſiſtere impreſſionibus, ſed facilè vnaſquaſque illas recipiat. Diſpoſitio autem manifeſta multiplex eſſe poteſt in homine: poteſt eſſe ex parte temperaturæ & habitus corporis, ex parte generis vitæ. ex parte temperaturæ corporis, quia corpora calida, & humida, corpora repleta prauis humoribus, corpora laxa & rara, vt dicebat Auicennas, maximè ſunt ſubiecta peſti capiendæ. Et hæc eſt ratio, cur mulieres frequenter tententur peſte, quia habent corpora repleta prauis humoribus: præſertim verò inter mulieres maximè obnoxiæ ſunt peſti prægnantes propter retentionem menſtruorum, & propterea quòd, cum habeant fœtum in vtero, corpora ipſarum calida ſunt & humida, & ratione caloris inſpirant multum aërem. ſic etiam maximè virgines, quæ ſcilicet ſunt ætate nubili. & Iacobus de Partibus, auctor grauiſſimus, in commentariis ſuper primam quarti, dixit ſe experientia comprobauiſſe, venenum quod generatur in virginibus tempore peſtis, eſſe irremediabile. quod & nos hac tempeſtate obſeruauimus, ſcilicet virgines nubiles omnes periiſſe, quæ ægrotarunt. Eius rei cauſa eſt tum libido, qua virgines veluti efferantur, tum ſeminis retentio, & menſtruorum eruptio, tum verò ingluuies ipſarum, propter quam ſaturantur cibis, & fructibus prauis. Pueri pariter ſunt maximè peſti obnoxij, tum propter inordinatam vitæ rationem, tum propter caliditatem, & humiditatem ipſorum: & quia, vt dicebat Raſes quinto ad Almanſ. multum aërem attrahunt,

& propte

& propterea multo eius vitio replentur. Sic, qui multum exercent corpus; cum cogantur crebrò reſpirare, ſimul etiam peſte faciliter tentantur: ideo ſerui hoc genere mali facilè opprimuntur. Vnum præ cæteris eſt, quod humana corpora maximè diſponit ad peſtem recipiendam, timor, quo fit, vt corpora imbecilla reddita promptius à peſte capiantur. Hæc ſunt, quæ maximè corpora reddunt prompta ad peſtem ſuſcipiendam.

Qualitatem aëris modò eſſe intenſiorem, modò remiſſiorem, modò mediocrem: & qualis fuerint Veneta, & Patauina.

CAPVT XI.

Aterum quod proponebamus conſideratione dignum, eſt, qualitatem & ſecretam & manifeſtam aëris non ſemper vno & eodem modo ſe habere: nam interdum huiuſmodi qualitas inimica eſt valdè intenſa, ita vt corpora etiam modicè diſpoſita venenet & infeſtet, interdum eſt vſque adeò remiſſa, vt magnam corporum exigat aptitudinem, nonnunquam medio modo ſe habet, vt neque ſit ita remiſſa, neque ita intenſa. Vbi qualitas hæc aëris eſt valdè intenſa, peſtilentias inſignes, & maximas parit. ſunt verò inſignes peſtilentiæ illæ, in quibus & bruta iugulantur, & maxima pars hominum interit. Talis fuit peſtis illa, quæ relata eſt ab Ouidio VII. Metamorphoſeon. Talis fuit Athenis, relata à Thucydide, & à Lucretio, de qua dicebant, nullum ferè hominem fuiſſe eo tempore repertum, quem vel morbus, vel mors, vel luctus non attigerit. Talis etiam fuit peſtis Romæ, quo tempore obiit Camillus ille magnus. Talis etiam ſub Veſpaſiano & Commodo Imperatoribus. quandoquidem, vt memoriæ prodidit Euſebius in Chronicis, in illa decem millia hominum quotidie interibant Romæ, in hac verò duo millia. Eiuſmodi quoque fuit peſtis, quam narrat Procopius in 2. de bello Perſico, quando in vrbe Conſtantinopolitana ſæpe qualibet die decem millia hominum interibant. Sub Leone etiam Iſaurio relatum eſt in vrbe Conſtantinopolitana peſte interiiſſe trecenta hominum millia. Tales fuerunt etiam relatæ peſtes à Galeno multæ, & præſertim quæ eius tempeſtate vniuerſam Europam penè depopulata eſt. Sub Benedicto Pontifice VIII. narrat Platina plures fuiſſe mortuos quàm ſuperfuiſſe viuos. Iacobus de Partibus ſcribit ea peſte, quæ inchoauit anno MCCCXXXXV. penè dimidiam hominum totius orbis terrarum partem peſte fuiſſe extinctam, quæ peſtis durauit quinquennium, & ab hac complura oppida fuerunt crudeliter deuaſtata, & vrbs Veneta, vt narrat Sabellicus, propter inſignem hominum ſtragem, coacta fuit inquilinos exteros vocare, & ciuitate donare. magna etiam fuit peſtilentia anno MDXXVIII. quando, vt celeberrimi ſcriptores narrant, tertia pars hominum interiit. Hæ itaque fuerunt peſtes magnæ, & inſignes, propter intenſam aëris qualitatem hominibus inimicam. Remiſſa autem qualitas eſt in aëre, quotieſcunque & parum durat clades, & pauci homines intereunt, neque omnis generis. Talis peſtis, vt narrat Liuius libro quarto decadis primæ, fuit Q. Fabio Auguſto, & C. Furio Pacilio Conſulibus, quando plures fuerunt ægri, quàm mortui. Paruas etiam fuiſſe exiſtimo eas peſtes, quas narrauit Galenus & decimo de Simpl. medicamentis,

&

& tertio de Vſu partium, quarum alteram ſcribit curatam eſſe vrina humana, alteram verò ſolummodo pedes tentaſſe. In hoc gradu poſſumus etiam collocare & peſtem Veronenſem, quæ fuit annis præteritis, & quæ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto has regiones tentauit. Media inter intenſam & remiſſam aëris qualitatem eſt, quando neque tot intereunt homines quot in peſte maxima, neque etiam pauci, quemadmodum in minima. Medias peſtes exiſtimo ego fuiſſe omnes ferè relatas ab Hippocrate, tum quia nulla habetur mentio magnæ cladis, tum quia vnum aut alterum exemplum proponit nobis eorum qui obierunt in tertia die. quæ etiam Conſtantinopoli fuit ſub Leontio Imperatore, media quædam peſtis fuit. quo tempore ſcriptum eſt, quadraginta hominum millia à peſte interiiſſe. In hoc igitur medio gradu ſum ego huius ſententiæ, collocandam eſſe peſtem, quæ his temporibus in has noſtras regiones graſſata fuit. & adducor ad hoc putandum ob comparationem inter alias peſtes: inuenio enim in peſtibus maximis aut mediam partem hominum, aut ſaltem tertiam interiiſſe. Ad hæc in peſtibus inſignibus hoc fuit obſeruatum, vt ex centum ægris vix vnus ſeruatus fuerit: in hac noſtra peſte neque etiam quarta pars hominum fuit extincta (loquor de vrbibus, vbi graſſata fuit, non de villis.) Præterea, qui verſati ſunt in curandis ægris hoc tempore, facilè cognouerunt, ex centum ægris etiam decem, & plures fuiſſe ſeruatos. Quare non fuit hæc noſtra peſtis neque ex maximis, neque ex magnis. Non eſt etiam recenſenda inter minimas, eo quod & accidentia ſæuiſſima fuerunt, & multi etiam ſunt interempti. Puto itaque (niſi fallor) iam luce meridiana clarius factum eſſe, hanc noſtram peſtem ab aëris qualitate inimica generationem accepiſſe.

De natura contagij: vbi, quid ſit, quod corpus communicet, cui, & per quæ, diligenter examinatur.

CAPVT XII.

Modò ſupereſt, vt videamus etiam quomodo contagium hanc peſtem fouerit, & auxerit. Id autem vt exactè perueſtigare valeamus, operæpretium eſſe exiſtimo, breuiter & dilucidè contagij naturam perſcrutari. & quia neque ab antiquis medicinæ ſcriptoribus, neque à Philoſophis habemus explicatam contagij naturam, neceſſarium eſt nobis, ex communi hominum notione eam venari. Inuenio ab hominibus nomen Contagij tribus attribui ad ſummum. Tribuitur primum ipſi morbo contagioſo: tribuitur etiam qualitati ipſi venenatæ: tribuitur & ipſi communicationi morbi contagioſi. Nos ab hac poſtrema notione conabimur comparare contagij naturam. Eſt itaque Contagium nihil aliud, niſi communicatio morbi facta à corpore in corpus, morbi (inquam) ſimilis ſpecie. & cum dico morbum, intelligatis rem præter naturam. & quia hæc communicatio eſt quidam motus, ſiue ſit ſenſibilis, ſiue inſenſibilis, non eſt vt hoc loco diſputem. Et quoniam in omni motu, ſeu communicatione quatuor ſunt conſideranda, primo, id quod communicatur, ſecundo, corpus quod communicat, tertio, corpus, cui communicatur, quarto, medium per quod communicatur. Id quod communicatur, ſeu tranſmittitur in contagio, proculdubio eſt res quædam præter naturam. & quia tria ſunt genera rerum præter naturam, morbus, morbi cauſa, & ſymptoma,

ſanè non eſt exiſtimandum, morbum ipſum mitti, eo quia daretur morbus; vt monſtrabo, in corpore inanimato. neque etiam dicendum eſt ſymptoma tranſmitti, quippè quod ſemper ſequitur morbum, vt vmbra corpus: quare hoc conſtantiſſimum eſſe debet, id quod mittitur, eſſe cauſam morbi. Cauſa morbi duplex genere eſſe conſueuit, alia quidem incorporea, alia verò corporea. incorporea cauſa eſt, quando contagium fit per communicationem meræ, & puræ qualitatis, quemadmodum quando ſtupor à torpedine communicatur per baculum: tunc enim planè communicatur nuda qualitas. huiuſmodi communicationem per nudam qualitatem in corporibus, nequaquam in morbis fieri exiſtimo. de venenis, quæ extra corpus ſunt, non loquar: ſed hanc rem diligentiſſimè tractandam relinquam præclariſſimo, & excellentiſſimo viro, qui huiuſmodi tractationem iam inchoauit. fit itaque communicatio cauſæ morbi corporeæ. Cauſa corporea proculdubio debet eſſe talis, vt poſſit moueri de loco ad locum. Iam verò corpora ſolida nequaquam poſſunt communicari: non poſſunt moueri de loco ad locum, ſed duntaxat humor & vapor, ſeu ſpiritus. quapropter id, quod communicatur, erit vel vapor, vel humor. communicari humorem in ſcabie; habetis proditum ab Ariſtotele ſeptima ſectione Proble. quarto, & ab Alexandro lib. ſecundo, problem. 44. quærentes enim ij Philoſophi illuſtres, cur hydrops non ſit contagioſa ſicut ſcabies, inquiunt, iccirco eſſe, quia humor hydropicorum in concauo corporis eſt, humor ſcabioſorum in ſumma cute, atque etiam tenax, & adhærens eſt. Fit etiam contagium per humores in lue Gallica, quando ſcilicet per contrectationem & agitationem vehementem humor morboſus tranſmittitur de corpore in corpus. In peſtifero contagio poteſtne fieri tranſmiſſio etiam humoris? proculdubio poteſt: quia ſi quis contrectet carbones vlceratos, planè morbum acquiret propter adhærentiam humoris illius venenati & putridi. Sed plerunque in peſtifero contagio fit duntaxat tranſmiſſio vaporis & ſpiritus: & hanc ſolam tranſmiſſionem, vt demonſtrabo ſuo loco, cognouerunt in peſte Ariſtoteles & Galenus, & ſequaces. Cæterùm, quoniam vapor non eſt corpus ſimplex, ſed mixtum, ſicut & corpora mixta habent ad minus tres qualitatum gradus, ita exiſtimandum eſt huiuſmodi vaporem peſtiferum tribus qualitatum gradibus eſſe donatum, quæ qualitates ex effectibus ipſius vt plurimum manifeſtantur. nam ex effectibus cognoſcitur hunc vaporem putrefacere, & vrere: cognoſcitur penetrare, & adhærere: perſpectiſſimum etiam eſt enecare. Quamobrem neceſſariò cogimur aſſerere, huiuſmodi vaporem eſſe feruidum, eſſe ſubtilem cum penetret, eſſe tenacem cum adhæreat, eſſe venenatum, & tota ſui ſubſtantia naturæ noſtræ inimicum, quandoquidem non ſolùm iugulat, verùm etiam citò iugulat. Habemus igitur iam breuiter explicatum, quid ſit illud, quod in contagio peſtifero communicatur. Corpus verò à quo huiuſmodi vapor communicatur, duplex eſt. Vnum eſt morboſum, iam ſcilicet peſte infectum, alterum eſt fomes ipſe: non quod ſemper & neceſſariò vapor peſtifer ab iſtis duobus tranſmittatur, ſed quod modò ab vno, modò ab altero, modò ab vtriſque. De fomite quod dixi, conſtat ſola poſteriorum obſeruatione, quia difficile eſt reperire apud medicos antiquos, quòd ipſi crediderint, peſtem per fomitem communicari. dixit quidem Galenus noſter, conuerſationem peſte affectorum eſſe periculoſam. dixit Ariſtoteles, peſtem communicari proximis, quod quidem fit vel per reſpirationem, vel per tranſpirationem: ſed, vt dixi, per fomitem communicari peſtem, in antiquorum ſcriptis cum diligenter quæſierim, nondum tamen potui reperire: immò verò poſteriores, qui vel veterum

ſcripta

ſcripta interpretati ſunt, vel medicinæ faciendæ rationem docuerunt, vſque ad auorum noſtrorum memoriam nil de fomite explicatum tradiderunt, vt mirum ſit hanc rem tot ſæculis aut ignoratam, aut ſilentio præteritam fuiſſe. Corpus morboſum, à quo mittitur hic vapor, ſanè nullum aliud eſſe poteſt, niſi corpus illud, in quo ſit ebullitio & putrefactio: cuius rei clariſſima eſt ratio, quia ſi vapores ſunt attollendi & tranſmittendi, nulla alia ratione hoc fieri poteſt, niſi calor agat in humidum, & vehementer agāt, ex qua actione fiant halitus, flatus & vapores, quemadmodum fieri videmus in corporibus externis, in quibus quo tempore calor ſolaris agit in humidum, eleuantur multi vapores: quando verò aut non agit, aut remiſiſſimè, vel nulli eduntur vapores, vel certè quàm pauciſſimi. Corpus igitur à quo mittitur vapor peſtifer, eſt corpus morboſum, calidum & feruens. Nec eſt quòd exiſtimetis hoc non fieri perpetuò, eò quod non ſemper ardor corporibus peſte correptis inſit; quia tametſi hoc non appareat ſenſui, eſt tamen neceſſarium ſemper, ſi contagium fieri debet, vt adſit putrefactio aliqua in corpore, propter quam, cum fiat à calore præternaturali, attolluntur vapores. Sed de hac re adhuc tractabo, cum diſputabo, an omni contagio adnexa ſit putrefactio. Fomes morbi appellatur corpus illud, quod à morboſo corpore venenum recipit, & deinde alteri communicat. Hoc corpus plures conditiones habeat neceſſe eſt. Primùm enim vt recipiat, rarum & laxum eſſe debet, vt autem conſeruet, debet eſſe & in debita quantitate, & nulla inſigni qualitate actiua præditum, hoc eſt, neque & in debita quantitate, & nulla inſigni qualitate actiua præditum, hoc eſt, neque admodum frigidum, neque vehementer calidum: debet enim eſſe rarum corpus, eò quod corpora denſa non admittunt facilè vapores. debet etiam eſſe in debita quantitate, quandoquidem, vt egregiè nos docet Galenus 3. de ſimpl. medic. cap. 23. deleteria omnia, quamquam ſint valentiſſima, etiam intra corpus aſſumpta non poſſunt quidquam mali facere, niſi habeant debitam quantitatem, icirco dicebat iure, centeſimam partem drachmæ cantharidum, & ſcintillam ignis nihil facere. Quapropter irridendi ſunt vulgares iſti, mea ſententia, qui exiſtimant in minima quadam re poſſe conſiſtere hoc venenum peſtiferum. Audiui ego non ſine riſu nonnullos medicos referentes ex contrectatione particulæ fili aliquos peſtem contraxiſſe: quod quidem nemo ſanæ mentis arbitrari debet, & tamen vulgus hoc etiam ſæpè credit: ſed, vt dicebat Plinius alicubi, cupiditas hæc viuendi hominibus innata facit, vt monſtra & abſurda excogitentur ab hominibus. Non debet hoc corpus eſſe, vt dixi, admodum frigidum, neque calidum, eo quod vtraque hæc qualitas extinguit vapores ipſos peſtiferos. hinc eſt, quod igne conſumitur omne contagium, gelu etiam omnem contagionē extinguit. Eapropter neque ferrum, neque marmor, neque vllum ex metallis poteſt eſſe fomes, tum propter denſitatem, tum etiam propter frigiditatem. & qui recuſant monetas tractare, certè mihi ſimplices videntur. Corpora, quæ verè fomitis loco eſſe poſſunt, ſunt omnia illa quæ enumerantur (ni fallor) in XIII. cap. Leuitici, vbi cum de contagio leproſorum Moſes loqueretur, fomites hos ſtatuit, ſcilicet corpora lanea, linea, pellicea, ſtamina & ſubtegmina. poſſumus his addere etiam ligna quædam foraminulenta & rara. Sed quid dicemus de parietibus? non videntur parietes poſſe eſſe idonei fomites, qui denſi ſunt & frigidi; veruntamen medici, & iure, magnam curam habent horum. Præceptum etiam fuit Leuitici cap. XIIII. deſquamandos eſſe parietes leproſorum, & noua calce obliniendos. Dicerem, non omnes parietes poſſe eſſe idoneos fomites, ſed ſolummodo illos, qui ob vetuſtatē ſunt foraminulēti, & qui non ſunt admodū perflati. Sicuti enim videmus

in locis concluſis concreſcere circa parietes ſitum quendam;qui fit propter vapores adhærentes ipſis, pari pacto exiſtimandum eſt, hos vapores peſtiferos in locis concluſis poſſe affigi, & tenaciter inhærere parietibus. Corpus quod recipit contagium, illud eſt quod ſimilitudinem aliquam gerit, & cum ipſo vapore, & cum corpore, à quo manauit. Nã omnis receptio,vt habetis ex Philoſophiæ principiis, fit per ſimilitudinem, ita vt ſimile facilè recipiat ſimile. Sed præter hoc, corpus recipiens contagium debet eſſe & alterabile & inefficax ad reſiſtendum ipſi contagio. hinc eſt, quòd corpora inalterabilia, aut quæ tanti vigoris ſunt, vt facilè ſuperent venenum, non ſint apta recipere contagium. Similitudo propter quam fit huiuſmodi receptio, aut eſt ſecundum arcanam qualitatem, aut ſecundum manifeſtam. arcana qualitas quæ facit hanc ſimilitudinem & aptitudinem recipiendi contagium, nihil aliud eſt, niſi quædam cordis intemperies, propter quam id facilè alteratur, & facilè recipit, quemadmodum qualitas huic aduerſa etiam contrarium effectum in corde facit. Videre enim eſt ſæpè, vt iam docui,quoſdam, alioquin optimè conſtitutos, & temperantes, tamen contagio facillimè contaminari: nec ob aliud ſanè, niſi quia hanc arcanam qualitatem in corde gerunt. Similitudo autem per qualitatem manifeſtam poſita eſt & in temperatura manifeſta corporis, & in habitu, & in aliis rebus quæ ſpectant ad ſtatum totius corporis. Eapropter, vt dicebã,corpora calida & humida,laxa,repleta prauis humorib. facilè recipiunt contagium.Ex quo duo corollaria elicere poteſtis.Vnum eſt,nõ mirum eſſe, ſi interdum videantur contagio extingui integræ familiæ, quia habent inter ſe ſimilitudinem tam arcanæ qualitatis, quàm manifeſtæ. Alterum eſt, propter hoc fieri, vt aliqui interdum non contaminentur ab infectis, & rarò vſu veniat, vt belluæ ab hominibus inficiantur, vel homines à belluis: quandoquidem in his omnibus deſideratur ea ſimilitudo, propter quam fit vt corpora facilè recipiant contagium. Cæterùm, medium per quod efficitur contagium, vbi intercedit, nullum aliud eſt, niſi aër ipſe: qui aër ſicut recipit lumen, calores, odores, fumos, & in alia corpora tranſmittit, ita recipit vapores putridos & peſtiferos, eóſque in alia corpora tranſmittit. Dixi, vbi intercedit, propterea quòd, quando contagium fit per merum contactum, nullum medium intercedit, ſed immediatè fit tranſmiſſio veneni ex corpore morbido in aliud corpus ſanum.

Quomodo contagium agat in corpus ſanum.

CAPVT XIII.

CVM igitur tot conſpirent ad contagij generationem, ſupereſt vt videamus, quomodo fiat huiuſmodi generatio, hoc eſt, quid agat vapor ille putridus & venenatus, qui eſt cauſa morbi, in corpus ſanum. Hieronymus Fracaſtorius, vir tempeſtate noſtra omni laude digniſſimus, & qui primus aperuit hominum oculos ad intelligendum contagium, fuit huius ſententiæ, hos vapores ſtatim putrefacere, neque vllo modo iugulare niſi per putrefactionem ſummam. Sed ſum ego alterius ſententiæ, non ſolum hos vapores interimere putrefaciendo, verùm etiam, quemadmodum faciunt plurima alia venena,

alterando

alterando. Adducor autem ad hoc exiſtimandum, quia ſæpè videre eſt in peſtiferis conſtitutionibus, homines mori ſine vllo putrefactionis ſigno. immo verò experientia comprobatum eſt, lethaliſſimum omnium eſſe contagium illud, quo homines abſque vllo ſigno pereunt. Modus quo vapores iſti & per putrefactionem, & per alterationem interimunt, hic eſt, quòd cum primum peſtifer vapor ingreſſus eſt corpus, iugulat calorem natiuum: quod hinc apparet,quia ſtatim corruunt eius operationes, vbi calor natiuus totius corporis, præſertim verò cordis, conturbatus & confuſus eſt: humores eius cuſtodia orbati exponuntur calori igneo & præternaturali, qui calor à vapore illo feruido immiſſus putrefacit ſtatim colliquando humores. Interdum contingit, vt ſtatim atque calor naturalis inſignis vaporis veneno conturbatus & extinctus eſt, homo moriatur ſine putrefactione vlla, non raró etiam vt non ſtatim confuſo illo calore natiuo moriatur, ſed tantiſper duret, dum putrefactioni tempus relinquatur. Atque hinc fit, vt alij citius, alij tardius interimantur, prout ſcilicet magis, vel minus valens eſt venenum, ita vt citius finiant vitam quàm accedat putrefactio. An ſpiritus putrefiant in peſtifero contagio, an ſoli humores, antiqua eſt & diu agitata quæſtio. Sum tamen ego huius ſententiæ, vt aliàs probaui, etiam ſpiritus quodam pacto putrefieri. Habetis itaque, quo pacto & per alterationem ſolam, quemadmodum alia venena, & per putrefactionem vapor peſtifer inficiat.

Proponuntur ſex problemata pulcherrima de contagio, & diſſoluuntur.

CAPVT XIV.

IAM remanet ad abſoluendam contagij tractationem, vt ſex pulcherrima problemata hoc in loco vobis diſſoluam. Primum eſt, nunquid fomes poſſit tranſmittere cauſam hanc morbificam in alium fomitem, & fomes in alium. exempli cauſa, inficietur induſium quod corpus peſte affectum contrectauerit, reponitur induſium inter alios pannos lineos,dubium eſt,an hoc induſium poſſit alios pãnos inficere, ita vt illi pãni deinde infecti ab induſio poſſint aut alios pannos inficere, aut ipſos homines: maximè enim hoc refert intelligere & ad ſalutem publicàm, & ad communes errores detegendos. Alterum eſt, an cauſa morbifica poſſit diu in fomite conſeruari. hac de re audietis miras hiſtorias, quando non deſunt qui afferant, poſt vnum vel alterum annum pannos infectos conſeruaſſe peſtem & communicaſſe. Tertium problema eſt, an poſſit venenum in fomite conſeruari ſine læſione illius corporis cui adhæret fomes. vt ſi quis habeat veſtem infectam, & quotidie geſtet, dubitatione dignum eſt, an in ea veſte poſſit peſtis diu conſeruari abſque læſione illius hominis. Quartum, cur fiat, vt aliquæ peſtes ſint contagioſæ magis, aliquæ minus, aliquæ contaminent etiam bruta, aliquæ certum genus hominum, & certa loca. Quintum, cur febres putridæ non ſint contagioſæ: clariſſimum enim eſt, ab iis etiam corporibus quæ febre putrida laborant, tolli vapores putridos, attamen non eſt à quoquam ſcriptore proditum, neque vlla experientia confirmatum, febres putridas communicari aliis. Sextum & poſtremum, vtrum perniciem maiorem afferat contagium ex im-

mediato contactu, an ex fomite, an ex aëre. Pro reſolutione primi problematis ita ſtatuo, fomitem eſſe corpus vel viuens, & ſenſibile, vel inanime. ſi ſit corpus viuens & ſenſibile, proculdubio poteſt contaminare, & inducere alium fomitem. ratio eſt, quia corpora ſenſibilia duo habent, calorem internum & motum;merito caloris poteſt vapor ille putridus exagitari, & tranſmitti in aliud corpus: merito motus poteſt etiam ille idem vapor traiici in aliud corpus: propterea non malè ſentiunt, qui arbitrantur & canes, & catos,& alia animalia poſſe interdum infecta etiam communicare pannis, & aliis rebus venenum. Si fomes ſit corpus inanime, aut agitatur, aut quietum manet. Si agitetur, eadem eſt ratio quæ corporis ſenſibilis, merito ſcilicet illius agitationis poſſe communicari venenum aliis corporibus. Si autem hi fomites infecti quieti manent, aut ita quieti manent, vt non incaleſcant, aut incaleſcant. Si non incaleſcant, mea eſt ſententia, non poſſe inficere alia corpora, eo quia neque ex parte agentis, neque ex parte recipientis vlla intercedit actio. non intercedit ex parte agentis, quia vapor ille iners eſt ex ſe, torpidus, tenaciter adhæret: non ex parte recipientis, quia panni illi nullam habent attractionem: & ideo cum neque corpus infectum poſſit ex ſeſe mittere, neque corpus recipiens ex ſe attrahere, nulla fieri poteſt communicatio, nulla fieri actio. Quapropter grauiſſimè errant, mea ſententia, qui indiſcriminatim putant, pannos infectos alios pannos poſſe inficere. Sed, ſi panni ita ſimul maneant, vt incaleſcant, proculdubio poteſt infectus alium inficere, quia calor attenuat vaporem illum, agitat, & conſequenter de loco ad locum tranſmittere poteſt. Sed dicetis, quomodo panni illi incaleſcere poſſunt? propter compreſſionem. nam compreſſus ille aër internus non ſolum interdum caleſcit,verum etiam ignitur. Dicebat magnus Hippocrates in libro de Natura pueri, ſeſe vidiſſe veſtes doricas compreſſas eſſe combuſtas.vtrum veſtes illæ doricæ apud Hippocratem ſint pelliceæ,vt nonnulli putarunt,an verò ſint veſtes illæ lineæ,quarum mentionem facit Herodotus libro quinto, non poſtulat hic locus vt diligenter perquiramus. Pro diſſolutione ſecundi problematis ita ſtatuo, fomitem aut eſſe perflatum, aut non eſſe. Si ſit perflatus, vel à ventis, vel aliqua alia arte, vt ſit, proculdubio peſtifer ille vapor diu durare non poteſt, ſed neceſſum eſt, vt iugi illa agitatione imminuatur, atque prorſus deleatur. & iccirco laudandi ſunt maiores noſtri, & inter alios Marſilius Ficinus, qui in libro de Peſte docuit, pannos, atque parietes ſpatio viginti dierum, ſi perflentur & emundentur, ab omni contagio depurari. Si autem fomes nullo modò perfletur,planè poteſt in ipſo diutiſſimè peſtifer vapor conſeruari. Si enim morbi in corpore humano diu conſeruantur, multo magis poſſunt conſeruari in iis corporibus quæ carent anima & ſenſu. aſſumptum demonſtratur grauiſſimorum auctorum ſententiis. Hippocrates in libro de Affectionibus internis ſcribit, quendam eſſe morbum in ſiniſtra vena, qui conſeruatur & deliteſcit per XII. annos in corporibus, ita vt tandem erumpens hydropem inducat. Nobiliſſimus etiam Philoſophus Theophraſtus lib. IX. de Hiſtoria plantarum cap. 16. clariſſimè docet,dari venenorum præparationem, vt per tres aut quatuor menſes in corporibus maneant ſine læſione. Quid dicemus de morſu canis rabidi?eſt ſententia & Galeni, & Auicennæ, hoc veneni genus in corporibus comorſorum latere per ſex menſes,imò & per annum:& Albertus Magnus lib. VII. de Animalibus cap. 2. teſtatur,ſe vidiſſe per duodecim annos hoc genus veneni in corpore conſeruatum, tandem erupiſſe. Quinimmo Alpharabius, præclariſſimus inter Arabas medicus,memoriæ prodidit,ſe expertum eſſe etiam hoc rabidi canis venenum

nenum per 40.annos in corporibus delituiſſe.Si itaque in corpore humano venenata materia conſeruatur per plures annos, multò magis vapor peſtifer conſeruari poteſt in fomite.ratio huius eſt, quia in corpore humano venenum ſemper habet inimicum, qui ſecum contendit, calorem natiuum, & naturam corporis gubernatricem; in fomite non habet vapor peſtifer, neque venenum vllum aduerſarium, non habet calorem aut naturam,quæ ipſum obtundat.Quare hac(ni fallor)demõſtratiua ratione ſatis patere poteſt,non eſſe præter rationem, vt tabes illa peſtilens in fomite diu conſeruetur. Accedit etiam ratio, qua vſus eſt Fracaſtorius,odores, fœtores,fumos diu in corporibus conſeruari,idque eſt experientia compertiſſimũ. eapropter non eſt præter rationem,vt etiam peſtilentes vapores conſeruari queant. Ex hac reſolutione elicere poteſtis veriſſimum eſſe, quod ſcribit Euagrius in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib.4.c.28.contigiſſe in ea maxima peſte,vt ſæpè ſani homines ex infectis regionibus diſcedentes,& in liberas abeuntes,inficerent ſanos illos, & regiones illas, eo quod in ſeipſis conſeruantes veluti in fomitibus venenum peſtiferum, communicabant aliis, atque ita aërem inficientes peſtem inducebant.

3. Ad tertium problema ita reſpondeo, venenum quidem peſtiferum conſeruari poſſe in excrementis,& in indumentis hominum ſine ipſorum læſione, ſed nequaquam poſſe in viuentib.particulis.hoc a. ita confirmo,quia vapor,ſi in viuentibus particulis conſeruaretur, aut eſſet efficax, aut inefficax: ſi efficax eſſet,cum ſit in corpore calido, proculdubio & in agendo, & in repatiendo aliquam læſionem faceret:ſi autem eſſet inefficax, quemadmodum non ageret in particulam viuentem, ita etiam nõ ageret in proximos.Quod ſi mihi obiiciatis, docuiſſe me aliàs,mulierem poſſe communicare luem Gallicam alteri, etiam quod ipſa careat, quaſi mulier conſeruet Gallicam illam peſtem, & communicet aliis ſine ſui ipſius læſione, reſpondeo, fateri me etiam nunc ita eſſe, quemadmodum in tractatione noſtra de morbo Gallico conſtitutum eſt: ſed magna eſt differentia inter vapores peſtiferos, & tabem illam Gallicam:quia in peſtifero tabo non eſt neque ea contrectatio, neque ex parte agentis & patiẽtis ea actio,quæ eſt in morbo Gallico:qui cum acquiratur per coitum, & mulieris calor valdè agitat, & viri etiam calor maximè attrahit, quò ſit, vt illud venenum Gallicum, quamquam ſit iners & torpidum, communicetur tamen propter illud violentum contagium.

4. Erat quartum problema,cur peſtes quibuſdam ſint contagioſæ,quibuſdam nõ ſint. Huius reſolutionem explicatam habemus apud Lucretium lib. vi.de natura, & etiam apud Fracaſtorium,qui dicunt, in peſte varia & diuerſa vagari ſeminaria, quæ, prout his,vel illis amica aut inimica ſunt, ita etiam modò hunc,modò illum afficiunt.Sed clariſſimè omnium huius problematis expoſitionem tradidiſſe nobis videtur Hip. in libro de Flatibus, vbi dicebat, non eadem omni animantium generi eſſe commoda & incommoda, ſed differre corpus à corpore, naturam à natura, nutrimentum à nutrimento: & propterea non eſt mirum, ſi peſtes non ſunt omnibus eodem modo contagioſæ:quia ſcilicet conuenientia illa,& diſconueniẽtia μιασμάτων, ſeu inquinamentorum, non eſt eadem omnib. regionibus, aut omnib. hominibus, ſed quod eſt amicum vni,poteſt alteri eſſe inimicum,& è conuerſo.propter quam rationem fit,vt ego exiſtimem vera, quæ ſcribũt Euagrius & Nicephorus Calliſtus,in ea ſcilicet grauiſſima peſtilentia, aliquos interdum fuiſſe infectos ex ſolo aſpectu intra domos, aliquos verò, qui optabant interire, non potuiſſe peſte tentari, etiam quòd conuerſarentur, degerent, contrectarent, atque etiam concumberent cum peſte affectis. pari pacto poſſumus etiam intelligere, cur in peſte illa, quam narrat Dionyſ. Halicarnaſſæus lib. 4.hiſtoriarum Roman.

ſolum virgines & prægnantes fuerint peſte correptæ,& etiam cur in ea peſte,quæ graſſata eſt ætate Gentilis medici, non mulieres, vt ipſe refert, fuerint infectæ, ſed ſolum viri robuſti,id nimirum accidit propter hanc diſconuenientiam, & conuenientiam inquinamentorum, ſeu proprietatis occultæ ipſius ſani.

5. Cur febres putridæ, quod erat quintum problema, non ſint contagioſæ. Fernelius rationem adſcripſit proprietati ſecretę febr.peſtilentium.ſed pręter hãc proprietatem videntur eſſe manifeſtæ rationes : etenim materia, merito cuius fit contagium in febribus, duas potiſſimùm conditiones habet : primùm eſt ſummè putrida, & ratione putredinis eſt etiam lenta & tenax : deinde vſque adeo inimica & aduerſaria eſt calori humano, vt eum protinus eneruet, quominus valeat ipſi reſiſtere. Quare, vbi vapores ab hac materia putreſcente tolluntur, ſuo lentore pertinaciter adhærent,& infiguntur corporibus proximorum.ad hæc ita hebetant calorem natiuum, vt non poſſit eis reſiſtere. iis conditionibus caret materia febrium putridarum, neque enim ſummè putrida eſt: propterea vapores ipſius non ſunt adeo tenaces & viſcidi, neque ita ſuperat & vincit calorem natiuum, quin ille poſſit reſiſtere. eapropter, etſi vapores putridi à corporibus febrientium mittantur in alios, cum non adhæreant, cum calor natiuus ſanorum ipſis reſiſtat, cóſque diſſipet,iure fit, vt non ſint contagioſi, neque ſimilem morbum pariant in corporibus ſanis.

6. Ad ſextum & vltimum ita reſpondendum arbitror, id, quantum ſit ex ſeſe, peius omnibus eſſe contagium,quod immediato contactu efficitur :poſt hoc,quod per aërem : aliorum minimum, quod per fomitem inducitur .Ratio eſt, quòd in primo non ſolum pars contrectata, verum etiam vniuerſi corporis perſpiratio, atque halitus offendunt, cum qui peſte affectos tractant, neceſſariò iis quoque ſubiiciantur; fomes verò, cum vapores illos peſtiferos non recentes habeat, ſed calore corporis morboſi iam priuatos, & mora quoque non parum retuſos, ac proinde inefficaciores, proculdubio multo minus detrimenti inferre aptus eſt, quàm aër, qui & recentia peſtis ſemina, & adhuc calentia, ac propterea efficaciora prouehit, iugitérque corpori inſerit. Nec refragatur huic noſtræ ſententiæ, quòd vapores fomiti infixi ſint viſcidiores, & iccirco potentius inhæreant, quoniam huiuſcemodi viſciditas, & lentor nequaquam actiuæ qualitates ſunt: & licet facultatem ſecretam veneni magnam ſecum afferre poſſint, ſemper tamen venenum valentius agit, quotieſcunque alicui qualitati actiuæ iungitur, præſertim calori. id perſpicuum fit tam in medicamentis, quàm in venenis, quæ ſi calentia corpus ingrediantur, multo ſunt efficaciora. Huic veritati non minus atteſtantur experimenta,cum innumeri & apud nos, & præſertim apud exteras gentes culcitris, indumentis, aliiſue rebus infectis impune vtantur; multo pauciores autem ſunt, qui aërem à vaporibus è corpore morbido, & peſtilenti manantibus fœdatum in ſeſe trahentes, corporáue ipſa infecta tangentes non contaminentur. Quæ forſan eſt vera cauſa, quamobrem pauciſſimi hiſtorici, ac nullus penè medicus, ſiue Græcus, ſiue Latinus, ſiue Arabs, vſque ad auorum noſtrorum memoriam contagij fomitis mentionem ſcriptis vllam reliquerint.

Quibus modis in peſte Veneta, & Patauina operatum ſit contagium.

CAPVT XV.

HIs de contagio ita conſtitutis, nunc videamus quomodo ipſum in hac peſte præter aërem operatum ſit. Diximus fieri contagium & propter immediatum contactum,& propter fomitem,& per medium aërem. In hac noſtra peſte tribus hiſce modis contagium hanc ſtragem effecit. Primò quidem per contactum, quia non eſt dubium,complures fuiſſe affectos,qui & charitate ſanguinis, & miſericordia impulſi ægros ipſos propriis manibus curarunt: quod quidē olim feciſſe Chriſtianos in quadā peſte ſub Maximino,ſeu Gallo & Voluſiano Imperatoribus, memoriæ prodiderunt & Nicephorus Caſtillus lib. vi. Eccl. hiſtor. cap. xx.& Diuus Cyprianus libro de Mortalitate: cum gentes alioquin , vt ipſi dicunt , proprios filios & fratres deſererent. Non eſt igitur, vt dixi, dubium, quin hoc contagium contactu multa mala fecerit. Non eſt etiam dubitandum , quin fomes multum contulerit ad cladem hanc efficiendam: quandoquidem res plurimæ infectæ hinc inde tranſlatæ, quæ à ſanis tactæ & contrectatæ ipſos infecerunt.quod etiam eueniſſe , memoriæ mandauit Appianus Alexandrinus in bello Illyrico. ſcribit enim , Celtas olim , cum ſuperaſſent Illyricos, ipſorum rebus potitos, fuiſſe peſte infectos , eo quod Illyrici peſte laboraſſent. Sed , vt ego exiſtimo , maximè omnium operatum eſt contagium per medium aërem , quia huiuſmodi contagium multo plures ſimul tangit,& non ſolum multo plures, verùm etiam grauiſſimè,& efficaciſſimè : idque ſolum contagium nouiſſe,aut ſaltem nobis tradidiſſe veteres, iam antè vos docui. Cur autem hoc contagio plures inficiantur, quàm contagio fomitis & contactus , inde eſt , quia , cum ægri continuò peſtiferos vapores expirent,& cum ab ipſorum corporibus continuò mittantur ſpiritus infecti, hi omnes per aërem diſſeminati facillimè,& citiſſimè ingrediuntur in alia corpora,à quibus aër ille neceſſariò continenter attrahitur. ex quo poteſtis facilè intelligere veram rationem,cur integræ familiæ interdum ſint extinctæ , & cur, quemadmodum experientia comprobatum eſt , ex vna domo malum in proximam ſerpat : quia ſcilicet, vbi primum in aliqua domo quis peſte moritur, inficitur ille aër, qui deinde attractus à ſanis illos inficit, & hoc tunc magis contingit, cum domus ſunt anguſtæ,cum cubicula parua:vt facilè aër ille, ob concluſionem, ob paucitatem , totus peſtiferis vaporibus oppleatur. nam ſi apud veteres , quemadmodum legitur & apud Hebræos, & etiam apud Heſiodum, prohibitum erat verſari in illis cubiculis, vbi mulieres menſtruatæ depurabantur, quòd timerent aërem illum infectum poſſe viros inficere , quanto magis debemus nos exiſtimare , periculum eſſe verſari in iis habitationibus , in quibus aliqui ſint peſte correpti , & necati ? Ex quibus poſtmodum cum in proximas quaſque ſerpant inquinamenta, facilè etiam viæ, & vrbes totæ contaminantur : quo fit , vt peſtis ciuitates , oppidáque ſemper magis quàm villas depopuletur,& ex vrbibus eas præcipuè quarum viæ anguſtæ ſunt & concluſæ. & forſan hac in re aliquam commendationem mereretur Nero Imperator, ſi Romam comburendam mandaſſet, vt inſalubritati ex viarum anguſtia & opacitate orienti mederetur:quamquam, vt ſcribit Tacitus xv. Annal. multi vere-

rem Vrbis formam ſalubriorem crederent. Habemus igitur, in hac peſte contagium nocuiſſe, & per contactum & per fomitem, ſed multò magis per medium aërem.

Afferuntur rationes negantium, aërem nihil contuliſſe ad hanc peſtem efficiendam.

CAPVT XVI.

QVæ omnia quamquam vera ſint, non deſunt tamen Venetiis, & Patauij viri etiam præſtantiſſimi, qui in ea ſunt opinione, ſolum contagium in hac peſte operatum eſſe, aëri ipſi ſimpliciter nihil concedunt, nil volunt contuliſſe ipſum ad hanc peſtem efficiendam, immò ferè negant contagium per aërem partem vllam inſignem habuiſſe, ſed duntaxat contagium per contactum, & per fomitem. Vtũtur ad tuendam hanc ſententiam variis ratiocinationibus & variis etiam experiẽtiis. Prima ratiocinatio eſt, quòd in aëre non eſt viſa ea intemperies continua humida & calida, auſtrina, quam ſcribunt medici peſtem ex aëre facere. dicunt etiam non eſſe viſum aërem ita nebuloſum, ita turbidum, ſed potius ſerenum: non viſa eſſe animalia aërea intemperata, quemadmodum ſolitum eſt conſpici, vbi aër ipſe cauſa eſt peſtis. Secundò ratiocinantur, quòd ſi aër fuiſſet origo aliquo modo huius peſtis, cum aër ſit corpus continuum, deberet etiam eius inquinatio continua eſſe: & iccirco, cùm Venetiæ, & hæc noſtra vrbs fuerint infectæ, debuiſſent etiam infici neceſſariò Vicetia, Taruiſium, & ſuburbia omnia Patauina: quod tamen ſcimus non eueniſſe. immò verò dicunt, experientia comprobatum eſſe, loca valde proxima illis, quæ erant peſte affecta, fuiſſe omnino immunia. neque exiſtimãdum eſſe, aut Vicetiæ, aut Taruiſij defuiſſe corpora præparata & diſpoſita, quæ, ſi aër fuiſſet ipſorum infectus, tentata eſſent peſte. Tertiò ratiocinantur, quod ſi peſtis fuiſſet ex aëre, cum hoc venenum fuerit maximum in corporibus, debuiſſet in ipſo aëre maximum eſſe venenum: & ſi fuiſſet maximum, neceſſariò ſtrages fuiſſet multò maior, & multò magis communis. probant autem debuiſſe in aëre venenum eſſe maximum, eo quòd ſemper principia ſunt maiora principiatis. ſemper vbi fit venenum, maius eſt in eo corpore vbi fit primum, quàm in eo, cui à primo communicatur, veluti ferunt de veneno canis rabidi: quod quidem in cane primum maximum eſt, in homine, qui commorſus eſt à cane, minus. quod ſi homo rabidus commordeat alterum, in illo tertio venenum adhuc multo minus eſt. Igitur hoc exemplo dicunt, cum venum peſtiferum in hominibus fuerit magnum, ſi ipſis communicatum fuiſſet ab aëre, in ipſo aëre fuiſſet maximum. Addunt his rationibus plurima etiam experimenta. & primò, non ſolum vrbes, verùm etiam familias omnes, omnes villas fuiſſe ſeruatas ab hac labe communi, quæ ſeſe diligentiſſimè cuſtodierunt à contagio fomitis, aut contactus. Adhæc monaſteria, hoſpitalia fuiſſe immunia huius cladis, quippe quæ ſeſe abſtinuerunt à contagio per contactum, & per fomitẽ. Præterea dicunt, omnes ferè qui peſte correpti ſunt, repertos eſſe aut conſuetudinem habuiſſe cum infectis, aut res aliquas infectas contrectaſſe, aut aliquam aliam occaſionem contagij eſſe nactos. Amplius, & Patauij, & Venetiis, & in his regionibus plurimos eſſe inuentos, qui laborauerint aliis morbis, febre tertiana, febre continua: vt, ſi vitium aëris fuiſſet, debuerint omnino hæc corpora, quę laborarunt aliis morbis, potius peſte tẽtari. Poſtremò dicunt, clarum

clarum eſſe, Venetias primum inuectam eſſe peſtem à quodam Tridentino, qui rebus infectis occaſionem dederit contagij, & ſubinde cum malum penè ſopitum eſſet, iterum recruduiſſe, eo quod à Veneto quodam alio res infectæ ſint contrectatæ, atque inde poſtmodum propagatum eſſe contagium.

Reſpondetur prædictis rationibus.

CAPVT XVII.

SVnt hæc, quibus permoti ſunt multi ad exiſtimandum, hanc peſtiferam conſtitutionem à ſolo contagio natam eſſe. Quorum rationibus vt reſpondeamus, illud ante alia repetendum eſt, in quauis peſte ſemper ob contagium quàm ob aëris vitium plures ægrotare,& interire : idque vel ex eo confirmari poteſt,quòd vbi conſtitutio valde calida atque ſiccca, aut alio modo vehementer intemperata eſt, etſi maximè potens ſit in alterandis corporibus, attamen multo pauciores ægrotant,quàm in peſtilenti ſtatu:nec ob aliud quàm quòd contagium deeſt. Iam verò quod primo loco ab ipſis dictum eſt,ſcilicet non eſſe viſam aëris intemperiem,quę neceſſaria eſt ad generandam peſtem. Vt aliàs docui ex ſententia Galeni primo de Temperamentis c.4.alia eſt peſtilentia magna,alia minor : vt fiat magna peſtilentia, planè neceſſarium eſt,omnia anni tempora eſſe intemperata, calida ſcilicet & humida. vt fiat minor,ſat eſt vnum anni tempus eſſe intemperatum,quale propoſuit nobis exemplum Hipp. Cranonis, in qua conſtitutione æſtas tantùm fuit inſigniter intemperata. Cùm igitur & partem æſtatis & totum autumnum, vt aliàs dixi,habuerimus auſtrinum,cur eſt,vt negemus fuiſſe aliquam in aëre occaſionem? immò verò etiam tempora antecedentia æſtatem fuere inconſtantia, propriam naturam non ſeruarunt:& quamquam illis temporibus non ſit facta peſtis, eſt tamen inchoata, quando ſcilicet ſemina apparuerunt. Sed concedamus non fuiſſe vſque adeò manifeſtam aëris intemperiem : nónne clarum eſt, vt Fernelius ſummæ auctoritatis medicus diſputat, propter occultas cœli vires, aut propter euaporationes terræ etiam ortas eſſe interdum peſtes aëre ſereno ? Quare cum & nos ſtatuerimus, aliquam aëri infixam fuiſſe malam qualitatem, argumentum horum nihil aduerſus nos valet.Multo minus valet etiã,quòd non ſint viſa animalia aërea mortua,quod non ſit viſa ea aëris obſcuritas & turbulẽtia,quandoquidẽ hęc ſigna ſola obſeruatione nobis tradita dũtaxat in magna peſte ſunt petenda: quando ſc. aëris qualitas pernicioſa intenſa eſt,iam verò nos haudquaquam aſſerimus,hanc inimicã qualitatem fuiſſe intenſam, ſed mediocrẽ:quare infirmæ ſunt huiuſmodi rationes. Videatis quæſo Galenum primo de Different.febr.capite quarto,qua ratione dicit ille ſe præcognouiſſe, & prædixiſſe peſtem futuram, non ſanè ex aëris turbatione, non ex huiuſmodi animalibus mortuis, ſed ſolummodo ex hoc ,quòd carbunculi vagabantur, & quod populus iiſdem morbis tentabatur. hæc ſunt certiſſima ſigna, quibus & præcognoſci, & cognoſci debet peſtis ex aëre. Non eſt igitur ambigendum propter hoc, quin hæc noſtra peſtis ortum duxerit ab aëre, & præſertim ab aëre cœlitùs vitiato. dum enim conſidero miros illos effectus, quos,vt ſcitis, his oculis conſpexi, quos manibus ipſis contractaui, non poſſum non continuò affirmare,morbum hunc verè diuinum eſſe. Ad ſecundam horum argumentationem reſpondeo,aërem quidem totum ſibi ipſi continuum eſſe : veruntamen nequaquã neceſſe eſſe,vt vna parte aëris cõtaminata, ſimul & ſemel totus aër contamine

taminetur. id namque ſi verum eſſet, ſequeretur neceſſariò, in omni peſte totum terrarum orbem debere eodem tempore peſte tentari: quod tamen à nemine fuit vnquam memoriæ proditum, vt etiam exemplis demonſtrabo. Cur non ſit neceſſe totum aërem ſimul coinquinari, duæ ſunt potiſſimæ rationes. Vna, quia vires cœleſtes diuerſimodè etiam recipiuntur, nec quiſquam de hac re dubitat. ea-propter non eſt negandum, quin hoc pacto poſſit aër ſecundum ſui diuerſas partes contaminari. Alia ratio eſt, quia, vt dicebam, corrumpitur etiam aër propter terreſtres euaporationes. huiuſmodi autem exhalationes & ventorum, & proprio impetu modò huc, modò illuc impelluntur, & conſequenter modò hanc, modò illam aëris partem vitiant. habetis huius rei luculentiſſima exempla ex imbribus, ex grandine, ex fulminibus: nam videbitis interdum grandinem percutere partem vnam vici, & aliam intactam eſſe.ſic identidem pluuiam, ſic omnes alias aëris impreſſiones.quod non ob aliud fit,niſi quia aër ſecundum ſui diuerſas partes oppletur vaporibus. Si hoc faciunt vapores terreſtres ſimplices, quid obſtat, cur etiam exhalationes peſtiferæ emanantes à terra non poſſint varias aëris partes commaculare? Sed his accedit etiam & aliud, in variis terræ partibus etiam proximis vario modo diſpoſita inueniri corpora.nec eſt quod iſti dicant,non poſſe fieri,vt Vicetinorum corpora ſint alio modo diſpoſita, quàm noſtra, quia poteſt hoc eſſe ex ſecreta illa præparatione quam diximus,& etiam manifeſta: nam ſcribit Hippocr. libro 4. de Morbis, & confirmatum inuenitur à Theophraſto, & à Meſue, differre partem terræ à parte ſibi proxima in producenda bonitate, vel prauitate fructuum. Si igitur corpora inſenſibilia ita diuerſimodè diſponuntur, etiam quòd ſint proxima ratione nutrimenti, quod attrahunt à terra, non debet etiam putari præter rationem, quod corpora diuerſarum ciuitatum etiam proximarum ſint vario modo præparata & prompta ad recipiendas aëris impreſſiones. Illud etiam accedit, non eſſe verum, Vicetiam & Taruiſium prorſus liberas fuiſſe: ſiquidem in iis ſæpius peſtis inchoauit,ſed quia contagium vigilantia illorum qui præſunt,ſtatim compreſſum eſt,nequaquam potuit dilatari. Vnde non eſt mirum,ſi vrbes illæ quæ contagium vitarunt, fuerint immunes:nam & nos ſtatuimus, præter aërem contagium ſuas habuiſſe partes: & illi qui ſolummodo habuerunt aërem inimicũ, facilius euaſerunt, quàm qui habuerunt & aërem & contagium. & ne putetis me inſomnia vobis narrare, quæſo percurratis peſtes omnes relatas apud ſcriptores, nunquam inuenietis peſtem ita graſſatam eſſe, vt vno & eodem tempore vniuerſum terrarum orbem tentauerit, ſed ſemper primò vna pars infecta fuit, deinde alia.ſic narrat Philoſtratus peſtem ſuo tempore perduraſſe 15.annis: ſic etiam Galenus ſuo tempore peſtem perduraſſe narrat. Iacobus etiam de Partibus in commentariis in primam quarti Auicennæ teſtatur,ſuo tempore quinque annis peſtem totum terrarum orbem peruagaſſe: & ſæpe vicos & vrbes illæſis villis laboraſſe: non quod eodem tempore omnes vrbes fuerint obſeſſæ: ſed quia hoc temporis interuallo modò vna pars, modò altera infecta fuit. Videatis, quæſo, apud Euagrium ſcriptorem Eccleſiaſticum eam à me toties relatam peſtem, inter alias conditiones quas ſcribit illam habuiſſe, hanc vnam ponit,quòd non ſimul,neque ordinatè ea peſtis regiones tentauerit, ſed ſine ordine vllo, modò hanc, modò illam inſtar fulminis peruagauerit. addit etiam viſum eſſe plerũque in aliqua vrbe dimidium populi fuiſſe infectum, & aliud dimidium fuiſſe liberum. Si igitur adſunt rationes, ſi luculentiſſima exempla, in aliis peſtibus contigiſſe aëre etiam infecto non fuiſſe peſtem continuam,ſed inordinatè varias vrbes fuiſſe vexatas, cur negare debemus hanc peſtem factam fuiſſe ab aëre, quia Vicetia, quia Taruiſium non

habue

habuerint peſtem? immo etiam, quòd rura proxima Venetiis, proxima Patauio fuiſſent libera,id tamen nullo pacto eſſet negandum, cùm ſit hæc res non ſine ratione, quemadmodum intellexiſtis, neque ſine illuſtriſſimis exemplis. Multo magis admiratione dignum eſt quod refert Thucydides, Athenienſium ſcilicet vrbe lethaliſſima peſte laborante,hoſtes qui extra mœnia agros ferro & igne vaſtabant, eam non ſenſiſſe, atque etiam ipſam Peloponneſum intactam fuiſſe. Quibus volo illud addere,quod Elias Capreolus in annalibus Brixienſibus refert,in ea celebratiſſima peſtes quæ tempore Galeni ſub Marco Antonio Imperatore totam Italiam vexauit, Brixiam, & omnia ipſius ſuburbia fuiſſe intacta, cum tamen peſtis eſſet in omnibus Italiæ regionibus. Idem perhibet Matthæus Villanus de vrbe Mediolanenſi, quæ anno MCCCXLVIII. penè intacta fuit,cùm Italia, atque Europa vniuerſa peſte omnium ſæuiſſima laboraret. Quinimmo non deſunt exempla populorum, qui numquam peſte tentati inueniuntur, vt de Nigritis, ac Moſcouitis relatum eſt, & vt ſcribit Plinius lib. 2. cap. 96. Locris & Crotone peſte numquam eſſe laboratum. Eſt tertia horum ratio. Si peſtis eſſet ex aëre, cum hoc venenum in hominibus ſit magnum, deberet etiam in aëre maximum eſſe, & propterea debuiſſent multo plura animalia,& multo plura hominum genera interire. Dixi, & (ni fallor)clariſſimè demonſtraui,aërem numquam fieri poſſe venenatum, eo modo,quo ſunt alia venena,propter animalium cuſtodiam. Fit quidē,vt aër poſſit eſſe occaſio,& cauſa gignundis venenis in corporibus diſpoſitis. nam Galenus ſecundo de Alimentorum facul.c.6. conſulens abſtinendum eſſe à fructibus, inquit, ex iis congregari in venis prauū humorem,qui capta aliqua occaſione,vel leui, peſtiferos morbos inducit. itaque non valet, venenū hoc magnum eſt in homine,ergo debet eſſe maximum in aëre: quia nemo dubitat ſub aëre æſtiuo generari in corpore humano calores febriles, qui calores maximi ſunt: non tamen propterea ſequitur,vt multo maior calor ſit in aëre. dicebat enim Galenus VIII. de Vſu partiū cap. 2. aërem externum quantumcumque calidum ſemper eſſe frigidiorem cerebro, quanquam cerebrum ſit omnium noſtri corporis partium frigidiſſimum. Eſt quidem hoc verum, quòd vbi in corpore iam genitum eſt venenum, maius eſt, quàm aliud, quod deinceps ab ipſo in alio corpore originem ducat: propterea nihil valet exemplū canis rabidi;immo verò dicam de cane rabido,clarum eſſe apud medicinæ ſcriptores, id veneni genus produci ab immodico aëris calore: eſtne propter hoc inferendum,ergo hoc venenum rabidi canis multo maius eſt in aëre? nequaquam. Hinc autem ratio vera colligi poteſt, ob quam ſemper à contagio in peſte qualibet fiat maior ſtrages, quàm à ſolo aëre: ſi quidem venenum in homine genitum multo potentius eſt ad perdendum qualibet aëris labe, tum propter ſui magnitudinem & efficaciam, tum ob agendi & patiendi aptitudinem, quæ inter vapores peſtiferos à corpore exeuntes,& ipſum ſanum corpus multo maior eſt, quàm inter hoc & ipſum aërem.Quod deinde dicunt iſti, eas vrbes, eos homines, qui ſeſe ab aliis ſeparantes contagium euitarunt,fuiſſe à peſte liberos,& iccirco ſignum clariſſimum eſſe, peſtem factam fuiſſe à mero contagio: certè,niſi fallor, infirma admodum eſt argumentatio. valetne, Ariſtot. non ambulans non docet, ergo non ambulare in Ariſt. eſt cauſa vt non doceat?minimè. ſit hæc argumentatio populi, qui expers eſt penitùs logicæ. nam qui ſeſe vel domi, vel alibi concludentes à cōmuni hominū conſortio ſeparatunt,iure quidem factum eſt, vt fuerint immunes propter multas rationes:& propterea quòd contagium vitarunt,& etiam quia aërem minus cæteris inſpirarunt. qui ambulant, qui laborant, qui ſolliciti ſunt in rebus agendis, clarum eſt eos fieri cæteris calidiores, & propterea opus eſt vt

vt plus aëris hauriant. Nec putetis me hæc ſomniare. Seneca auctor grauiſſimus, lib.v1. Quæſt.nat. cap.27.pecora inquit magis peſte tentari quòd aperto cœlo, & aquis plurimum vtantur. Sed, quod maius eſt, magnus Hippocrates, qui omnia nouit & docuit, v1. Epid. ſect. ſeptima, narrat quandam aëris conſtitutionem, in qua frequenter homines tuſſi & catarrhis corripiebantur: in hac inquit mulieres minus cæteris fuiſſe læſas, eo quòd domo minus viris exirent. dicetiſne hoc fuiſſe,quia ſic contagium vitabant? minimè: quia ille morbus erat quidem Epidemicus,ſed non contagioſus. hoc autem contingebat,quia cum minus exirent domo, minus aëris in ſeſe attrahebant,& propterea minus inficiebantur,quemadmodum etiam in noſtra peſte contigit illis, qui domi ſeſe continuerunt. Multò firmius eſt hoc argumentum:Complures qui euitarunt contagium omni ſtudio,capti ſunt peſte: igitur ſignum eſt non eſſe ex contagio ſolo. plurimos tales fuiſſe, & nos teſtes ſumus, ſi quid eſt nobis credendum, & teſtes etiam ſunt alij grauiſſimi medici,& Patauij, & Venetiis, neque ſolùm medici,ſed etiam viri nobiliſſimi,qui referent vobis, omni ſtudio ſeſe abſtinuiſſe ab omni contagio, & tamen peſte fuiſſe tentatos. Firmitatem huius argumenti cum iſti cognoſcant, dicunt iſtos vel nolle fateri,vel ignorare ſuum contagium,& quod peius eſt,adeò à longè quærunt contagij occaſiones, quò poſſint ſuam ſententiam defendere, vt certè oporteat vapores illos peſtiferos fuiſſe adamantinos, ſi debuerint per tot fomites tranſuecti perdurare. Quæro,cur iſti volunt vt ſi ſibi credatur, quando volunt probare,omnem peſtem natam eſſe ex contagio,& nolunt credere illis qui dicunt,qui iurant,ſe peſtem accepiſſe ſine vlla occaſione contagij? appello vos omnes huius rei iudices. Contigit ſæpè hoc anno, vt cum variæ vrbes fuerint peſte infectæ, vno & eodem die duo millia hominum in tota Europa ſint peſte tentata: vtrum veriſimilius eſt, hos omnes eadem hora contrectaſſe res infectas, aut habuiſſe alias occaſiones contagij,an iccirco fuiſſe peſte affectos, quòd vno & eodem tempore omnes communem aërem inſpitarent? expendatis quæſo hanc rationem,& iudicetis vos. Venetiis experientia compertum eſt, eadem penè die totos vicos Venetiarum fuiſſe infectos: eſtne rationi conſentaneum, id accidiſſe, quia omnes eodem tempore contrectarint res infectas, aut habuerint alias occaſiones contagij, an potius propter aërem communem? Sed illud debet etiam huius rei eſſe clariſſimum argumentum, quia prudentiſſimi illi, & ſapientiſſimi ſenatores poſt multa tentata decreuerunt tandem videre, an eſſet merum contagium, necne. atque ita ſequeſtrarunt dimidium vrbis, vt auferrent omnem contagij occaſionem. tamen experientia docuit, ex eo tempore quo incepit ſequeſtratio, morbum fuiſſe auctum, ita vt coacti ſint abrogare legem. Quod dicunt de monaſteriis & hoſpitalibus, falſiſſimum eſt illa fuiſſe immunia, eo quod non conuerſarentur cum cæteris: vtinam verum eſſet. Patauij quot fuerunt monaſteria infecta, etiam ex illis quæ ſumma diligentia vſa ſunt? monachos Sanctæ Iuſtinæ ſcimus omni exquiſita diligentia vſos eſſe, vt contagium vitarent, & tamen inter ipſos perierunt peſte qui cæteris erant diligentiores. Idem aliis non paucis euenit. Appello etiam hos Reuerendos patres D. Antonij, quorum nonnullos ſcio fuiſſe percuſſos hac peſte, non ſua negligentia, ſed vi cœlitùs immiſſa. Non igitur verum eſt, & Patauij & Venetiis monaſteria, aut hoſpitalia omnia fuiſſe immunia, ne in medium producam Mediolanum,vbi peſtis hoc eodem tempore graſſata,monaſteria omnia tam virorum, quàm mulierum cæteris magis afflixit. Veruntamen, vt hoc etiam illis concedamus: attamen hæc res neque eſt ſine exemplo,neque ſine ratione, quandoquidem Raimund.in li.de Peſte ſcribit, hoc contigiſſe in tractu Auenionenſi,quo tempore

maxima

maxima peſtis graſſabatur,ex aëre,vt ſcilicet monaſteria, & carceres, & hoſpitalia fuerint immunia peſtis ; quoniam qui viuunt in monaſteriis, non adeò liberè aë-rem hauriunt, & propterea non vſque adeò recipiunt vires cœleſtes. Poſſumus adiicere & aliam rationem, quòd hoc genus hominum vtitur potu tenuiſſimo, ſimplici cibo,abſtinent à laboribus, à coitu: quæ omnia faciunt, vt ipſorum cor-pora minimè ſint diſpoſita ad recipiendam peſtiferam labem. Quod dicunt ex-perientia fuiſſe compertum, integras familias ſolo contactu eſſe extinctas, fateor & ego hoc potuiſſe contingere, & fortaſſe contigiſſe: non enim nego contagium partem magnam habuiſſe in hac clade, ita vt plures obierint ex contagio, quàm ex ſolo aëre. veruntamen non valet hæc conſequentia, multi reuera ob conta-gium tantùm ſunt infecti, ergo à ſolo contagio facta eſt hæc peſtis. Dicunt inſu-per, complures eſſe viſos, qui alio morbi genere laborauerint, & in hac ciuitate, & in ſuburbiis, & in villis, quæ proximæ erant infectis. Reſpondeo, hoc quidem verum fuiſſe, ſed in pauciſſimis:pauciſſimos dico ægrotaſſe alio morbi genere Pa-tauij & Venetiis, & in iis locis vbi peſtis graſſabatur: quinimmo inter alia ſigna hoc tradidi vobis, quòd pauciſſimi alio morbi genere ſint tentati, & quòd cæteræ ægritudines in peſtiferas verterentur. Sed quæretis rationem,cur,vbi peſtis eſt ab aëre,inueniuntur alij quæ ægrotant alio morbo. Iam dixi,corpora quæque,vt do-cuit Auicennas, habere quandam proprietatem præparationis ad peſtem, aliam verò ad alios morbos. & hac ratione potiſſimum vtebatur Fernelius ad proban-dum, in morbis peſtiferis vim arcanam & penè diuinam eſſe. Quid poſtremo lo-co dicemus de origine huius peſtis, quam dicunt omnes primùm tractam eſſe ab illo Tridentino, & deinde recruduiſſe ob occaſionem cuiuſdam Veneti? Inuenio hoc etiam in pleriſque peſtibus contigiſſe, vt populus potius terram, quàm cæ-lum aſpiciens, cauſam peſtis referret in aliquam humanam conditionem. Athe-nienſes, vt narrat Plutarchus in vita Periclis, attribuerunt cauſam illius maximæ peſtilentiæ Pericli, quòd is agreſtem multitudinem intra vrbem cogens, dediſ-ſet illi occaſionem. eam etiam quæ viguit eo tempore, quo Galenus ſcribebat li-brum de Præſagiis ex pulſibus, librum de Medicamentis ſimplicibus, & librum Methodi, multi exiſtimarunt, vt refert Iulius Capitolinus, aduectam eſſe in Ita-liam à Lucio Vero Imperatore, anno MCCCXLVIII. Quando peſtis ma-xima has regiones inuaſit, populus arbitratus eſt, Patauium à quodam Veneto peſtem fuiſſe aduectam, vt referunt quidam, qui eo tempore annales Patauinos ſcripſerunt. Ita, ſi percurratis hiſtorias, videbitis ſemper populum inueniſſe ali-quam occaſionem humanam. quocirca fieri poteſt, vt & ille Tridentinus infectus ſit, atque eo tempore ſimul inciperent ſemina peſtilentiæ in aëre: nam veriſimi-le eſt, eo tempore etiam plures alios Tridentinos, & infectos, in alias regiones iuiſſe, nec tamen illas infeciſſe: quia ſcilicet nondum in illis regionibus aër incipiebat inquinari. Eſt oppidum, vt ſcitis, in agro Patauino, Plebis Sacci; eò tota hac æſtate & Veneti & Patauini cum omni genere ſupellectilis ſe rece-perunt, nec vlla vnquam adhibita fuit cuſtodia; veruntamen peſtis ibi nun-quam apparuit, niſi circa menſem Octobris; quo ſcilicet tempore iam auſter reg-nabat. quod clariſſimum indicium videtur eſſe, tunc incepiſſe etiam ibi pe-ſtem vagari, quando aër inficiebatur. Sed demus Tridentinum illum de-diſſe tunc occaſionem peſti: dico vtique potuiſſe fieri, vt ea peſtis (ſi peſtis vocanda eſt) fuerit ex ſolo contagio: exigua enim admodum fuit, nec eſt pro-pagata: nam quotieſcunque peſtis fit ex contagio ſolo, non ita dilatatur: reſtrin-gitur ſtatim, & cum eo tempore prudentiſſimi Senatores Veneti vſi ſint omni diligen

diligentia,extincta fuit, fortaſſe quia ſolum erat contagium , & per duos menſes aut tres omnino libera fuit ciuitas. Menſe Martio inchoauit denuò,& quod dicūt iſti occaſionem accepiſſe ex illo Veneto,multi dicunt hoc falſum eſſe.id verò apud me firmiſſimum eſt argumentum , quòd cum eo tempore Senatus Venetus omni diligentia vſus ſit vt tolleret totum contagium,ſicut antea illud extinxerat, ita etiam tunc multo magis extinxiſſet,ſi fuiſſet ſolum contagium: tum quia experientia docti diligentiores fuerunt : tum quia malum circa illa initia admodum debile & exiguum erat. quare,cum diligentiſſimi fuerint eo tempore , & omnem lapidē, vt aiunt,mouerint, vt abolerent contagium, & id fieri non potuerit,immo potius viſum ſit malum cepiſſe incrementum,euidentiſſimum eſt argumentum apud me, huiuſmodi malum non à ſolo contagio , ſed ab aëris inquinamento originem habuiſſe. Nec ea quidquam ratione moueor , quam veluti Achillem obiiciunt , ad medicos ſcilicet ea duntaxat quæ ſenſibus exponuntur ſectantes, minimè pertinere,vt arcanas cœli vires,aut occultos ſiderum influxus perquirant:quoniam & ab ipſis ego peto, vt pacatè decernant,quos medicos ſequi velint, an recentiores , an veteres.non puto recentiores eſſe amplexuros,tum quia Fracaſtorium,Fernelium, & alios complures magni nominis medicos habent , qui ipſos facilè conuincant, tum quia veteres ij ſunt , quos tanquam legitimos medicinæ parentes ob peritiam incomparabilem,atque iamdudum acquiſitam auctoritatem, ſequi conuenit. Itaq; ad hos confugiendum erit.Iam verò Hippocratem, Auicennam, atque Arabas ferè omnes explicatiſſimè cœli vires,& influxus inter peſtilentiæ cauſas collocaſſe cōpertum eſt.Sed poſtquam probatiſſimis adhærere,vti par eſt,volunt, quæſo vnum alicuius inter veteres dignitatis medicum oſtendant , qui peſtem à ſolo contagio poſſe fieri , aut præclarè, aut obſcurè vnquam prodiderit, cogitaueritue: & protinus libenter cedam. Quare non eſt vt hoc argumento , quod contra ipſos maximè omnium facit , aduerſus nos vtantur. Gratiſſimum erit mihi , vt omnes docti videant has meas rationes , examinent diligenter : quia,cum hæc res ſit maximi momenti, optatiſſimum erit ſemper mihi, vt veritas inueniatur , ſi tamen veritas inueniri poteſt in re adeo ſecreta,& diuina.

Quare & quomodo facta fuerint accidentia,quæ in has,& etiam aliis peſtibus euenerunt.

CAPVT XVIII.

Cauſis peſtilentiæ hunc in modum conſtitutis & demonſtratis , iam ſtrata apparet via inueniendi rationes , propter quas tot & tanta videantur accidentia in peſtilentia , quot & quanta noſtra in hac conſtitutione conſpeximus. Etenim aër peſtifer,vt ſcribit Galenus 1. de Diff. feb. ſeu vapores illi putridi peſtiferi per contagium intra corpora parata tracti, primum cor ipſum aggrediuntur, quaſi vitæ noſtræ arcem,& vt ſunt vitæ maximè inimici,cordis ipſius calorem natiuum, temperamentum,& totum ſtatū perturbant, ac à ſua naturali conſtitutione remouēt:quod neceſſariò deinde cōſequitur ingreſſus caloris præternaturalis,qui & ſpiritus & humores feruefaciens, facit febres communicato calore toti corpori. hoc dico vt plurimum contingere , quia etiam interdum à veneno prius iugulantur

homines

homines, quàm tempus & locus concedatur putrefactioni & accenſioni: atque tunc mortes contingunt ſubitaneæ ſine vllo ſigno, ſine vllo ſymptomate, quemadmodum aliquæ conſpectæ ſunt in hac conſtitutione: quemadmodum veriſimile eſt contigiſſe Romæ in ea peſte ſub Romulo, à Dionyſio Halicarnaſſeo lib. 2. memorata, in qua, vt ſcribunt, Plurarchus in Romulo, & Zonaras ſecundo Annalium, homines ſtatim abſque morbis peribant. Narrat Iacobus de Partibus in commentariis ſupra primam quarti Auicennæ cap. de peſtilentia, in peſtifera conſtitutione, quæ fuit ætate ſua, interdum ægros ad ipſum cum vrinis acceſſiſſe, quos tangebat, atque inueniebat ſine febre, ſine vllo graui ſymptomate, qui tamen (dicit ille) aut ſtatim interibant antequam diſcederent ab ipſo, aut paulo poſt. hoc autem, vt dixi, contingebat, quia venenum in corpus attractum prius occidebat, quàm fieret incendium & putrefactio. Vbi calor præternaturalis depopulando humores inducit febres, huiuſmodi febres aut ſunt ardentes intus & extrà, aut tepidæ intus & extrà, aut intus ardentes, extrà verò tepentes. non fiunt enim febres intus tepentes, & extrà ardentes, eo quia in omni febre ſemper maius incendium eſt circa cor, quàm in vlla corporis parte. focus enim & fomes ipſius febris eſt locus circa cor. Fiunt febres peſtiferæ ardentes intus, & extrà propter ingentem & latam putredinem, quæ non tantùm exurit interiora ipſa, ac in magnis vaſis facta eſt, verùm etiam propagatur in extimas partes, & in minima omnia vaſa. Fiunt febres tepentes intus & extrà, quotieſcunque venenum multo maius eſt quàm ſit ipſa putredo. Vnde poteſtis colligere, non eſſe ſemper verum, vt dixerunt aliqui, febres peſtiferas à ſumma putredine oriri: quia, ſi hoc verum eſſet, neceſſarium foret ſemper maximum incendium in penetralibus corporis: quod tamen non eſſe verum, & Galeni auctoritas 9. de Simpl. medicam. capite de Bolo armeno, & Auicennæ ſententia quarta primi, capite de Febre peſtilenti ſatis apertè docent, qui ſcribunt, febres peſtiferas calorem mitem & placidum frequenter habere, loquentes de interno & externo calore. Fiunt febres peſtiferæ ardentes intus, & extrà tepentes, vel, vt dicit Hippocrates primo de Morbis, eo quod exſiccatæ ſunt humiditates extimæ, quibus aſſumptis cum deficiat pabulum calori natiuo, neceſſariò is minuitur: vel quia, vt dicebat Gal. quarto Aphoriſ. 48. cum incendium magnum ſit in corporis penetralibus, eò retrahitur vniuerſus corporis penè ſanguis, quo priuatæ exteriores partes neceſſariò tepent. Has deinde febres ſequuntur pulſus, quos dixi, debiles & frequentes: debiles, quia cordis vires à veneno ſunt hebetatæ: frequentes & parui, propter neceſſitatem refrigerationis, & propter incendium. Fiunt etiam interdum pulſus ſimiles ſanis, vt dicebat Auicennas, quia venenum quidem maximè afficit cor, non autem putredo. In his febribus ſemper cordis facultas aduerſus materiam venenatam pugnat: ex hac pugna deinde, vt videbitis, tot ſæua ſymptomata contingunt. Si ſuperetur facultas naturalis cordis, ita vt non poſſit venenum ipſum vllo modo propellere, neque etiam aggredi, contingit mors ſubitanea ſine vllo ſigno, ſine vlla excretione, moriuntur tanquam percuſſi à Deo. Si autem natura, aut facultas cordis propellat ipſam venenatam materiam, in propulſione aut ſuccumbit, aut ſuperat. Si ſuperat, ægri ſeruantur cum ſignis aliquibus: nam interdum cum larga ſanguinis profuſione, interdum cum copia vrinarum, interdum cum copia carbunculorum, interdum cum bubonibus ipſis. Si autem propellat quidem facultas cordis venenum à ſeſe, ſed deinde ſuperetur, pereunt ægrotantes cum ſignis aliquibus, quæ ſigna varia & diuerſa ſunt, quemadmodum nunc docebo. nam materia venenata, quæ propellitur à facultate cordis, (notate hæc, quia habetis veluti tabulam ante oculos

omnium ſymptomatum) aut eſt materia vaporoſa, aut ſunt humores. Si materia ſit vaporoſa, vel propellit ad caput, quod ferè facit, vel ad alias partes. Si ad caput, & illud ſit repletum pituita, hac colliquata vapores illi modò ſopores inducunt, modò pituita liquata miſſa ſubtus aures parotides inducit. Si vapores illi alioquin acres, & feruidi membranas cerebri percellant, dolores capitis inducunt: & cum temperaturam cerebri conturbent, vigilias inducunt, interdum dementationes, deliria, obliuiones. & quia permiſti ſpiritibus animalibus eos perturbant, motus impotentiam pariunt, quemadmodum etiam tranſmiſſi ad aures iſti vapores, aut ad oculos, tinnitus & viſus vitia faciunt. Si propellantur ad ventriculum, cum ſint venenati & inimici naturæ, nauſeas faciunt, inappetentias, quæ inappetentiæ vſque adeò magnæ ſunt interdum, vt dixerit Galenus tertio in tertium Epidem. multos eſſe repertos, qui potius elegerint mori, quàm cibum cápere. Si humores propellantur à facultate cordis, aut ſunt craſſi, aduſti, & mordaces: aut craſſi quidem & aduſti, ſed non mordaces, aut ſunt ſubtiles & acres. Si humores ſint aduſti, craſſi & mordaces, faciunt carbones, prout ſcilicet in varias, atque diuerſas partes hæc materia propellitur. hi carbones ſi magni ſint, & copioſi, ſalutares vt plurimum ſunt, ſi ſint parui, ita vt pauca ſit materia, ſunt magis lethales. ex hac materia fiunt etiam phlyctenæ, fiunt & varia vlcuſcula. Si craſſos humores natura propellat, qui exuſti quidem ſint, ſed nequaquam mordaces, tumores fieri ſolent modò ſub axillis, modò ſubtus aures, modò in inguinibus. & prout materia magis vel minus copioſa eſt, ita etiam ſolet inducere modò maiores, modò minores tumores. ab humoribus copioſis aduſtis & craſſis fieri tumores peſtiferos, lucu- lentiſſimum teſtimonium habetis apud Procopium libro ſecundo de bello Perſico, qui, vt ego vidi in contextu manuſcripto, refert, in ea peſte medicos, omnia remedia iam expertos in vanum, voluiſſe tandem explorare tumorum naturam, atque ita ſectis cadaueribus inueniſſe in tumoribus craſſos & exuſtos humores. Si humores, qui propelluntur à natura, fuerint ſubtiles, aut expelluntur à ſanguine ſeparati, aut ſanguini permiſti: ſi à ſanguine ſeparati, expelluntur in ventrem, quem ventrem dicebat Hippocrates in libro primo de Diæta, inſtar maris ab omni corpore recipere. Si itaque expellantur hi humores per veſicam, & copioſæ, & turbatæ, & ſubiugales fiunt vrinæ: ſi per aluum, fiunt fluxus, colliquationes, dyſenteriæ, quibus plurimos ſublatos eſſe in ea conſtitutione narrat Hippocrates tertio Epid. ſi autem per os, fiunt vomitus crudi relicti. Per vomitum autem, & per receſſum ſolent etiam expelli vermes, vt viſum eſt in hac conſtitutione: non quòd vermes eo tempore gignantur, ſed quia prius geniti in corpore, vi veneni extruduntur, nonnunquam mortui, nonnunquam viuentes. Si humores ſubtiles expellantur permiſti ſanguini, aut ſurſum expelluntur, atque ita fiunt modò ſtillæ ſanguinis à naribus, quæ ſunt mortales, modò fluores ſanguinis magni, quibus ſolent ſeruari ægrotantes. Si verò expellantur humores ſanguini permiſti per cutem, aut ſunt pauci, aut copioſi. ſi ſunt pauci, exeuntes à venis per διαπήδησιν, hoc eſt, rarefactis ipſis vaſis, faciunt illas maculas paruas rotundas, ſed ſi copioſi fuerint, quemadmodum dicebat Stephanus Athenienſis in commentariis ſuper primo Prognoſticorum textu quinto, venæ paruæ in cute diſrumpuntur præ multitudine ſanguinis. his diſruptis, ſanguis ſubtus cutem firmatur, vbi maculas illas latiſſimas, vbi vibices illas, quæ in viuis & in mortuis apparent, inducunt. Sed de huiuſmodi maculis anno elapſo habuiſtis à nobis copioſiſſimam tractationem. Cur autem Stephanus Athenienſis loco citato dixerit huiuſmodi ægros maculatos fuiſſe vocatos ab Hippocrate primo de Acutis textu trigeſimo quinto, βλητοὺς, id eſt, perculſos,

cuſſos,ſeu caſtigatos à Deo,ſanè rationem ignoro: quandoquidem Hippocrates eo in loco non loquitur de huiuſmodi corporibus maculatis, ſed ſolummodo de iis, qui latus ex pleuritide commaculatum habent,quos dicit à vulgaribus vocari percuſſos. Habetis itaque rationem, & modum generationis omnium accidentium, quæ contigerunt in hac noſtra peſte,& in aliis etiam contingere ſolent.

Rationibus & exemplis oſtenditur, ſperandum eſſe, Venetam & Patauinam peſtem omnino extinctam eſſe, nec amplius renaſcituram.

CAPVT XIX.

SEquitur,vt quintum caput aggrediamur,in quo polliciti ſumus explicare,quid in poſterum ſperandum,vel timendum ſit.Inuaſit enim, vt ſcitis, magnus quidam timor omnium animos, fore, vt ineunte vere iterum hæc immaniſſima fera depopuletur noſtras regiones. Et, quamquam ſcriptum ſit ab Hippocrate in limine ſuæ medicinæ, iudicium difficile eſſe,fuit tamen Philoſophorum omnium, & medicorum ſententia, homini vim quandam inſitam eſſe, & prænoſcendi futura, & diuinandi interdum. Multa autem apud Plutarchum in Platonicis quæſtionibus, & apud Sextum Empiricum in Pyrrhonicis diſceptationibus proponuntur inſtrumenta, quibus de futuris & præſentibus homo iudicare pôteſt, quæ Græci κριτήρια nuncupare conſueuerunt. Sed Philoſophorum placita dimittentes, vtemur illis inſtrumentis ad hoc iudicium ferendum, quibus vti conſueuerunt medici. Sunt autem hæc duo, quæ aliàs conſueuit Galenus appellare Medicinæ crura,nimirum ratio, & experientia. ratio tota eſt in diſcurſu fundata, experientia à ſenſu & ab exemplis dependet. Tria in hoc iudicio ſtabiliendo ante cætera proponere vobis volo. Vnum eſt, ſperandum eſſe in his noſtris regionibus peſtem non eſſe reuerſuram proximis annis. Alterum eſt, aliis vrbibus & locis, quæ hæc peſtis hucuſque non inuaſit,periculum imminere, ne proximis annis ab hac labe inficiantur. Tertium eſt, vt reliquiæ mali,alioquin perduraturæ, ſuperentur, & omne periculum à noſtris ceruicibus adimatur,magnopere collaturum eſſe, ſi diligenti ſtudio omnis occaſio contagij auferatur. Hæc ſuppoſita, ne tanquam oracula protuliſſe videar, demonſtrare & comprobare conabor tum ratione, tum etiam experientia. Si formidandum eſſet, ne iterum peſtis redeat, timendum eſſet aut propter aërem, aut propter contagium, aut propter corpora parata. Non eſt timendum propter aërem, quia iam ex effectibus ipſis clarè conſpicimus, fulmen illud cœleſte quo tacti ſumus, ferè ex toto extinctum eſſe.neque etiam conſtitutio manifeſta præſentis anni ea eſt,quæ ſua natura poſſit nobis futuram peſtẽ comminari.Dico fulmen cœleſte iam ferè defiiſſe in nos:quia,ſi quid videtur hoc tempore reliquum eſſe mali, id totum eſt adeò paucum,adeò apertum & exile, vt ferè certum eſſe poſſit vnicuique non à cœlo dependere,ſed potius ex contagio, & ex erroribus humanis. Eſt quidem in Dei Opt. poteſtate, etiam iterum hunc noſtrum aërem contaminare:non nego hoc fieri poſſe: verumtamen quantum naturalis patitur diſcurſus, potius eſt ſperandum, Deum Optimum ſua benignitate vſurum erga nos,qui poſt flagella conſueuit etiam miſericordia vti. Neque eſt timendum

propter contagium: quia ſi contagium aliquod inſigne malum facere debuiſſet, non vſque adeò imminutum eſſet, quemadmodum apparet. Demonſtro. Iam ferè ſunt tres menſes, ex quo cœpit hæc peſtis declinare: vbi homines ſenſerunt inclinationem, vidiſtis quanta licentia vſi ſint, quàm liberè ſint ſimul conuerſati, quomodo non abſtinuerint ab omnibus rebus tractandis. Si igitur timendum fuiſſet de contagio, debebat continuari malum, non ita imminui vt imminutum eſt: eo magis, quòd quemadmodum videbitis, vbi malum continuandum fuit in aliis regionibus, non vſque adeò vnquam fuit imminutum. Hæc etiam eſt potiſſima ratio, qua poteſtis intelligere, hanc peſtem non fuiſſe ex puro contagio: quia data eſt illi magna occaſio & Venetiis & Patauij: nihilominus quanto maior fuit occaſio, tanto magis imminutum eſt malum. Si igitur hactenus contagium nihil potuit efficere aduerſus mali inclinationem, tanto minus timendum eſt in poſterum: tum quia vi frigoris, longitudine temporis extinguetur omnis vis contagij: tum quia prudentiſſimi viri, qui curæ valetudinis vrbis ſunt præpoſiti, omni ſollicitudine vtentur ad amputandas omnes occaſiones: tum poſtremò, quia iam omnes ſatis ſupérque experientia docti ſciént, qua arte, & quo ſtudio ſeſe poſſint conſeruare à contagio. Non eſt timendum à proprietate corporum præparationis, quandoquidem quæ proprietatem hanc habeant, aut omnia, aut maxima ex parte ſunt extincta. Accedit his omnibus, quòd morbus hic vniuerſalis ſua etiam tempora habet, quemadmodum & morbi omnes particulares, nimirum principium, augmentum, ſtatum, & inclinationem. vbi hæc tempora ſunt exacta, iam morbus dicitur finitus, idque in vnoquoque morbo particulari compertiſſimum eſt. Iam verò habuit hic morbus vniuerſalis ſuum initium ſatis longum, habuit augmentum, præteriit ſtatus, habuit declinationem. itaque colligendum eſt, iam ex toto, vel ſaltem maxima ex parte, finitum eſſe. Hoc idem experientia & exemplis confirmari poteſt. Non eſt negandum, in multis locis peſtem & biennio, & triennio etiam perduraſſe. habetis exemplum illius celeberrimæ Athenienſis, quæ, vt narrat Thucydides libro tertio, durauit tribus annis Athenis, ita vt ea ciuitas à nulla re magis afflicta ſit. Romæ etiam, vt eſt apud Liuium, tribus interdum annis durauit. relatum etiam eſt Mediolani per plures annos duraſſe peſtem. hoc inquam clariſſimum eſt, ſed, vt ego diligentiſſimè obſeruaui, rarò, quando peſtis diu durauit, habuit remiſſionem vllam inſignem, ſed continuauit malum ſemper, licet remiſſiones habuerit aliquas: & hoc clarè videre eſt apud Thucydidem loco citato. quod ſi fuit alicubi magna, quæ aut inſigniter ſit remiſſa, aut deleta, nunquam, aut quàm rariſſimè rediit. habetis huius rei exempla domeſtica. Venetiis, & Patauij ſæpè viguit peſtis, & inſignis, ſed vix vnquàm annum integrum durauit, & cum ſemel abiit, non amplius rediit. MCCCCLVIII. inchoauit peſtis Venetiis menſe Martij: habuit ſuum vigorem menſe Aprilis & Maij: menſe Iulij cœpit declinare, extincta eſt ſub finem Auguſti, nec amplius rediit. Quinimò Matthæus Villanus, peſtis illius ſpectator, & narrator, primo Hiſtoriarum nullibi ferè quintum menſem præteriiſſe ſcribit, cum tamen tradat omnium ab orbe nato ſæuiſſimam fuiſſe. Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo octauo fuit iterum ingens peſtis Venetiis, & in his regionibus: incepit principio æſtatis, vigorem habuit in autumno, hyeme declinare cœpit, atque tandem deſiit. quo tempore cœpit ſapientiſſimus ille Senatus Triumuiros valetudinis tuendæ creare, atque etiam res infectas concremare. MDXXVIII. vexata eſt iterum hæc regio maxima peſte, quæ durauit tribus, vel quatuor menſibus, ſatis magna multitudine hominum extincta: tamen deſiit, nec amplius rediit. MDLV. fuit etiam peſtis:

ſtis in his regionibus,licet non inſignis:deſiit,nec reuerſa eſt. Scio hîc aliquem dictum,nónne anno præterito fuit peſtis,quæ videbatur hyeme præterita deſiiſſe, & tamen rediit? non poſſum exiſtimare, Auditores, appellandam eſſe eam peſtem, in qua vix duo, aut tres peribant ſingulo die, erant fortaſſe initia quædam peſtis;ſed non erat peſtis.Si igitur in aliis peſtilentiis obſeruatum eſt hoc, vt nunquam ſint reuerſæ,cum homines vel nulla, vel multo minore vtebantur diligentia quàm nunc, quanto magis debemus nos ſperare,non reuerſuram eſſe, quando non deſiit ſtudium, non ſollicitudo, & multa remedia ſunt adhibita, quæ aliàs nunquam fuere in vſu? Cur autem fiat, vt poſtquam peſtis magna ſemel aliquam regioné depopulata eſt,non amplius reuertatur, cauſa ſatis perſpicua eſt.Primum, quia cœli vires deficiunt,ſine quibus non fit peſtis inſignis.Præterea idem contingit in magnis peſtilentiis,quod in illis qui ſemel paſſi ſunt peſtem, vt de ſua retulit Thucydides,& qui ſemel paſſi ſunt quartanam:quos experientia comprobatum eſt non ita citò;aut nunquam iterum illis tentari. aſſignant medici huius euentus rationem, quia euacuatur & conſumitur tota illa materia, quæ erat fomes mali: qua conſumpta nihil amplius remanet, ex quo poſſit nouus morbus excitari. Pari pacto cótingit in regionibus iſtis,quæ ſemel vexatæ peſte,vbi poſtmodum illa ſunt liberatæ,non niſi multos poſt annos iterum tentantur, eo quod ea omnia corpora conſumuntur quæ habent in ſeſe fomitem & præparationem ad peſtem. Quam etiam ob cauſam illi quoque habitiores, & ſpecioſiores è valetudinariis redeunt, qui & morbi diuturnitate, & humorum prauorum conſumptione ſunt à malo perfectè liberati.Non eſt ergo vſque adeò pertimeſcendum de reditu huiuſce morbi. Cur verò timeam aliis vrbibus, & locis quæ non ſunt hucuſque peſte vexata, ratio hæc eſt,quia cum contemplor curſum huiuſce peſtilentiæ, certè videor videre,hoc fulmen,ſicut nos reliquit,ita eſſe percuſſurum ferè vniuerſum orbem: nam annis elapſis vrbs Conſtantinopolitana vexata eſt, in Siciliam deinde tranſiit malum,poſtea Tridentum,Verona,deinde Mantua,hoc anno Venetiæ, & Patauium, & poſtremo Mediolanum ſenſerunt huiuſmodi iacturam. Tranſiluania, magna etiam pars Germaniæ vexata eſt; &, quod ad rem aliquid facit,ex Oriente in Siciliam,atque inde in Italiam tranſiit:vt etiam feciſſe eam peſtilentiam, quæ ſua ætate vniuerſum penè terrarum orbem, ac præſertim Italiam totam grauiſſimè afflixit,memoriæ tradidit Matthæus Villanus. Ad hæc me valdè terret peſtis illa relata à Nicephoro,& ab Euagrio,quæ cum habuerit ea omnia ſymptomata, & omnes eos morbos quos expertæ ſunt hæ noſtræ regiones,fit,vt timeam, ne etiam in hoc ſimilis futura ſit.Referunt enim ſcriptores illi,nullam terrarum orbis partem penè fuiſſe intactam, ſed aliquas vrbes funditus ferè eſſe deſtructas: in aliquibus fuiſſe peſtem,ſed ſtatim abiiſſe: in nonnullis multas familias penitus deleuiſſe, in aliquibus, vna vel altera familia tantùm deſtructa reliquas incolumes permanſiſſe.addunt etiam hoc nouum fuiſſe in ea peſte, vt aliqui ex infectis regionibus in ſanas abeuntes ſoli malo tentarentur, interdum verò alios etiam contaminarent. Si totam faciem illius peſtilentiæ maximæ, atque alterius à Ioanne Boccacio & Matthæo Villano deſcriptæ cum hac noſtra conferatis, omnia penè videbitis eueniſſe.Illud vnum ſupereſt,vt in hoc etiam noſtra ſit ſimilis illi, quòd omnes vrbes tangat, præſertim eas quæ ſunt populo frequentiores: vt poſt Athenienſem contigiſſe narrat Thucydides. Oro tamen enixè Deum Opt. Max. vt hunc meum timorem vanum & irritum reddat.

Proponitur curatio peſtis, & docetur, quid oporteat Principes, & Reſpublicas facere, antequam adueniat peſtis.

CAPVT XX.

CVm obſeruatum ſit,aduerſus peſtem medicinam, aut vllam artem humanam nihil poſſe,ſatius fortaſſe eſſet,curatione illius dimiſſa, fruſtra vos non detinere,eo magis quòd hæc videtur eſſe peſtis natura, vt maiorem partem ægrorum perdat,nulliſque remediis cedat, &c, vt inquit ille,

——— In ipſos ſæua medentes,
Erumpit clades,obſùntque auctoribus artes.

Veruntamen, vt dicebat M. Varro in primo de re ruſtica cap.quarto, etſi ſalubritas,quæ ducitur à cœlo & à terra, non ſit in poteſtate noſtra,ſed naturæ, multùm tamen eſt in nobis, quòd quæ ſunt grauiora, poſſumus diligentia noſtra facere leuiora.Ob hoc itaque iis,quæ hactenus de peſte dixi,etiam auxilia aduerſus ipſam addere decreui. Sed quia peſtis duplicem ſpeculationem habet, alteram prout eſt communis morbus, atque in populum graſſatur, alteram verò prout priuatum quemque occupat:hinc fit,vt auxiliorum etiam pars pertineat ad Principes,ac Reſpublicas, pars verò ad vnumquemque priuatum.Eapropter, vt hæc pars à me perfectè tradatur,dicam primùm,quæ præſidia ſint expectanda à Principibus, deinde, quæ debeat vnuſquiſque adhibere. Sunt quæ Principes præſtare debent aduerſus peſtem,alia agenda antequam adueniat,alia cum graſſatur, alia poſtquam abiit, & in iis omnibus tria ſemper ſpectare debent,aërem,contagium,& corporum præparationem. Aër verò,vt intellexiſtis,partim cœlitùs vitiatur, partim verò à terra malum ſuſcipit.quòd ad vitia cœli pertinet,nihil aliud agere debent Principes & Reſpublicæ, niſi ſtatim ad Deum Optimum Maximum, omnis miſericordiæ fontem confugere,qui ſolus vitia aëris à cœlo adimere poteſt.id factitaſſe maiores noſtros, & Galenus noſter docuit, & hiſtorici penè omnes teſtantur. In reliquis debent ante cætera optimi Principes & Reſpublicæ euigilare,vt vrbis viæ omnes diligentiſſimè mundentur, cloacæ, quarum immunditiæ (ait Vlpianus) cœlum peſtilens, & ruinas minantur, paludes, ſtagna depurentur,& quidquid fœtorem, putredinem, aut ſitum vllum parere poteſt, omnino extirpetur. ab his enim omnibus intellexiſtis maximè aërem vitiari. quo fit, vt ſublata hac occaſione, multum ſperandum ſit de aëris bonitate. Auctor enim eſt Laërtius in Empedoclis vita, eum à Selinuntiis peſtem,quæ ex adiacentis fluuij fœtore eos inuaſerat,auertiſſe, duobus quibuſdam ex vicinis amnibus proprio ſumptu in illud immiſſis. Vigilandum eſt quoque,vt intra vrbes venti ſalutares tantùm admittantur. id fieri poteſt obſtructis montium fiſſuris, per quas perflant venti peſtiferi. ita namque ferunt Empedoclem Agragantinum patriam ſuam à peſte ſeruaſſe. adhæc, vt optimi venti admittantur prouidendum eſt, vt per totam vrbem eæ feneſtræ ſint adapertæ, quæ Aquilonem admittunt,ſint autem occluſæ & obſtructæ, quæ ventos aduerſos.Narrat M. Varro, ſe Corcyram Inſulam ab imminente peſte liberaſſe, obſtructis iis feneſtris,quæ auſtrum ſpectabant, & adapertis iis,quæ ad Aquilonem vergebant. Dixi vobis, auſtros eſſe eos, qui peſtes aduehant: vt iure ſcriptum ſit à

Plinio

Plinio lib. 7. cap. 50. obſeruatum eſſe, ſemper à meridionalibus partibus peſtem in occidentem ire. Circa contagium euitandum debent quoque ſolliciti eſſe Principes. ante cætera cauendum eſt, ne ex infectis regionibus vlli aduenìant. Audiuiſtis quid contigerit in ea peſte relata ab Euagrio, ſcilicet plerumque aliquos ex infectis diſcedentes, & in vrbes ſanas abeuntes, eas totas contaminaſſe. quòd ſi aliqui adueniunt, ij tantiſper ſunt extra vrbem detinendi clauſi, donec certum ſit, eos integros & ſanos eſſe. Pari pacto diligentiſſimę ſtudendum eſt, ne intra vrbem admittantur vllæ res ex iis præſertim quas docui fomites eſſe peſtis. neque ſanè exiſtimo ob aliud antiquitùs peſtes adeò ſæuas & publicas fuiſſe, niſi quòd aut nullam, aut exiguam contagij curam gerebant, cum non ſolum rerum infectarum nullam curam haberent, verum etiam ægros à ſanis (quantum ego memini) nequaquam ſepararent. Nec eſt mirum, ſi hodie etiam exteræ nationes aliquæ frequenter peſte tentantur, quòd negligentes omnino ſint in euitando contagio, quod quidem intellexiſtis ſemper in omni peſte maiorem ſtragem facere, quàm aërem ipſum. Circa corporum diſpoſitionem debent quoque Principes diligentes & ſolliciti eſſe: & ante cætera curandum eſt, vt annona copioſa ſit, vt pauperes habeant vnde ſeſe poſſint ſuſtentare. nam & Galenus, & Auenzoar, & complures hiſtorici narrant, peſtes ortas eſſe ſæpenumero non ob aliud, niſi quòd populus ob annonæ charitatem cogeretur veſci prauis cibis. Intellexi quaſdam nobiliſſimas vrbes, vt populus aleretur, artium opera auxiſſe. quod quidem non magnopere commendare non poſſum, quandoquidem ita populus, dum lucratur ex artibus, facilem etiam victum ſibi comparat, nec ab vrbibus & locis ſuſpectis res, vnde manu pretia ſibi quærat, clam congerere curat. fructus praui, praua edulia ſunt ab vrbibus omnino arcenda. Refert quandam peſtem Dionyſius Halicarnaſſeus libro 4. quam dixit virgines, prægnantes, & pueros maximè tentaſſe. cuius multi crediderunt eam fuiſſe originem, quòd caro taurina populo vendita fuiſſet, vnde poſtmodum ſcribunt ludos Taurios fuiſſe inſtitutos. Non minor cura gerenda eſt, vt in vrbibus aquæ optimæ ſint & ſalubres, eò quod, vt dicebat Ariſtoteles, maximè refert, qua aqua homines nutriantur, cum nullus cibus penè gratus, aut vtilis eſſe poſſit ſine aqua. Scimus integros exercitus interdum peſte fuiſſe extinctos, non ob aliud, niſi ob aquarum prauitatem. Et maiores noſtri, quemadmodum ſcribit Vitruuius libro 1. cap. 4. antequam vrbes conderent, omni diligentia perſcrutabantur prius locorum aquas, vt certi eſſent, ex ſalubritate aquarum poſſe etiam populum ſanum degere. Lupanaria ſunt remouenda, meretrices omnes ex ciuitatibus eiiciendæ, eo quòd hæc ſit maxima occaſio & generationis, & etiam augmenti peſtis. Laconica quoque ſunt penitus vetanda, quandoquidem & propter aërem illum, & propter conuerſationem, valdè loca illa ſolent eſſe peſtifera, præſertim iis temporibus. Narrat Iacobus de Partibus, ſeſe in ea peſte curaſſe, vt omnia balnea & laconica prohiberentur, ac propterea à balneatoribus ſibi fuiſſe magnoperè maledictum. Vnum omnium maximum remedium eſt, quod debent Principes ſtatim adhibere vbi ſuſpicio eſt futuræ peſtis, vt ſcilicet omnes pauperes, qui malè habitant, & malè viuunt, extra vrbem in loca ſalubria agantur, vbi tamen commodè nutriri poſſint. conſtat enim hoc remedium alias Venetiis contuliſſe, vt narrat Sabellicus libro tertio decadis quartæ rerum Venetarum. Profuit etiam hoc remedium magnopere olim Galliæ: profuit, vt intellexi, nuperrimè Mediolano. & iure quidem: quandoquidem verus & præcipuus peſtis fomes eſt populus ipſe, plebs, pauperes, qui & propter domos anguſtas, & prauam victus rationem, maximè omnium contaminantur,

tur,maximè omnium peſtem dilatant. Eſt quoque à Principibus hiſce temporibus concedendum,vt nobiles quique rura petant,eo quod ſemper vrbes,propter aërem illum craſſum & concluſum , ab ægrotantium & mortuorum vaporibus inquinatum , magis contaminatæ ſunt , magis periculoſæ , rura verò ſemper tutiora ſunt. Scribit Plutarchus in Romanis Problematibus , veteres id in more habuiſſe, vt templum Æſculapij ſemper extra vrbes ædificarent,non ob aliud,niſi quia ruri aër ſalubrior eſt quàm in vrbe.Hæc ſint omnia , quæ & Principes,& Reſpublicæ agere debent,antequam adueniat peſtis.

Quid ſit agendum Principibus , & Rebuſpublicis cùm peſtis graſſatur : & cùm iam deſiit , ne renaſcatur.

CAPVT XXI.

IAm autem vbi graſſatur,multi exiſtimant,præcipuum remedium eſſe,aërem igne alterare & exſiccare, quo remedio vſum eſſe olim Acronem Agragantinum , & Hippoc.Coum,narrat M.Varro,Plutarch.Gal.in lib.de Theriaca,& Aëtius.ſed non defuerunt,qui & hoc auxilium damnarunt , & inter hos Raimund.in lib. de Peſte, hac ſcilicet ratione ductus,quòd peſtilentes febres ardentes ſint, & icciřco ab aëre feruido,& calente etiam augeatur incendium. Ego exiſtimo hac in re magna prudentia vtendum eſſe.hyeme quidem & autumno ignis accenſus per vrbes non poteſt non magnopere vtilis eſſe,ſed in ſummo æſtatis feruore aut nullus ignis accẽdendus,aut moderatus,iſque ex floribus ac lignis odoratis, quemadmodum feciſſe Hippoc.teſtatur Gal. Quapropter non poſſum cõmendare eos, qui hiſce temporibus infectas ſupellectiles in vrbibus cremant , propterea quòd non ſolùm aër magis feruet,verumetiam & propter illum teterrimum odorem , propter graues illos fumos offenduntur nares,replentur capita, atque multa mala fiunt. quod quidem puto etiam maximè nocuiſſe huic vrbi:quia viſum eſt, quo tẽpore hac in vrbe cremabantur,magis peſtem incruduiſſe. Cadauera ſunt omni diligentia extra vrbem portanda,atque longè à mœnibus , & in iis locis,à quibus ad ſanos venti non ſpirant,vel concremanda diligenter,vel altis foſſis ſepelienda.Scribit enim Diodor.Siculus lib.14. duas res potiſſimum ei Carthaginienſium peſti incrementum feciſſe, inſepultorum corporum(quæ nemo ob contagij timorẽm tractare audebat) fœtorem,& paluſtris loci putredinem.Neque credendum eſt iis, qui exiſtimãt cadauera ipſa non eſſe contagioſa,quoniam etſi frigida ſint ad tactum,cum tamen putreant, neceſſariò calida ſunt,& ex illis eleuantur euaporationes fœtidæ & peſtiferæ. hòc etiam vehementer initio peſtem Venetiis auxit,eo quòd cadauera pluribus diebus inſepulta retinerentur in vrbe,atque in ipſis domibus, ob inopiam veſpillonum:& quod in valetudinario veteri comburerentur,vnde à vento in vrbem fumus,atque corporum combuſtorum inquinamentum pellebatur.Relatum eſt inter alia à Thucydide,in ea peſte aues & bruta carniuora non attigiſſe cadauera , eo quòd etiam hæc animalia à natura eſſent edocta cadauerum euitare contagium. Multas legetis apud hiſtoricos eſſe peſtes auctas,eo quod cadauera inſepulta manerent. hoc etiam tempore curandum eſt , vt omnes viæ vrbis ſint mundæ , ſine luto , & ſine quiſquiliis. Memini me legiſſe apud Lucianum in Scytha , Toxarim medicum olim

olim liberaſſe Athenas à peſte, quòd iuſſerit vias vrbis emundari, & angiportus omnes vino irrorari. Maxima etiam cura habenda eſt de contagio. Et primo prouidere debent Principes,vt,ſi fieri poteſt,omnes tentati à peſte ſtatim extra vrbem portentur in valetudinaria, vbi tamen diligenter & omni charitate Chriſtiana curentur: nec ſolum debent ipſi exportari ægri,verùm etiam omnes illæ res, omnis illa ſupellex quæ ab ipſis ægris potuit infici. quo tempore curandum eſt etiam diligenter, ne quis res illas infectas ſuffuretur. quòd ſi æger exportatus moriatur, quamprimum omnes illæ res ſunt comburendæ: nihil enim peius eſt, quàm res illas aggregare. Sed ſi ſeruetur æger, curetur, vt res illæ emundentur eo pacto quo poteſtis legere in Leuitico factum eſſe circa leproſos. & quia ſæpè in domibus,vnde ægri ſunt exportati,remanent etiam aliqui ſani: de iis quoque nòn leuis ſollicitudo eſt habenda. videatur, an in domibus illis poſſint conſeruari, nec ne: quia ſi timor ſit ne conſeruari vlla arte poſſint, etiam ipſi amandandi ſunt extra vrbem, in loca tamen ab ægris ſeparata, vbi nihil ipſis deſit, quod pertineat ad ipſos à labe ſeruandos.Sed ſi habeant domûs amplas & commodas, permittendum eſt,vt remaneant, ita tamen, vt neque ipſi exeant per multos dies, neque è domibus quidquam exportetur; & vt præſidia adhibeantur neceſſaria ipſorum conſeruationi. Fit interdum,vt etiam nobiles & diuites peſte tententur,quos non æquum eſt vnà cum plebe ad valetudinaria illa mitti:iccirco prouidendum eſt, vt vel ipſi in proprias villas abeant, vel extra vrbem domos ligneas ſibi conſtruant, vel, ſi aliqua ratione ipſis in vrbe manendum ſit, curandum eſt, vt non ſolum ipſorum domus clauſæ detineantur; & nihil ex ipſis exportetur, verum etiam vt ipſi ægri ſeparati maneant ab aliis ſanis cum aliquo miniſtro, aut etiam medico. hoc namque ſtudium confert præcipuè ipſis nobilibus, ſed confert etiam toti vrbi. nam iis remediis adhibitis, prohibetur quo minus peſtis propagari poſſit. Fuerunt qui inter alia remedia id maximum eſſe crediderunt, vt quiſque domi ſuæ incluſus per aliquot dies maneat,nec quiſquam per vrbem commeet.quod quidem remedium, vt ego audiui,Mediolanenſibus contulit:verumtamen neque Venetis,neque Patauinis conduxiſſe compertum eſt. Ego ſanè laudo, vt potius cætera quæ propoſui perficiantur: ſed neque hoc damno: quandoquidem ſic fit, vt homines aëre infecto non ita liberè vtantur,non laborant, non incaleſcunt, neque etiam cum infectis conuerſantur; vt non poſſit hoc auxilium inutile eſſe. Verumtamen, niſi duo obſeruentur,poteſt hoc remedium lethale eſſe.Vnum eſt, vt victus commodus, & conueniens pauperibus adminiſtretur: alterum, vt prohibeatur, ne in vna domo multi ſimul cohabitent. Dixi vobis aliàs, Athenienſes criminatos eſſe Periclem, quòd peſti occaſionem dediſſet, coacta multa agreſtium copia intra vrbem. Scribit etiam Liuius libro tertio decadis primæ,ſub conſulatu L. Æbutij, & P. Seruilij factam fuiſſe peſtem Romæ, quòd populus coactus eſſet ſub arctis tectis, atque copioſus habitare. Circa corporum diſpoſitiones debent Principes & Reſpublicæ eadem præſtare,quæ dixi faciẽda eſſe ante peſtem.Vbi verò peſtilentia deſiit, non minor debet eſſe Principum ſollicitudo in prouidendo, ne malum iterum reuertatur. & iccirco ante cætera gratiæ innumeræ ſunt Deo immortali agendæ. Poſtea omni cura enitendum eſt,vt viæ omnes,quantum fieri poteſt, emundentur. Solent poſt peſtem ſupereſſe in ipſis viis quiſquiliæ & fragmenta veſtium & culcitrarum, in quibus conſeruantur peſtiferi vapores. pari diligentia omnes domus infectæ ſunt emundandæ:& quemadmodum faciebant veteres in domibus leproſorum, ſi expedit prouidendum eſt, vt noua calce muri oblinantur. ſupellex omnis ſuſpecta comburenda. Refert Sabellicus in poſtremo libro hiſtoriarum Ve-

Cccc 5 netarum,

netarum; cùm eâ peſtis graſſari deſiiſſet, in fine ſapientiſſimos illos Senatores combuſſiſſe innumeram ſupellectilem, quam congregauerant veſpillones ex rebus infectis. quod quidem remedium ſi hoc tempore & Veneti & Patauini facient, proculdubio vtiliſſimum erit; & aduertite, anté ea tempora narrata à Sabellico, non facilè haberi memoriam, Venetiis, aut alibi concrematas eſſe res infectas. Illud maximè omnium prudentia Principum & diligentia indiget, vt prouideatur pauperibus illis, parentibus, cognatis, & fortunis omnibus ſpoliatis, qui ex valetudinariis in vrbem redeuntes, cum non habeant vbi recumbant, quid edant; non ſolùm frequentes occumbunt, verùm etiam fomites peſtis conſeruant, & fortaſſe præbere occaſionem poſſent, vt iterum malum renaſceretur. quod tamen, quemadmodum dixi, Dei miſericordia fretus, & hominum prudentiſſimorum opportunis remediis, non fore confido.

Qua ratione debeat vnuſquiſque ſe præſeruare à peſte.

CAPVT XXII.

SEquitur, vt ſecundum nobis propoſitum ordinem, iam auxilia monſtremus, quæ priuati adhibere debent in peſte. Quæ auxilia & hîc duum ſunt generum: alia adhibenda ſanis ipſis, & ad præſeruanda omnia corpora, alia verò quæ adminiſtrari debent in ægris. Quoniam autem auxilia præſeruatoria tota poſita ſunt in cauſarum amputatione, ante cætera de aëre cogitandum eſt. Eſt ſententia diuini Hippocr. ſecundo de Natura humana, vbi fiunt ab aëre morbi, nihil eſſe accommodatius & præſtantius, quàm aërem & locum protinus mutare: ex quo Hippocratis oraculo emanauit deinceps, quod in ore eſt omnium, Citò, longè, tardè. Idque Celſus intellexit, cum præſeruandi ſe à peſte leges tradens, dixit, peregrinandum atque nauigandum eſſe. In quem aërem ſit tranſeundum, fuit aliqua inter veteres diſcordia. Auicennas laudauit vt tranſitus fieret in aërem craſſum, eo quod huiuſmodi aër difficilius computreſcat. Sed hac in re Auicennas fuit etiam à ſectatoribus ſuis deſertus, & iure. aër enim craſſus, cum talis ſit propter vapores, atque hi obnoxij ſint putredini, non eſt verum ipſum expertem eſſe putredinis. Quare potius eundum eſt in eas regiones, vbi aër purus & tenuis ſit, & vbi non conſueuerint aliàs peſtes graſſari, aut raró. Si mutari aër non poſſit; debet vnuſquiſque aërem domi ſuæ corrigere. & quia vitium aëris & in occulta qualitate eſſe poteſt, & in manifeſta, danda eſt opera, vt vtrique qualitati occurratur. Solet qualitas aëris inimica vt plurimum calida & humida eſſe: iccirco erit remediis refrigerantibus & exſiccantibus aër corrigendus. quod intellexit Auicennas, quando præcepit cameras infrigidandas eſſe. Modi corrigendi aërem complures traditi ſunt nobis à veteribus: inter alios hic potiſſimus eſt, vt cubicula irrorentur aqua roſacea, aceto roſato, aqua nimpheæ, vel acetoſæ, aqua ex floribus arranciorum. Raſes laudauit etiam, vt mantilia, linteamina macerentur aceto, & loco aulæorum muris in cubili apponantur. Sic etiam confert citria poma, cotonea, flores, folia ſalicis, vitis, flores roſarum, folia nimpheæ ſupra pauimenta fundere; quandoquidem hæc omnia aërem vitiatum emendare ſolent. Laudauit

Auerroës

Auerroës ſexto Collectan. capit. poſtremo coſtum, ſtyracem, galbanum: laudauit etiam terebinthinam, eo quod proprietate quadam aduerſetur peſti. Sed quamquam hæc omnia vtilia ſint, multo tamen vtilius & iucundius eſt, ſuffumigia aliqua domi parare facilia & grata. cuiuſmodi eſſet tempore calido illud.

Recipe aquæ roſarum ℔. ſ.
aceti roſati ℥. iij.
ſandalorum omnium ʒ vj.
corticum citri ʒ. iij.
Camphoræ ʒ. j.
miſceantur.

Tempore autem frigidiori hoc commodius eſſet.

Recipe vini maluatici aut odorati. ℔. ſ.
aceti roſati
aquæ roſarum an. ℥. iij.
Gariophyllorum
cinnamomi an. ʒ. ij. miſce.

Modus faciendi hæc ſuffumigia eſt, vt hæc omnia in ollula reponantur, & ſupra carbones detineantur in cubiculo, ita vt fumos effundant per vniuerſum cubiculum. Dixi quæ ſit mea ſententia de igne accendendo aduerſus peſtem: propterea non poſſum commendare, vt temporibus illis æſtiuis, quando peſtis ardet, in cubiculis fiant multi ignes, ſed aut nulli, aut exigui, atque ij ſereni, tenues, & ex floribus, aut lignis paruis, odoratis. eſt enim obſeruatum, Venetiis hoc anno multos ex iis interiiſſe, qui ad ignem artes exercent, vt ſunt fabri, aurifices. nec id ſine ratione, quia vi ignis corpora rarefacta facilius aëris inquinamenta admittebant. Auenzoar, vt adnotauit etiam Auerroës loco citato, inter alia commendauit aduerſus peſtem odorem vrinæ hirci à proprietate. Et ego, cum annis præteritis pro Cæſaris Maximiliani valetudine Viennam iuiſſem, & quadam die pranderem apud Reuerendiſſimum Hungariæ Cancellarium, vidi in eius ædibus ſeruari magnum hircum. huius rei cum cauſam quæſiuiſſem, mihi reſponſum eſt, id fieri pro peſte. vnde adnotaui hoc remedium Auenzoar etiam tempeſtate noſtra alicubi adhiberi. Sed magis laudo vt odores grati quærantur. Auctor eſt libro primo Herodianus, Commodum Imperatorem, quo tempore maxima illa peſte Roma affligebatur, medicorum conſilio, Laurentum, vbi ſiluæ è lauro complures viſebantur, ſeceſſiſſe: valere enim plurimum ad euitandam aëris contagionem cum odores laurorum, tum ipſarum amœnitatem vmbrarum. Addit, in ipſa quoque vrbe de medicorum ſententia pleroſque vnguentis ſuauiſſimis nares, atque aures oppleſſe, ſuffitúque & odoramentis vſos eſſe, quòd meatus ſenſuum odoribus illis occupati non admittant aërem tabificum, vel admiſſum maiore vi longè ſuperent. Quapropter vtile eſt ſæpè manus & ora abluere vel aceto roſato, vel aqua roſata. vtile etiam eſt chirothecas aut floribus, vt dicunt, vnguentatas tempore æſtatis geſtare, aut delibutas muſco, & ambra hieme. in quem etiam vſum laudo pilas illas manibus geſtatas, cuiuſmodi eſſet hæc.

Recipe ſandalorum omnium
florum roſarum rubearum an. ʒ. j.
myrtillorum
Zedoariæ
granæ tinctorum ſiue
Cocci Baphicæ an. ℈. j.

Camphoræ

Camphoræ
muſci gr.v.
Galbani
ladani an.ʒ.iiij.

Cum carbone ſalicum, & oleo florum aranciorum fiat Pila.

Temporibus frigidioribus hæc vtilis erit.

Recipe calami aromatici
cinnamomi an. ʒ. j.
Gariophyllorum
nucis muſcatæ.
Scordij
ſeminis citri an. ℈. j.
gentianæ.
Ligni aloës
ſtyracis calamitæ an. ℈. j.
mirrhæ.
Ambræ
muſci an. gr. iij.
ladani puriſſimi ʒ. viij.

Cum oleo gariophyllorum & carbone ſalicis fiat Pila.

An melius ſit hoc tempore habitare in altis tabulatis, an humili loco, ita defi-nitum ferè inuenitur à medicis, vt, quo tempore aër inquinatus eſt ob vapores terræ peſtiferos, in altis habitetur, quo verò tempore vitium cœlitus manat, in humilioribus. quomodocunque ſit, ſemper fugiendum eſt ibi eſſe hoc tempore, vbi multitudo hominum congregatur. Expedit etiam magnopere auerſari homi-nes omnes ſuſpectos, & loca ipſa. ſimiliter indumenta omnia debent eſſe munda, nitida, ſæpè mutanda ſunt, & in capſis detinenda vbi ſint varij flores, præſer-tim verò mala cotonea, & citria, aut arancia poma. imò verò maiores noſtri, vt teſtatus eſt Theophraſtus 4. de Hiſtoria plantarum capite 4. & Athenæus 4. Conuiuij ſui ſophiſtarum, in alium vſum non adhibebant citria, niſi vt immiſce-rent pannis, atque eos conſeruarent ab omni illuuie & putredine. Coriacea in-dumenta, & holoſerica illa tenuia omnibus hoc tempore proſunt. lanea, linea, goſſipina, pellicea omnia periculoſiora ſunt, eo quod facilè illis recipiantur vapo-res peſtiferi, & facilè retineantur. quapropter & indumenta hæc longa damnan-da, & forſan tot medici Venetiis ſunt extincti, quia viſerent agros cum illis latiſ-ſimis tunicis. Somnus & vigilia moderata eſſe debent. lecti mundi ſint & nitidi. dormire ſub dio, aut ſub arboribus, quarum vmbræ peſtiferæ ſunt, pernicioſiſſi-mum eſt. Corpus modicè exercendum, & ante omnia cauendum eſt, ne corpus vllo modo incaleſcat. eſt namque ſententia præclariſſima Auicennæ tertia primi, doctrina quinta, cap. primo, hoc tempore enitendum eſſe, vt fugiatur neceſſitas at-trahendi aëris: quod quidem fit quiete & otio, & experientia compertum eſt his temporibus eos eſſe infectos, qui immodicè laborarunt. Multi fuerunt, qui propter nimias exercitationes, carbonibus, bubonibus, & febrib. capti ſunt: multos etiam ſcio ſic extinctos eſſe. Motus omnes animi vehementes ſunt procul arcendi, præ-ſertim ira, & timor. nam experientia conſtat, audaciores minus periclitari. qua-propter iuuabit hoc tempore omne genus gaudij adhibere. Memini me legiſſe apud Plutarchum in libro de muſica, Thaletam quendam Cretenſem à Lacedæmo-niis peſtem fugaſſe ſola muſica: cuius Thaletæ mẽtio etiam fit apud Pauſaniam l. 1.

Ergo

Ego nihil aliud fuiſſe exiſtimo muſicam illam Thaletæ,& eorum militum,qui apud Homerum cantu peſtem fugabant,niſi ſpem,gaudium,& lætitiam : quib. fit, vt & animi, & corpora valentius pugnent aduerſus morbum peſtiferum. Si quid hoc tempore fugiendum eſt; proculdubio vitari debet coitus, & balnea, præterquàm enim quod contagiis occaſio præſtatur, fit etiam, vt corpora hominum reddantur languidiora, rariora, & laxiora, atque ideo peſtiferum aërem facilius in ſeſe trahant. Sed fortaſſe aliquis quærat hoc loco, an malum ſit his temporibus corpora rarefacere,& aperire.nam Gal.1.de Differ.febr.cap.4.commendat, vt hiſce tempo-ribus corpora aperta conſeruentur : imò addit,ſe hoc facere conſueuiſſe. non igitur videtur abſonum eſſe, vt corpora fiant rara, & laxa, quemadmodum Auic. damnaſſe videtur. Sollicitos habuit hæc quæſtio multos interpretes. Sed ego ita rem definire conſueui, duûm generum eſſe oppilationes, quemadmodum clariſſimè habetur apud Galenum quinto de ſimp. medicin. c.12. alias ſcilicet internas, alias externas. tempore peſtis oppilationes internæ ſunt omnino tollendæ, & prouidendum,vt intus vniuerſum corpus apertum ſit: quod intellexit Galenus loco citato : ſecus autem ſe habet de externis: nam eo tempore non ſunt corpora exterius aperienda, quia facilius aër infectus ingreditur : & hoc intellexiſſe exiſtimo Auicennam. Aluus mollis ſeruanda, & ſi dura ſit,aut adſtricta, mollienda eſt vel leui aliquo clyſtere, vel brodiis ex malua, & beta. expertus ſum & in me ipſo, & in aliis, panem, qui multum furfuris habeat, frequenter vſitatum, corpus lubricum reddere, propter quod Ruſtici numquam laborant alui adſtrictione. & fuit ſententia Hippocratis in libro de Diæta, huiuſmodi panem minus quidem nutrire, ſed magis per aluum ſecedere. Potus, & cibus quàm moderatiſſimi eſſe debent : & longè falluntur, qui arbitrantur edendum & bibendum eſſe largiter. Scio ego plurimos ſuo periculo hoc eſſe expertos : & Patauij, & Venetiis vidimus bibaces plurimos extinctos eſſe, qui exiſtimabant vinis generoſis ſeſe propulſaturos eſſe peſtem. Raſes ille, experimentator maximus,quarto ad Alman. ex toto damnauit vinum tempore peſtis.cuius conſilium nequaquam amplector: ſed multo melius eſt,æſtate aut aquam potare interdum, aut vinum tenue,& modicè caſtigatum, autumno, & hyeme meracius potare licet. Cornelius Celſus modò aquam,modò vinum eſſe bibendum præcepit.Loco vini habemus multos liquores non minus iucundos,quàm vtiles: vinum granatorum, ſuccum berberis, ſuccum citri, ſuccum aranciorum, ſuccum limonum, poſcam, vuæ immaturæ ſuccum. huiuſmodi liquores omnes cum refrigerent, & exſiccent, non tantùm ſitim pellunt, verùm etiam propria facultate putredinem ipſam coërcent. panis ex farina, & modico furfure, modico ſale confectus,& optimè coctus, eſt accommodatiſſimus. recens quidem is debet eſſe,ſed nequaquam calidus: quia,vt dicebat Hippocrates ſecundo de Diæta,& ſecundo de Ratione victus in acutis, panis calidus ſitim auget,& replet corpus. Iubebat Auerroës in fine 6. Collect. abſtinendum eſſe à carnibus omnibus pinguibus, antiquis, & craſſioribus hoc conſilium ego maximè amplector. quare præſtabit adhibere carnes auium, pullorum, vitulorum, modo tamen hæc quoque diligentia adhibeatur, vt hæc animalia ſint optimo nutrimento nutrita. Hiſce carnibus præſtabit etiam incoquere interdum vuam immaturam, folia acetoſæ, pimpinellæ, boraginis, bugloſſæ. laudo etiam,vt incoquantur carnes,vel poſca,vel aquæ pluuiali,vel roſacea.gelatinæ illæ,& carnes aceto conditæ apprimè conueniunt. licebit interdum, & præſertim tempore frigidiori, addere aromata, cinnamomum, garyophylos. Piſces ab omnibus ferè damnantur, eo quod ſua humiditate fomitem peſtis augeant. ſed,mea ſententia, non

omnes

omnes ſunt damnandi: piſces litorales, & ſaxatiles multum abeſt vt ego damnem: quia, ſi optimè coquantur, & condiantur, potius iuuant: incendium enim internum remittunt. poſſunt autem condiri aceto, ſucco granatorum, ſucco limonum, vel aranciorum, & berberis. oua pariter tremula, ſorbilia, omphacio, & aceto condita laudanda ſunt. Ex leguminibus nullum habeo; quod vobis proponam. Habetis, quid Hippocrates cenſuerit hac de re, qui dicebat, in Eno inſula multos ægrotaſſe ob eſum leguminum. quare non poſſum laudare Auerroëm, qui lentes mirificè celebrauit, quanquam huiuſmodi genus edulij commendatum inueniam apud alios etiam Arabas. Fructus omnes, præſertim horarij, fugiendi ſunt, eo quòd ex iis gignatur ſuccus prauus, qui, vt dicebat Galenus, qualibet minima occaſione malignas febres inducit. qui fructus cum corticibus, & coriis conduntur ligneis, omnes impunè edi poſſunt. dicebat enim Dioſcorides piſtacia maximè valere aduerſus ſerpentinum venenum. Idem dicit Auicennas de amygdalis, & de nucibus auellanis. Scitis quantopere celebretur Antidotus illa Mithridatis Regis Ponti, facta ex nucibus, caricis, & rutæ foliis. Inter herbas vtilis eſt meliſſa, acetoſa, borago, pimpinella, bugloſſa, ſonchus, myrrhis, endiuia, rapæ verò, fungi, tubera, raphani, cæpæ, porri, magnopere ſunt fugiendi. Sunt, qui exiſtiment tempore peſtilentiæ ytilem eſſe vſum alliorum, eo quod Galenus duodecimo Methodi vocauerit allium Agreſtium theriacam. Sed longè falluntur: quandoquidem hoc genus cibi, & æſtuoſos humores gignit, præterquàm quod tetro illo ſuo odore & animum, & corpus valdè conturbat: vt non immeritò dixerit Horatius poëta, *Cicutis allium nocentius*. Illud in omnibus eduliis eſt ſumma diligentia obſeruandum, vt ſint optimè parata, nitida, ſine vllis ſordibus, ſine vllo graui aſpectu, præſertim ex locis ſalubribus capta.

Quæ medicamenta conueniant in præſeruatione à peſte.

CAPVT XX.

PRæter victus rationem in præſeruatione, ex vſu etiam ſunt quædam medicamenta, quæ ſunt duûm generum: alia quæ cor ipſum muniunt aduerſus venenum, alia verò quæ aperiunt & euacuant. Quæ cor muniunt aduerſus venenum, aut intrinſecùs adhibentur, aut extrinſecùs. intrinſecùs adhibentur bolus armenus, lapis bezoarius, puluis cornu Vnicornis, puluis cornu ceruini, corallorum rubeorum, puluis dictami Cretici: quorum pulnerum doſis eſt ad ſummum drachmæ vnius, & ſumitur huiuſmodi puluis cum vino, quemadmodum Galenus dabat bolum armenum cum vino etiam in febribus. Adhæc ſunt confectiones variæ, vt Mitridatica confectio, theriaca, conſerua citri, acetoſæ, boraginis. Soleo ego vti hac confectione.

Recipe conſeruæ acetoſæ
conſeruæ citri an. ℥. j.
Dictami Cretici albi
boli armeni
zedoariæ an. ℈. j. miſce.

Cuius

Cuius confectionis capitur ſemuncia, aut drachmæ tres, vel duæ: poſtea bibitur aut brodium paruæ pullæ, aut aqua acetoſæ, aut vinum tenue & album, menſura trium vel quatuor vnciarum. Exrrinſecùs illinitur theriaca regioni cordis, vel cum ſucco limonum, vel cum aceto roſaceo. Geſtantur etiam ſacculi facti ex huiuſmodi rebus.

Recipe florum aranciorum
roſarum an.p. s.
Sandalorum omnium
boraginis
ligni aloës an. ʒ. iij.
Camphoræ
croci
gentianæ
calami aromatici
dictami albi an. ʒ.ij.s.

Contundantur omnia craſſo modo, & ex iis fiat ſacculus tela ſericea purpurea. Inuenio maiorum noſtrorum tempeſtate inuentum eſſe quoddam genus remedij extrinſecum, quo etiam ferunt vſum eſſe Adrianum VI. Pontificem Max. & eſt auripigmentum illud factitium, quod arſenicum cryſtallinum vocatur. Duplex huius eſt vſus. Vnus eſt, vt lamina huius arſenici nuda geſtetur ſupra cordis regionem: alter, vt conteratur, & cum variis pulueribus miſceatur, atque fiat paſta, eáque exſiccata ad formam rotulæ maiuſculæ geſtetur ſupra cor. Modus componendi varius eſt: ſed hic à me maximoperè probatur.

Recipe arſenici cryſtallini ℥. ij.
Dictami albi
Croci an. ʒ. ij.
Camphoræ
Euphorbij. an. ʒ. j.

Redigantur omnia in puluerem, & cum aqua roſacea, ac gummate arabico quantum ſufficit, fiat paſta, & exſiccetur. Facultas ob quam hoc medicamentum tueatur cor à veneno, poteſt quidem eſſe ſecreta, poteſt & eſſe manifeſta: habet enim auripigmentum, vt docet Galenus, facultatem cauſticam & exſiccantem valdè. &, quemadmodum ignis ſuo calore & ſiccitate diſſipat omnem putredinem: pari pacto licet nobis exiſtimare arſenicum ſua exſiccatoria vehementi facultate omnem humorem, & putridum, & putredini obnoxium arcere à cordis ſede. Sed quidquid ſit, hoc etiam eſt ex iis medicamentis, quæ experientia docuit prodeſſe. Medicamenta porrò quæ euacuando & aperiendo conueniunt in præſeruatione, ſunt aloë, manna: nam omnia gummata dicebat Dioſcorides valere aduerſus venenum: & manna noſtrum eſt genus gummatis: nam inſtar alicuius gummatis, aut lacrymæ deſtillat ex arboribus. ſyrupus roſatus ſolutiuus, ſyrupus de polypodio: hæc medicamenta per interualla accepta conſeruant à peſte. Ex aperientibus quæ proſunt, ſunt ſemina omnia frigida, radix cichorij, pentaphylli, acetoſæ. Tempus vtendi iis medicamentis eſt ante prandium tribus, vel quattuor horis, in brodio paruæ pullæ. Inter medicamenta quæ euacuant, poſſumus recenſere cauteria, per quæ, vt noſtis, ichores continuò educuntur à corpore. fiunt autem cauteria accommodata in peſte & in brachiis, & in cruribus: poſſunt etiam fieri paulo ſubtus inguina. Commendari cauteria ad præſeruandum à peſte inuenio apud Nicolaum Florentinum, medicum ſua tempeſtate grauiſſimum.

ſed

ſed dicam quod ego vidi experientia: poſſum teſtari, me innumeros hac peſte extinctos vidiſſe, nec vnquam vidiſſe quemquam qui haberet cauterium, præter vnum tantùm, atque ille erat ſacerdos. Interrogaui etiam hac de re multos medicos, qui teſtati ſunt neminem ſe vidiſſe: quod quidem argumentum eſſe poteſt hoc genus auxilij magnoperè conducere, & ſumma cum ratione: quandoquidem per cauteria, tanquam per cloacas, continuò ichores praui, & putredini obnoxij educuntur. Atque tot dicenda erant de ratione præſeruandi à peſte.

De victu febrium peſtiferarum.

CAPVT XXIV.

NVNC ſequitur vt curationem tradamus: quæ cùm tota poſita ſit in ablatione morborum, & conſequenter ſymptomatum, cúmque morbi, qui in peſte potiſſimum vagantur, ſint febres peſtilentes, bubones, & carbunculi, horum ipſorum curationem tractabo: his enim ſublatis, ferè omnia ſymptomata finiuntur, quæ ab ipſis proficiſcuntur. Incipiam autem à curatione febrium peſtiferarum, in quibus curandis comparantur indicationes ex ipſarum natura, quæ cum ſit intemperies calida cum materia putreſcente & venenata, ratione intemperiei ſcopus medici debet eſſe, vt refrigeret: ratione autem materiæ illius, quæ iam putrefacta eſt, indicatur, eam eſſe euacuandam: ratione autem illius, quæ nondum eſt putrefacta, ſed putrefit, ſcopus eſſe debet, vt putredo ipſa remoueatur: quod fit per vocatam vaſorum euentationem & apertionem. ſed quia hæc materia, vt dixi, venenata eſt, atque venenum præditum eſt vi quadam ſecreta & cordi inimica, hinc ſuboritur & alia indicatio, vt aduerſus venenum pugnetur illis medicamentis, quæ arcana facultate cor ab ipſo cuſtodiunt. Pro huiuſcemodi ſcopis perficiendis tres ſunt medicationum modi apud veteres, diæteticus, pharmaceuticus, & chirurgicus. Quod ſpectat ad diætam, ea prorſus ratio tota eſt ineunda, quam monſtrauimus etiam obſeruari debere in præſeruatione, vt ſcilicet aër corrigatur, ad frigidum, & ſiccum mutetur: ſomnus moderatus ſit, omnis motus corporis & animi arceatur, frequentia hominum vitetur, & in ſumma quiete æger ſemper contineatur, ſíque aluus ſit adſtricta, leniter emolliatur. pro qua emollitione conducunt quidem ſuppoſitoria communia, non autem acria: ſed mea ſententia, multo vtiliores ſunt clyſteres, præſertim illi qui parantur ex rebus refrigerantibus, & veneno aduerſantibus. Rufus Epheſius apud Oribaſium libro octauo Collect. cap. vigeſimoquarto commendauit clyſteres in febribus malignis factos ex aqua ſola tepida. Rabbi etiam Moyſes libr. decimo Aphoriſm. laudat clyſteres factos ex aqua & oleo ſimplici. Sed multò commodiores exiſtimo ego eſſe eos clyſteres, quibus etiam adduntur aliqua & refrigerantia, & etiam aduerſa veneno quodammodo. Eſt autem huiuſmodi clyſter valde accommodatus.

Recip. hordei p.j.
foliorum maluæ p.ſ.
florum roſarum,
corticum citri an.p.j.

Bulliant ſimul in aqua communi ſecundum artem. deinde facta diligenti expreſſione,

Recipe

Recipe dicti decocti ℔.j.
olei amygd.dulc. ℔.s.
mellis roſati ſolutiui ℥.ij.s.
miſce.

Secundum hanc formam poteritis & vos alios etiam parare ex brodiis pullorum, vel ex aliis decoctis. Illud etiam animaduertere debetis, quod animaduerti iuſſit Rufus, vt clyſteres infundantur, ſi febris ſit magna & ardens, ita tepidi, vt nihil propè ſentiantur. De cibo & potu magna fuit contentio inter medicos. Alij enim exiſtimarunt in febribus peſtiferis multum cibum eſſe offerendum, alij verò ex aduerſo iudicarunt ægros eſſe parum nutriendos. Vtrique & rationibus & auctoritatibus permoti ſunt. Sed quia aliàs de hac re diſputaui, & quia hoc tempus non poſtulat has diſceptationes, dicam quæ ſit mea ſententia. Itaque ſtatuo, cibum in his febribus debere eſſe boni ſucci, facilem concoctu: vt ſcilicet ſtatim & faciliter ſpiritus recreari poſſint, qui continuò exhauriuntur. Debet præterea exhiberi paucus, & ſæpè: ſi enim paucus ſolummodo offeratur, proculdubio vires collabuntur: imò verò dicebat Aëtius libro quinto cap. 129. ex auctoritate Herodoti medici, paucitatem cibi prauitatem materiæ augere: ſi autem exhiberetur multus, & ſæpè, proculdubio obruerentur vires, & cum calor natiuus imbecillus ſit, minimè coquere poſſet, vnde & cruditates, & ex cruditatibus putredo dilataretur. Quare multo ſatius eſt, vt dicebam, cibum exhibere paucum, ſed ſæpe, ſcilicet quater vel quinquies in die ac nocte. cibus vtilis eſt, ptiſana facta cum brodio paruæ pullæ, cui admiſtus ſit ſuccus granatorum, vel citri. aqua etiam roſacea vtilis eſt permiſta, atque etiam ſi in ipſa coquatur hordeum. panis in brodio commodus eſt & vtilis, iura etiam, quibus admiſtus ſit ſuccus vuæ immaturæ, vel berberis, panatella cum ſucco citri. Carnes non admodum mihi probantur, quòd facilè putreſcant, & quòd in febribus omnibus, vt dicebat Hippocrates, vtiliores ſint ſorbitiones, quàm cibi. laudo ſanè deſtillatum factum ex carnibus, quod aquam carnis Auicenna vocat: & in libro de Viribus cordis ſcribit, maximè cordi conuenire, præſertim ſi dum deſtillatur, commiſceatur ſuccus citri; vel limonis, folia borraginis, acetoſæ, meliſſæ, acetum etiam ipſum roſatum. Pro potu aqua hordei conuenit, vel aqua ſimplex, cocta cum ſucco granatorum, cùm aceto, cum ſucco berberis. Iuleb commendare non poſſum, quod tamen video à multis practicis amplecti. ratio eſt, quia huiuſmodi dulcia ſolent ventriculum alioquin malè affectum ſubuertere. præterea, vt eſt natura omnium dulcium, facilè auget incendium internum. quare omnia dulcia valdè damno, omnia acria, omnia ſalſa. Vinum nullo pacto concedendum eſt, eo quod & caput tentet, & ardorem inteſtinum augeat. nec perſuadeat vos auctoritas Galeni nono Medic. Simpl. cap. de terra Samia, vbi & in febribus mitioribus, atque etiam in maioribus vtitur vino: quandoquidem non vtitur eo vt nutrimento, ſed duntaxat vt vehiculo boli armeni: qui cum lentus ſit, & frigidus, facilè frangit omne nocumentum, quod inferre poſſet vinum. Eſt ſemper in omnibus cibis laborantium febre peſtilenti illud ſpectandum, vt habeant aliquam vim venenorum propulſatricem: & ideo conuenit ipſis immiſcere pulueres margaritarum præparatarum, corallorum rubeorum & alborum, cornu ceruini oſſis, de corde cerui. puluerem etiam ſmaragdi laudare poteritis, præſertim apud eos Principes qui poſſunt hos ſumptus facere. Aliud etiam ſpectandum eſt in cibandis ægris, vt nullus error committatur: quandoquidem, ſi Hipp. primo Epidem. commentario ſecundo tex. 19: dicebat, Philonis illius filiam intempeſtiuè

prandiſſe,& mortuam eſſe: quanto magis formidare nos debemus alios errores grauiores,qui committi ſolent in ratione victus?

Quæ medicamenta conueniant in curatione febrium peſtilentium.

CAPVT XXV.

ALter modus medicandi peſtiferas febres ſitus eſt in pharmacorum vſu: quæ ſunt duûm generum potiſſimum: alia ſunt quæ euacuant, alia quæ corroborant. Corroborantia autem ſunt & quæ laxitatem meatuum conſtringunt refrigerando & exſiccando,& quæ etiam temperamentum partium, præſertim cordis, reficiunt, & conſeruant. Dicebat enim Galenus libro de Differ. feb.cap.5. partes ipſas debiles reddi, & propter meatuum latitudinem, & propter diſcraſiam. De euacuantibus medicamentis fuit lis inter medicos, nunquid conueniant in curatione peſtiferarum,necne, & quando conueniant. Non defuerunt qui exiſtimarunt,non conuenire vſum medicamentorum euacuantium,ſed ſolummodo eorum quæ corroborant,& attemperant. Alij ex aduerſo fuerunt in ea ſententia,neceſſariò eſſe euacuandum:atque hi poſtremi rurſum in duas partes ſunt diuiſi.Alij enim ſtatim purgandum eſſe,alij non niſi præparata materia voluerunt. Cauſa huiuſcemodi cõtrouerſiæ non alia fuit, niſi quòd ea eſt prauitas febrium peſtiferarum,vt, quemadmodum dicebat Iacobus, quidquid fiat, plerunque mors ægri ſequatur: nam ſiue abſtineamus à pharmacis, ſiue illis vtamur, atque vtamur vel citò, vel tardè,res plena periculo eſt: &,vt dixi,magna ex parte ægri intereunt. Sed ne hoc tempore vos detineam dubiis quæſtionibus, quatuor hac in re ante cætera conſtituo. Vnum eſt, peſtiferam febrem ex inſigni putredine ortum ducere,quæ putredo plerumque ſubitò fit. Alterum eſt, putridam & venenatam materiam quamprimùm è corpore educendam eſſe, eo quia, cùm non poſſit corrigi, nec benignam naturam induere, neceſſarium eſt, vt quidquid tangit, contaminet, atque prauum reddat. Tertium eſt,in febribus peſtiferis quamprimum vires deiici, nec ob aliud,niſi quia venenum huius materiæ totum cordis temperamentum deſtruit. fit autem,vt dicebam ex ſententia Galeni,ex diſcraſia facultatum debilitas. Quartum & poſtremum eſt,materiam febrium putridarum, vt putrida eſt, eorum pharmacorum genus poſtulare, quæ expurgant:vt verò venefica & penè deleteria eſt, exigit proprium quoddam remedium, quod ferè ſola experientia inueniri poteſt. hinc eſt, quòd in peſte illa tempore Rufi Epheſij,auxilium accommodatum fuit ea compoſitio, quam ipſemet Rufus inuenit, ex myrrha, aloë, & croco. Sic etiam,quo tempore M.Aurelius Imperator apud Parthos bellum gerebat, nata eſt quædam peſtis, in qua, vt ſcribit Arrianus, & Simplicius in prædicamento qualitatis,oleum & vinum ægrotos omnes curabat. Idem aliàs dixi de vrina humana, de bolo armeno, de theriaca. quibus auxiliis diuerſas peſtes curatas eſſe memoriæ prodidit Galenus. nec eſt quòd exiſtimemus, & bolum armenum, & theriacam ſola exſiccatoria facultate prodeſſe in peſte: quandoquidem multa ſunt medicamenta quæ vehementius exſiccant, neque tamen probatum eſt experientia ita prodeſſe. Imò verò, ſi Galeni mentem penetremus lib.9. de Simpl.medicin. poſtquam effectus, quos bolus armenus exſiccando facit, enumerauit, ſubiungit &

alterum

alterum effectum, quaſi præter exſiccationem voluerit illi ineſſe quandam aliam vim aduerſus peſtem: quemadmodum etiam fecit libr. de Theriaca ad Piſonem capitul. decimoſexto, vbi, poſtquam laudauit diuinum Hippocratem, qui non igne ſimpliciter, ſed igne ex rebus odoratis facto peſtem curauit, inquit, haud ſecus facere theriacam, quæ inſtar ignis cuiuſdam, non ſimplicis, ſed purgatorij, hoc eſt, quæ præter vim exſiccandi habeat etiam aliquam aliam facultatem, quæ, inquam, peſtem ipſam debellat. Conſtat itaque hoc apud omnes, præter vim exſiccatoriam, quæ, vt dicebat Auicennas, perficitur ſectione venæ & purgatione, etiam exigi aliquam aliam ſecretam facultatem, quæ poſſit venenis ipſis obſiſtere. His ita conſtitutis, aſſeto in febre peſtifera omni, niſi quid impediat, euacuandum & purgandum eſſe citò: nam ſi materia turgens citra omnium controuerſiam, vt meminit Hippocrates, quamprimùm eſt expellenda è corpore, eo quòd periculum ſit, ne impetum faciat in aliquod nobile viſcus: multo magis debemus ſtatim euacuare & purgare, vbi iam materia venenata cor ipſum vitæ ſedem occupauit. Eſt igitur & euacuandum, & citiſſimè: quandoquidem, vt dicit Hippocrates, ſi quid mouendum eſt, in principiis moue. Medicamenta hiſce febribus accommodata ad purgandum complura ſunt, alia quæ exhibentur in ſolidiori forma, alia quæ in liquidiori. Inter ea quæ exhibentur in forma ſolida, eſt electuarium lenitiuum, electuarium roſatum: multi etiam laudant benedictam vocatam, acceptam ad quantitatem drachmarum trium, vnà cum aqua endiuiæ menſura vnciarum quatuor. Inter ſolidiora poſſumus etiam adnumerare pillulas cochias, quas Auerroës 7. Collect. cap. 31. in cura carbunculi peſtiferi magnoperè commendat. Eſt & euphorbium à multis hac in re commendatum, & modus exhibendi eſt.

R. euphorbij	gr. xij.
Maſtichis	gr. viij.
Dictami albi	gr. iiij.

Cum melle roſato ſolutiuo fiat bolus.

Ex veteribus inuenio magnum illum Auenzoar Euphorbium maximè commendaſſe: cuius ſententiam poſteriores deinceps multi ſunt ſectati. Tamarindos etiam multi laudant, & iure: quibus, ſi placebit vobis, poteſtis tempore æſtatis vti.

R. pulpæ tamarindorum		℥. vj.
Elect. roſati Meſue	℥. ij. s.	miſce.

Hoc eſt accommodatiſſimum medicamentum. Si placebit potu medicamentum aliquod dare, habetis ſenam, epithimum, agaricum, quem inter cordialia medicamenta adnumerat Auicennas. Poteritis itaque ita medicamentum parare.

R. foliorum epithimi,	
Senæ	an. ℥. j. s.
florum violarum,	
Boraginis	an. m. s.
Scordij,	
Seminum citri	an. ℥. j. s.

fiat decoctio ſecundum artem, deinde

R. dictæ decoctionis ℥. iiij.
Agarici præparati ℈. iiij.
Rhabarbari electi ℈.iij. s.
Spicæ
Camphoræ an. gr. iij.

Infundantur omnia ſecundum artem. Deinde facta diligenti expreſſione, adde ſyrupi roſati ſolutiui ℥. iij. s.miſce.

Poſſumus etiam loco ſyrupi roſati ſolutiui vti manna. Et aduertite in his medicamentis componendis, ſemper reſpiciendum eſſe venenum, ſemper admiſcenda eſſe aliqua, quæ à veneno cor tueantur. Inter ſoluentia poſſumus etiam adnumerare frigidam, quæ magnopere in hiſce febribus curandis laudatur ab Auicenna. & nos experti ſumus anno præterito in pluribus huiuſmodi genus medicamenti contuliſſe: ſunt enim,vt audiuiſtis, magna ex parte febres ardentes.Præter euacuationem,quæ fit per medicamenta ſoluentia,vtilis etiam ſolet eſſe euacuatio facta per ſudorem: eo quod natura excitata, quemadmodum ſponte ſolet expellere; ita etiam ſtimulata per ſudorem expellit. Aqua hordei magnopere commendatur in his caſibus, ſi magna quantitate accipiatur, deinde corpus ipſum cooperiatur. poteſt etiam parari aqua hordei cum caricis, puluis de cheieri, ſeu violarum ad quantitatem drachmæ dimidiæ acceptus ante potum aquæ hordei mirificè ſudorem prouocare poteſt. Poſt purgationem, atque etiam ſi purgatio ipſa fieri non poſſit, deſcendendum eſt ad ea medicamenta quæ attemperant, & quæ viſcera vitalia corroborant. Intrinſecus ad alterandum magnopere commendat Auicenna vſum ſeri caprini. Sic etiam iura paruæ pullæ medicata herbis cordialibus, vt meliſſa, pimpinella, acetoſa, myrrhide, maximè conferunt, & inſigniter ſolent attemperare prauos humores. fiunt etiam confectiones. Et quia diximus tempore æſtatis cauenda eſſe omnia dulcia, poteritis bolos componere huiuſmodi.

R. Boli armeni ℈. j.
cornu cerui vſti,
Corall.rubeorum
Gentianæ an. ℈.s.

Cum ſucco limonum, vel ſucco citri fiat bolus. quòd ſi tempus hiemale fuerit, licebit etiam huiuſmodi puluercs immiſcere, vel conſeruæ cichorij, vel acetoſæ. De iis quæ cordi hoc tempore applicari debent, dubitatum inuenio, an melius ſit refrigerantia & adſtringentia adminiſtrare, an potius exſiccantia & calefacientia. Ergo potius amo,vt medicamenta componantur ex iis,quæ & refrigerare ſine adſtrictione, & moderatè exſiccare, ac cordi auxiliari poſſunt. huiuſmodi autem eſt epithema iſtud.

R.aquæ roſarum,
Meliſſæ
Acetoſæ an.℔. j.
Camphoræ
Croci an.℈.s.
corticum citri p.s.
Scordij
Dictami albi an.℥.j.s.

Bulliant ſimul,deinde cum panno vel lineo,vel ſericeo tenui fiat ſecundum morem epithema:poſt quod epithema hoc etiam linimentum accommodatum eſt.

R.The

R. Theriacæ optimæ ℥. j.
Pulueris ſandalorum omnium,
Scordij,
Dictami albi an. ℈. s.
Succi limonum parum.
miſce, & fiat linimentum.

De auxiliis chirurgicis, quæ in febribus peſtiferis ſunt adhibenda.

CAPVT XXVI.

HÆc pro febribus ipſis peſtilentibus expugnandis agi poſſunt (de medicamentis loquor.) eſt enim tertius, & poſtremus modus medicandi, qui operatione chirurgica perficitur: qui cum multiplex eſſe poſſit, videndum eſt primò de ſanguinis miſſione. Eſt lis antiquiſſima, an in febribus peſtiferis mittendus ſit ſanguis, necne. multi negarunt mittendum eſſe. non defuerunt qui affirmarent mittendum. atque iſti etiam inter ſe diuiſi ſunt, quoniam alij phlebotomiam, alij cucurbitulas, alij hirudines magis laudarunt: cuius, vt dicebam de pharmacis, diſſidij cauſa fuit, quoniam quodcunque faciat medicus, magna pars ægrorum moritur non remedij importunitate, ſed potius vi & prauitate ipſius morbi. quare, cum alias hac de re fuſiſſimè diſputarim, nunc dicam tantum breuiter, quid conſtituere debeatis. Sunt igitur vobis duo conſtituenda: vnum (modò vires adſint) in initio febrium peſtiferarum ſemper mittendum eſſe ſanguinem. dixi, modò vires ſuppetant, quia etiam in initio conſueuerunt ob hoc venenum vires penitus deiici. Cur autem ita laudem ſanguinis miſſionem, in primis facit auctoritas Auicennæ, qui cum dixiſſet, cardinem curationis in peſtiferis, eſſe exſiccationem, ſubiunxit hanc fieri & pharmacis, & ſanguinis miſſione. facit & ratio, quia, ſi venenum citiſſimè citra omnium controuerſiam eſt à corpore tollendum, atque ipſum venenum reſidet in ſanguine putreſcente, planè, ſi auferatur ſanguis, conſequenter fundamentum & fomes veneni aufertur. Nec obſtat materiam eſſe prauam, & propterea potius egere alui ſolutione, quàm ſanguinis miſſione: quia Galenus quarto Methodi cap. ſexto, vbi ſtatuiſſet in magnis morbis ſemper mittendum eſſe ſanguinem, declarans, qui ſint morbi magni, inquit dici magnos, vel propter vehementiam affectus, vel propter nobilitatem partis, vel διὰ τὴν κακοηθίαν, hoc eſt, propter prauitatem. vt clare docuerit etiam in morbis prauis, & malignis ſanguinem eſſe mittendum. Sunt tamen duæ conditiones, ſi fieri poteſt, diligenter obſeruandæ. vna eſt, vt ſemper habeatur ratio plenitudinis, quam non ſolum Gal. verùm etiam Auic. Paulus, & Aëtius videntur in his caſibus exigere. idque cum ratione: quia, ſi exigua fuerit plenitudo, parciſſimè mitti debet ſanguis, eo quòd venenum non poteſt eſſe ita lethale: ſi ſit paulo maior, debet etiam ſanguinis miſſio eſſe copioſior: ſi ſit inſignis, maxima ſanguinis miſſio eſt facienda. & idcirco non vos fallunt medici illi, qui arbitrati ſunt mittendum eſſe ſanguinem vſque ad animi defectum in his caſibus, quia reſpiciunt ſummam plenitudinē, cui quidem ſolet plerunque copulari febris peſtifera. Alia conditio ſeruanda eſt, vt in conſtitutionibus maximè calidis, ſi fieri poteſt, aut non mittatis ſanguinem, aut

parciſſimè. fuit namque Galeni ſententia 4. de Acutis 19.in magnis æſtibus non mittendum eſſe ſanguinem, etiamſi morbus ſit magnus, & vires permittant. immò primo ad Glauco.capit.decimoquarto dicebat, Medicos ſæpe grauiter errare, qui temporibus calidioribus mittunt ſanguinem: & addit in ea conſtitutione omnes penè interiiſſe, quibus miſſus fuerat ſanguis. Alterum conſtituendum nobis eſt,niſi in principio vocemini, nunquam cogitandum eſſe de ſanguinis miſſione. adducor ad hoc afferendum auctoritate Galeni 3.in primum Epidem. commentario 26.vbi quærens,cur Hippocrates in caſu Critonis non meminerit ſectionis venæ, inquit hanc eſſe rationem: quia Hippocrates non vocabatur in principio. quaſi velit nos docere, ſi in principio vocatus fuiſſet Hippocrates, ſecuiſſet venam,quamquam adeſſet magna prauitas,propter quam prauitatem factum fuit, vt illi miſero ægro ſtatim phlyctænæ nigræ apparuerint, & tertia die interierit. Vbi igitur licebit mittere ſanguinem, ſemper eligenda erit venæ ſectio: ita vt ſi malum ſeſe oſtendat in partibus ſuperioribus, à baſilica ſanguis mittatur. Si autem ſe malum prodat in partibus inferioribus, in inguinibus,in coxis, vel in partibus ſubtus iecur,potius eligenda erit vena poplitis, vt, quemadmodum natura ſeſe in illis partibus exonerare tentat, ità & vos ei auxiliemini. Si non liceat venam ſecare, vel ratione ætatis, vel ob aliquid aliud, habemus cucurbitulas, hirudines. poteſt euacuari ſanguis per hirudines applicatas tum hæmorrhoidibus, tum etiam ipſis pedibus, prout ſcilicet morbi impetus poſtulare videbitur. ſic etiam cucurbitulas vſurpare poſſumus:de quarum apponendarum loco etiam medici non parum diſſenſerunt.placet autem mihi, vt potius cucurbitulæ apponantur partibus infra iecur,ſupra nates,& ſub natibus,eo quod,cum vehemẽter attrahant hæc inſtrumenta, multo ſatius eſt eas attrahere venenum ad partes à corde remotas,quàm ad ipſi proximas: ſi ſcarificationes perferrent ægri, aut miniſtri noſtri intelligerent illud genus operationis, proculdubio amarem etiam hoc genus auxilij: quod ſanè inuenitur laudatum apud Galenum, & apud Oribaſium ex ſententia Apollonij. ſed,quemadmodum aliàs copiosè diſputaui,huiuſmodi operatio non eſt in vſu. dico non eſſe in vſu: quoniam,mea ſententia, valde differunt apud medicinæ ſcriptores ſcarificationes, cucurbitulæ ſcarificatæ, & cucurbitulæ leues. Sed hac de re non eſt vt longiùs diſſeram, cum præſertim, vt dixi, fuerit accuratè à nobis tractata. Inter chirurgicas operationes adnumerare poſſumus auxilij genus illud, quod veſicatorium nuncupatur. Hæc veſicatoria venenum à corde ad partes ignobiliores trahunt, ſiue venenum poſitum ſit in vaporibus, ſiue in humoribus. Nec credatis hoc genus auxilij nouum eſſe, & ſine ratione. eſt antiquiſſimum, vt videre poteſtis apud Galenum ſexto de Medicamentis localibus, capite primo: eo enim in loco, ex ſententia Archigenis, in iis qui cruciantur ob flatus ventriculum diſtendentes, magnopere laudat, vt ſpongiam aceto acerrimo maceratam brachiis, & pedibus appònamus, vſquequo phlyctænæ fiant. Oribaſius etiam octauo Collect. cap. decimonono inter remedia, quæ maximè reuellunt venenum, & prauos humores à partibus nobilioribus, enumerat medicamenta acria, artubus appoſita. Idem Galenus primo de Humoribus (vt etiam narrat Rab. Moyſes in Aphoriſmis) ſcribit, vbi humor ad caput, aut ventrem fertur, medicinas mordicatiuas manibus & pedibus appoſitas magnopere conferre. Iacobus de Partibus, qui plus ducentis annis ante nos vixit, clariſſimè omnium mentionem fecit veſicatoriorum noſtrorum: immò eandem penè formam & materiam deſcribit, qua nos vtimur: nam in Commentariis ſupra primam quarti, capit. de febre peſtilenti, inter alia remedia

media quæ ſcribit conferre, enumerat veſicatoria appoſita & brachiis, & cruribus,facta ex lacte vel ficuum,vel tithymali,vel ex cantharidibus cum fermento. vt non ſit dubitandum,hoc præſidij genus eſſe antiquum.Locus igitur vbi apponuntur hæc remedia,eſt in brachiis,tribus digitis ſupra carpum, & in parte anteriore crurum,paulo ſupra malleolum. materia eſt varia qua vtimur ad efficienda veſicatoria:ſed interdum vſurpamus flammulam Iouis,& herbam illam,quæ pes cerui vocatur: contunditur enim hæc herba,& modò ſola, modò aceto acerrimo macerata applicatur. ſed, vt dixi, frequentiſſimè omnium vtimur cantharidibus vnà cum fermento.& cantharides magis laudo,eo quia & Hippocrates, & Dioſcorides prodiderunt,eas aduerſus venenum magnopere valere. Poteritis igitur huiuſmodi veſicatorium conſtituere.

R. Cantharidum præparatarum	ʒ.iij.
Fermenti	ʒ.s.
Aceti acerrimi parum,	miſce.

& fiat paſta.addi etiam poteſt interdum modò ſinapi,modò euphorbium,quemadmodum (niſi fallor) copioſiùs docui in tractatu de Componendis medicamentis. Figura veſicatorij debet eſſe vel rotunda, vel oualis, lata autem,& longa plus minuſve tribus digitis.modus vtendi eſt,vt omni tempore, & ante prandium,& poſt, apponatur locis prædictis prius calefactis vel fricatione, vel lotione calida. Vbi appoſitum eſt hoc remedium, detinetur vſque quò excitentur veſicæ, quæ ſolent fieri interdum ſpatio decem horarum,interdum viginti,modò maiori,modò minori.vbi factæ ſunt veſicæ,rumpuntur, vt ichor ille exeat, & vbi ruptæ ſunt apponitur butyrum cum folio caulis,quod per vnam, vel alteram diem detinetur:demum loco butyri apponitur parti vlceratæ vnguentum ſacrum,quod ſi dolorem excitet, aufertur vnguentum ſacrum,& loco illius,ad dolorem placandum, illinitur modò vnguentum roſatum,modò linimentum ſimplex: dolore ſedato,iterum apponitur vnguentum ſacrum,quo vlcera eatenus aperta conſeruantur,quouſque malũ proruſus finitum ſit: & niſi ſponte conſolidantur,emplaſtrum illud diapalma vocatum, adhibetur ad inducendam cicatricem.Hactenus de febribus ipſis peſtilentibus.

De Bubone peſtilenti.

CAPVT XXVII.

INter vitia autem quæ in peſte plerumque conſpiciuntur, ſolent frequenter apparere tumores, qui in variis & diuerſis partibus fiunt; ſubtus aures, ſub axillis,& in inguinibus: ac modò ſunt maiores, modò minores,modò minimi: interdum cum dolore, interdum doloris expertes. Vocantur autem omnes iſti tumores communi nomine à Græcis, bubones, quod nomen etiam à Latinis hodie vſurpatur. & ratio eſt huius nominis, quoniam glandulæ ipſæ, in quib. fiunt, ab Hippocrate, & aliis medicis ſunt appellatæ bubones, vt teſtatum habetis apud Galenum tum alibi, tum præſertim in Commentariis ſupra ſecundum librum Epidemi. quorum commentariorum fragmentum à me Latinitate donatum habebitis in Galeno, qui excuſus eſt nuperrimè apud Iuntas. Differentia eſt tamen inter hos tumores, eo quia frequentiſſimè oriuntur in inguinibus,vnde peſtis inguinaria vocatur:rariùs naſcuntur ſub axillis:rariſſimi omnium fiunt ſubtus aures.

Cur in omni ferè peſte conſpiciantur huiuſmodi tumores, potiſſima cauſa eſt, quoniam venenum peſtiferum vſque adeò eſt naturæ inimicum, vt non ſolùm ſollicita ſit in cuſtodiendis viſceribus ab illo, verùm etiam ab omnibus partibus corporis conetur illud depellere. & cum glandulæ ſint omnium corporis partium imbecillimæ, hinc fit, vt venenum ipſum in eas partes depulſum frequenter tumores procreet. dixi ab aliis partibus naturam etiam depellere hoc venenum, eo quia duplex eſt ipſorum bubonum peſtiferorum generatio: vna, & potiſſima eſt, quando à veneno primum cor afficitur, cuius vis excitata illud à ſe ſe depellit. alter modus generationis eſt, quando non primo afficitur cor, ſed vel per contagium, vel aliqua alia ratione contaminata vna aut altera pars corporis, venenum, quod in ſeſe habet, expellit in partem debiliorem. differentia eſt horum generationis modorum, quia, vbi fiunt tumores corde primum offenſo, ſemper ſolet febris antecedere, aut ſaltem comitari, vbi verò non fiunt à corde primum offenſo, non eſt perpetuum vt febris ipſos comitetur, ſed fiunt ſaltem ab initio ſine febre, imò verò etiam interdum perdurant ſine vlla febre. Cur porrò frequentius fiant in inguinibus, & rariſſimè in capite, hæc eſt vera ratio, quia materia illa craſſa eſt, viſcida, & lenta, propter quod promptius ferrur deorſum depulſa à natura: inguina verò cum ſint infra partes infectas, facillimè omnium ſuſcipiunt hanc materiam, alioquin proprio impetu deſcendentem. Etſi autem caput, ſicut dicebat Hippocrates quarto de Morbis, propter ſui capacitatem & cauitatem facilè recipiat humores & morbos, iſti tamen peſtiferi humores, propter ſui lentorem & viſciditatem, non facilè trahuntur in caput, nec facilè attolluntur, ſed ſolummodo vapores ſunt, qui in caput eleuati, alia ſymptomata, quæ audiuiſtis, inducunt. Nec moueat vos quòd materia illa peſtifera, ex qua fiunt variolæ, tentet maximè omnium faciem & caput, propterea quod illa materia eſt per omne corpus diſperſa, & propterea, cùm magno impetu feratur, in ora & in caput, quod facilè recipit, fertur. Secus eſt de materia peſtiferarum febrium, & de materia bubonum, quæ cum non ſit per vniuerſum corpus diffuſa, ſed in corporis partibus intimis lateat, non facilè inde poteſt in ſuperiores capitis partes attolli. Cognoſcitur tumor peſtifer faciliter, tum propter peſtem vagantem, tum propter accidentia ſæua quæ ipſum comitantur: nam fiunt deliria, dementationes, vomitus, vrinæ turbidæ, & multa alia ſæua ſymptomata, quæ faciunt, vt facilè diſtinguatur tumor peſtilentialis à non peſtilentiali: quia, etiam ſi bubones non peſtilentiales fiant regnante peſte, vt compertum eſt hiſce temporibus noſtris, verumtamen quia non ſunt peſtiferi, neque febres habent niſi diarias, vt docet Hippocrates & Galenus in Aphoriſmis, nec dementationes, vomitus, vrinas prauas, quemadmodum habent peſtiferæ. Omnis bubo peſtilens lethalis eſt, & quanto magis occultus eſt, & quanto minor, eò deterior eſſe ſolet, vt interdum ægri cum his pereant ſecunda, tertia, & quarta die. Dixi interdum fieri bubones ſine febre. dubitatur, an poſſit fieri vel bubo, vel aliquod aliud vitium peſtiferum abſque febre. Ex vna parte videtur fieri poſſe primo auctoritate Hippocrat. tertio in tertium Epidem. tex. ſexageſimo, vbi, poſtquam narraſſet multa genera morborum, inquit, neminem eorum, qui cum febre ægrotabant, fuiſſe inobedientem. Ex quo loco elicere poteſtis, ægrotantes aliquos peſte fuiſſe ſine febre. tex. etiam quinquageſimoquinto eiuſdem libri, & alibi ſæpe nominat plurima, atque etiam pernicioſa ſymptomata, quorum alia dicit fuiſſe cum febre, alia ſine febre. Galenus etiam 9. de Simpl. medicina. cap. de bolo armeno ſcribit in ea peſte exhi-

bitum

bitum fuiſſe illud medicamentum aliquibus, qui ſine febre erant, cum vino, aliquibus verò ſine vino. vnde facilè patet, peſtem eam aliquos tentaſſe ſine febre. Accedit etiam teſtimonium noſtrum: quandoquidem in hac peſte viſi ſunt & carbones & bubones ſine febre. Ex altera parte ſunt auctoritates & rationes, quibus conuincitur morbos nullos peſtiferos eſſe poſſe ſine febre. eſt primum auctoritas ipſius Hippocrat. in libello de Flatibus, vbi, diuidens febres in communes & particulares, dicit, febres communes eſſe peſtem: quaſi voluerit omnino inſeparabilem eſſe febrem à peſte. Paulus, Aëtius, Auicen. & Rhaſes, & omnes ferè alij, quando de peſte tractarunt, obſeruabitis eos tractaſſe inter febres peſtilentes: quod quidem argumentum eſſe poteſt, ſecundum horum ſententiam, febrem eſſe penè eſſentialem ipſi peſti, & omni morbo peſtifero. Sed præter auctoritates non deeſt ratio. etenim peſtis non eſt dubium quin ſit morbus acutus, imò acutiſſimus: quia ſi character morbi acuti eſt, vt ſit velocis motus, & cum periculo, quemadmodum dicebat Archigenes, proculdubio peſtis celeriter mouetur, quia citò interimit: & cum periculo, quandoquidem maiorem ægrorum partem perdit: igitur eſt etiam cum febre. Probatur hæc conſequentia auctoritate Hippocratis, & Galeni. ſcribit namque Hippocrates primo Epidemi. ſectione tertia, text. tertio, morbos acutiſſimos, & difficillimos ſemper eſſe febri continuæ coniunctos. Galenus etiam primo Aphoriſm. ſeptimo, & tertio de Difficult. reſpir. circa finem ſcribit, febrem inſeparabilem eſſe à morbis acutis. Accedit huic & altera ratio: quia ſi, vt prodidit Galenus primo de Different. febr. quarto, peſtis generatur putrefactione accenſa circa cor, nequaquam fieri poteſt, vt hoc ſit ſine febre, hoc eſt, vt putredo inſignis fiat in corde ſine calore primum in ipſo accenſo, deinde per vniuerſum corpus expanſo. Pro reſolutione huius dubitationis ita ſtatuendum eſt vobis, bubones & carbones peſtiferos nunquam fieri poſſe ſine febre, tumores autem & carbunculos non peſtiferos fieri poſſe ſine febre, etiam quòd oriantur tempore peſtilentiæ. Sed quid dicemus ad auctoritates allatas? Duplici modo reſpondere poſſumus: vno, febrem aut eſſe inſignem, aut eſſe exiguam, & vix apparentem. peſtis fieri quidem poteſt interdum, & fit ſine febre inſigni, quemadmodum docet Galen. 9. illo de Simpl.medic.ſed quod fiat peſtis ſine febre, ſaltem exigua, & vix ſenſibili, nunquam eſſe poteſt. & propterea quando Hippoc. narrat, ægros aliquos fuiſſe ſine febre,intelligendum eſt de febre inſigni.Alio modo reſpondere poſſumus, febrem aut poſſe antecedere, aut poſſe ſequi, aut poſſe comitari ipſam peſtem. Si loquamur de febre quæ poteſt antecedere bubonem, aut alium morbum peſtiferum, proculdubio non eſt neceſſarium, vt huiuſmodi febris antecedens alios morbos peſtiferos continuò copuletur peſti, quia, vt intellexiſtis, fit & bubo,& carbo non ſolùm corde primum offenſo, verùm etiam aliis partibus. Sed ſi loquamur de febribus, quæ poſſunt & comitari, & ſubſequi vitia peſtifera, dico, fieri non poſſe, vt vllum vitium peſtiferum inueniatur, quin habeat ſaltem febrem, aut comitantem, aut ſubſequentem. Hanc reſolutionem poteſtis elicere ex magno Hippocrate tertio in tertium Epidem.tex.vigeſimooctauo, vbi clariſſimè colligitur, febrem interdum ſequi peſtiferos morbos, interdum comitari, aliquando etiam antecedere. Quod autem in hac noſtra peſtilentia ſint viſi carbones & bubones ſine febre, id factum eſt, quia illi non erant peſtiferi, neque etiam, vt dixi, abſonum eſt etiam tempore peſtis fieri tumores, & alia vitia non peſtifera, ſicut fiunt & febres non peſtilentes, atque alij morbi. vel, ſi erant peſtiferi, aut habuerunt ſaltem febres ſubſequentes, aut antecedentes,

& comitantes, ſed exiguas & placidas: cuiuſmodi certum eſt tempore peſtilentiæ fieri plurimas.

Bubonis peſtilentis curatio.

CAPVT XXVIII.

CVratio bubonis peſtiferi, quod pertinet ad pharmaciam, ad victus rationem, & ad chirurgicam operationem, eadem ferè eſt, quam deſcripſimus in febribus peſtilentibus. quo fit, vt ſuperuacaneum exiſtimem repetere eandem viuendi rationem, eadem pharmaca, & eadem auxilia chirurgica. Solùm itaque tradenda eſt curatio, quæ fit per localia medicamenta, & propria ipſius bubonis. inueniemus autem auxilia accommodata, ſi ſcopos præ oculis habeamus huic malo debitos. eſt bubo tumor præternaturalis. itaque, cum ſit morbus in magnitudine vnà cum inflammatione, indicatur nobis, magnitudinem illam eſſe tollendam, & inflammationem eſſe reprimendam. quare ratione ipſius inflammationis, vtendum eſſe refrigerantibus medicamentis; ratione autem magnitudinis, quæ fit propter materiam auctam, indicatur opus eſſe illius materiæ eductione & ablatione. Sed quia hæc materia non ſolum multitudine offendit, verum etiam praua & venenata qualitate, duo hic animaduertenda ſunt. vnum, vt materia illa omnino extrahatur, idque citiſſimè, ne ibi detenta venenum longè latéque per corpus diffundat. alterum eſt, ne cùm ſit in parte ignobili, refrigerantibus medicamentis, quæ alioquin conuenirent ratione inflammationis, venenum intra corpus repellamus. quapropter hic præcipuus ſcopus eſſe debet, vt quàm citiſſimè fiat & attractio & euacuatio. quæ euacuatio & ſenſibiliter & inſenſibiliter fieri poteſt. ad attrahendum & euacuandum inſenſibiliter multa ſunt auxilia. eſt in primis cucurbitula ſicca & ignita, quæ appoſita attrahit, & etiam inſenſibiliter diſſipat. eſt etiam vnguentum diachylon vocatum. apponunt etiam aliqui columbum, vel gallum: nam diſſecant partes horum animalium poſteriores adhuc viuentium, atque ita tepentes apponunt: fit enim, vt calore huiuſce partis venenum attrahatur, & diſſipetur. idem præſtat columbinum ſtercus adhibitum. Attractio autem & euacuatio ſenſibilis fit, vt cucurbitula ſcarificata illi parti appoſita, aut parti propinquæ, hirudine etiam adhibita, aut ſcalpello. veſicatorium quoque, & cauterium apponitur ſtatim, vt ſcilicet ſimul materia illa venenata & attrahatur, & conſumatur: hæc fiant ſtatim in initio tumorum peſtiferorum dum apparent. Vbi ſatis materia fuerit attracta, nec ſuſpicio ſit fore, vt venenum intrò reuertatur, totum ſtudium conuertendum eſt ad maturationem illius materiæ attractæ: quod quidem fit emplaſtris & vnguentis. Laudatur magnopere vnguentum diachylon magnum vocatum: laudantur etiam emplaſtra, quæ fiunt ex malua & radicibus altheæ, ex cæpis, croco, terebinthina. & vt habeatis aliquas formas, primum erit emplaſma iſtud.

℞. Butyri recentis,
Axungiæ porcinæ an. ℥. j.
Terebinthinæ ℥. s.
Croci
Scordij an. ℈. s. miſce.

&

& fiat emplaſma. Alia forma valentioris emplaſtri eſt.

R. radic. altheæ coctarum per cribrum
tranſmiſſarum ℥. j ß.
Cape lilij ℥. s.
Dictami,
Scordij an. ℥. j. s. miſce.

& fiat emplaſma. Hæc emplaſtra debent ſæpe remoueri, ter ſaltem in die ac nocte: eo quòd, cum venenum tumoris attrahatur ab emplaſmate, quanto magis permutatur, tanto melior fit attractio. Vbi maturuit, ſtatim aperiendus eſt. & aduerte, tumores peſtiferos eſſe aperiendos, priuſquam toti ad maturationem perueniant: quia, vt dicebam, hoc venenum, quàm citiſſimè fieri poteſt, educendum eſt. Modus aperiendi eſt, vel per ſcalpellum, vel per ruptoria, ſeu cauſtica medicamenta: cuiuſmodi ſunt illa quæ componuntur ex ſapone & calce. Vbi apertus eſt tumor, vlcus diligentiſſimè emundandum eſt: ad quod agendum præſtantiſſima eſt therebinthina, cum melle & ſcordio. addo ego frequenter ſcordium, eo quod huic putredini venenatæ ipſo nullum auxilium præſtantius inuenitur. quòd ſi etiam mala caro, vt fit, ipſi vlceri ſupercreſcat, comprimenda eſt aut puluere aluminis vſti, aut vnguento Ægyptiaco vocato. Emundato vlcere, ſequitur vt regeneretur caro: quod quidem fit pulueribus illis ſarcoticis vocatis: cuiuſmodi ſunt hi.

R. myrrhæ ſarcocollæ,
Fol. oliuæ vſtorum,
Thuris,
Scordij an. ℥. ij.
Rad. ireos ℥. s. miſce.

Conſperguntur hi pulueres ſuper vlcus, & deinde ſuper pulueres apponitur vel vnguentum de ceruſſa, vel aliquid aliud huiuſmodi. Vbi genita eſt caro, & repletum totum vlcus, ſupereſt cicatricem inducere: idque fit vel cerato, quod diapalma vocatur, vel ipſo vnguento albo camphorato. & laudo hoc vnguentum album camphoratum, propter camphoram, quæ valenter poteſt aduerſus venena, & materias peſtiferas.

De Carbunculo peſtilenti.

CAPVT XXIX.

INter vitia peſti maximè familiaria, eſt & illud, quod à Græcis vocatur ἄνθραξ, à Latinis carbo, ſiue carbunculus. Barbari qui ſæpe circa nomina ineptiunt, faciunt differentiam inter carbonem & anthracem: ſed apud optimos medicinæ ſcriptores anthrax idem eſt, qui carbo. eſt autem carbo duplex, vnus non peſtilentialis, alter verò peſtilentialis. de non peſtilentiali locutus eſt Plinius lib. vigeſimo ſexto cap. primo: quo loco ſcribit, carbonem peculiarem morbum eſſe prouinciæ Narbonenſis, atque L. Paulo, & Q. Marcio Cenſoribus primum in Italiam veniſſe. Peſtilens autem carbo, de quo pertinet ad nos loqui, eſt tumor modò vlceratus, modò non vlceratus, qui tumor fit ab humore craſſo, vſto, putreſcente,

atque venenato.propter humoris craſſitiem fit,vt durus ſit, propter incendium in baſi colorem referat rubrum,paulo ſupra baſim nigritiem,& tandem in apice veſicam albicantem habeat.Cur hos varios colores habeat cauſa eſt,quia, cum ſit humor inflammatus & ardens,vt eſt natura rerum ignearum,ſemper ardor & flamma ſuperiores partes petit,vnde fit, vt in baſi rubeat:ſupra baſim, vbi maior eſt ardor, nigreſcat:in apice,vbi maximum incendium fit propter vſtionem, veſica. ad quæ omnia ſequitur plerunque etiam dolor & cruciatus. propter putredinem carbo fœtidus redditur,vt non immeritò Hippocrates tertio Epidemi. appellauerit carbones per excellentiam σήψεις, hoc eſt,putredines. propter venenum carbo efficitur contagioſus,adeò vt ſit tumor feruidus,dolorificus, fœtidus, & contagioſus: cuius etiam,vbi veſica difrumpitur, non ſolum tumor eſt, verùm etiam vlcus peſtiferum & fœtidum. Ad ſimilitudinem huius carbonis ſcriptores rei ruſticæ vocarunt carbunculum, & carbunculationem quoddam genus vitij arborum, & vuarum, quando ſcilicet oculi germinum arborum præ frigore vruntur, & corrumpuntur, necnon quando vuæ foliis denudatæ ſub ardente ſole exareſcunt, & exſuccæ euadunt. Duplicem, quemadmodum & tumor,habet carbunculus generationem: vnam, quando cor primo affectum à ſeſe in partes extimas venenum depellit:alteram,quando partes aliæ vel contagio,vel aëre contaminatæ venenum in ſe generant,& ſic genitum detrudunt in partes ignobiliores.Primos carbones ſemper vel antecedit,vel comitatur febris: hoſce poſtremos non eſt neceſſe vt antecedat febris,ſed vt ſaltem ſequatur. Non me latet etiam fieri carbones ſine febre, vt dicebam:ſed illi non ſunt peſtilentes,quos vel febris non antecedat,vel ſaltem non ſequatur,comitetúrue.Quod ſcribit Nicephorus Calliſtus libro ſeptimo, capite vigeſimo octauo,& Euſebius libro nono,cap. ſexto, ſub Maximini Imperatoris principatu peſtem eſſe graſſatam cum vlcere, quod vocabatur anthrax, & ſerpens per vniuerſum corpus,atque oculos tentans ferè omnes excæcabat, mea ſententia vlcus illud non erat verè carbo,ſed potius vlcera depaſcentia, cuiuſmodi facta eſſe in peſte Athenienſi narrat Thucydides.atque etiam puto illud vitium ſimile fuiſſe illi,quod refert Galenus in libro de ſectione venarum & arteriarum cap. ſeptimo: vbi ſcribit, putrifica quædam vitia ita aliquando circumiacente cute locum inferiorem,ſedem ſcilicet ipſam denudaſſe,vt nudæ apparerent venæ,eáque inquit per totum corpus continenter apparuiſſe, cum fœda quædam lues carbunculorum in Aſianos populos graſſaretur.Et notate, ne decipiat vos interpres Latinus Euſebij, quoniam,quod is dicit,illud genus carbonum nouum, & peregrinum fuiſſe, nequaquam hoc habet codex Græcus;neque etiam Nicephorus, qui ab Euſebio omnia accepit:neque Rufinus Euſebij interpres vetuſtus,neque etiam poteſt eſſe:quoniam ſi,vt dicebamus,familiare vitium peſti eſt carbo, quî fieri poteſt, vt eſſet nouum malum, & peregrinum? Cognoſcetis carbones, quia quos dixi,colores habent,dolorem:& præter hæc iuncta habent alia ſæua ſymptomata, vt vigilias, ſitim,inteſtinum incendium,deliria,ſopores interdum,& vrinas igneas,aut turbidas. Eſt omnis carbo peſtilentialis penè lethalis: & quo minor eſt, vt aliàs etiam dicebam,eò deterior:quo verò plures ſunt & latiores, eò magis ſalutem promittunt.

De

De curatione carbonis peſtilentis.

CAPVT XXX.

RAtio curationis carbonis,& in viuendi ratione,& in pharmacorum vſu, & in chirurgica operatione eadem eſt cum ea, quam propoſuimus in febre peſtiſera. Illud vnum diſcrimen eſſe poteſt,quod vbi apparent carbones,pharmaca exhibenda debent eſſe vehementiora, quemadmodum ſcamoneata laudata ab Auerroë:quia humor iſte alioquin craſſus & vſtus, ſi educendus eſt, valentiſſimo indiget remedio. debet etiam ſanguinis miſſio copioſior eſſe, vbi carbones adſunt, quàm vbi adſunt ſimplices tumores: quoniam incendium & feruor cum carbonibus omnium maximus eſt.quo fit etiam,vt in his magis diligenda ſit frigidæ exhibitio opportuna,quàm in tumoribus,aut aliis peſtiferis vitiis. localis autem curatio propria & debita carbunculis, tota capienda eſt ex natura ipſius. Eſt enim tumor factus ex humore vrente,putreſcente & venenato. Eapropter, vt dicebam de tumoribus, primus ſcopus medici eſſe debet, vt materia euacuetur ex ea parte: quod quidem fit variis & diuerſis modis. fit enim primum euacuatio huius materiæ ſcalpello: nam ſtatim atque veſicula illa apparet, optimum eſt illam incidere, vt exſpiret virus illud. atque huiuſmodi conſilium fuit Galeni decimo quarto Method. & Auicennæ. Si fieri non poſſit ſcalpello, vel propter ægri timorem, vel ob aliud impedimentum, cauſticum aut veſicatorium ſtatim apponendum eſt, vt aperto illo tumore venenum diſſletur. Aperto carbone, tres ſcopi ante oculos habendi ſunt medico: vnus,vt putreſcens materia exſiccetur; alter, vt incendium & feruor remittatur; tertius, vt venenum materiæ compeſcatur. Idcirco componere ſolent medici medicamenta ita, vt tres hos ſcopos reſpiciant. Tale illud eſt,quod fit ex ſucco plantaginis,ex ſcordio,ex lentibus,& ex pane furfuraceo: exemplum ſit huiuſmodi.

R. lentium elixarum,	
panis furfuracei	an. ℥. s.
Pulueris gallarum	
Scordij	an. ʒ. j. s.
Succi plantaginis	℥. j. s. miſce.

Ac fiat emplaſtrum. quod quidem ſæpius in die,ac noctu mutandum eſt:quandoquidem venenatur & ipſum ſi diutius maneat ſuper carbones, quemadmodum ſi ſæpè mutetur, efficacius attrahit in ſeſe venenum, & refrigerat, atque exſiccat. Solet ſæpe intolerabilis quidam cruciatus copulari carbonibus: qua in cauſa mirificè conducit ad placandum dolorem lac cum pane furfuraceo, & ſucco plantaginis:lac ſit vel caprinum,vel vaccinum. quod ſi carbo ſit admodum malignus, ac periculum immineat ne vlceratus ſerpat in vicinas partes, atque eas depaſcatur, duo ſunt à vobis agenda:vnum eſt,vt vicinæ partes cuſtodiantur medicamentis refrigerantibus,& exſiccantibus,hoc eſt,ſucco plantaginis, lentibus coctis in aceto, bolo armeno & aceto,albumine oui,& ſanguine draconis. his namque illitis partibus vicinis,facilè vitatur periculum corruptionis ipſarum. Alterum eſt,vt partibus ipſis vlceratis apponantur medicamenta,quæ valenter exſiccare poſſunt,cuiuſmodi ſunt cauſtica:& inter alia in his caſibus maximè vtiles ſunt,& à Galeno commendati paſtilli Andronis, vnguentum Ægyptiacum, vnguentum Apoſtolorum:

acetum

acetum etiam cum modico aluminis,& floris æris potentiſſimè exſiccare, & coërcere poteſt putredinem ipſius carbonis. Eſt in his medicamentis etiam illud ſeruandum,quod monui,vt ſæpe mutentur. Sed, ſi medicamenta nihil proficiant,deueniendum eſt tandem ad ignem, atque carbones ipſi adurendi. quod enim nec medicamenta,nec ferrum facere poteſt,id facit,vt dicebat Hippocrates,ignis. Poſtquam cruſta carbonis cecidit,atque illud extractum eſt, quod appellat vulgus radicem, ſupereſt vt vlcus diligentiſſimè emundetur. Pro quo agendo magnopere valet mel,& carbo feruens quercinus: quem carbonem ſcribit Plinius in fine libri 36.carbones peſtiferos finire. Valet etiam ad idem vnguentum ex melle, & ſarcocolla,deſcriptum apud Raſem 7. ad Alman. Therebinthina etiam, quæ, vt dixi, à proprietate iuuat,vnà cum vitello oui,& melle mirificè valet. Expurgato,& emundato vlcere,inducenda eſt caro & cicatrix: & ſi aliquid carnis ſuperfluæ creuit,totum abradendum eſt eo pacto,& iis remediis, quæ in bubonibus monſtraui.

Atque hic eſt finis eius de peſtilentia tractationis,quam vobis pollicitus ſum. Placeat Deo immortali hanc labem à nobis auertere, atque nos conſeruare: quò poſſimus pro vobis laborare, & tempore Quadrageſimæ lectiones noſtras proſequi.

* * *

INDEX

INDEX COPIOSISSIMVS NOTABILIVM, QVÆ IN TOTO OPERE CONTINENTVR.

A

Accidentia cur tot,& tanta in peſtilentia. 32
Aërem totum ſimul non coinquinari. 27
Aeſtibus in magnis non mittendus ſanguis. 54
Aërem quantumcunque calidum ſemper eſſe frigidiorem cerebro. 29
Aëris contagio multo plures infici,quàm fomitis,& contactus. 25
Aëris corrigendi modus. 42
Aërem dupliciter capi. 11
Aërem igne alterandum , & exſiccandum, quando. 40
Aër eſt occaſio & cauſa gignendis venenis in corporibus. 29
Aërem non fieri venenatum eo modo quo alia venena. ibid.
Aërem eſſe medium, per quod fit contagium. 20
Aër quis fuerit noſter. 10
Aër veræ peſtis cauſa. 8
Aërem peſtiferum conducere ad veneni generationem in noſtris corporibus. 11
Aërem non fieri venenatum. ibid.
Aër mutandus in peſte. 42
Agaricum inter medicamenta cordialia. 51
Alliorum vſus in peſte prauus. 46
Alui emollitio quibus fienda. 48
Aluus quomodo emollienda. 45
Altimari ſententia de aëre. 10
Animi motus vehementes vitandi. 44
Annonæ caritas cauſa peſtis. 39
Anni tempus fuiſſe intemperatum. 27
Amygdalæ,& nuces auellanæ cur bonæ. 46
Ammiani Marcellini ſententia de anguſto foramine,quod fuit peſtis cauſa. 11
Antidotus Mithridat. 46
Aperiendi modus, qui bubonibus adhibetur. 59
Apollonium Tyaneum prædixiſſe peſtem Epheſiis. 9
Aqua hordei vtilis. 52
Aqua carnis Auicen. 49
Ariſtotelis dictum quomodo intelligatur,aërem non corrumpi. 11
Ariſtoteles dubius de contagio in peſte. 4
Artium opera ciuitates quaſdam auxiſſe , vt populus aleretur. 39
Athenienſium peſtilentia celeberrima ex Galen.Thucydide, & Lucretio. 2
Attractio &.euacuatio in bubonibus quomodo fienda. 58
Audaciores minus periclitari in peſte. 44
Auicennæ error de aëre in peſte. 33
Auripigmenti factitÿ vſus,& quomodo paretur. 47
Auſtros peſtem aduehere. 38

B

Belluæ cur non inficiantur ab hominibus,vel econtra. 20
Bibaces plurimos peſte extinctos eſſe. 45
Bolum armenum , & Theriacam ſola exſiccatoria facultate non prodeſſe in peſte. 50
Bruta tentata in aliis peſtilentiis. 2
Bruta carniuora non attigiſſe cadauera in peſte Athenienſium. 40

Bubo

Bubonum peſtiferorum duplex generatio. 55
Bubones qui,& in quibus locis. ibid.
Bubo omnis peſtilens lethalis. 56
Bubonum, & variolarum materiæ inuicem comparatæ. ibid.
Bubonis peſtiferi curatio per localia medicamenta. 58
Bubo an aliud vitium peſtiferum ſit abſque febre. 56

C

Cadauera inſepulta cauſam fuiſſe peſtis. 40
Calidam & ſiccam intemperiem eſſe cauſam peſtis. 13
Canes, & animalia poſſe communicare infecta,interdum etiam pannis. 22
Canis rabidi morſus diutius latere. ibid.
Cadauera extra vrbem portanda, vel cremanda. 40
Cadauera eſſe contagioſa. ibid.
Calor præter naturam in peſte. 7
Calidum & humidum intemperamentum producere peſtem. 12
Carbones quomodo gignantur. 34
Carbones ſine febre non eſſe peſtilentes. 60
Carbonis ad ſimilitudinem quod genus vitij arborum,& vuarum vocetur. ibid.
Carbunculi duplex generatio. ibid.
Carbo quis,& quotuplex. 59
Carbo peſtilentialis ferè lethalis omnis. 60
Carbonis peſtilentis curatio. 61
Cantharidæ magis probandæ pro veſicatoriis. 55
Carbones ab Hipp. per excellentiam dici σήψεις. 60
Caro ſupercreſcens quibus comprimenda. 59
Carnes improbari in febribus peſtiferis. 49
Carnes quæ fugiendæ in peſte, & quæ amplectendæ. 46
Cauſa morbi duplex genere, quæ communicatur. 18
Cauſæ internæ peſtis quæ. 7
Cauteria inter euacuantia prodeſſe in peſte. 47
Celtæ ſuperatis Illyricis quomodo peſte fuerint infecti. 25
Cerebrum omnium partium frigidiſſimũ. 29
Cibus & potus in febribus peſtiferis, de quibus magna contentio apud medicos. 49
Cibus nullus penè gratus, aut vtilis ſine aqua. 39
Cicatrix quibus inducenda. 59
Cicadas rore veſci,& cur non cecinerint. 10
Citò,longè,tardè,ex quo manarint. 32
Clyſteres varij. 48
Cæli vires & influxus inter peſtilentiæ cauſas collocata. 32
Contagium ſolum Venetiis, & Patauij operatum eſſe, multorum ſententia & rationes. 10
Communes morbi qui. 3
Communicatio eſt quidam motus. 17
Coitus,& balnea vitanda in peſte. 45
Contagio in peſtifero morbum acquiri & quomodo. 18
Contagium per medium aërem multo plures cur perdiderit. 25
Contagium nihil poſthac effecturum. 35
Contagium per communicationem meræ, & puræ qualitatis. 18
Contagium quod peius ſit. 24
Contagij natura indaganda. 17
Contagium vtrùm requiratur ad peſtis naturam. 4
Contagio cur extinguantur integræ familiæ. 20
Contagij fomitis mentio cur nulla facta apud veteres. 24
Contagium in peſte Veneta, & Patauina. 25
Contagium fieri per humores in lue Gallica. 18
Communicatum in contagio quod ſit. ibid.
Confectiones variæ,& antidoti. 46.47
Corpus à quo vapor peſtiferus communicatur duplex. 18
Cornelij Celſi de vino in peſte ſententia. 45
Corpora, quæ verè fomitis loco eſſe poſſunt. 18
Corporis diſpoſitionem eſſe neceſſariam. 15
Corpus,à quo mittitur vapor peſtifer. 18
Confectiones cordiales. 52
Corcyram inſulam ab imminente peſte liberaſſe M.Varronem. 38
Communicari humorem in ſcabie. 18

Corpora an rarefacienda, & aperienda in peſte. 45
Cordi quæ applicari debent. 52
Corpora humana ſola peſte tentata. 2
Conſtitutio quæ aëris. 12
Conſtitutio præterita quæ. 2
Corruptio quæ vera, & non vera. 11
Κρυπτήρια, quæ. 35
Cucurbitularum, & hirudinum vſus. 54
Curatio febrium peſtiferarum. 48
D*Efinitio contagij.* 17
Definitio peſtis tradita. 6
Demonſtratio, quòd noſtra hæc fuerit vera peſtis. 9
Differentia inter vapores peſtiferos, & tabem Gallicam. 23
Diſpoſitiones præter naturam in Veneta, & Patauina peſte. 2
Diſpoſitio corporum ad peſtem duplex. 15
Diæta in febribus peſtiferis. 48
Diſputationes de Dei natura, & effectibus eſſe Deo gratas. 1
Diſperſi, & ſporadici morbi. 3
Docendi ratio quæ optima. 1
Domi ſuæ quemquã per vrbem non commeare in peſte, num conueniat & vtile ſit. 41
E*Duliorum omnium qualitas, & apparatus.* 45.46
Empedoclem peſtem auertiſſe à Selinuntiis, & quomodo. 38
Euagrij teſtimonium de hominibus ex infectis regionibus diſcedentibus. 23
Euacuantia nunquid conueniant in curatione peſtiferarum febrium. 50
Euacuatio per ſudorem in febribus peſtiferis vtilis. 52
Epidemij morbi. 3
Endemij morbi. ibid.
Europæ magnam partem fuiſſe vexatam peſtis infortunio. 6.7
Exercitium quid in peſte. 44
Exercentes multum corpus cur faciliter peſte tententur. 16
Externæ cauſæ peſtis. 8
Euphorbij vſus, & ex eo compoſitio. 51
F*Amiliæ integræ cur peſte pereant.* 25
Febres variæ in peſte. 33
Febris fomes & focus eſt locus circa cor. ibid.
Fernelij ſententia de aëre. 10
Febres putridæ cur non ſint contagioſæ. 24
Febres peſtiferas non eſſe verum à ſumma putredine oriri. 33
Ferraria cur non tacta peſte, etſi fuerint in ea terræmotus. 9
Fernelij ſententia, quid ſit id excellentius in peſte. 7
Fomites infectos vt inficiant alia corpora. 22
Fomes num diutius poſſit perdurare. ibid.
Fomes num poſſit tranſmittere cauſam morbidam in alium fomitem. 21
Fomes morbi quis. 19
Fracaſtorij ſententia de vapore putrido. 20
Frigida inter ſoluẽtia in febribus peſtiferis. 52
Fructus horarij fugiendi. 46
G*Alenum exigua quædam de contagio ſcripſiſſe.* 4
Galenus loquaciſſimus cur ſilentio prætereat contagij tractationem. 5
Galenus quomodo intelligendus de vino in peſtiferis febribus. 49
Galenum qua ratione prædixiſſe, & præcognouiſſe peſtem. 27
Galeni ſententia exploſa, quid per diuinum intelligat, & propria. 12
Gelatinæ & carnes aceto conditæ in peſte vtiles. 45
Gregorij Nyſſeni ſentẽtia de contagio in peſte. 5
Grauiora noſtra diligentia fieri leuiora. 38
Gummata omnia valere in peſte. 47
H*Alitus in Babylonia induxiſſe peſtẽ.* 11
Herbarum quæ vtiles. 46
Homines ſe abſtinentes contagio, peſte fuiſſe correptos. 30
Hippoc quid per diuinum intelligat. 12.13
Hippocratis locus quomodo intelligatur; Quòd ſporadici morbi ſint magis lethales. 6
Hippoc. dictum quomodo intelligatur, ſolum aërem eſſe cauſam peſtis. 8
Homini vim quandam inſitam prædicendi futura. 35
Homines ſtatim abſque morbis periiſſe in peſte Romæ. 33
Hydrops cur non contagioſa, ſicut ſcabies. 18
I*Acobus de Partibus de accidentibus in peſtilentia ſui temporis.* 33
Igne & gelu conſumi omne contagium. 19

Indicationes in febribus peſtiferis. 48
Indumenta longa damnanda in peſte. 44
Intemperamentum quando producit peſtem, & quando non. 12
Laconica in peſte vitanda. 39
Lauretum aduerſus peſtem. 43
Lentes non probari, contra Auerroëm. 46
Leguminum eſus prauus. ibid.
Locorum aquas perſcrutatas priuſquam vrbes conderentur. 39
Localis curatio in carbonibus. 61
Ludi Taurij quando inſtituti. 39
Lupanaria in peſte remouenda. ibid.
Lupos hominibus damna inferentes pramonſtrare peſtem. 9
Maculatos quos vocet Stephanus Athenienſis. 34
Macula quomodo fiant. ibid.
Magni morbi qui dicantur. 53
Mala qua contigerunt in Veneta, & Patauina peſte. 2
Malum cur ex vna domo in proximam ſerpat. 25
Manifeſta diſpoſitio multiplex in homine. 15
Manna genus gummatis. 47
M. Varronis ſententia de ſalubritate, qua ducitur à cœlo & terra. 38
Matthæus Villanus peſtis ſæuiſſima ſpectator & narrator. 36
Martis ſidus viſum, & quid portendat. 9
Mediolani monaſteria infecta. 30
Medicamentum ex arſenico cur cordi proſit. 47
Medicamenta aduerſus venenum quot, & qua. 46
Medicamentorum duûm generum qualitas. ibid.
Medicamentorum attrahentium catalogus. 51. 58
Medicamenta euacuantia & aperientia in peſte. 47
Medicamenta maturantia qua poſt attractionem. 51
Medicamenta qua euacuantia & quot. 48
Μιάσμα qua ſecundum Hippo. 11
Monaſteria Patauij fuiſſe infecta, & qua. 30
Monetas contagium non recipere. 19
Morbi, qui in Veneta, & Patauina peſte. 2
Morborum tria principia ex Hippocr. ſeu Polyb. 11
Morborum conſtitutionem eandem fuiſſe Patauij qua Venetiis. 3
Morbi alio genere, quàm peſtis, pauciſſimos ægrotaſſe. 31
Modi medicationum tres, & qui. 48
Morbos in corpore humano diutius poſſe latere, & conſeruari, ex diuerſorum auctorum ſententia. 22
Mortes quando contingant ſubitanea. 33
Morbus peſtifer ſua habet tempora, vt alij morbi. 36
Mortes qua, & quo die in peſte. 2
Motus in omni quatuor conſideranda. 17
Mulieres vbi menſtruata depurabantur, prohibitum in illis verſari cubiculis. 25
Mulierem communicare luem Gallicam. 23
Mulieres in quadam aëris conſtitutione tuſſi & catarrhis non corripi. 30
Mulieres cur frequenter tententur peſte, & maximè pragnantes. 15
Muſica Thaleta, & militum apud Homerum qua. 45
Neronis Imperatoris edictum, Roma comburenda. 25
Nicephori, & Euſebij loci explanati de anthrace. 60
Nobiles quomodo curandi. 41
Nomen contagij tribus attribui ad ſummũ. 17
Num à ſola calida & humida conſtitutione eueniat peſtis. 13
Occaſio ſcribendi de peſte. 1
Occulta corporum diſpoſitio qua. 15
Odores, fœtores, & fumos diu in corporibus conſeruari. 23
Oleum & vinum in quadam peſte curaſſe omnes ægrotos. 50
Oppilationes duplices, & quomodo tollenda. 45
Oppidum Plebis ſacci non recepiſſe peſtem niſi circa menſem Octobris, & cur. 31
Odoramentorum vſus. 43
Panis quis minus nutriat. 45
Panem calidum ſitim augere, & replere corpus. ibid.
Panni quomodo incaleſcant. 22
Peſtis cur inguinaria vocetur. 55
Peſtilens carbo duplex. 59

Peſtilentiam non eſſe contagioſam, ratio Gregorij Nyſſeni. 5
Peſte qui potiſſimùm tentati. 2
Peſti occaſionem eſſe populi copiam arctam. 41
Peſtes antiquitus cur adeò ſæuæ erant. 39
Peſte periiſſe multos, qui ad ignem artes exercebant. 43
Peſtes grauiſſimas oriri ab exhalationibus, & vaporibus. 11
Peſtis hæc inter quas numeranda, aut mediocres, aut minimas. 17
Peſtem per fomitem communicari, non cognouiſſe veteres. 18
Peſtis cur poſtquam aliquam regionem depopulata eſt, non ampliùs reuertatur. 37
Peſtes variæ deſcriptæ à variis ſcriptoribus. 9
Peſtem habere duplicem ſpeculationem, & auxiliorum partem. 38
Peſtem eſſe percurſuram vniuerſum orbem. 37
Peſtem Galeni tempore à quo aduectam in Italiam. 31
Peſtem ex ſolo contagio non ita dilatari. ibid.
Peſtem non eſſe reuerſuram, ratione, & experientia. 35
Peſtis fomes, populus, plebs, & cur. 39
Peſte in quauis ob contagium, quàm ob aëris vitium plures ægrotare, & interire. 27
Peſtilentia duplex. 27
Peſtem non ita graſſari, vt eodem tempore vniuerſum orbem tentet. 28
Peſtem duraſſe aliquando per plures annos. 36
Peſte liberati cur habitiores, & ſpecioſiores. 37
Peſtis initia quædam, non peſtis. 37
Peſtem non contrahi ex minima re. 19
Peſtis naturam maiorem partem perdere, nulliſque remediis cedere. 38
Peſtis Venetiis anno 1478. 36
Pecora cur peſte magis tententur. 30
Peſtes cur quibuſdam contagioſæ, & quibuſdam non. 23
Peſtes variæ, & quando. 16
Peſtis cur oppida & ciuitates magis quàm villas depopuletur. 25
Peſtem non eſſe, niſi multos tentet. 7
Patauium quando peſte tentari cœpit. 3
Peſtis deſcriptio, ſeu definitio. 6
Peſtilentes morbi qui, & peſtis quæ. 4
Peſtis vera quæ. ibid.
Peſtem remiſſam quàm rariſſimè rediiſſe. 36
Peſtilentia deſcripta à Boccaccio, & Villano. 37
Peſtem eſſe contagioſam ex Ariſtotele. 5
Peſtis cauſæ quæ. 6.7
Piſtacia aduerſus ſerpentum venenum. 46
Pillulæ cochiæ in carbunculis. 51
Piſces qui damnentur, & qui non. 46
Piſces non tentari peſte, ex Ariſtotele. 2
Pluuiæ menſe Iulij ſigna aëris vitioſi. 10
Plutarchus de peſte Athenienſium. 44
Plebs & populus quomodo curandus. 41
Potus quis in febribus peſtiferis. 49
Pomorũ odoratorũ compoſitiones variæ. 43.44
Principium peſtis quod fuerit Venetiis, & à quo tempore. 2.3
Principes quæ præſtare debeant ante, in peſte, & poſt peſtem. 38.&c.
Problemata ſex circa contagium. 21.22
Procopij ſententia de peſte. 5
Pulſus in peſte cur ſimiles ſanis. 33
Pueri cur maximè peſti obnoxij. 15
Putrilago in peſte quæ ex Hippocrate. 7
Q*Vartanã paſſis cur nõ amplius redeat.* 37
Qualitas aëri infixa cur vocetur manifeſta 12. *qualitas occulta à quibus prouenit cauſis.* 10.11
Qualitatem ſecretam, & manifeſtam aëris non eodem modo ſe habere. 16
Qualitas manifeſta quomodo peſtem pariat. 11
Qualitas immanifeſta in peſte. 7.10.27
R*Eſponſio rationum, quæ probant peſtem fuiſſe ex ſolo contagio.* 27
Receptionem omnem fieri per ſimilitudinem. 20
Ruſtici cur non laborant alui adſtrictione. 45
Rura eſſe tutiora, quàm vrbes in peſte. 40
Ruffi Epheſij auxilium & compoſitio aduerſus materias venenatas. 50
S*Anguinis miſſio in carbone copioſior.* 61
Sanitas cur non contagioſa, ſed morbus. 6
Seminaria in peſte. 23
Senes minimè peſte tentari. 2
Sententia propria de aëre. 10.11
Sanguis num mittendus in peſtiferis febribus. 53
Seri caprini vſus. 52
Similitudo, propter quam fit cõtagij receptio. 20
Signa comitantia peſtem ex aëre. 9

Signa quæ demonſtrent verã fuiſſe peſtem. 6.7
Sarcoticæ pulueres quæ. 59
Scammoneata laudata ab Auerroë in carbonibus. 61
Stragem maiorem fieri à contagio, quàm à ſolo aëre. 29
Supellectiles quomodo mundandæ. 41
Suffumigia faciendi modus. 43
Supellectiles in vrbib. non cremandas eſſe. 40
Spiritus quodammodo putrefieri, ex propria ſententia. 21
Sudorem quæ prouocent. 52
Symptomata quæ in Veneta & Patauina peſte. 2
Symptomata varia ratione materiæ venenoſæ. 33.34
TErræ partem differre à parte ſibi proxima. 28
Thaletam Cretenſem fugaſſe peſtem à Lacedæmoniis ſola muſica. 44
Theriacæ vis & effectus. 51
Timor cur diſponat ad peſtem ſuſcipiendam. 16.44
Triumuirorum valetudinis tuendæ creatio Venetis. 36
Tumorum varia generatio. 34
Tumores cur fiant in inguinibus, & rariſſimè in capite. 56
Tumores cur in omni peſte ferè conſpiciantur. ibid.
Tumor peſtifer quomodo cognoſcatur. ibid.
VAgantium morborum ex genere fuiſſe mala, quæ contigerunt. 3
Vapores quomodo noceant eleuati ex rebus putridis. 11
Vapor peſtifer quis. ibid.
Vapor putridus quomodo ſit cauſa morbi. 20
Vapores putridos interimere putrefaciendo. ib.
Vapores putridi peſtiferi intra corpora per contagium tracti quid operentur. 32
Venenum maius eſt in corpore vbi primùm fit, quàm in eo, cui à primo communicatur. 26
Venenatam & putridam materiam ſubitò euacuandam. 50
Venenum in virginibus tempore peſtis genitum irremediabile. 15
Venenorum præparationem dari diu in corporibus manentem ſine læſione. 22
Venenum peſtiferum conſeruari poſſe in excrementis, & indumentis hominum. 23
Venenum canis rabidi produci ab immodico aëris calore. 29
Ventrem ex Hipp. inſtar maris ab omni corpore recipere. 34
Venti ſalutares intra vrbes tantùm admittendi. 38
Veſicatoriorum vſus & materia. 54
Veſtes quæ damnandæ, & quæ probandæ. 44
Veſtes doricæ quæ. 22
Veteres cur in diffinitione peſtis contagium omiſerint. 5
Victus ratio praua quomodò peſtis cauſa ſit. 8
Vinum non dandum in febribus peſtiferis. 49
Virgines & prægnantes cur in peſte quadam ſolæ fuerint correptæ. 24
Vinum damnatum tempore peſtis. 44
Vini loco qui liquores. ibid.
Vrbes alias peſtem paſſuras periculum imminere. 35
Viri robuſti, & non mulieres cur in peſte quadam fueriat infectæ. 24
Vrinæ hirci odor aduerſus peſtem. 43
Vnguenti albi camphorati vſus. 59

FINIS.

HIERONYMI
MERCVRIALIS
MEDICI CLARISSIMI,
DE
MORBIS CVTANEIS,
ET OMNIBVS CORPORIS
HVMANI EXCRENENTIS,
LIBRI V.

Opera Pauli Aicardij primò in lucem editi.

AD

Illuſtriſſimum Cardinalem Gulielmum Sirletum.

Ampliſſimo

D. D. GVLIELMO SIRLETO
S. R. ECCLESIÆ CARDINALI,

PAVLVS AICARDIVS S. D.

SI qui fortè admirabuntur, Cardinalis Ampliſſime, quod ego hos Hieron. Mercurialis libros tibi, quem nunquam vidi, dicare non ſim veritus: mirari, vt opinor, deſinent, ſi quanta eſt non ſolum cognitæ, verùm etiam auditæ virtutis, ac probitatis vis, diligenter animo reputarint. Etenim nullum eſſe reor paulo humaniorem, qui & quibus, & quantis animi bonis abundes, ignoret. Quæ quidem ſingula libenter eorum exemplo qui aliquid alicui dicant, hoc loco recenſerem, niſi mihi non mediocris iniiceretur metus, ne dum tuas laudes explicare voluero, eas ingenij mei tenuitate videar potius imminuiſſe. Cùm præſertim tam nota vnicuique, & perſpecta ſint ingenij tui ornamenta, vt nullus eorum excellentiam non admiretur, iiſque aut perfectius quidquam, aut præſtantius fieri nequaquam poſſe, non fateatur. Nam vt de tua ſingulari ſapientia, admirabili prudentia, vitæ ſanctitate, & excellenti erga Deum pietate nihil dicam, cùm non ambitiones, non vllæ prenſationes, ſed hæ fuerint, quæ te in iſto dignitatis gradu collocarunt. ecquis tam à literis, tam ab humanitate auerſus, rerũ omnium honeſtarum cognitionem, & liberalium diſciplinarum ſcientiam, qua es inſtructiſſimus, non ſuſpiciat, non admiretur?

Accedit tua erga ſtudioſos omnes ſingularis beneuolentia, atque egregia liberalitas, qua eos pro tuarum opum copia fouere non deſinis, ac quibuſcunque rebus potes, adiuuas; vt hac ſanè ſola ratione omnes eorum fructus iure tibi deberi videantur. Ego certè (ſi licet paruis magna componere) cùm primum laudum tuarum partem tantum cognitam haberem, ita earum amore ſum inflammatus, nihil vt illi addi poſſe videretur. Nuper verò cum eum, qui & ipſe numquam ſine laude nominandus eſt, Hieron. Mercurialem ſingulares animi tui dotes veris laudibus extollentem audiuiſſem, tanta meæ in te obſeruátiæ, & pietati facta eſt acceſſio, quantam quiſquam exiſtimare vix poſſit. Huius itaque teſtes ad te mitto has Mercurialis virtutis tuæ ſummæ admiratoris, ac præconis, vt vocant, lectiones, quás, vt arbitror, ille non magni facit, vt pote diebus feriatis habitas, cum tamen rara quadam, & recondita eruditione ſint refertæ. Has verò ea quoque de cauſa potiſſimum ſub tuo nomine apparere volui, quòd cum ſciam ipſum Mercurialem tuæ Amplitudinis eſſe obſeruantiſſimum, ſi qua forte moleſtia ex earũ editione in illius animo remanſerit, non vereor, quin eam omnem tui nominis inſcriptio ſit deletura: ſi præſertim te eas hilari fronte excepiſſe intellexerit: quod vt facias, ſi tua patitur humanitas, te etiam atque etiam rogo. Vale, Patauio. VIII. Kalend. Decembris. M.D.LXXVI.

PAVLVS

PAVLVS AICARDIVS
MEDICINÆ STVDIOSIS S. D.

NISI *exploratiſſimum haberem, paucos eſſe doctiores in tota Europa, qui ignorent, quis ſit Mercurialis, faciendum mihi omnino putarem, vt eius laudes recenſerem, & excellentem eruditionem, quantum in me eſſet, prædicarem. Sed quando nullus eſt, qui illius egregiam doctrinam, tum ex editis ab ipſo monumentis, tum ex lectionibus, quas quotidie magna auditorum frequentia habet, perſpectam non habeat: id tantum mihi negotij ſupereſſe video, vt quo conſilio has lectiones, quas fortè minimas ipſe ducit, vtpotè diebus, quibus ab ordinariis vacabat, habitas ediderim, quæque me ad id faciendum contra eius ferè voluntatem, ac ſtudium ratio adhortata ſit, breuiter exponam. Poſtquam igitur Mercurialis in hoc auguſtiſſimum Gymnaſium ad ſacra Medicinæ myſteria pandenda Roma accitus eſt, in id ſemper curas omnes cogitationéſque ſuas conuertit, vt & iucunda, & maximè neceſſaria auditoribus ſuis explicaret. In lectionibus itaque, quas vocant, ordinariis ita ſe geſſit, vt non ſolum nihil deſiderari ab ipſo vllo tempore potuerit, quod ad perfectam morborum cognitionem, & curationem pertinere videretur: verùm id etiam præſtitit, quod à nullo profeſſore multis abhinc annis, ne dicam numquam, factitatum fuiſſe conſtat. Nam multi elegantiſſimi, & optimi Medicinæ auctores, quales ſunt Cor. Celſus, Cælius Aurelian. Theodorus Priſcianus, Marcellus, Scribonius Largus, & alij quamplures ab omnibus hactenus neglecti iacuerant, vt viderentur à ſcholis Medicorum exulare, cum tamen turpiſſimum ſit Medico multa præſtantium ſcriptorum obſcura, & tum inter ſe, tum ab aliis diſcrepantia loca non intelligere. Qui omnes auctores per Mercurialem quaſi poſtliminio rediiſſe videntur, & priſtinum ius ſuum recepiſſe. Horum etenim doctrinam cum traditis de eadem re à Medicis, & Arabibus, & Græcis coniungit: inter quos ſi qua eſt controuerſia, aut eam ſedat, aut ſi non poteſt, qui melius ſenſerint, iudicat: & tandem, vt rem paucis expediam, facit, vt quis poſſit in omnibus medicinæ ſcriptoribus Græcis, Latinis, & Arabibus tutò, ac ſine vlla hæſitatione verſari. Neque verò hoc officij genere contentus fuit, ſed etiam diebus, quibus ab ordinariis lectionibus feriari illi licebat, ea diſcipulis ſuis enarrauit, quæ vel pauci admodum attigiſſent, vel quæ non videbantur ab aliis ſatis rectè & ad vnguem pertractata. Inter quæ cum eſſent tractatus pulcherrimi de Morbis cutaneis, & omnibus Excrementis, tanto omnium plauſu ſunt excepti, vt nullus omnino eſſet, qui ſibi illos deſcribere nollet. Quod cum facerent plures ſtudioſi magis, quàm eruditi iuuenes, idem vitium, eandémque cladem paſſi ſunt hi libri, quam veteres. Nam dum quotidie deſcribe-*

rentur, adeo erant fœdati, & deformati, vt nihil priſtinæ pulchritudinis retinerent, ſed in dies in peius ruerent. Cuius rei admonitus Mercurialis, etſi non paruum ex eo cepit dolorem, de editione tamen numquam cogitauit. Immò cum multi ipſum enixè oraſſent, vt eas lectiones publicaret (futurum enim, vt ab omni periculo eſſent vacuæ, & diſcipuli maiorem ex eo vtilitatem eſſent conſequuturi) nullis precibus, nullis amicorum hortationibus adduci potuit, vt eas in lucem edere vellet, eſſe enim adhuc rudes, impolitas, & quæ extremam manum deſiderarent. Tandem verò cum ego multa exemplaria valde corrupta, & deprauata, quæq; denique nihil habebant ſani vidiſſem à quamplurimis deſcribi, neque ſolum Patauij diuulgari, verùm etiam aliis externis nationibus communicari, vt ferè iam viderentur editæ hæ lectiones, hac de re Mercurialem certiorem feci, oſtendíque quanto in diſcrimine eſſent verſaturæ, & fortaſſe quantum detrimenti illius nomini allaturæ, niſi huic malo mederetur. Quare abs ſe impetrari, quamquam grauatè, paſſus eſt, vt à me diligenter, & accuratè emendatæ publicum acciperent, cum tamen ſe hanc rem velle omnino ignorare teſtaretur. Quamobrem cum harum exemplar fideliter deſcriptum haberem, hanc curam, licèt exiguam, humeris meis tamen imparem, cum multorum rogatu, tum etiam quia ita exiſtimationi Mercurialis præceptoris mei optimè conſultum iri videbam, libenter ſuſcepi. Collatis igitur multis exemplaribus eo pacto has lectiones emendaui, vt exceptis quibuſdam verbis, quæ erant omnino mutanda, nihil propè aut addiderim, aut detraxerim, nihil denique immutarim. Quod quidem optimè iis perſpicere licebit, qui has manuſcriptis conferre voluerint. Sicubi verò vobis aliquid occurrerit, quod non limatum, & politum vndequaque eſſe videatur eo modo, quo ſolent eſſe cætera Mercurialis ſcripta, cogitetis velim, has eſſe lectiones. nihil enim aliud reſpondebo vobis, qui harum rerum eſtis periti. Valete, & in dies maiora à Mercuriale, Deo fauente, expectate.

INDEX
CAPITVM SINGVLORVM LIBRORVM.

Libri primi de Morbis Cutaneis capita.

CAPITE *primo dicenda proponuntur, & multa explicantur. pag.* 1
De vitiis cutis capitis generatim. cap.2.pag.3
De defluuio capillorum. cap.3.p.4
De alopecia, & ophiaſi. cap.4. p.9
De caluitio. cap.5. p.14
De canitie. cap.6.p.19
De morbo pediculari. cap.7. p.25
De porrigine. cap.8. p.31
De achoribus, & fauis. cap.9. p.36
De tinea. cap.10. p.44
De pſydraciis, helcidriis, ſycoſi, & exanthematis. cap.11.p.48

LIBRI SECVNDI.

De vitiis totius corporis cutis generatim. cap.1. pag.52
De leuce, & alphis. cap.2.p.ead.
De pruritu. cap.3. p.61
De ſcabie. cap.4. p.68
De lepra. cap.5. p.74
De lichenibus. cap.6. p.77

LIBRI

LIBRI PRIMI DE EXCRE-MENTIS CAPITA.

De vrinæ cognitionis vtilitate, & dignitate. cap.1.pag.79
De nominibus vrinæ, & quid hæc ſit. cap.2.p.80
Rationibus comprobatur auctoris de vrinæ natura ſententia, & oſtenditur eam non eſſe nouam, ſed fuiſſe Hipp. Plat. Ariſtotelis, & Galeni. cap.3. p. 82
De differentiis vrinarum. cap.4. p.86
De optimæ vrinæ conditionibus. cap.5.p.91
De cauſis naturalibus differentiarum vrinæ. cap.6.p.92
De cauſis non naturalibus vrinarum. cap.7. p.100
De iudiciis, quæ fiunt ex vrinis. cap.8. p.102
De vrinæ vſu, ac de iis, quæ in illius inſpectione ſunt obſeruanda. cap.9. p.109

LIBRI SECVNDI.

De fæcum cognitionis vtilitate. cap.1. pag.113
De nominibus fæcum alui, & quid ſint. cap.2.p.ead.
De ſtercoris generatione. cap.3. p. 114
De ſtercorum differentiis. cap.4.p.117
De cauſis naturalibus differentiarum ſtercorum. cap.5. p.119
De cauſis non naturalibus differentiarum ſtercorum. cap.6.p 126
De notis, quibus bona ſtercora dignoſcuntur. cap.7.p.127
De iudiciis, quæ fiunt ex fæcibus alui. cap.8.p.129
De ſtercorum vſu, ac de iis, quæ in illorum inſpectione ſunt obſeruanda. cap.9.p.135

LIBRI TERTII.

De ſudoribus. cap.1.p.136
De lacrymis. cap.2.p.149
De ſputis. cap.3.p.155
De mucis. cap.4.p.163
De ſordibus aurium. cap.5.p.165

HIERO

HIERONYMI

MERCVRIALIS DE MORBIS CVTANEIS LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

CVtem animalium corporibus circumpoſitam eſſe, vt carnes, & membra defendat veluti tegumentum quoddam, clariſſimè conſtat apud omnes medicos. Quanquam Hippocrates in libro de Oſſibus alium finem habuiſſe Naturam in fabricanda cute dixiſſe videatur: vbi ſcribit, eam eſſe veluti quoddam membrorum ligamentum, quandoquidem cum membra ſint omnia veluti inter ſe ſeparata, opus fuit communi quodam ligamine conuinciri, quod quidem fuit cutis. Vnde fit, vt iure merito diuinus Plato in Timæo cutem naſſulæ piſcatoriæ adſimilauerit, quod etiam adnotauit Galenus in Commentariis in Timæum. Cum itaque ſit hic ſolus cutis vſus, cúmque nullam aliam actionem vtilem habeat, ſed ſolum excrementorum ſit receptaculum, vt docuit Galenus lib. de Cauſſis morborum cap. vj. eapropter paucis morbis obnoxia eſt, de quibus omnibus propoſitum eſt nobis verba facere. Totam autem tractationem hanc in duo capita partiar, in ea morborum genera, quæ capiti particularia ſunt: & in ea, quæ vniuerſæ cuti ſunt communia. Capitis enim cutis ob cerebrum, quod & humidiſſimum, & maximum membrum eſt, peculiaribus quibuſdam vitiis obnoxia fuit, qualia ſunt ophiaſis, alopecia, & ſimilia. Hi verò morbi, quos cutis eſſe dicimus, ſunt vitia vel capillorum; vel totius cutis capitis. Vitia capillorum ſunt ophiaſis, deſſuuium, alopecia, caluitium, & canities: cutis autem vlcera manantia, & ſicca, quemadmodum docebimus ſuo loco. Neque mirum ſit, quòd dixerim, vitia capillorum eſſe morbos cutis capitis, quandoquidem, vt habemus à Galeno xiiij. Methodi cap. xviij. capilli capitis nequaquam corporis partes ſunt, ſed potius particulæ quædam, & ſunt veluti quædam adnata cuti, facta à Natura ob duos fines, vt docet idem Galenus libro xj. de Vſu partium capite decimoquarto. Vnus vſus eſt, vt & generatione ſua, & nutrimento depurent caput à recrementis. alter verò grauitas & ornamentum. Eapropter cum capilli ſint horum finium gratia, iure dictum eſt à me, eius vitia eſſe morbos cutis: quoniam non patiuntur pili, niſi vel cutis ipſa, vel humores in cute contenti ſint malè affecti. Sed fortè quæret aliquis, quomodo hoc verum ſit, cùm Ariſtoteles x. ſectione Problematum quærens cur vbi eſt vitiligo, ibi ſit canities, & non econuerſo? reſpondeat, affecta cute affici capillos, non autem econuerſo: quaſi velit, poſſe pati pilos abſque hoc quòd cutis patiatur. Reſpondeo cutem capi poſſe, aut pro ſola cute, aut pro concute, & humoribus contentis in ipſa. Si primo modo acci-

piatur, ſanè poteſt pati pilus, etiam quòd cutis non afficiatur, quomodo locutus eſt Ariſtoteles. Sin verò capiatur cutis ſecundo modo, dicendum eſt fieri non poſſe, vt pili vnquam afficiantur, niſi cutis affecta ſit. nam dicebat Ariſtoteles v. de Generatione animalium c. 3. cutem capitis eſſe craſſiſſimam, & humoribus plenam. Iam verò morbi totius cutis in triplici genere mihi poſiti videntur, in colore, in aſperitate, & læuitate, & in magnitudine. In colore ſunt leucæ, viriligines, ſeu alphi, & exanthemata. In aſperitate, & læuitate ſunt prurítus, ſcabies, ſiue ψώρα, impetigo, & lepra. In magnitudine verò ſunt papulæ, ac tumores omnes cutanei, vt acrochordones, thymi, myrmecia, claui, & calli. Hi sũt omnes morbi cutanei, quos, vt ſupra diximus, ſumus tractaturi, ſi ſatis otij nobis dabitur. Sed circa ea, quæ hactenus dicta ſunt, duæ oriuntur dubitationes. Vna eſt ex Hipp. qui libro de Affectionibus ſcribit, lepram, ſcabiem, pruritum, & alopeciam eſſe potius turpitudines, quàm morbos: quod ſi verum eſt, non videntur iure à me hæc repoſita fuiſſe inter morbos. eſt etiam & ratio, quia cutis, vt dicebat Galenus lib. de Cauſſis morborum cap. vj. non habet actiones, ergo non debet ſubiici morbis, qui ſunt diſpoſitiones lædentes actiones. Alia dubitatio eſt, quomodo fecerim genus morbi in colore cutis: quandoquidem neque Galenus hoc vſquam feciſſe videtur, neque etiam faciendum eſt, quoniam color quantumuis mutatus nunquam lædit actiones. Ad primam dubitationem reſpondendum eſt, Hippocratem nequaquam negare leprã, & ſcabiem eſſe morbos, ſed dicere, quòd ſunt potius turpitudines quàm morbi, & reuera ſi compararetur læſio actionum, quæ naſcitur ex lepra & ſcabie, cum turpitudine, proculdubio maior ſemper erit turpitudo, quàm actionum læſio. ad rationem verò dico duplices eſſe actiones partium corporis, alias quidem communes, & partibus vtiles, alias verò proprias. Cutis non habet actiones cõmunes, vt dicit Galenus, eius etenim operationes non ſunt illi corporis parti vel neceſſariæ, vel vtiles, habet tamen actiones ſibi proprias, quandoquidem ſcimus ipſam nutriri ad nutritionem venæ, vt neceſſum ſit eam attrahere, adſimilare, vnire, & diſtribuere, quæ operationes cum in cute non rarò vitientur, non iniquum eſt dicere, quòd etiam vitia harum operationum ſint morbi. Sunt multi, qui putant hos morbos debere vocari morbos in pulchritudine: ſed mea ſententia hoc merum inſomnium eſt: quandoquidem ſi daretur morbus in pulchritudine, primò Galenus nos fefelliſſet, qui nullibi morborum pulchritudinis mentionem fecit. præterea ſi morbus in pulchritudine reperiretur, eſſet pulchritudo ſanitas, & quia pulchritudo reperitur etiam in corporibus anima orbatis, neceſſum eſſet, diceremus etiam ſanitatem in corporibus vitæ expertibus reperiri: quod tamen falſiſſimum eſt, cùm Ariſtoteles in libro de ſenſu & ſenſili dixerit, ſanitatem, & ægritudinem fieri ſolum in corporibus vitæ capacibus. Sed hoc loco eſt ſoluenda dubitatio, quæ poſſet oriri, antequam ſecundam difficultatem expediamus. Galenus enim libro ad Traſybulum capite decimoquarto, & decimoquinto ſcribit, artis Medicæ munus eſſe verſari circa pulchritudinem & deformitatem, ſed medica ars verſatur ſolum circa morbum & ſanitatem: ergo pulchritudo & deformitas ſunt ſanitas & morbus. Præterea Plato in Sophiſta ſcribit, turpitudinem nihil aliud eſſe, quàm diſſonantiam rerum cognatarum: ſed morbus eſt huiuſmodi diſſonantia: ergo turpitudo eſt morbus, & conſequenter pulchritudo erit ſanitas. Ad Galeni auctoritatem dico, quòd ſi vllus eſt locus, vbi ipſe diſtinxerit pulchritudinem à ſanitate, ſunt loca allegata, in quibus ſcribit, pulchritudinem eſſe quidem fructum ſanitatis, & pulchritudinem, ſanitatem, atque robur contineri ſub bono corporis. Ad rationem verò

reſpon

reſpondeo, artem medicam poſſe verſari etiam circa turpitudinem, & pulchritudinem, ſed non primariò; neque per ſe: verùm conſequenter ſolùm. nam verſatur medicus primò & per ſe circa ſanitatem, & ægritudinem, ſed quia ex ſanitate pulchritudo tanquam fructus quidam naſcitur, vt dicit Galenus, ex ægritudine deformitas, hinc eſt, quòd ſcribit Galenus medicum, & artem medicam verſari circa pulchritudinem, & turpitudinem. Ad Platonem verò dicendum eſt, non valere, quòd quia turpitudo ſit diſſonantia, ſit etiam morbus, quandoquidem ipſemet in Charmide manifeſtè differentiam ponit inter pulchritudinem & ſanitatem, vbi illam commenſurationem quandam membrorum: hanc verò humorum & membrorum conſonantiam vocat. Ad ſecundam principalem difficultatem, an ſcilicet ſit morbus in colore, ſcio grauiſſimos viros hac tempeſtate eſſe, qui putant omnino dari morbum in colore, adducti ea ratione, quòd colores tunicarum oculi lædunt viſionem ipſam: ſed quia non eſt locus hanc rem diſputandi, quidquid ſit de hoc, dico me dixiſſe, eſſe morbum coloris cutis duabus rationibus; primò, quia ſymptomata etiam communi ſignificatione vocantur morbi. ſecundò, quia in cute morbus ipſe proditur, & manifeſtatur per ſolum colorem; etenim vbi facultas nutritiua cutis vitiatur, protinus mutatur eius color, vt in vitiligine, & lentè primo colore mutato intelligitur morbo laborare ipſam cutem. nam ſcribit Ariſtoteles 5. de Generatione animalium, cutem morbo albam diuerſam eſſe ab alba naturali, ſicuti & pilos morbo albos diuerſos eſſe à natura albis.

De vitiis cutis capitis generatim.

CAPVT II.

SEd iam incipiamus vitia cutis capitis perſequi, à quibus, non à vitiis totius cutis auſpicabimur, quoniam ſcriptum eſt à Galeno lib. de facilè parabilibus, quotquot vnquam tractarunt morbos corporis, initium ſumpſiſſe à capite, tanquam parte omnium digniſſima. Iam verò pili ipſius capitis fiunt ex recrementis aduſtis, & fuliginoſis, quæ expulſa à natura per cutem, & inuicem copulata, & continuata, in eam longitudinem, & formam excreſcunt, tum ratione materiæ, tum etiam ratione anguſtiæ meatuum, per quos excrementa pelluntur. Vnde ſit, vt omnia vitia quæ contingunt pilis, ipſis eueniant ratione vel materiæ, vel pororum illorum, per quos ea materia expellitur à natura. Vitia ratione materiæ eueniencia fiunt, vel quia pauca, vel quia nulla eſt, vel quia praua. Ob paucitatem quidem materiæ fiunt, quia etſi verè pili non nutriantur, neque augeantur, tamen conſeruantur per continuum influxum humorum: qui ſi pauci ſint, neceſſum eſt vt pili deficiant. fiunt verò pauci, vel per accidens, hoc eſt, à morbo. etenim ſunt multi morbi, vt phthiſis, & hectica, in quibus non fiunt excrementa ea, quæ poſſint conſeruare pilos. vnde hi deſtituti huiuſmodi humoribus facilè decidunt: quemadmodum contingere videmus in plantis, quæ ſi pauco nutrimento fruantur, areſcunt facilè, & decidunt. vel fiunt pauca excrementa à natura conſumente humiditates: id quod contingere videmus in caluitio, quod euenit natura humiditates corporis abſumente: vel fiunt etiam pauca excrementa natura, aut aliqua alia cauſſa cerebrum ſubſidere faciente: nam cerebrum quamdiu tangit cranium, humefacit totam cutem, atque illius pabulum conſeruat: ſi verò abſcedat

 à craneo,

à craneo,fit,vt non adeò larga humiditate fruatur cutis: & conſequenter non poteſt pilis debitum nutrimentum ſuggerere. hoc dixit Ariſtoteles fieri in coitu, ſi quidem illis qui nimio coitu vtuntur cerebrum ſubſidet, & à craneo recedit: ac propterea citò caluefcunt. hoc etiam dixiſſe videtur Hippocrates vj. Epidem. com. iij. in princip. vbi ſcribit; Cerebri conſumptio,quare & caluitium. Vitia capillorum ob annihilationem excrementorum ſunt, quando vſque adeò conſumũtur humiditates omnes excrementitiæ,vt nihil profus relinquatur, quod poſſit pilos conſeruare: perinde ac videmus plantas arenæ infixas non poſſe conſiſtere vllo tempore, propterea quòd nihil habent nutrimenti,quo poſſint vti. Vitia pilorũ ob prauam qualitatem excrementorum fiunt, vel quia excrementa ſimpliciter ſolum corrupta ſint, vel quia ſunt corrupta corruptione praua, & maligna. ſi ſint dumtaxat ſimpliciter corrupta, efficitur canities. de morboſa canitie loquor, quandoquidem Ariſtoteles 5. de Generatione animalium, cap. 6. ſcribit quandam canitiem morboſam reperiri. quod etiam confirmatum eſt ab Auicenna fen. 7. 4. tract. 1.cap. 15. quo in loco nominat canitiem iuuentutis. Vitia verò nata ex excrementis corruptis praua & maligna corruptione,ſunt adhuc in duplici differentia,aut enim toti,& omnes capilli vitiati ſunt: & dicitur alopecia,à vulpibus deducto vocabulo,quæ ſolent obnoxiæ eſſe huius generis morbo: aut non omnes pili, ſed aliqua ex parte decidunt, & vocatur iſte affectus Ophiaſis, ſiue Tyria,deducta denominatione à ſerpentibus, quemadmodum propriis locis declarabimus. iſtæ affectiones appellatæ ſunt à Cornelio Celſo communi nomine,Areæ,& fiunt tum à morbo Gallico, tum ab vlceribus, tum etiam ab aliis cauſſis, quas declarabimus ſuo loco. Vitia verò euenientia capillis ratione meatuum,eueniunt aut ob denſitatem nimiam illorum, aut ob nimiam laxitatem. denſantur verò meatus cutis,vel quia exſiccantur, vnde exſiccata cutis, & meatus concluſi cum non præbeant tranſitum recrementis fuliginoſis, efficiunt,vt pili decidant: vel quia induratur ipſa cutis, vt euenit in cicatricibus,in vlcerib. curatis quibuſdam,præſertim in tinea vocata.Ex quibus morbis vſque adeò indureſcit cutis,vt non permittat humiditatem conſeruare ipſos pilos. Vitia facta ob latitudinem meatuum eueniunt: quoniam ſicuti arbores in terra rara perſiſtere & conſeruari nequeunt,ſic etiam capilli in cute rara & laxa non poſſunt diu ſuſtineri. & hoc vitium videtur Gal. nominaſſe proprio quodam nomine defluuium. Itaque colligere poſſumus, quinque genera vitiorum eſſe,quæ contingunt pilis capitis,defluuium, caluitium importunum,ſiue intempeſtiuum,canitiem,alopeciam,& ophiaſin.Reliquum modò eſt, vt de his omnibus ſigillatim agamus,in quibus tractandis ordinem nobis conſuetum ſeruabimus, vt primò nomina apud medicos affectionum dicamus: ſecundò, vt cauſſas,& generationem:tertiò,vt omnia ſigna perſequamur: quartò & vltimò, vt diligentiſſimam, quantum fieri poterit,curationem tradamus.

De defluuio capillorum.

CAPVT III.

Ntequam verò defluuij tractationem aggrediar, admonere operæpretium erit, non omnes ſcriptores de ſingulis capillorum affectibus diſſeruiſſe. Paulus enim ſolum caluitium, alopeciam, & ophiaſin tractauit. Oribaſius, & Aëtius alopeciam, canitiem, caluitium, & ophiaſin. Raſes in extremo Conti-

nentis

alopeciæ ſolius, ophiaſis, & canitiei meminit. Cæterùm Galenus lib.1. de compoſit. med. ſecundum loca, & Auicenna omnes, quas propoſui capillorum affectiones tractaſſe videntur. Illud etiam ſcire oportet, defluuium capillorum interdum eſſe nomen commune pluribus affectionibus, interdum verò eſſe nomen particulare, ſignificans eam affectionẽ quam hoc capite tractaturus ſum. Defluuiũ igitur, de quo nobis eſt ſermo, nil aliud eſt, niſi capillorum effluxio facta non à prauitate humorum, quemadmodum alopecia, ſed ab aliis cauſſis, quas infrà declarabimus. hic verò affectus etſi poſſit aliis occaſionibus contingere: tamen Galenus videtur velle, quòd frequentiſſimè eueniat poſt longas valetudines. & in hac affectione capilli interdũ magis, interdũ minus fluunt. ſat eſt, quòd quàm rariſſimè fit, vt vniuerſum caput depiletur. Cauſſæ huius affectionis apud Galenum ſunt duæ, raritas cutis meatuũ, atque etiã inopia materię gignentis capillos, & nutrientis. vt enim euenit in terra rara, in qua plantæ conſiſtere non poſſunt, ſimiliter cõtingit in cute capitis rarefacta; & vt fit in terra arida, & ſine humore, ſic etiam cõtingit in cute, quæ vbi eſt ſine humore, capilli non poſſunt ali. Theodorus Priſcianus lib.1. med. & Actuarius l.ij. Methodi voluerunt fieri etiam defluuium pilorum à nimia abundãtia humorum. dicebat namque Plato in Timæo, quòd plantæ ſæpe nimio alimento exuberantes areſcunt, quod in locis paludoſis, & nimium vdis conſpicitur; ſic etiam pili interdum nimio alimento fruentes veluti ſuffocantur, & intereunt. Alexander Trallianus l.1.c.ij. duas alias defluuij capillorum attulit cauſſas, nimirum cutis denſitatem, & prauorum humorum expurgationem. ſed dicet aliquis; quomodo fieri poteſt defluuium ex denſitate cutis, cum Galenus potius dicat fieri à raritate? Non eſt hoc abſurdum; quoniam fieri poteſt, vt cutis, vel medicamentis, vel aliquo alio genere ita compingatur, atque condenſetur, vt non poſſit continuò alimentũ ſubminiſtrare pilis. vnde poſtmodũ illi priuati nutrimento defluunt. & animaduertendum eſt, diuerſum eſſe dicere, quòd capilli defluant à prauitate humorum, vt in alopecia, & quòd defluant ob expurgationem prauorum humorum, quemadmodum dicit Alexander: nam in illa radices pilorum corrumpuntur à prauitate ſucci: in cauſſa verò allata ab Alexandro, ex effluxu ſcilicet, & purgatione prauorum humorum referantur meatus, vnde poſtea pili defluunt. Marcellus libro Medicamentorum ſuo voluit etiam capillos defluere ob maleficium. Q. Serenus medicus attulit & alias duas cauſſas, nimirum venenum epotum, & Salamandræ contactum, ſub his elegantiſſimis verſibus,

Defluit expulſus morbo latitante capillus,
Si raro lauitur, ſeu vis epota veneni,
Seu Salamandra potens, nulliſque obnoxia flammis,
Eximium capitis tactu deiecit honorem.

Putatum eſt enim, quòd ſi quis tangat Salamandram, capilli fluunt: ſicut etiam videtur ſæpe idem fieri venenis epotis. Hæ omnes ſunt cauſſæ defluuij capillorum allatæ ab auctoribus Medicinæ. Si ex defectũ nutrimenti defluuium capillorum oriatur, cognoſcitur primò ex præcedente victus ratione, ex inedia ſcilicet, qua vſus eſt æger. Cognoſcitur quoque ex vigiliis præcedentibus, ex nimio coitu: qui enim nimium coeũnt, ſolent pati defluuium, quia priuant capillos nutrimento. Morbi item præcedentes poſſunt eſſe indicia cauſſarum defluuij capillorum. Nam etſi Galenus dicat, hoc defluuium rarò contingere citra morbum, contingit tamen. Si ex ſola raritate pili defluant, cognoſcitur potiſſimũm ex temperatura

ægri,quia caput habebit calidum,rarum,& apertum. adhæc iſti multum ſudant,& prę́ſertim circa capitis regionem. Quòd ſit fiat à denſitate cutis,hoc idem cognoſcetur ex capillis:erunt enim admodum tenues, quaſique adſtricti, & compacti. A cute ſimiliter dignoſcetur, quia ægri vel paſſi erunt nimium frigus, vel vſi aliquo medicaminum adſtringentium genere. Quod ad prognoſtica pertinet, ſcriptum reliquit Hippocrates v. Aphoriſm. xj. & xij. quòd ſi tabidis capilli defluant, cum alui fluore, lethale prorſus exiſtit. quem locum interpretans Galenus dixit, hoc ideo eſſe, quia ſignum eſt, in tabidis naturam maximè cogi ab inopia nutrimenti. Sed hoc in loco occurrit non inutilis ſpeculatio: quomodo, ſi in tabidis defluunt capilli ob alimenti defectum, dictum ſit ab Ariſtotele iij. de hiſtoria animalium, capite xj. & ij. de Genera. anim. cap. iv. ſæpe tabidis, aliquando etiam defunctis capillos creſcere. Quòd in morboſis, & in tabidis pili creſcant, videtur Ariſtoteles, & Auerroës hanc cauſſam attuliſſe, quòd in iſtis multa gignantur excrementa, cum partes corporis nutriuntur. Vnde genitis pluribus excrementis facilè ſuppetit materia generationi, & etiam augmento capillorum. ſed quòd in defunctis augeantur pili, cum potius deberent defluere, Auerroës, & Ioannes Grammaticus in Commentariis ſuper ſecundum de Generatione animalium, cap. iv. cauſſam ſiluerunt, quia forſan (vt puto) hoc Ariſtotelis dictum non crediderunt. fuerunt tamen aliqui, qui conati ſunt reddere rationem, cur in defunctis pili augeantur, & dixerunt hoc ideo euenire, quoniam fit in mortuis magna corruptio, & conſequenter multa gignuntur excrementa, vnde genitis excrementis facilè pili augentur, & creſcunt. Sed hæc ſententia mihi omnino vana, & ridicula videtur: propterea quòd ad pilorum auctionem, & generationem non modo eſt neceſſaria excrementorum copia, verum etiam vis expultrix, quæ in corporibus mortuis non adeſt. igitur non poſſumus dicere, quòd hac ratione pili augeantur. hanc dubitationem fortaſſe videns Plotinus lib. 11. de Dubiis animæ, capite xix. ſcripſit in defunctis pilos, & vngues augeri, propterea quòd etſi anima recedat, tamen remanet in corpore mortuo per aliquod tempus veſtigium aliquod vitæ, quod quidem efficax eſt ad generandos pilos, perinde ac videmus poſt receſſum ignis ab aliquo loco, adhuc permanere per aliquod tempus calorem. ſed neque hæc ſententia mihi vera videtur: quoniam dum corrumpitur homo, fit corruptio vſque ad materiam primam, nihil vitæ, nihil facultatum animæ in corpore remanet. & quemadmodum ſole recedente, & radij, & lumen omne recedit, ſic etiam anima à corpore abeunte, abeunt omnes eius facultates. Vnde hæc Plotini ſententia non videtur vera. Eapropter mihi dicendum videtur, quod ſcriptum eſt ab Alexandro (vt credo ego) Tralliano primo Problematum cxl. quo in loco ſcribit, quòd in defunctis marceſcente carne omnes partes pilorum vſque ad radices ſeſe oſtendunt, ex quo fit, vt longiores videantur, non quòd verè vllo modo augeantur, aut creſcant: quæ etiam fuit ſententia Ariſtotelis, quando dixit, quòd pili in mortuis augentur, ſed non generantur, nam etiam dum viuunt animalia, non verè dicuntur augeri pili, ſed continuò generantur. Videamus modò curationem, circa quam dicit Galenus ſcopum curandi diuerſum eſſe in hac affectione ab alopecia; quia in illa expurgandi ſunt humores, & depuranda cutis: in hac autem nil aliud agendum eſt, niſi quod moderatè cutis denſanda eſt, atque alimentum ad generationem pilorum contrahendum. Itaque primò erit victus ratio inſtituenda, quæ tantum poteſt in hoc affectu, vt dixerit Galenus, ſæpe cum ſola victus ratione

tione curari. igitur ſi defluuium capillorum ex cutis raritate oriatur, debebunt cibi eſſe adſtringentes, optimi nutrimenti, atque etiam facilis diſtributionis. & in hoc genere victus erit maximè ex vſu vinum adſtringens, purum, vſus citoniorum, granatorum, carnes, quæ bene & optimè nutriant, vitellus ouorum, & huiuſmodi alia, quæ poſſunt denſare cutem. laudant etiam vſum pedum hœdi, ac vitulorum. Si verò ex denſitate cutis, aut ex ariditate, quæ ferè eſt eadem, proficiſcatur defluuium capillorum, Alexander Trallianus commendat vſum balnei, quod quidem etiam ego amplector. conueniunt etiam in hoc caſu herbæ humectantes, fructus, & omnino ea, quæ poſſunt moderatè cutem rarefacere. Et notandum eſt, in quolibet defluxu capillorum nunquam vtendum eſſe nimis rarefacientibus, quia etſi ea poſſint conducere ad generationem pilorum, qui deficiunt, obſunt tamen ad conſeruationem eorum, qui nondum defluxerunt. Medicamenta intrinſecùs accepta in hoc affectu neceſſaria non ſunt, nec etiam à Galeno, aut ab vllo alio proponuntur, ſed tantùm medicamenta extrinſeca, quorum ea debet eſſe facultas, vt corroborent cutem, atque etiam alimentum ad partem ipſam trahant. & hoc præſertim vbi defluuium capillorum ortum habet à cutis raritate. huiuſmodi medicamentum eſt ladanum à Galeno mirificè commendatum. nec putandum hoc remedium fuiſſe Galeni inuentum: quandoquidem Hippocrates in ſecundo de Morbis mulierbribus ſcribit, ad defluuium capillorum maximè conferre ladanum cum oleo roſato, vel cum oleo anethino: vbi etiam laudat cimoliam terram cum oleo omphacino, & oleo roſato, vino, & acacia. Itaque poterunt ex huiuſmodi rebus adſtringentibus, & corroborantibus, qualis eſt etiam iuniperus, necnon lentiſcus, & vnguenta, & lotiones pro capite parari. Sed pro recta adminiſtratione horum medicamentorum tria ſunt obſeruanda ſemper, quæ docuit Galenus. Vnum eſt, vt capilli omnes, ſi tempus patiatur, auferantur duabus rationibus. Vna eſt, quia niſi auferantur, non poterunt medicamenta rectè adminiſtrari. altera ratio eſt, quia, vt ſcribit Corn. Celſus libr. vj. cap. 1. ſæpe radere caput maximè ſuccurrit capillis defluentibus. Eſt verò apud Galenum duplex modus auferendi capillos, vel per raſuram, vel per detonſionem factam forficibus vſque ad cutem. & inter hos duos modos videtur Galenus magis commendare eum, qui fit per detonſionem forficibus vſque ad cutem. Alterum obſeruandum eſt, non eſſe medicamenta capillis defluentibus applicanda, niſi prius fricetur caput, eo quia ex frictione ipſum corroboratur, & nutrimentum magis ad partem trahitur. Tertium, & vltimum eſt, quod ſi caput radatur, medicamenta debent eſſe craſſiora, ſi verò fiat detonſio, debent eſſe liquidiora. Et vt aliquam formam horum compoſitionis proponamus, duas trademus lotiones, alteram in cute adſtricta, alteram verò in cute rarefacta. Pro cute rarefacta hæc erit.

Recipe lixiuij facti cum cinere quercus	℔.v.
Lentiſci	p.ij.
fol. Roſarum	p.1.s.
Nucum myrti	p.1.
ladani, & acaciæ petia ligatorum	an.℥.ij.

 Bulliant

Bulliant vſque ad conſumptionem tertiæ partis, deinde colentur, & abluatur caput. Lotio verò in cute adſtricta hæc erit.

Recipe lixiuij facti ex cinere vitis ℔.vj.
fol. chameleli, meliloti an. p.ij.
lentiſci p.1.s.
fol. roſarum p. 1.
ladani, malabathri petia ligatorum an. ʒ.3.

Bulliant ſimul vſque ad conſumptionem tertiæ partis, deinde diligenter fiat colatura, & abluatur caput. Et notandum, quòd licet ſit cutis adſtricta, tamen non vtor relaxantibus, & aperientibus ſolum, ſed etiam moderatè adſtringentibus. Facta capitis lotione, deinde adhibentur vnctiones: & illæ, quibus ego ſoleo vti proſpero ſucceſſu, tres ſunt. Vna eſt, quæ fit ex oleo ladani per alembicum extracti; nam capio partes duas ladani, & partem vnam nucum myrti, atque ita iubeo per alembicum oleum parari, quo oleo vtor poſt lotionem in cute rarefacta felici ſucceſſu. habeo etiam aliud genus vnctionis, quod ita parari facio.

R. ſucci corticum nucum viridium ℥.ij.
olei ladani,
olei myrtini an. ℥.j.s.
pulueris myrtillorum,
pulueris lentiſci an. ʒ.j.
ceræ parum. miſce ad ignem, & fiat vnctio. Multa alia poſſunt haberi vnctionum genera apud Galenum, & alios. Quòd ſi cutis fuerit adſtricta, ſoleo vti eodem oleo ladani, cui modicum cinnamomi, & malabathri infundo. exempli gratia.

R. olei ladani extracti ℥.2.
cinnamomi ʒ.1.
malabathri, vel ſuccedanei ʒ.1.s.
ceræ parum. miſce,

& fiat linimentum. Galenus in hyeme, & in temperatura frigidiore videtur commendare tria vnguenta, nardicum, foliatum, & ſpicatum. Vnguentum nardicum, vt habemus apud Theophraſtum in libello de odoribus, & etiam apud Dioſcoridem, conficiebatur ex ſucco radicum ipſius nardi, ſpicatum ex ſpica nardi, foliatum fuit opinio quorundam, quòd componeretur ex foliis nardi, & quòd propterea foliatum vocaretur. Sed hæc opinio falſa eſt; quia habemus apud Dioſcoridem, quòd foliatum appellatum eſt vnguentum, quoniam præter nardum imponebant & malabathrum, quod apud auctores Folium appellatur. vnde vnguentum malabathri, & foliatum apud ſcriptores eſt idem. Sed cum hoc tempore deſiderentur compoſitiones horum vnguentorum, ego ſoleo vti aliquibus, quæ reperiuntur apud vnguentarios noſtros, vt eſt oleum roſetarum, oleum ſpicæ, oleum gariophyllorum interdum, ſed rariſſimè, quia eſt nimis calidum: niſi enim temperetur, nimis calefacit, & rarefacit. Itaque poſſumus vti in hyeme, & temperaturis frigidis iſto linimento.

R. olei ſpicæ,
olei roſetarum an. ℥.s. vel 1.
ladani,
malabathri ſubtiliter puluerizatorum an. ʒ.1.s.
vini albi ʒ.1.
ceræ quantum ſufficit.

fiat

fiat linimentum. Nec quiſquam miretur me in omnibus linimentis apponere lada-num: quia cum, vt videre licet apud Galenum, habeat mediocrem denſandi facultatem, & attrahendi nutrimentum, videtur præſtantiſſimum remedium in qualibet cauſa defluuij capillorum. Multa alia ſcribunt Marcellus, & Priſcianus medicamenta, quæ dimitto.

De Alopecia, & Ophiaſi.

CAPVT IV.

Qvatuor eſſe affectus, qui ſub caſu capillorum complectuntur, iam docui, defluuium, alopeciam, ophiaſin, & caluitiem. De defluuio iam ſatis à nobis eſt tractatum: ſequitur, vt de alopecia, & ophiaſi verba faciamus, de quibus vno capite à me tractabitur: quoniam horum duorum affectuum vna eſt materia; differunt tamen, vt docet Galenus, ſecundum figuram. In alopecia enim totum ferè caput depilatum conſpicitur. In ophiaſi partes ſolum quædam, atque illæ inſtar veſtigiorum ſerpentum, vnde ophiaſis vocata eſt. Cornelius Celſus lib. vj. cap. 4. vtraſque affectiones iſtas appellauit Areas. Galenus verò 6. Aphoriſmorum 34. ſcribit Hippocratem has affectiones deſignaſſe ſub nomine φαλακρώσεως, ſiue μαδαρώσεως, hoc eſt, caluitij; & locus Hippocratis eſt ſecundo de Morbis muliebribus. Sunt verò hæ affectiones priuationes quædam pilorum ab humoribus putridis effectæ, qui ita exedunt radices pilorum, vt decidant. Sed dicet aliquis, quomodo igitur Ariſtoteles 10. Problematum particula 20. ſcribit, alopecias eſſe corruptiones, & alterationes carnis ſuperficialis? Dico veram eſſe Ariſtotelis ſententiam: quandoquidem in alopecia tametſi affectio penetret totam cutem, tamen tranſit ſolùm ſuperficiem ipſius carnis. Habent alopecia, & ophiaſis, vt ſcribit Celſus, hæc omnia communia, quòd in ſumma pellicula primum pili extenuantur, deinde extenuati decidunt, ac ſi pertundatur locus, exit ſanguis mali odoris, & liquidus: atque in aliis creſcit morbus celerrimè, in aliis verò tardè. Sed videndum eſt, quænam ſit cauſſa, cur in ophiaſi appareat illa tortuoſitas. Auenzoar grauiſſimus ſcriptor lib. 1. tract. 1. cap. 4. conatus eſt huius euentus rationem explicare, dicens, quòd cauſſa tortuoſitatis in ophiaſi nulla alia eſt, niſi quia materia non eſt multum ſubtilis, ſed eſt aliqua ex parte craſſa; & vt ſententiam ſuam magis declararet, attulit exemplum de aqua, quæ ſi nuda, & ſola proiiciatur ſuper pauimentum, recta lignea excurrit; ſi verò ei admiſceatur lutum, & ſpargatur ſuper humum, non rectà fertur, ſed per ſpiras, & circuitus. Ita, inquit auctor iſte, quandiu pituita corrupta eſt ſubtilis, per rectas lineas corrumpit pilos, quod ſi admiſceatur materia craſſa, iam non per rectum, ſed per obliquum corrumpit ipſos humores, qui faciunt hos affectus, vt ſcriptum eſt à Gal. 1. de Compoſ. medic. ſecundum loc. ſunt varij: nam & ſanguis, & pituita, & bilis, & melancholia poſſunt hos affectus parere. Vnde tot ſunt differentiæ harum affectionum, quot etiam ſunt materiæ. cognoſcuntur verò ſingulæ differentiæ ex propriis indiciis, & præſertim ex colore; quia docuit nos Hippocrates in principio libri de Humoribus, colores oſtendere humores dominantes; & Galenus libro de facilè parabilibus dicebat, quòd quandiu corpus ſanum eſt, colores pilorum ſunt naturales, quum primum autem vitiatur corpus, pili quoque acquirunt colores ſecundum qualitates humorum dominantium. Igitur cognoſcemus

alopeciam, ſiue ophiaſin fieri à ſanguine, ſi color cutis fuerit rubeus: fiet autem à pituita, ſi fuerit albus,ſi à melancholia,color erit liuidus, ſi à bile,erit color pallidus, aut ſubpallidus. Sed eſt etiam aliud animaduertendum, quod declarauit Actuarius, attendendum ſcilicet eſſe, qui pili renaſcantur: quia ſi pili renaſcentes fuerint variorum colorum, materiæ etiam, quæ faciunt has affectiones, erunt variæ. Eſt hoc in loco contradictio inter Græcos ſcriptores, & Cornelium Celſum. Galenus enim, & eius ſequaces nullam aliam differentiam cognouerunt inter ophiaſin & alopeciam, niſi figuram, vt diximus. Cæterùm Cornelius Celſus multas alias loco citato differentias dedit, vbi ſcribit, quòd alopecia ſub qualibet figura dilatatur, quod fit in barba, & capillis. gignitur in qualibet ætate,ac vix vnquam ſine ope medicorum ſanatur. Ophiaſis verò incipit ab occipitio, & duorum digitorum latitudinem nunquam excedit. ad aures etiam duobus capitibus peruenit, quibuſdam quoque vſque ad frontem, donec ſe duo capita in priorem partem committant, fit. At vt plurimùm in infantibus, atque etiam ſine auxilio medicorum ſæpenumero curatur. Itaque clarum eſſe exiſtimo, plurimas eſſe vtriuſque affectionis differentias. Auenzoar quoque addit alopeciam fieri à pluri, & craſſiore materia pituitoſa, ophiaſin verò à pauciori, & ſubtiliori. Q.Serenus non contemnendus auctor lib. ſuo de Medicina attulit hanc ophiaſis deſcriptionem:

Nonnunquam variant maculæ, paruiſq́; parumper
Orbibus adſperſum ducit noua vulnera tempus.

Quibus verbis auctor iſte medicinæ eleganter deſcripſit ophiaſin. Pro tollenda hac contradictione dicendum puto, Corn. Celſum hac in re diligentiorem fuiſſe Græcis ſcriptoribus, quia reuera iſtæ differentiæ adnotantur in prædictis actionibus. Galenus verò contentus fuit vnam duntaxat differentiam adferre, & communitatem cauſæ materialis edocere, à qua ſcilicet capiuntur curandi indicationes. Quod attinet ad prognoſtica, Hipp. 6. Aph. 34. ſcribit, quod quibus caluis fiunt varices magnæ, iis pili renaſcuntur (quam ſententiam mutuatus eſt quoque Ariſt. 3. de hiſt. animalium, c. 11.) quo in loco Galenus dixit, magnum ſenem Hippocratem abuſum eſſe hac voce caluitij non pro vero caluitio, ſed pro alopecia, & ophiaſi, quemadmodum etiam abuſus eſt in lib. de Natura pueri, dicens, quòd in cerebro eſt multa pituita, quæ à coitu exagitata corrumpitur, & radices capillorum exedit, atque ita caluitiem facit. quaſi velit Galenus docere nos, quòd in ophiaſi & alopecia ſi fiant varices, pili renaſcuntur. Sed fuerunt inter recentiores ſcriptores, qui damnarunt Galenum, quaſi Hippocrates eo in loco non abutatur voce caluitij, ſed loquatur de vero. atque iſti dixerunt duplex eſſe verum caluitium: alterum factum à ſenectute, quod quidem nunquam curatur;alterum verò non factum à ſenectute, ſed quod ſolùm à natura curatur: nam dicunt quòd ſunt aliqui morbi,qui ab arte,non à natura curātur,vt luxationes: & rurſum ſunt morbi,qui à natura,nunquam ab arte curātur,quemadmodū eſt caluitium.dicunt inſuper ſignū eſſe curari caluitiū,quia varices,vt cōtrariæ caluitio ponūtur ab Hip.ſi contraria cōtrariorū ſunt remedia,facile eſt colligere caluitiū poſſe ſanari à natura. Sed pace iſtorum,mihi hæc videntur meræ nugæ; propterea quod nūquā reperitur apud quēquā ſcriptorē medicinæ caluitiū vocari, niſi illud pilorū defluuiū, in quo decidunt pili ob humiditatē ſubſtantificā deficientē. ſed cùm hæc humiditas nō poſſit à natura reparari, efficitur vt caluitiū verū nō ſit curabile:eapropter nō potuit Hip.de hoc caluitio ſermonem habuiſſe. Ophiaſis ſecūdum Auēzoar eſt facilior curatu,quā alopecia.Cæterum contrariam habuit ſententiam

Serapion,

Serapion, qui lib. 1. cap. 1. ſcripſit, ophiaſin eſſe curatu difficiliorem alopecia. ſed mea ſententia eſt, alopeciam omnino eſſe curatu difficiliorem, quàm ophiaſin: ratio eſt, quia materia alopeciæ eſt copioſior, & craſſior, ob quas duas conditiones efficitur, vt ſit magis contumax atque rebellis medicamentis; vt non immeritò dixerit Corn. Celſus, quandoque ophiaſin ſponte curari, alopeciam verò vix vnquam. hac etiam ratione Plinius ille medicus,ſub cuius nomine habentur quatuor libri de Medicina, lib. 1. de re medica, cap. 6. ſcripſit, alopeciam maximè fœdare homines, & deturpare, atque eos ſeruos, qui laborabant alopecia, fuiſſe ſemper viliùs venditos. Sequitur vt curationem affectuum horum adeamus, cuius quidem dicebat Galenus primo de Compoſ. medicam. ſecund. loc. ſummam eſſe, vt primò corpus mundetur à prauis, & corruptis humoribus: ſecundò,vt medicamenta adhibeantur,quæ poſſint pilos iam corruptos regenerare:nam ſi antequam corpus purgetur, conemur pilos regenerare, fruſtra ſanè ludemus operam,quia,vt dicit Theodorus Priſcianus medicus,pili qui renaſcuntur, erunt ſimiles fructibus illis, qui nutriuntur prauis terræ ſuccis. & quia praui ſucci in corpore congregantur vel ex prauo victu, vel ex vitio aut totius corporis, aut iecoris,aut cutis capitis, ante omnia erit primò inſtituenda victus ratio, vt ſcilicet optimi cibi ſumantur,qui gignant bonos ſuccos,& qui facilè coquantur,vt vinum ſit tenue,aquoſum, non generoſum, non craſſum. Venus omnino fugienda eſt, ſicut quoque exercitationes corporum ante purgationem; eo quia,vt habetur apud Theophraſtum libro de Sudoribus, & Galenum multis locis, corpora impura ſi exerceantur, facilè vlceribus implentur. aluus etiam debebit ſoluta eſſe; læto animo viuendum, quia illi, qui turpitudine affectionis deterrentur, ſolent ſemper prauiùs degere. Idque ſæpe videtur, quod qui morbo gallico laborantes depilantur, quanto lætiores viuunt, tanto citiùs curantur. Poſt victus inſtitutionem deueniendum eſt ad corporis purgationem: quis autem debeat eſſe modus purgationis, intelligetur ex natura humoris dominantis; nam ſi fuerit ſanguis, qui faciat morbum, erit incipienda curatio à ſanguinis miſſione, præmiſſa tamen alui lenitione. extrahatur ſanguis ea quantitate, quam vires ſuſtinebunt. locus verò erit, vt ſi toto corpore redundet ſanguis, vena interior baſilica pertundatur, quod ſi ſiniſtrum latus magis affectum videbitur, à ſiniſtro latere mittatur ſanguis, ſi dexterum, à dextero. Miſſo ſanguine erit deinceps veniendum ad purgationem, quæ fiet optimis decoctis, & ſyrupis accommodatis,veluti erit iſte.

℞. foliorum lupulorum,
Bugloſſæ,
Boraginis.
meliſſæ an. p.j. fiat decoctio. deinde,
℞. dictæ decoctionis ℥. v.
Syrupi de lupulis,
Syrupi de ſucco boraginis, an. ℥.1.

Miſce. hæc erit forma pro præparanda materia ſanguinea. Medicamentum ad expurgandum humores prauos, ſi qui erunt commiſti ſanguini, debebit eſſe placidum & lene,vt numquam tranſeatur vel manna, vel ſyrupus viol.ſolut. vel ſyrupus roſatus ſolutiuus. Quod ſi materia fuerit pituitoſa, omnino erit dimittenda ſanguinis miſſio,atque veniendum ſtatim ad præparationem pituitæ,ad quod hoc erit accommodatum medicamentum.

℞.fol. Betonicæ,
Stœchados,

Origani,
Maioranæ, an.p.j.
fiat decoctio ſecundum artem, deinde
R. dictæ decoct. ℥.v.
Oxymellis ſimplicis,
Syrupi de betonica,
Syrupi de ſtœcade, an. ℥.j. miſce.

Præparata pituita erit medicamento accommodato expurganda, & hoc in caſu Galenus primo de Compoſitione medicamentorum κατὰ τόπους maximè omnium laudauit vſum hieræ ex colocynthide, redactæ tamen in formam pilularum. Itaque optimum erit iſtis vti, aut etiam hiera Pacchij, aut hiera Archigenis.id tamen obſeruare ſemper erit neceſſe, vt medicamenta in his affectibus capitis præbeantur in forma pilularum; quia cum ſit neceſſum expurgare caput, hæc forma medicamentorum omnium maximè iudicatur apta à capite trahere. Si materia fuerit bilioſa, præparari poterit hac potione.

R. fol. endiuiæ,
Plantaginis,
Lactucæ,
Cichorij, an. p. j. fiat decoctio. &,
R. dictæ decoctionis ℥.v.
Syrupi de endiuia.

Syrupi de portulaca, aut lactuca, an. ℥.1. miſce. Pro expurganda bile erunt accommodatæ pilulæ de rhabarbaro, vel omnes illæ pilulæ, in quarum compoſitionem ingreditur ſcamonium: hoc enim maximè purgat bilem: vbi etiam ingreditur aloë medicamentum eſt aptum: quia, vt ſcriptum eſt à Galeno, & à Meſue, mirificè purgat bilem. Si materia fuerit melancholica, erit præparanda hoc medicamento.

R. fol. fumi terræ,
Scolopendriæ,
Boraginis,
Acetoſæ, an.p.j.
Fiat decoctio, deinde
R. dictæ decoctionis ℥.v.
Syrupi de pomis
Syrupi de ſucco fumi terræ. an. ℥.1. miſce.

Ad expurgandam melancholiam erunt accommodatæ pilulæ de lapide lazuli, pilulæ de fumo terræ, pilulæ cochiæ cum elleboro. Atque hic eſt modus purgandi omne genus humoris, qui faciat vel alopeciam, vel ophiaſin. Poſt humorum purgationem, cum tota ferè medicinæ harum actionum vis ſit poſita in localium medicamentorum adminiſtratione, ſtatim ad ipſa deueniendum erit; quæ, vt docuit Galenus, tres debent conditiones habere. Prima & omnium maxima eſt, vt diſcutere validè poſſint: ſi quidem medicamenta debent euacuare humores craſſos, & diſſipare, hoc verò faciliter fieri non poteſt, niſi vis diſcuſſoria inſignis adſit. ſed quia quæ diſcutiunt, calida eſſe ſolent, & calida validè exſugunt, condenſant, & capillos deſtruunt: eapropter à vehementer calidis abſtinendum erit. Secunda conditio eſt, vt hæc medicamenta poſſint profundas partes cutis penetrare. Tertia & vltima eſt, vt poſſint attrahere à corporis ambitu ſanguinem optimum, & idoneum ad regenerationem, & nutritionem capillorum. Has tres conditiones

in

in thapſia reperiri, & Galenus & omnes medici docuerunt. quocirca frequens poterit eſſe huius medicamenti vſus. ſed quia thapſia plus calida eſt, quàm conueniat, Galenus monet, vt eius caliditas caſtigetur; vel oleo ſimplici Sabino, vel aqua pura. ſed dubitabit aliquis, cur in hac affectione curanda non ſeruetur ea ratio quæ in aliis morbis cum fluxu materiæ, in quibus ſcilicet primum repellentia vſurpantur, deinde diſcutientia. Reſpondet Galenus in principiis alopeciæ, & ophiaſis eſſe quidem vtēdum repellentibus. Sed quia medici non accerſuntur ad hos affectus curādos in principio; ſed ſemper poſtquam morbus conſummatus eſt, idcirco non eſt neceſſe de repellentibus ſermonem habere, eo magis quòd differt principium alopeciæ ab ipſa alopecia, & nunc tractamus alopeciam ipſam, ophiaſin, non autem principia. Igitur medicamenta localia debebunt eſſe diſcutientia, penetrantia, & ſanguinem optimum aduocantia. Sed quia (vt diximus) diuerſę ſunt materiæ, quæ has affectiones pariunt; ideo erunt etiam in promptu habenda varia medicamenta vnicuique materiei accommodata. Si enim fuerit pituitoſa, hoc linimenti genus optimum erit.

R. euphorbij,
Rutæ ſylueſtris, an. ʒ.4.
Sulphuris,
Ellebori albi, an. ʒ.1.s. miſce. & cum oleo nucum antiquo fiat linimentum. Adpono oleum antiquum nucum, quoniam Auenzoar, magnus experimentator, huiuſmodi oleum mirificam vim habere in his affectibus memorat. Si materia fuerit bilioſa, hoc aliud linimentum erit accommodatius.

R. Alcyonij,
Amygdalarum amararum combuſtarum,
Radicum cannæ vſtarum,
Stercoris murium an. ℥.s. miſce; & cum aceto, atque adipe gallinaceo fiat vnguentum. In materia autem melancholica poterit hoc vſurpari.

R. thapſiæ aqua lotæ, ʒ.1.
Abrotani combuſti, ʒ.2.
Corticum auellanarum combuſtarum,
Capitum muſcarum, an. ʒ.3.
Cantharidum, ʒ.2.
Olei roſati quantum ſufficit. fiat linimentum, quod paullo valentius eſt, quoniam humor melancholicus eſt cæteris contumacior. Poſtremò ſi materia fuerit ſanguinea, hoc medicamentum erit accommodatum.

R. ladani, ʒ.2.
Olei vitellorum oui, ʒ.1.
Chartæ vſtæ,
Capitum murium vſtorum, an. ʒ.2. cum oleo veteri fiat inunctio. Sed circa vſum horum medicamentorum quatuor animo ſemper tenenenda. Vnum eſt quod docuit Alexander Trallianus, vt in recentibus morbis ſemper medicamenta mitiora adponantur, in antiquis, ea quæ ſunt efficaciora. Alterum eſt, vt antequā illinantur loci affecti, omni ſtudio prouideatur, vt pili corrupti euellantur. nam ſicuti agricolæ priùs radices putridas & inutiles auferunt antequam ſemina terræ committant: ſic debemus nos antequam ſtudeamus regenerationi pilorum, auferre corruptos & inutiles, alioquin aut non ſubcreſcent, aut qui regenerabuntur, corrumpentur. Duo verò ſunt modi, quibus pili corrupti euelluntur. Vnus eſt, vt aëre lucido, & ſereno volſellis euellantur pili ſingulatim. in qua re magna

opus

opus eſt diligentia, quia & iudicium, & etiam tempus hæc operatio poſtulat. Alter modus eſt, qui etiam in vſu fuit antiquis, vt pilis corruptis adponatur pix, deinde auellatur. fit enim, vt pix adhærens pilis dum euellitur, ſecum quoque pilos corruptos trahat. iſti verò modi non poſſunt fieri ſine aliquo dolore & moleſtia. Tertium, vt antequam adhibeantur linimenta, & poſtquam auulſi fuerint corrupti pili, fricetur pars depilata vſqueequò rubefiat cutis. Varij autem ſunt modi quibus fit hæc fricatio; fit primò pannis aſperis, fit etiam pumice, nitro, foliis ficuum, radice raphani, & etiam cæpis: nam quodcumque habetur magis paratum accipitur, & parti depilatæ vehementer applicatur, vſquequo rubefiat, deinde applicantur linimenta. Quartum & vltimum eſt circa vſum thapſiæ, & cantharidum. dicit Galenus primo de compoſit. medic. ſecundum loca maximum diſcrimen eſſe in electione thapſiæ: quia noua eſt valida; ſi tranſeat annum, hebetatur eius facultas; ſi verò triennium etiam habeat, adhuc magis infirma eſt. & propterea quæ habet ſolum annum, debet magis caſtigari, quæ alterum annum, minus; quæ verò præteriit etiam tertium, aut minimè omnium, aut nihil caſtiganda eſt, quod intelligendum eſt, vbi ſola thapſia eſt vtendum. Circa cantharidum vſum magnus Hippocrates libro de Natura muliebri: libro 1. & 2. de Morbis muliebribus: quarto etiam de acutis monuit, vt in vſu earum abiiciantur caput, alæ, & pedes. Dioſcorides, atque Plinius fuerunt huius opinionis, quòd extrema cantharidum ſint veluti alexiteria corporum ipſarum; quod etiam relatum eſt à Galeno 11. de ſimpl. medicina. Galenus profitetur ſe totas cantharidas interdum vſurpaſſe, & non modò in medicamentis extrinſecis, verùm etiam in iis, quæ intùs ſumuntur. Præſtabit autem in his medicamentis componendis, mea ſententia, vti totis corporibus cantharidum; ratio eſt, quia extrinſecus adponuntur: ex quo nullum imminet periculum: prætereà ſic magis poſſunt diſcutere, atque medicamenta alia perducere in profundum cutis.

De caluitio.

CAPVT V.

CAluitium apud Græcos vocatum eſt φαλάκρωσις, & μαδάρωσις, quod quidem vitium nihil aliud eſt, niſi depilatio capitis ætate hominibus adueniens. dico, ætate: quia defluuium, de quo tertio capite tractauimus, eſt etiam dipilatio capitis, ſed valdè differt à caluitio, de quo ſermo eſt habendus. nam defluuium fit in omni ætate, in omni ſexu, in vniuerſa capitis parte: fit etiam à pluribus cauſſis: caluitium verò, quod verum eſt caluitium, fit ſolummodo quadam temporis ratione & menſura. non fit in omni ſexu, quia mulieres eo non tentantur: fit ſolummodo ab exſiccatione: & fit tantùm in anteriore capitis parte; hoc eſt, in regione circa commiſſuram coronalem. Vnde quando apud Galenum in introductorio, capite 16. legitur, quòd alopecia, ophiaſis, & caluitium tentant caput, & mentum, debet interpretari ea ſententia deſiunctim, non autem coniunctim. Sed quis fortè dubitaret, quod ſi caluitium omni homini contingit, idque ob ætatem, cur numerem illud inter affectus præter naturam? nam videtur quòd iſte affectus non ſit præter naturam, imò à natura intentus. Reſpondeo, caluitium quamuis ſecundum ordinem naturalem eueniat, tamen euenire præter naturæ ipſius intentionem pluribus rationibus: primò, quia

interdum

interdum contingit nimis celeriter. præterea, quia eſt contra id, quod natura in generandis pilis capitis ſtuduit. Etenim ſcribit Galenus 11. de Vſu partium, naturam capiti pilos ingeneraſſe gratia ornatus & pulchritudinis. vnde quotieſcumque caput pilis orbatur, pulchritudo & ornatus à natura intenti deſtruuntur. ob id veteres maximè ſolliciti fuerunt, quando capite nudo incedebant, vt caluitium abſconderent: quaſi quiſque ſciret caluitium aliquam homini turpitudinem inferre. Cæterùm de cauſſa caluitij controuerſia eſt apud auctores. Hippocrates in lib. de Structura hominis, videtur velle, quod caliditas ſit cauſſa caluitij. Sed quia liber ille ſuſpectus eſt, aut ſaltem poteſt auctor abuti voce caluitij, ideo vidēdum eſt nobis alia Hippocratis auctoritas, qui 6. Epid. com. 3. circa principiū ſcribit, caluitium fieri ex conſumptione ipſius cerebri. quam ſententiam declarans Galenus ſcribit, quod procedente ætate in homine, cerebrum abſcedit ab oſſe cranei, ex quo os illud priuatum humiditate amplius nequit pilos alere: qui alimento deſtituti intereunt, atque decidunt. Maximus philoſophus Ariſt. lib. 5. de Generat. anim. cap. 3. aliam dedit cauſſam caluitij, vbi ſcribit, fieri ob inopiam humidi calidi pinguis, ob quam inopiam conſequitur frigidum ſiccum. neque ſine ratione dixit Ariſtoteles humidum calidum pingue: propterea quod ſeneſcentibus hominibus augetur humidum extraneum, aqueum & frigidum: aboletur verò humidum pingue & calidum; ratio eſt, vt ibi Ioannes Grammaticus, & Auerroës exponunt; quoniam humidum pingue, & calidum fit beneficio coctionis, quæ in ſenibus deprauatur: vnde fit, vt huiuſmodi humidum generari non poſſit. Galenus primo de Compoſit. med. s. l. cap. 2. & ſecundo de Temperamentis, cap. 6. vnam cauſſam videtur adferre, nimirum ſiccitatem ipſam. ſed quanquam putem apud Galenum pro ſiccitate intelligendam eſſe inopiam illius humidi, quam dixit Ariſtoteles, tamen non poſſum non fateri Ariſtotelem fuiſſe diligentiorem in hac cauſſa tradenda. Errat tamen quidam modernus, qui voluit damnare Galenum, quod dixerit caluitium fieri à ſiccitate, afferens hanc rationem; quia calui non dormirent: nam certè fabuloſa eſt huiuſmodi ratio; propterea quod etſi ſenibus cerebrum ſiccum reddatur ob inopiam humidi huiuſmodi pinguis; veruntamen augetur in ipſis humiditas excrementitia, atque etiam continuò ab humiditate ciborum cerebrum ità humectatur, vt ſomnus induci poſſit. cauſſæ procatarcticæ caluitij ſunt omnes illæ, quæ poſſunt cerebrum exſiccare, vigiliæ, curæ, ſtudia, coitius immoderatus. Alexander lib. 1. Problematum 2. vult etiam & hæreditate caluitium, quemadmodum & podagram, contrahi. Signa porrò caluitij hæc breuiter ſunt; quia incipit primò à parte cerebri anteriore, atque paullatim creſcit. præterea fit ætate, atque etiam tempore coitius, quemadmodum ſcribit Ariſtoteles loco citato: vbi dicit, neque eunuchos, neque pueros calueſcere, niſi eo tempore quo coitu poſſunt vti. abſentia etiam aliarum cauſſarum defluuij capillorū eſt ſignum caluitij. ſed hoc præcipuum indicium eſt, ſi adhibeātur remedia efficacia ad regenerationem pilorum, & tamen ipſi non renaſcantur. Prognoſticum vnum habetur à Galeno 6. Aphoriſm. 34. & ab Ariſtotele loco citato, quòd vera caluities incurabilis eſt. poteſt tamen opera medicinæ retardari, quamquam incipiens. Sed hoc loco ſex pulcherrima problemata occurrunt, & ſcitu digniſſima: quorum primum eſt, cur ſolus homo inter cunctà animalia calueſcat. & quamuis dicant aliqui ſtruthiocbamelum, & quoſdam coruos, φαλακροκόρακας vocatos calueſcere, tamen ea non eſt vera caluities. Nam & arbores metaphoricè dicuntur calueſcere apud Columellam lib. 4. cap. vltimo. Secundum problema eſt, cur caluitium nulla opē medica poſſit reparari. Tertium, cur aliqui citò calueſcant,

ſcant, aliqui tardè. Scribit enim Galenus lib. 11. de Vſu partium, Æthiopas tardiſſimè ominium caluеſcere. Quartum problema eſt, cur mulieres non caluеſcant, nam eſt ſententia Hippocratis, & Galeni 6. Aphoriſm. 28. & Ariſtot. 5. de Gerat. animalium cap. 3. mulieres ipſas non caluеſcere. Imò refert Syneſius philoſophus in libro de Caluitio, à ſæculo numquam viſas fuiſſe mulieres quę caluеſcerent: quanquam Albertus Magnus lib. 19. de Animalib. cap. 6. ſcribit ſe vidiſſe duas mulieres caluas. Quintum problema eſt, cur anteriore capitis parte quàm poſteriore magis fiat caluitium. Sextum & vltimum eſt, cur calui ex caluis naſcantur, vt teſtatur Hippocr. lib. de aëre, locis, & aquis, & Alex. 1. Problem. 2. Ad primum problema ſcribit Ariſtoteles loco citato, ſolum hominem caluum fieri: quia cerebrum humidiſſimum habet, atque etiam maximum. Auerroës autem dixit icciſco caluеſcere ſolos homines, quia ſoli capillos habent. Sed contra Ariſtotelem inſtaret aliquis, Si caluitium fit inopia humidi pinguis, videretur homo, cum ſit humidiſſimus, non debere eſſe ſubiectus caluitio. Ioannes Grammaticus, qui vidit hanc difficultatem, dixit verbis Ariſtotelis addendam eſſe hanc particulam, frigidiſſimum; quaſi ſenſus ſententiæ Ariſtotelis eſſe debeat, quòd homo ſolus caluеſcat, quia cerebrum habet humidiſſimum, maximum, & frigidiſſimum; etenim ratione frigiditatis efficitur, vt calor expiret, & conſequenter humidum & calidũ abſumatur. Sed hæc ratio non videtur ſufficiens, quandoquidem etiam bruta ineũtibus annis maximè refrigerantur: propter quod deberent & ipſa huic affectioni obnoxia eſſe. Ideo reſpondendum eſt ſolum hominem caluеſcere, non quia ſit frigidiſſimo & humidiſſimo cerebro, ſed quia, vt dicebat Auerroës, ſolus habet capillos; etenim pili brutorum cum ſint admodum duri, neque humido calido pingui alantur, facilius retinentur: homo verò cum habeat capillos qui leues ſunt & debiles, facilè iniuriis omnibus exponuntur. Sed percunctabitur aliquis à me, cur natura non dederit homini pilos duros, qui non deciderent: eo magis, quòd ſi caluitium nocet valetudini, debebat natura gerere magis curam ſalutis noſtræ, quàm brutorum. Reſpondendum eſt huic quæſito id, quod ſcriptum eſt à Platone in Timæeo de fabrica totius capitis humani, videlicet naturam ſtudioſam fuiſſe, vt conformaretur caput humanum ita, vt & valetudinis, & contemplationis rationem habere poſſet. ſi enim voluiſſet caput, & pilos robuſtos efficere, profectò homo fuiſſet ineptior contemplationi. Vnde elegit quandam conſtitutionem mediam, quæ quidem neque valetudinem, neque etiam contemplationem impediret, eò magis quòd homo præditus cum eſſet ratione, poterat aliquo integumento reparare iacturam pilorum. & hoc eſt quod Syneſius philoſophus argutiſſimè dixit, prudentiam & pilos inimicitiam habere: ita quòd animalia quæ ſunt maximè piloſa, vt oues, ſunt omnium prudentiſſima: quæ verò paucos pilos habent, vt homo, ſunt omnium prudentiſſima. Ad ſecundum problema, cur ſcilicet caluities non poſſit reparari, reſpondet Ariſtoteles loco citato, arbores frondes quotannis reſumere, & animalia pilos, propterea quod horum corporum mutatio efficitur ſecundum anni partes, videlicet ſecundum ver, autumnum, hyemem, & æſtatem. Vnde cum iſtæ partes temporis quotãnis redeant, renouantur etiam mutationes in ipſis; homo mutatur dumtaxat ſecundum ætates, & quia illæ non redeunt, hinc eſt, quod illius mutationes tám pilorum, quàm aliarum rerum non renouantur. Poteſt etiam & alia huius rei afferri ratio; quia ſcilicet deficit in caluitio humidum, quod non poteſt reparari; nam pingue illud calidum humidum inſertum eſt homini à natiuitate, atque conſeruatur beneficio coctionum: cum verò calor indies deficiat, deficit ſimul concoquendi vis, hac verò deficiente

hoc

hoc humidum pingue reparari non poteſt. hinc eſt, quòd Galenus 2. de Temperamentis, capite 5. dicebat, nonnullos caluefcere, propterea quòd ab ortu nacti ſunt cerebrum ſiccum, atque etiam cutem capitis ſicciorem. Ad tertium problema reſpondet Caſſius medicus libro problematum Medicinalium, ideo aliquos tardius, aliquos celerius caluefcere, quia alij homines ſunt aliis calidiores: addit eos, qui frigidi ſunt temperamenti, capillitium nutrire non poſſe; quaſi velit auctor iſte, eos, qui tardius caluefcunt, eſſe calidiores. Sed hæc ſententia mihi non probatur; quandoquidem ſi, vt ſtatutum eſt à nobis, caluitium fit inopia humidi calidi pinguis, eos, qui calidiores erunt, neceſſarium erit citius caluefcere, propterea quòd à ſumma caliditate velocius abſumitur humidum illud, quo abſumpto caluitium fit. Itaque reſpondendum eſt cum Galeno in Arte medicin. cap. 13. & 16. eos difficilius & tardius caluefcere, qui temperato ſunt cerebro: eos verò faciliùs, & citiùs, qui ſicco ſunt præditi cerebro. Vnde Alexander primo problem. 1. dicebat eos, qui criſpo ſunt capillo, citius caluefcere; quoniam habent cerebrum ſiccius. Eſt tamen hoc in loco aduertendum, differre an cerebri ſiccitatem incuſemus, an ſiccitatem cutis; quia ſiccitas cutis non ſemper confert ad generationem caluitij: quandoquidem ſcriptum eſt à Galeno 11. de Vſu partium, cap. 14. quòd ſicuti arbores difficilius in terra dura plantantur, ſed plantatæ diutius perdurant: ſic & pili difficilius naſcuntur in cute arida; ſed poſtquam nati ſunt diutius perdurant, & difficilius excidunt. quæ cauſſa eſt, vt inquit Galenus, quòd Æthiopes licet raro ſint capillo, tamen tardius cæteris nationibus caluefcunt. Ad quartum reſpondet Ariſtoteles, idcirco mulieres non caluefcere; quemadmodum nec pueros, quoniam ſemen non emittunt. ſed hæc opinio iam dudum exploſa fuit à medicorum ſchola, qui putant non ſolum fœminas ſemen emittere, atque ſemen habere, verum etiam pueros. Eſt enim ſcriptum apud Hippocratem in libro de Natura pueri, pueros ante 14. annum ſemen quidem habere, ſed non emittere; quoniam vaſa ſunt nimis anguſta, quàm vt tranſitum præbeant ſemini. itaque dicendum eſt, quemadmodum dicit Galenus 6. Aphoriſm. 27. mulieres, & eunuchos non caluefcere, quia ſunt frigido temperamento: nam ratione frigiditatis calor natiuus non poteſt abſumere humidum illud pingue, atque ita, cùm illud perpetuò duret, durat ſimul pabulum pilorum: quanquam etiam poſſumus & aliam afferre rationem, quod ſcilicet mulieres pauciores in capite ſuturas habent, & qui pauciores habent ſuturas, ſemper humidum iis in cerebro diutius conſeruatur. nam ſcriptum inuenitur apud Hippocratem libro de Structura hominis, eos, qui nullas ſuturas habent, eſſe omnium humidiſſimo cerebro: quæ etiam cauſa poſſet adferri, cur Æthiopes non caluefcunt, ſi verum eſſet quod ſcribit Arrianus, Æthiopum capita eſſe ſine ſuturis. Igitur colligendum, mulieres non caluefcere, quoniam & frigido temperamento ſunt, & humidiſſimo cerebro. Nam & Auerroës in commentario in v. de Generat. animal. dicebat, mulieres non caluefcere ob earum complexionem humidam. Ad quintum problema, cur anteriore magis capitis parte, quàm poſteriore fiat caluitium, reſpondet Ariſtoteles, idcirco eſſe, quoniam ea potiſſimum parte cerebrum continetur. Auerroës, vt Ariſtotelis ſententiam clariorem redderet, dixit, fieri caluitiem in hac parte ſolum, quia tenuior eſt cæteris partibus, atque etiam calidior. vnde ratione tenuitatis, & maioris caliditatis citius finitur humidum in ea parte, quo finito fit caluitium. probat verò hoc eſſe, quia tempore infantiæ pars hæc anterior capitis maximè lenis eſt. & hæc ratio quoque afferri poteſt, cur in nulla alia corporis parte id defluuij pilorum genus contingat. Alexander quoque primo Pro-

blem.1.dixit,in anteriore parte magis fieri caluitium,quia ea pars laxa eſt, & deficiente alimento ratione laxitatis,pili decidunt,quod quidem non contingit in poſteriore parte, quæ quoniam durior eſt, & denſior, minus permittit, vt pili decidant. Ad ſextum & vltimum problema reſpondeo, caluos verè caluos numquam fieri ex hæreditate, quemadmodum podagra fit. Sed quid dicimus ab Hippocratem,atque etiam ad Alexandrum? Nam Hippocrates lib.de aëre,aqua,& locis ſcribit, macrocephalos fieri ex macrocephalis, cæſios ex cæſiis,caluos ex caluis. Alexander etiam ſecundo Problem. habet eandem ſententiam, videlicet quòd calui naſcantur ex caluis: igitur videtur ſententia mea contraria eſſe ſententiæ Hippocratis & Alexandri. Dico & Hippocratem, & me etiam vera dicere. Ego quidem vera dico, loquendo de vero caluitio. Ceterùm Hippocrates eo in loco non loquitur de vero caluitio,ſed de iis qui perpetuo vitæ tempore depilati viuunt, quos caluos abuſiuè appellat. Refert enim Herodotus lib. 4. Strabo, & Plinius lib. 11. cap.37.quoſdam eſſe populos, qui Myconij nuncupantur,& quaſdam Indiæ gentes, quæ perpetuò ſine pilis in capite viuunt:& de iſtis loquutus eſt Hippocrates, non autem de verè caluis. De curatione huius affectionis non eſt quòd verba faciam, quoniam hæc paſſio prorſus eſt incurabilis quando conſummata eſt: ſed loquar de præſeruatione, quam debet medicus duabus de cauſſis intelligere: p.imò, quia valde pertinet ad tuendam bonam valetudinem, quiſne citò an tardè caluefcat. ſecundò, quoniam apud multos turpe habetur iuuenem caluum videri. Vnde ſæpè vrgentur medici à multis, vt remedia adferant ad euitandum caluitium. Sed hoc loco quæret aliquis quomodo poſſit caluitium obeſſe valetudini; nam ſcribit Gal.11.de Vſu partium ſæpè capillos obeſſe,& præſertim in ophthalmia & grauedine. imò refert Syneſius philoſophus in lib. de Caluitio, ſe vidiſſe multos ab affectibus oculorum,& à catharris curatos eſſe ſola capillorum ablatione.& dicunt aliqui Ægyptios finxiſſe Æſculapium caluum, vt medici docerentur à parente ſuo caluitium conferre ad bonam valetudinem. Reſpondeo, quòd quamuis in aliquibus caſibus, & etiam in quibuſdam viris inueniatur caluitium iuuare: tamen vt plurimum, & vt in pluribus noxia eſt hæc depilatio valetudini, quia aër externus, & venti facilius penetrant cerebrum, atque ipſum offendunt. Igitur in præſeruatione duo erunt præcipuè ſcopi habendi: vnus, vt humidum illud calidum pingue, quo nutriuntur capilli, quandiu poteſt, retineatur & conſeruetur. alter, vt cutis ipſa condenſetur, quominus capilli decidere valeant. pro primo ſcopo implendo erit potiſſimum victus, & ciborum habenda ratio, vt ſcilicet vitentur omnes illi cibi, qui validè exſiccant: adhibeantur verò cibi optimi nutrimenti, pinguis & viſcidi alimenti, qui tamen poſſint bene confici. Fructus maximè adcelerare ſolent caluitium; quia generant alimentum humidum & flaccidum, atque tenue, quo cum non poſſint ſuſtineri pili, facilè decidunt. Aër temperatus eligendus eſt, & potiùs frigidus quàm calidus. hac ratione caput pileo tegi confert ad auertendum caluitium; quia prohibet iniurias aëris. vigiliæ maximè obſunt, curæ etiam: & multos videre eſt hac vna ratione fieri caluos, quia nimis vigilant, nimis anguntur curis. Coitus etiam frequens, ſi quid aliud,caluitium adcelerat,& ideo Venus erit fugienda: pectinationes quoque,& frictiones capitis frequentes caluitium properare faciunt. ideo qui optant calui non fieri, debent eas cauere. Vini generoſi & meri potus exſiccando ſolet facere caluitium, propter quod Alexander ſecundo Problema. 89. dum deſcriberet comitatum Bacchi,inquit,multos caluos ipſum ſequi,propter cerebri nocumentum, quod inducitur à potu vini immodico. Pro ſecundo ſcopo, videlicet, vt

vt cutis denſetur,erunt adhibendæ lotiones capitis,atque etiam inunctiones quę-dam.debebunt eſſe lotiones ex iis rebus,quæ corroborant cutem, condenſant,ne-que tamen abſumunt humidum illud pingue,cuiuſmodi erit, ſi lotio hæc paretur.

R. lixiuij ex cineribus vitium ℔. 10.
Vini rubri acerbi ℔.6.
Fol. rubi.
Foliorum roſarum,
Plantaginis an. p.2.
Corticum nucum viridium,
Corticum granatorum,
Myrtillorum an.p 1.

Bulliant ſimul ad conſumptionem quintæ partis. deinde abluatur caput ſingula hebdomada:ita tamen, vt neque multum fricetur pannis calidis, neque etiam lo-tio ſit admodum calida. Præter hanc ablutionem ſunt etiam quædam linimenta, quæ debent in continuo vſu haberi. Et quia cauendum eſt, ne inunctiones fœto-rem reddant, erit præſtantiſſimum oleum ladani commiſtum ſucco myrtillorum, & ſucco corticum nucum viridium. exempli gratia poterit hoc modo fieri.

R. olei ladani per alembicum extracti ℥.1.s.
Succi foliorum myrti,
Succi corticum nucum viridium an.℥.s.
maſticis ſubtiliter puluerizati, vel eliquati ʒ.2.
Ambræ gr.3.miſce,& fiat linimentum. hoc poterit anterior pars capi-tis quotidie inungi. Sed aduertendum, maximè conferre ad prohibendum calui-tium,vt etiam vſque ad cutem ſæpiſſimè,capilli auferantur,quia non modo ſic me-lius remedia adminiſtrantur:verùm etiam cum pili parui non poſſint tantùm nutri-menti abſumere, efficitur, vt diutius contineatur humidum illud pingue,quo nu-triũtur capilli,& idcirco ante cætera qui volunt ſe tueri à caluitio,ſe debẽt ſæpiſſi-mè tõdere vſque ad cutem,ob quod,vt in Thalia ſcribit Herodotus,Ægyptus pau-ciſſimos habebat caluos: quoniam ſoliti erant ad viuam vſque cutem radi, quo compactius,ſpiſſiúſque redderetur craneum. Sunt apud Galenum primo de com-poſ. medicam. ſecundum loc. multa alia remedia pro præſeruatione à caluitio, & inter cætera illud Andromachi iunioris cap. 2.& aliud in fine cap.1.pericalami-tis nuncupatum, quo ait Galenus vſum Claudianum amicum ſuum duos cu-raſſe à vero caluitio. Itaque poterunt huiuſmodi remedia in vſu haberi dum tem-pus poſtulabit. deſcriptionem non affero, quia prompta eſt vnicuique in libris Galeni.

De Canitie.

CAPVT VI.

INTER capillorum affectus poſtremo loco adnumeratur à Galeno canities, quæ quidem tametſi nullum corpori detrimentum inferat; pertinet tamen ad Medicum. ſiquidem, vt ſcribit Galenus de compoſit. medicamentorum ſecundum locos, duæ ſunt partes, exornatoria & comptoria, quæ ad Medi-cum quidem attinent, ſed diſpari modo: exornatoria namque cùm pul-chritudini naturali conſeruandæ ſtudeat, directè Medici officium requirit.

comptoria verò, quæ fucatam, & adulterinam pulchritudinem perſequitur, non directè medici officium exigit: ſed, vt dicebat Galenus, cognoſcenda eſt medico propter conſuetudinem regiarum fœminarum. Iam verò canitiei curam, & cognitionem, cùm tota ſit in conſeruatione pulchritudinis naturalis poſita, ad exornatoriam pertinere, atque etiam à medico cognoſcendam eſſe, omnino puto. Dicitur verò canities à Græcis πολιότης. Vnde Homerus Iliad. θ. quemadmodum habemus apud Alexandrum, appellauit homines πολιοκροτάφους, hoc eſt, tempora cana habentes. eſt autem hæc affectio, vt traditur in libro de Definitionib. Galeno adſcripto, mutatio capillorum ad colorem album ante legitimam ætatem. Sed ſciendum, maximè differre albedinem ſimpliciter dictam capillorum, & canitiem, quemadmodum declarabitur. Canities verò duplex adhuc eſt: altera, quæ ſecundum ætatis curſum obuenit: altera verò, quæ vitioſa, & morboſa ab Ariſtotele nuncupata eſt. nam is 5. de Generat. animal. cap. 4. clariſſimè monſtrat eſſe quandam canitiem, quæ vitio morbi contingit, non autem ob ætatem. hanc canitiem Galenus primo de compoſit. medic. ſecund. loc. nominauit ſub nomine vitiliginis. Auicenna verò ſeptima quarti, tract. primo cap. 15. appellauit hanc eandem canitiem iuuentutis. de vtraque igitur à nobis ſermo habendus eſt, & primò cauſſas canitiei ſecundum ætatem euenientis perſcrutemur. Circa quam contemplationem varias inuenio auctorum medicinæ ſententias. Fuerunt aliqui inter veteres, qui exiſtimarunt hanc canitiem naſci ex ſiccitate, dicentes, quòd quemadmodum videmus folia arborum, quando ſiccantur, alba & cana fieri, ſimiliter capilli, quando ſiccantur, albeſcunt. Hanc ſententiam Ariſtoteles duabus rationibus confutauit. prima eſt, quia illi qui capite obtecto incedunt, citius caneſcunt, quàm illi, qui nudo, ſed capite nudo incedentes magis exſiccantur. itaque cum minus caneſcant, argumentum eſt, non fieri canitiem à ſiccitate. Altera ratio eſt, quia multi ſtatim à primo ortu incipiunt caneſcere: quo quidem tempore clarum eſt corpora noſtra eſſe humidiſſima. nam refert Cteſias eſſe quandam Indiæ gentem, vbi mulieres ſemel tantùm pariunt, & illi partus ſtatim, ac in lucem ſunt editi, incipiunt caneſcere. Igitur, vt ſcribit Ariſtoteles, fieri non poteſt, vt canities à ſiccitate oriatur. quo in loco nolo ſilentio præterire, quamuis hoc in variis lectionibus iam adnotarim, malè Athenæum 15. δειπνοσοφιστῶν impoſuiſſe Ariſtoteli, quòd voluerit canitiem fieri à ſiccitate. Eſt præterea non ignorandum, quando Ariſtoteles probauit canitiem non fieri à ſiccitate, noluiſſe eum intelligere, quòd nullo modo fiat: quandoquidem, vt præclarè notat Auerroës in commentario illius loci, fit etiam canities à ſiccitate, ſed per accidens. Si quis verò à me quærat, quomodo fiat canities per accidens à ſiccitate? reſpondeo fieri hoc modo: quia pili in ægritudine, vel aliqua alia de cauſſa patiuntur, & humidum ipſorum viſcoſum rareſcit, ita vt ſubſtantia pilorum rarefacta euadat lucida, & etiam aliqua tranſparentia affecta. Iacobus conciuis meus in commentariis ſuper Artem Medicinalem Galeni attulit alium modum, quo per accidens fit canities à ſiccitate, quia ſcilicet humida illa ſubſtantia opaca capillorum exſugitur & areſcit: & quia hæc faciebat nigredinem in capillis, illa abeunte, nigredo quoque abſcedit, & albedo introducitur. Magnus Hippocrates in libro de Natura pueri aliam videtur ſequutus ſententiam, vbi ſcribit, quòd humiditas pituitoſa in multum tempus protracta dimittit ad cutem partem ſubtiliorem & albidiorem, qua humiditate poſtmodum connutriti capilli albi fiunt: addit, quòd canos capillos habentes hac ratione & cutem albam habent. Hanc ſententiam Hippocratis videtur ſequutus Auicenna ſecunda primi, Doct. tertia, cap. 3.

Videtur

Videtur etiam eam ſequutus Alexander primo Problem.3. & 4. ſed Auerroës eam confutauit(quamquam nomine tecto)hac ratione,quòd pili nutriuntur vltimo alimento,non autem pituita,& quando pituita nutriuntur, (inquit ille) ita tranſmutata eſt,vt capilli non poſſint eius colorem obtinere. Ariſtoteles 5.de Generat. animal.cap.4.aliam & omnibus meliorem ſententiam habuit,vbi ſcribit,canitiem fieri ex inopia caloris natiui,qui cùm non poſſit humores concoquere, illi à calore natiuo deſerti magis tentantur à calore externo,& propterea putreſcunt,ex putredine autem deinceps albi fiunt.Ratio autem,qua ex putredine albeſcunt, hæc eſt, quoniam dum putreſcit humor, magna pars in aërem conuertitur: aër porrò terreæ & aqueæ ſubſtantiæ commiſtus facit colorem album, quemadmodum clarum eſt ex libro de Coloribus Ariſtotelis:atque hac ratione (inquit Auerroës) fit butyrum album,camphora, atque etiam ſpuma. Galenus Ariſtotelem ſequutus ſecundo de Temperam.cap.5.prope finem,dixit fieri canitiem ex putrefactione pituitæ:quando ſcilicet humidum exiguum quidem eſt,atque viſcidum: ſed ratione paucitatis caloris facilè computreſcit.quo in loco animaduertere oportet,vt apertum fiat,Galenum mutuatum eſſe eam ſententiam ab Ariſtotele, quòd ibi dicit canitiem eſſe τίνα εὔρωτα,id eſt,ſitum quendam, qui nihil aliud eſt, quàm vapor quidam putrefactus,ſicuti pituita,quæ alba eſt,vapor eſt condenſatus. nam & Ariſtoteles loco citato ſcribit,Comicos vocare canitiem εὔρωτα, ſiue ſitum, & pruinam. Igitur vna atque eadem eſt Ariſtotelis & Galeni ſententia circa canitiei ætatis cauſſam. Vnde patere poteſt, Auicennam alioquin grauiſſimum auctorem erraſſe; qui ſecunda primi, doct.3.cap.3.impoſuit Ariſtoteli, quaſi cenſuerit canitiem eſſe conuerſionem ad colorem pituitæ. Etenim fit quidem albedo capillorum, vt docet Galenus,ab albedine pituitæ,ſed quod fiat canities,nuſquam dixit aut Ariſtot. aut Galenus. Sed circa hanc ſpeculationem quatuor breuiſſima occurrunt quæſita ſcitu digna. Vnum eſt, cur à temporibus incipiat canities. alterum, cur maximè homines, & equi caneſcant. tertium, cur mulieres citiùs quàm viri canitiem inducant. quartum, cur qui capite obtecto incedunt, citiùs caneſcant, quàm qui nudo. Ad primum quæſitum reſpondet Ariſtot. idcirco tempora citiùs caneſcere, quoniam eo in loco tanta eſt humiditas, & talis, vt præ multitudine non poſſit reſiſtere putrefactioni, quemadmodum fit in ſyncipite: neque tam pauca, quæ poſſit faciliter coqui, veluti in occipite, quaſi velit, quòd cùm humiditas temporum faciliùs putrefiat, quàm humiditas aliarum capitis partium, ea ratione canities citiùs inducitur. Galenus loco citato de Temp. Ariſtotelem & ibi ſequutus inquit, idcirco priùs tempora caneſcere, quia humidiora ſunt. Ratio verò cur ſint humidiora, hæc aſſignatur ab ipſo; quoniam ea in parte ſunt muſculi magni, qui cùm ſint carnei, & caro humida ſit, meritò totam eam partem humidam reddunt. Addit Ariſtoteles, & Auerroës aliam cauſſam: quoniam oſſa temporum ſunt tenuia, cuius tenuitatis merito calor externus facilè ingreditur, & propterea facilè etiam corruptionem molitur. Quòd ſint tenuia illa oſſa, probat: quia vulnera eo in loco ſunt lethaliora. Ad ſecundum quæſitum reſpondendum eſt, hominem maximè omnium caneſcere: quia etiam omnium humidiſſimus exiſtit. De equis dixit Ariſtot. idcirco ipſos caneſcere, quia habent oſſa tenuia; ſed potiùs ego credo, quia animal frigidum eſt, & ratione frigiditatis facilè humores in ipſo putreſcunt: quamquam, ſi veritas non eſt omnino celanda, debemus dicere non eſſe canitiem veram pilorum, ſed potiùs albedinem. Ad tertium,cur mulieres magis caneſcant,& citiùs,eadem eſt ratio: quoniam ſunt frigidæ & humidæ,ob quas qualitates magis corruptionibus ſunt obnoxiæ. & quia

 dictum

dictum eſt, canitiem corruptione fieri, rationi conſentaneum eſt, magis eas caneſcere; ſicut ex aduerſo criſpos,& nigros pilos habentes cùm ſint ſicciores,tardius caneſcunt: rufi verò celerius. Ad quartum & vltimum dicendum, eos qui caput tectum gerunt, citius caneſcere; quoniam cum calor natiuus capitis non poſſit perſpirare, cohibitus à pilis veluti ſtrangulatur:ex quo fit,vt pereunte calore natiuo, facilè poſtmodum humores illo priuati putrefiant. & hæc etiam ratio eſt cur vnguenta capiti frequenter illita magis adcelerent canitiem, non quòd exſiccent, vt diſputatur apud Athenæum 15. deinoſop.cap. 18. ſed quia ſua illa vnctuoſitate, & craſſitie meàtus capitis ita obſtruunt,vt non poſſint exhalare. Canities porrò quæ morboſa dicitur, duplex eſt, alia quæ conſequitur vitiliginem, alia quæ conſequitur alium quemuis morbum. Quæ conſequitur vitiliginem nullam habet aliam cauſſam, niſi quia in vitiligine cutis alba facta eſt ex nutrimento vitioſo, & albo, quo cum nutriantur pili, etiam neceſſariò ipſi albi euadunt. & hoc modo intelligenda eſt Auicennæ auctoritas, quando ſeptima quarti,tractat. primo cap. decimoquinto ſcripſit, fieri canitiem ex ſanguine ad aquoſitatem mutato. Quæ verò canities ſequitur alios morbos,nulla alia de cauſſa fit, niſi quia humores corrumpuntur, & albeſcunt eo modo, quo dictum eſt: corruptis verò, & albis humoribus nutriti pili cani fiunt. & hæc etiam eſt ratio, cur multi ſubitò cani euaſerunt, vel ex timore, vel ex mœrore. Auditum enim,ſæpe eſt, & ab auctoribus multis memoriæ proditum, fuiſſe multos, qui vna nocte cani facti ſunt. Dices, quomodo poterit cognoſci canities, quæ fit ex ætate, & quæ contingit ex morbo? Quatuor ſunt, quibus cognoſcere licet canitiem ex ætate, ſigna. primum eſt ætatis, erit enim vel conſiſtentiæ, vel primi ſenij. ſecundum eſt, quòd hæc canities fit paullatim, non autem ſubitò. tertium eſt, quòd incipit primò à temporibus, atque etiam ſecundum Ariſtotelem, incipit primò ab extremis pilorum; eo quia extrema illa ſunt imbecilliora, vt ſcribit Ariſtoteles, & Auerroës. Signa factæ canitiei ex vitiligine cógnoſcuntur ex colore totius corporis, quomodo verò fiat vitiligo, ſuo loco docebo clariſſimè. Cognoſcetur autem facta canities ex aliis morbis. primò, quia non fit paullatim, ſed fit ſubitò, aut paucis diebus. erit in ætate iuuenili, totum caput ſimul caneſcet. poſtremò pili abeunte morbo iterum denigrabuntur. Canities ſenectutis nihil aliud prædicit niſi ſenectutem ipſam, quæ à vulgo malum, ſed à viris cordatis bonum potius putatur, vt ſcriptum inuenitur apud Platonem ſecundo de Legibus. Canities verò omnis ex morbo mala eſt, quia demonſtrat magnam caloris natiui inopiam, & magnam humiditatis copiam. Sequitur modò, vt curationem aggrediamur. Illa igitur, quæ morbos,& præſertim vitiliginem conſequitur canities, curatur ea ratione, qua vitiligo ipſa. vitiliginis verò curationem loco ſuo trademus. ſimiliter canities, quæ ex aliis morbis ortum habet, nulla alia ratione curatur, niſi quemadmodum ipſi morbi, imò dicebat Ariſt. 5. de Genera. animal. cap. 4. quòd huiuſmodi canities aufertur ablato ipſo morbo. Sunt tamen quædam peculiaria obſeruanda, & præſertim circa victus rationem, quæ ſi ritè obſeruetur, profectò maxmè iuuat ad adcelerandam canitiei curationem. Inter cætera iuuant frictiones capitis, frequentes pectinationes, exercitationes totius corporis: quæ omnia cum calorem naturalem confirmare poſſint, atque etiam cutis capitis poros aperire, conſequenter poſſunt efficere, vt putrido humorum coërceatur, & canities ipſa aboleatur. Scribit Raſes 25. Continentis cap. 24. ſe habuiſſe amicum quendam, qui potata calcanthi, ſiue vitrioli drachma, vna prope nocte abiecit omnes pilos albos. ſcio hoc genus remedij, maximè apud multos eſſe commendatatum; ſed ſemper mihi Galeni

leni conſilium placuit,qui in medicamentis, quæ per os aſſumuntur, damnat cal-canthi vſum. Similiter canities, quæ fit ex mœrore, ex timore, & ex aliis animi paſſionibus, facilè curatur, ſi huiuſmodi cauſſæ omnes aboleantur. Ceterùm ea canities quæ efficitur ex ætate, dum conſummata eſt, ſanè apud omnes incurabilis fit. verum in hac etiam duo remediorum genera habentur. alterum eſt eorum, quæ poſſunt canitiem retardare,dum adhuc eſt in principio : alterum verò eorum, quæ non canitiem ipſam tollere poſſunt, ſed obſcurare, atque etiam penitus occultare; cuiuſmodi ſunt medicamenta omnia, quæ capillos denigrant. & quanquam Galenus dicat hanc canitiem nullam turpitudinem, nullum detrimentum nobis afferre; ſunt tamen interdum & mulieres, & viri adeò importuni, vt exigant etiam à Medicis medicinas pro hac affectione. Vnde non eſt ipſarum cognitio ſpernenda. Quæ retardant canitiem, alia ſunt circa victum, alia verò circa medicamenta. Circa victum primò maximè inuigilandum eſt illis, qui cupiunt non caneſcere, vt fugiant aërem craſſum calidum : nam diximus fieri canitiem ex putrefactione inducta à calore externo. exercitationes moderatæ maximè iuuant: frictiones capitis, & totius corporis, pectinationes. Sed præcipuè curandum eſt, vt caput non admodum tectum contineatur : prouidendum eſt, vt aluus ſit continuò liquida, vt abiiciantur omnes animi perturbationes, & præſertim timor, atque mœror. Circa potum & cibum ſcribit Raſes, maximè abſtinendum eſſe à potu vini meri & generoſi. Similiter vitandus eſt eſus omnium lacticiniorum, fructuum, piſcium, olerum,leguminum. amplectendi ſunt cibi, qui facile coquantur, qui optimè nutriant : & ex ſententia Raſis potiùs frixi & aſſi, quàm elixi ſunt ſumendi. Quòd ſi etiam cibis continuò inſpergantur piper, aliqua ſinapis portio,cinnamomum, aut aliquid aliud aromatum, maximè etiam confert. Sed potiſſimùm obſeruandum eſt, vt omni ſtudio, & omni diligentia indigeſtiones fugiantur. dicebat Auicenna venuſtiſſimè coctiones ciborum eſſe veluti radices omnium medicinarum : quemadmodum ex aduerſo indigeſtiones omnes ſunt cauſſa omnium malorum, & omnium ferè ægritudinum, vt ſcriptum eſt à Galeno in libello de Cibis boni & mali ſucci. remedia porrò externa alia ſunt, quæ extrinſecus adminiſtrantur : alia verò quæ intus ſumuntur. Medicamenta extrinſeca,ſi ſententiam Ariſtotelis loco citato ſequamur, debent eſſe frigida ad arcendam aëris externi caliditatem, moderatè tamen. neque debent cutis meatus occludere, propter quod in hunc vſum maximè probauit oleum, & aquam. Ceterùm meliùs Ariſtotele Galenus lib. 1. de comp. medic. ſec. loc. c. 3. docuit medicamenta externa debere eſſe calefaciétia, exſiccantia,atque tenuiū partium:nec ſine ratione;quia ſummá conſeruationis à canitie eſt,vt inhibeatur putrefactio,& ſi quid putrefactum eſt,totum diſſipetur,& exinaniatur.cuiuſmodi ſunt quæ calefaciunt,exſiccant,& ratione tenuitatis penetrāt.Atque in hoc genere prętulit omnibus aliis cedriam.In libro de facilè parabilibus multa alia cōmmēdauit veluti: eſt ſtercus hirundinis, cum felle taurino, verbaſci albi flos combuſtus, & aceto maceratus, pulpa colocynthidis, quæ pulpa laudatur etiam ab Oribaſio, Ioannitio; & aliis multis. Laudant omnes Græci & Arabes oleum oliuarum ſilueſtrium, cupreſſi nucem in emplaſtri formam capillis adhibita. myrobalani quoque tam intus quàm extra frequenter admoti canitiem retardare putantur, ſicut & balneum ieiuno ſtomacho factum. Commendauit Raſes lotiones capitis colocynthide, ſale, & felle taurino factas. In quibus lotionib. illud ſummopere monet, vt caput omni diligentia poſt ablutionem exſiccetur.Marcellus medicus nō ignobilis c.7.libri ſui de Medic.laudat ablutionem capitis factā ex decocto capitis agni albiſſimi.

Atque hæc ſunt,quæ conferunt exterius applicata ad retardandam canitiem. Sunt multa exteriora , quæ ſumma diligentia ſunt fugienda : & primò Rufus Epheſius præcepit, vt lotiones capitis factæ aqua calida dulci fugiantur ; nam ſcimus maximè differre,ſiquis velit pannos dealbare , an calente aqua , an frigida faciat.vt enim frigida denigrat, ſic calida dealbat. Quod item præſtare aquam roſaceam ex ſententia cuiuſdam ſcripſit Raſes. Sunt quoque euitandæ frequentes euulſiones capillorum , quas faciunt nonnulli : nam hippiatri vbi volunt ſtellas albas in equis facere , frequentiſſimè euellunt pilos , ex qua euulſione exploratum eſt pilos excreſcere albos. Magna quoque ſanguinis extractio à Raſe iure damnatur. Auicenna verò peculiariter monuit , vt qui cupiunt non fieri cani , caueant ne capillos tangant oleo ſambucino,camphora , atque aqua dulci. Multa quoque ſunt, quæ pro affectione intus ſumpta laudantur. Inter alia ea medicamenta quæ pituitam,& humores ſeroſos educunt, maximè idonea putantur , & propterea iuuabit in vſu habere pilulas illas de agarico ; quæ ſi prudenter ſint confectæ , longo vſu mundant corpora à pituita,nec interim vllum damnum inferunt corpori. Confectio anacardina, theriaca, mithridatum, ſunt ex iis, quæ intus ſumpta præſeruant à canitie. Laudat præ cæteris Auicenna maſticationes frequentes myrobalanorum chebulorum,atque etiam vſum carnis viperinæ.fuit etenim vetus opinio medicorum , eſum carnis viperarum maximè ferè omnium conferre ad iuuentutem ipſam conſeruandam. eſt etiam apud Arabas quædam confectio mirificè laudata ad retardandam canitiem : cuius deſcriptio hæc eſt.

R. myrobalanorum nigrorum abſque nucleis ℥. 40.
Gingiberis,
Amios an. ℥. 10. irrorentur cum butyro ; & deinde diſtemperentur cum penidiis ad quantitatem mediæ partis totius medicamenti. Huius confectionis ſi drachma vna, vel altera frequentiſſimè deglutiatur, celebratur tanquam maximum remedium ad præſeruandum à canitie.Sunt modò alia medicamenta,quę non dicuntur præſeruare , ſed occultare canitiem ; & ſunt omnia illa quæ capillos denigrant.Et quamquam hæc tractatio potius ſpectet ad comptoriam artem,tamē, vt diximus , Galenus quoque monuit medicos , vt hanc partem non negligant; quando ſæpe coguntur à mulierculis,quæ canitie viris ſuis diſplicere nolunt, huiuſmodi medicinas adminiſtrare. Nam hæc ars ante Heraclidis Tarentini medici temporanondum erat adducta Romam : ſed poſt adducta fuit , & temporibus poſterioribus vſque ad tempora Galeni adeo in exiſtimatione fuit, vt etiam inuenirentur viri , qui non ſolum denigrare proprios capillos , ſed etiam alienos portare non erubeſcerent. Medicamenta verò denigrantia ſunt , vt docet Galenus, acerba,adſtringentia,atque frigida, quæ ſæpe dicit ſe expertum eſſe magnos morbos attuliſſe mulieribus,veluti apoplexiam,comitialem morbum, catharros,atque huiuſmodi Iliadem malorum. Sed optimum ſemper erit huiuſmodi ſeuera medicamenta effugere,atq; ea amplecti,quę parum obeſſe poſſunt,cuiuſmodi eſt cedria ipſa, quam dicit Galenus ſe vſurpaſſe in frigidioribus, & humidioribus ſolam ; in aliis verò caſtigatam & correctam oleo ſimplici.Erant etiam tempore Galeni, qui oleo,& pice capillos nigros reddebant, ſed quæ potiſſimum omnium commendatur, ſunt acacia, galla,fœnugræcum, ſemen hyoſcyami , coriandrum ſiccum , ſpica, ladanum , ſuccus corticum nucum viridium , ſuccus papaueris , ærugo ferri, calcanthum, alumen nigrum , æs vſtum. ex his fiunt variæ capitis lotiones ; fiunt etiā & linimenta , quæ capillis adhibita nigrorem inducunt. laudatur quoque lotio facta ex myrobalanis nigris,& ex felle taurino & myrto.Sed circa vſum horum

medicamentorum duo ſunt animaduertenda. Vnum eſt, non proficere hæc niſi longo vſu adhibeantur, & propterea non eſt, quod quis animum deſpondeat, ſi prima, vel tertia die medicamen non reſpondeat. alterum eſt, non ita facile eſſe concedenda hæc medicamenta poſtulantibus, ſed ſolummodò, dum videbitur, quemadmodum monet Gal. aliquid boni euenturum eſſe, & tunc temporis, quia cedria, & piſſelæum maximum fœtorem inducunt, ſunt etiam hæc vitanda. Ego quandoque docui quaſdam matronas medicamentum quoddam, quod ſemper intra menſem, atque etiam paucioribus diebus capillos omnes albos denigrauit, quod eſt tale.

R. myrobalanorum nigrorum	℥. 1.
Paſſularum nigrarum	℥. 2.
Vini nigri adſtringentis	℔. 2.

Bulliant in duplici vaſe lento igne ad conſumptionem duarum tertiarum, deinde adde,

Succi corticum nucum viridium	℔. 5.
Sumach,	
Acaciæ	an. ℥. 1.
Gariophyllorum ſolidorum	ʒ. 1. s.
Muſci	℈. 1.

ponantur iterum ad ignem, & ſine ebullitione detineantur per medium diem. hoc medicamentum denigrat: neque periculum eſt, quòd vllum damnum capiti inferat. ſed circa huius vſum hoc vnum doceam oportet, quòd illinuntur penicillo capilli albi nocte, quando itur dormitum: deinde contegitur caput panno nigro, atque ita detinetur tota nocte. mane poſtmodum abluitur caput vino nigro adſtringenti, in quo bullierint myrobalani nigri. Multa alia medicamenta ſunt, quæ poſſem docere: ſed quia ea poſſunt haberi apud auctores, & nobis properandum eſt ad vtiliora: propterea hic tractationi de affectibus capillorum finem imponam, & tractationem de affectibus cutis capitis aggrediar.

De morbo pediculari.

CAPVT VII.

Cvtis capitis vitia aliqua ſunt ſine vlcere, aliqua cum vlcere: ſine vlcere ſunt pediculatio, appellata furfuratio. cum vlcere verò ſunt achores, ceria ſeu faui, quos Aëtius, & Celſus vocant meliceridas. adnumerantur quoque inter vlceroſa σύκωσις, atque etiam pſydracia, de quibus omnibus eſt nobis tractandum. Auſpicabimur igitur ab iis affectibus, qui ſunt ſine vlcere, & primò à pediculatione, quæ à Græcis φθειρίασις vocata eſt, dicitur ita ἀπὸ τῶν φθειρῶν, hoc eſt, à pediculis. Rationem huius nominis affert Galenus libro de Theriaca ad Piſonem cap. 18. eo quia naſcitur is morbus à corruptione humorum. Eſt verò hic affectus morbus, in quo pediculi naſcuntur, præſertim in capite: dico morbum ipſum eſſe; quia eſt diſpoſitio præter naturam, quæ lædit operationes: nam lædit præcipuè ſomnum, vt docebimus, & refertur in eos morbos, qui dicuntur in numero, quales etiam ſunt lumbrici. dixi, vt plurimum in capite; propterea quòd pediculi etiam naſcuntur in vniuerſo corpore, de quibus etiam agemus; ſed potiſſimum oriuntur in capite ipſo. Circa huius morbi generationem & cauſ-

ſas variæ ſunt auctorum ſententiæ. Ariſtoteles 5. de Hiſtoria anim. cap. 31. fuit eius ſententiæ, quòd pediculi gignantur ex carne corrupta: quo in loco tria dicit Ariſt. Vnum eſt, quòd illis, quibus innaſci debent pediculi, prius fiunt quædam puſtulæ in cute, quas ſi quis expungat, ſubapparent pediculi. Aliud, quod dicit, eſt, huiuſmodi morbum fieri in illis, qui præhumido ſunt corpore, aut etiam poſt aliquos morbos. Tertium eſt, aues, piſces, & quadrupedia omnia laborare hoc morbi genere, excepto aſino. Sed hæc Ariſtotelis ſententia mihi videtur non omnino ſana eſſe duabus rationibus. prima eſt, quia in cute capitis naſcuntur pediculi, vbi minima eſt carnis portio: quòd ſi fierent ex carne corrupta, ſanè in pueris, quorum capita abundant his animalibus, prorſus deſtituerentur carne; quia tota conſumeretur. altera ratio eſt, quia pediculi maximè abundant in ſecunda & tertia hecticæ ſpecie; veruntamen in hoc morbo ita carnes ſunt conſumptæ, vt nullus remaneat locus pediculorum generationi. Itaque remanet, nullo modo fieri poſſe, vt pediculi gignantur ex carne corrupta, quemadmodum dicit Ariſto. Theophraſtus lib. 2. de cauſſis plantarum, cap. 12. habuit diuerſam ab Ariſtotele ſententiam, vbi ſcribit, pediculos fieri ex ſanguine corrupto & putrefacto. Sed neque hæc mihi vera videtur duabus rationibus. prima eſt, quia in febribus iis, in quibus ſanguis putreſcit, nullus apparet pediculorum prouentus, quod ſignum eſt non eſſe materiam pediculorum ſanguinem corruptum. Altera ratio eſt, quia cum ortâ principiis ſuis adteſtentur, ſi fierent ex ſanguine, aliqui ſaltem apparerent coloris rubei & ſanguinei, ſed nulli videntur; imò color ipſorum eſt prorſus alienus à calore ſanguinis. Vnde patere poteſt non generari à ſanguine corrupto. Supereſt igitur, vt ſola veritas ſit, quam Gal. 1. de comp. medi. ſec. loc. cap. 7. & Auic. lib. 4. fen. 7. tract. 3. cap. 26. & etiam alibi habuerunt, videlicet quod pediculi gignuntur ex excrementis calidis tertiæ & vltimæ coctionis putrefactis, non acribus, non prauis. Quorum ſententia vt exactè intelligatur, ſciendũ, quòd vbi ſanguis in ſubſtantiã membrorum conuertitur, multa excrementorũ genera producuntur, quorum alia diſſoluuntur per inſenſibilem tranſpirationem, alia per ſudorem, alia conuertuntur in ſordem: alia verò retinentur in ipſa cute. quę retinentur in cute, ſi in ſummo eius retineantur, faciunt furfurationem: ſi in profundo, aut ſunt praua & acria, & faciunt ophiaſin, aut non ſunt acria, neque praua, & faciunt pediculos. Itaque pediculi gignuntur ex excrementis iſtis calidis vltimæ coctionis, non acribus, nec prauis, ſed dulcibus. atque hæc eſt cauſſa materialis pediculorum. Videamus modò cauſſam effectricem; circa quod videntur conuenire omnes auctores efficientem cauſſam pediculorum eſſe calorem; ſed non eſt certum quis calor faciat pediculos. Auicenna videtur voluiſſe duos calores concurrere ad eorum productionem, alterum vniuerſalem, quem appellat creatorem, ſeu cholcodeum: alterum verò particularem, quem tertia tertij, tract. 3. c. 1. appellat naturalem: illam mediatam cauſſam vocat, hanc verò immediatam. Sed circa hanc ſententiam duæ oriuntur dubitationes. vna eſt, quo pacto calor naturalis in re putrefacta poſſit generationem vllam moliri; quia ſi materia eſt putrefacta, videtur omnino eſſe priuata calore naturali, & putredinalem duntaxat poſſidere. altera dubitatio eſt, quomodo, ſi vera eſt hæc generatio pediculorum, dixerit Ariſtoteles etiam piſces pediculis tentari. Ad primam dubitationem fuerunt aliqui qui dixerunt, litteram Auicennæ negatiuè legendam eſſe: quaſi dicat, quod non naturalis calor faciat pediculos. Sed hæc reſponſio eſt mera fuga. eapropter fuerunt alij, qui dixerunt, duplicem eſſe calorem, putredinalem, alium, qui perfectè & integrè putrefacit materiam, atque eam deducit ad

incinerationem: alium verò eſſe, qui putrefacit quidem, ſed non perfectè, ita quòd non perducit prorſus materiam ad incinerationem. primum calorem dicunt nullo pacto generare poſſe, ſecundum verò generare, hoc pacto, quia cum non perfectè putrefaciat materiam, eam aliqua ex parte diſponit ad ſuſcipiendam formam animæ. Sed hæc ſententia non mihi videtur conſtare poſſe; quia tametſi calor iſte putredinalis non prorſus putrefaciat materiam, tamen cum ſit extraneus, & putredinalis, nullo modo poteſt materiam diſponere ad vitam ſuſcipiendam: quia hoc opus proprium eſt ipſius caloris natiui: præterea non poteſt hæc reſponſio accommodari verbis Auicennæ: quia ipſe dicit effectorem pediculorum eſſe calorem naturalem. iam verò iſte calor non eſt naturalis. Itaque dicendum eſt id, quod dicit Ariſtot. 3. de Gener. anim. cap. 11. vbi ſermonem faciens de iis quæ gignuntur ex putri materia, ſcribit, quòd putrefactio nihil producere poteſt, ſed omne quod generatur, ex concocto generatur. ex quibus verbis colligitur ſecundum placita Ariſtotelis, quòd vbi ex putrefactis generatur aliquid, generatur, quia ibi eſt ſemper aliquid concoctum: quod ſi adeſt aliquid concoctum, neceſſum eſt etiam, vt in omni tali generatione adſit ſemper natiuus calor, quia ſolius caloris natiui eſt concoquere. Vnde dico, quòd in omni putrefactione, ex qua generatur aliquid, non prorſus interit natiuus calor, ſed ſemper aliquid eius remanet, quod concoquens partem aptam & diſpoſitam, eam etiam induit diſpoſitione ad ſuſcipiendam vitam & formam. Atque hoc idem dicendum de pediculis, quòd fiant à calore natiuo concoquente partem illorum humorum, qui putrefiunt. Ad ſecundã dubitationem reſpondeo, quòd pediculi, qui exercent piſces, primò non gignuntur in ipſis, ſecundò non ſunt eiuſdem generis; nam inquit Ariſtot. quod generantur pediculi quidam in limo, qui tentant, & excruciant piſces. Quod verò pertinet ad cauſſam finalem, Q. Serenus in libro ſuo de Medicina ſequutus eſt hanc ſententiam, quod natura faciat pediculos, ad hoc, vt abrumpantur ſomni, atque vt homines vigilent, & curis incumbant: ſunt enim carmina ipſius hæc.

Noxia corporibus quadam de corpore noſtro
Progenuit natura, volens abrumpere ſomnos,
Senſibus admonitis vigileſque inducere curas.

Sed hæc ſententia mihi videtur explodenda, propterea quòd cum pediculi fiant maximè in pueris, ſanè illis opus eſt multo ſomno. Vnde natura ſi hoc tentaret, potiùs tentaret deſtructionem & damnum illorum, quàm ſecus. fateor quidem illis, qui in triremib. viuunt, opus eſſe hoc excitatorio, ſed pueris minimè. Quocirca dicendum eſt cum Auicenna, quòd ſi vlla cauſſa finalis tradi poteſt pediculorum, hæc vera eſt, vt conſumantur putridi humores exiſtentes in corpore: vel dicendum eſt, quemadmodum dicit Auerroës 12. Metaphor. 18. finem eſſe pediculorum, vt non otietur natura; quippe quæ nunquam debet feriari, ſed ſemper aliquid producere: eapropter etiam in generatione pediculorum, & aliorum animalium nullum finem alium habere videtur, quàm vt non otietur. Circa locum generationis, Auenzoar libro primo, tract. primo, cap. 11. ſcribit, ſententiam fuiſſe Galeni, quòd gignantur intra cutem & carnem, hoc eſt, in loco medio inter carnem & cutem. Vnde ſi cui placeret Ariſtotelis ſententiam tueri, poſſet hac auctoritate Auenzoar verba ipſius interpretari, quòd noluerit pediculos fieri ex carne corrupta, ſed in loco medio inter cutem & carnem. Veritas eſt ſecundum Auicennam & Galenum, locum, vbi pediculi oriuntur, eſſe imum cutis, hoc eſt, prope carnem. Cauſſæ primitiuæ huius morbi multæ numerantur ab auctoribus. primò eſt ætas, atque etiam ſexus, quandoquidem ſcriptum eſt ab Ariſtot. lib. 5.

de

de Hiſt. animal.cap.31.quòd pueri maximè atque mulieres hoc morbo capiuntur. Dico, pueri maximè, quia & viri interdum tentantur à pediculis non ſolum in capite, ſed etiam in toto corpore : atque ita, vt interdum vel ad interitum perducantur : quemadmodum refert Ariſtoteles de Pherecyde Syrio, & Alcmane poëta. Scribit Galenus in libro de Cibis boni & mali ſucci, & libro ſecundo de Alimentorum facultatibus, eſum caricarum maximè pediculos producere. Vnde qui victitant hoc genere cibi, ſolent frequentiſſimè pediculis tentari. Mutatio etiam aquarum, exercitationes dimiſſæ, negligentia circa corporis cultum, immundities corporis, negligentia etiam circa mutationem pannorum, & præſertim induſiorum : nam hac ratione qui in carceribus, & in triremibus viuunt, ſæpe tentantur hoc morbo ; quia ſordes non eluunt corporis, neque mutant pannos. Conuerſatio quoque cum pediculoſis maximè facit ad huiuſmodi prouentum : leuis etiam fricatio capitis, dicit Auicenna quòd maximè pediculos producit. Sed eſt intelligenda ſano modo eius ſententia, quandoquidem ſi corpus ſit mundum, fricatio leuis nullo modo producit hunc morbum, ſed ſi ſit vitioſum, & immundum, proculdubio fricatio illa leuis excitat materiam, calefacit ipſam, & cùm non inducat, diſponit ipſam ad generationem pediculorum. hac etiam ratione dicitur ab Auicenna coitum in immundis corporibus hunc morbum parere : caro etiam viperina comeſta in iis, quorum corpora vitioſis ſuccis abundant, ingentem prouentum pediculorum facit, vt Galenus docet 11. de Simpl. medicam. Differentiæ huius affectionis multæ etiam numerantur ab auctoribus ; aliqui enim ſunt pediculi, qui multos pedes habent, & perambulant de loco ad locum : atque iſti à nonnullis dicuntur ſexcupedes.aliqui verò ſunt,qui cum pedibus careant, non ambulant, ſed permanent infixi, & corrodunt ; vocat hos Ariſtoteles ἀγρίες, cùm ſint σκληρότεροι, καὶ δυσαφαίρετοι, id eſt, duriores, & corpori difficilius detrahantur. atque iſti ſunt, quos vulgus vocat plactulas. nonnulli ſunt pediculi,qui parum creſcunt, & in ſuperiore cute manent; ſed tamen leuiter perambulant,& corrodunt, atque iſti pedicelli vulgò nuncupantur. ſunt & alij admodum parui, qui permanent in capillis, & dicuntur lendines, & quanquam ſint variæ differentiæ pediculorum, tamen ſunt ſoboles vnius materiæ. Signa huiuſce affectionis non eſt quod doceam : quia ſatis per ſe clara ſunt. Dicam nonnulla de prognoſticis. Scribit Ariſtoteles, quòd omnes illi, quibus in capite ſunt pediculi, in reliquis optimè valent capite. ratio eſt, quia illa animalcula & generatione, & nutritione ſua abſumunt plurimam excrementorum copiam, quibus excrementis cum poſtmodum vacent capita, facilè in reliquis ſana degunt. Relatum eſt quoque ab Apollonio in libris mirabilium Hiſtoriarum, ſententiam fuiſſe Ariſtotelis, quod in illis, qui iam iam morituri ſunt, pediculi deſerunt capita, atque in puluinaribus reperiuntur ; cuius affectus reddens rationem Alexander 2. Problem. 30. dicebat, quòd iccirco pediculi deſerunt morituros, quoniam opus habent tepore quodam, atque etiam ſucco ſanguineo & dulci, quibus cum deſtituantur in morituris corporibus, facilè fit, vt ipſa deſerentes quærant meliora loca. eſt iſte morbus omnino malus, & prauus, & præſertim ſi increſcat : quoniam (vt iam memorauimus) non modo turpe eſt, atque tædio plenum, verùm etiam interdum ad mortem perducit. Generantur enim hæc animalia in principio lepræ, in ſecunda & tertia hecticæ febris ſpecie. Itaque cum hic morbus ſit maximè verendus, omne ſtudium adhibendum eſt, vt eius quoque curatio intelligatur. Qui quoniam totus in humorum prauitate collocatus eſt, atque hæc partim efficitur, partim facta eſt, duo ſcopi oriuntur : vnus, vt prohibeatur quominus hæc

humoris

humoris prauitas augeatur, alter, vt quidquid eſt prauum iam factum, à corpore auferatur. Sed quoniam prauitas humorum continuo propagatur, & augetur ob victus errores, ante cætera neceſſarium eſt, victum ipſum ita inſtituere, vt non ſit occaſio generationi putredinis. Et quamquam Galenus, atque alij Græci tacuerint hanc victus partem, non eſt tamen negligenda, propterea quòd ſcriptum eſt à Galeno in lib. de Vſu theriacæ, nullum eſſe præſidij genus ita generoſum & efficax, quod poſſit fructum vllum facere, niſi victus ratio ipſi ſit copulata. Primò itaque erit curandum, vt nullæ cruditates committantur, vt fugiantur cibi craſſi, atque praui ſucci, carnes adhibeantur auium, vt turturum, pullorum, & ſimilium. Sunt qui damnant phaſianos; eo quod hæc animalia morbo pediculari maximè omnium tententur: quaſi quod ſicuti ipſa tentantur, ita eorum carnes comeſtæ morbum huiuſmodi pariant. Vſus præcipuè caricarum ab omnibus auctoribus damnatur; eo quia idem faciat quod dicebat Galenus 11. de Simp. medicamentis facere eſum carnis viperinæ: quæ ſi in frequentiori habeatur vſu, pediculos generare conſueuit. Auenzoar magnus medicus probauit, vt carnes & fercula omnia ægrorum coquantur, vel aceto, vel omphacio, vel ſucco berberarum vocatarum. De potu non eſt quòd ſolliciti eſſe debeamus; quia æquè, imò magis confert vini potus, quàm aquæ. Eſt tamen maxima cura habenda circa corporis exercitationes & cultum, vt ſcilicet ante cibum exerceatur æger; quoniam ſicuti quies maximè adiuuat hunc morbum, ita exercitatio tollit. balnea quoque ante cibum maximè vſui eſſe ſolent: poſt cibum verò adhibita contrarium penitus faciunt. erit maximè curandum, vt corpus mundum conferuetur, vt omnis illiuuies, & omnes ſordes quotidie tollantur: præſertim, vt maximam diligentiam adhibeant circa mutationem pannorum, & præſertim indußorum. Animaduertendum verò eſt, eſſe quædam pannorum genera, quæ experientia compertum eſt maximè facere ad prouentum pediculorum. & ſunt panni illi, qui fiunt ex lanis morticinis vocatis. hoc volui dicere; quia medici circa hoc quoque debent eſſe diligentes. Inſtituto victu, eſt deinde veniendum ad purgationem humorum iam putridorum; propterea primò erit curandum, vt aluus leni aliquo pharmaco ſoluatur. exempli gratia, ſi accipiatur hoc medicamentum.

R. diacatholiconis ℥. 1. elect. Ind. ʒ. ij. miſce, & fiat bolus. Lenita aluo ſtatim deueniendum eſt ad præparationem humorum. Et quoniam vitium maximè poſitum eſt in ſanguine, ante omnia habenda eſt ratio miſſionis ſanguinis, vt ſcilicet mittatur, niſi quid impediat, ab eo latere, quod magis vitioſum eſſe videbitur, ad quantitatem quam vires ipſæ ſuſtinebunt. Interim quoque præſcribendi erunt ſyrupi, qui poſſint humores præparare: exempli gratia.

R. fol. Boraginis,
Tormentillæ,
Scabioſæ,
Herbæ pedicularis, an. p. 1.

fiat decoctio ſecundum artem: deinde,

R. dictæ decoct. ℥. s.
Syr. de ſcordio,
De ſucco lupulorum, an. ℥. 1. miſce,

& fiat potus. huiuſmodi ſyrupo poterit quis vti ſeptem, vel nouē diebus, prout expedire iudicabit. demum præparati humores, erunt magna ſollicitudine educendi. pro qua eductione humorum multa laudantur ab Auicenna, & ab Auenzoar, agaricum.

ricum, carthamus, hiera ex ſero. Gal. quoque laudauit pilulas ſuas ex aloë. propterea poterit parari huiuſcemodi medicamentum.

R. agarici optimi	℥.1.
Carthami	ʒ.1.s.
Paſſularum	ʒ.1.
Gingiberis,	
Cinnamomi	an.℈.1.

fiat infuſio in ſero caprino per totam noctem ſecundum artem. deinde facta diligenti expreſſione adde:

Confectionis Hamech	℥.3.
Mellis violati ſolutiui	℥.3.miſce.

Quòd ſi pilulas vſurpare magis placebit, habemus pilulas ex aloë laudatas à Galeno; poſſumus etiam vti pilulis ex agarico, vel pilulis de hiera, cum colocynthide. Sed quia malum contumax eſſe ſolet, neque ita ſtatim medicamentis reſpondere, idcirco interdum cogitur medicus repetere purgationes: quod etiam faciendum erit; quia ſi quid eſt, quod poſſit hunc morbum tollere, eſt exacta & repetita purgatio. Purgato corpore, eſt deueniendum ad medicamenta, quæ & humores prauos cuti impactos tollere, & malam corporis temperiem corrigere poſſunt: quorum alia intus ſumuntur, alia exteriùs adhibentur; quæ intus ſumuntur, ſecundum Auicennæ ſententiam ſunt alia cocta, calamenthum montanum. ſinapi laudatur à Paulo, & à Sereno. Theriacę etiam vſus eſt ex illis medicamentis quæ magno præſidio in hoc morbo eſſe ſolent, puluis cornu ceruini quoque optimus eſt. Externa medicamenta docet Galenus hanc facultatem habere debere, vt ſint exſiccantia, & tenuium partium: exſiccantia quidem, vt putredo omnis abſumatur: tenuia verò, vt poſſint penetrare locos intimos. huiuſmodi ſunt nitrum, ſtaphiſagria, quam appellat Celſus vuam taminiam: alij verò vocant herbam pedicularem; elleborus etiam optimum medicamentum eſt, quemadmodum & Græcorum ſandaracha. hæc verò poſſunt, & in puluerem redacta, & etiam in vnguenti formam compoſita adhiberi. Quòd ſi hæc medicamenta leuiora videantur, quàm vt morbum ipſum prorſus tollant: deueniendum eſt ad ea, quæ ſunt valentiora, inter quæ potiſſimum putatum eſt argentum viuum, Sed quia hoc medicamentum admodum periculoſum eſt, non ita facilè quiſquam debet ad hoc deuenire. hæc verò poterit eſſe forma in vſu:

R. argenti viui ſaliua extincti	ʒ.s.
Sulphuris	ʒ.1.
Pulueris cornu ceruini vſti	ʒ.1.s.

Aceti & olei quantum ſatis eſt. fiat linimentum, quo poterimus, vt dixi, vti in extremis caſibus, & non niſi exactiſſimè purgato corpore. Paulus, Aëtius, & alij maximè commendant, vt caput abluatur ex decocto abſinthij lupinorum, rutæ, abrotani, & ſalis. quæ omnia & ratione amaroris, atque etiam ratione facultatis exſiccatoriæ & abſterſoriæ maximè accommodata ſunt. Sed interdum continget vt mulieres, atque etiam aliqui viri longa aliqua ægritudine confecti maximè vexentur pediculis, & præſertim in capite. Vnde non poterit ita ſtudium adhiberi curando huic morbo, idcirco tradam medicamentum, quo in extremis caſib. ſoleo vti, quod quidem interimit pediculos, & nullam noxam infert corpori.

R. ſtaphiſagriæ	p.1.
Nitri	ʒ.2.

Bulliant in ℔. 4. aquæ communis, vſque ad conſumptionem medietatis, deinde

facta

facta expreſſione adponatur drachma vna argenti viui extincti, atque agitetur aqua baculo per horas duas : deinceps hac aqua abluatur tegumentum illud capitis,quod cuffia vocatur : & poſtquam abluta erit,exſiccetur. hoc tegumento ſi caput obuoluatur eius, qui patitur pediculos, mirifico quodam modo animalia illa vno, vel altero die interibunt, atque ita æger liberabitur. Theodorus Priſcianus laudauit etiam vſum cedriæ, quæ eſt reſina illius arboris cedrij nuncupati. & hæc reſina tanta eſt facultate prædita, vt putatum ſit ipſam iugulare, ſi intus ſumatur; ſi verò extra adhibeatur, corpora à putredine, & à corruptione conſeruare. Q. Serenus laudauit furfurem aceto maceratum. ſed hoc medicamentum admodum leue eſt: nec conuenit niſi in illis, in quibus incipit morbus.

De Porrigine.

CAPVT VII.

Morbo pediculari congeneus eſt alter morbus, qui à Græcis πιτυρίασις vocatur. Corn. Celſus, & Latini appellant Porriginem, Barbari verò furfuratio-nem; qui morbus frequentiſſimè homines exercere conſueuit. fit autem hic, vt docet Galenus primo de compoſ.medicam. ſecund. locos capite 6. quando hominibus ſeſe ſecundum cutem capitis ſcalpentibus exeunt ſquamulæ quædam veluti furfures. Paulus addit, hunc morbum fieri etiam in vniuerſo corpore, atque fieri ſine vlcere. Cornelius Celſus libro ſexto capite 2. tradens modum quo generatur hic morbus, inquit fieri inter pilos quaſdam veluti ſquamulas, quæ interdum madent, ſæpius verò ſiccæ ſunt, idque euenit modò ſine vlcere, modò exulcerato loco, modò malo odore, modò nullo : fiúntque vt plurimum hæ ſquamulæ in capite, raro in barba, interdum in ſuperciliis. Ex quibus verbis oritur contradictio inter Paulum & Cornelium Celſum auctores medicinæ non contemnendos. nam hic non vult hunc morbum fieri interdum in toto corpore: vult præterea nonnunquam fieri cum vlcere. Ille ex aduerſo ſcribit, fieri in toto corpore, atque eſſe ſine vlcere. Q. Serenus videtur ſentire ſolum in capite fieri his verſibus.

Eſt inſenſibilis morbus, ſed noxia forma,
Cum caput immenſa pexum porrigine ningit,
Copia farris vti frangentibus edita ſaxis.

Eiuſdem ſententiæ videtur quoque fuiſſe Galenus. Pro hac contradictione tollenda recurrendum eſt ad Auicennam 7. 4. tract. primo, c. 24. quo in loco ſcribit, triplicem eſſe porriginem:alteram, quæ fit per eſſentiam in capite, atque hanc duplicem eſſe,aliam recentem,aliam verò antiquá;alteram eſſe, quæ efficitur per conſenſum totius corporis vitiati.Hac diſtinctione habita, facile eſt hos illuſtres viros conciliare, quoniam quando Paulus dixit fieri in toto corpore, & etiam interdum cum vlcere, loquutus eſt de omnibus iſtis ſpeciebus, tam ſcilicet de antiqua per eſſentiam in capite, quàm de recente, atque etiam de ea quæ fit per conſenſum. Quando verò Cornelius Celſus dixit fieri duntaxat in capite, barba, & ſupercilio, omiſit eam quæ fit per conſenſum, & ſermonem habuit de ea duntaxat, quæ fit per eſſentiam in capite, ſiue ea ſit antiqua, ſiue ſit recens. nam & de hac loquens Auicenna dicebat furfurationem adeo interdum ſæuam eſſe, vt etiam ad vlcera,& corruptiones pilorum deueniat; niſi velimus dicere, vt Alexander, quòd furfuratio fit vt plurimum ſine vlcere, aliquando autem cum vlcere. De immediatis

cauſſis

cauſſis huius affectionis ſententia eſt Galeni, quod generetur hoc malum ab icho-ribus corruptis, ex qua Galeni oratione colligunt nonnulli differentiam inter ma-teriam porriginis, & materiam pediculorum, dicentes materiam ex qua fiunt pe-diculi eſſe craſſam & viſcidam; eam verò, ex qua gignitur furfuratio, eſſe tenuem & ichoroſam. ſed contra hanc ſententiam eſt Paulus, Alexander, & Auicenna, qui vno ore fatentur, hunc morbum oriri ex materia pituitoſa, ſalſa, biliosa, & melancholica ad caput euectis. Auenzoar dixit, hanc ægritudinem fieri à phleg-mate ſalſo corrupto: ita quod clarum eſt, ſecundum hos auctores clariſſimos, non fieri hunc morbum ex humoribus tenuibus ſemper, ſed etiam ex craſſis. Sed quid dicemus ad auctoritatem Galeni? Dico eo in loco apud Galenum pro ichoribus prauis & corruptis intelligendos eſſe quoſlibet humores prauos & corruptos, atque craſſos: nam conſueuerunt ſcriptores vocare hoc nomine humores vni-uerſaliter acceptos. & quod hæc ſit ſententia Galeni eo in loco, ex hoc colligi po-teſt, quod his humoribus opponit ea, quæ valenter diſcutiunt, & ea quæ deterſo-ria ſunt. Hæc verò medicamina clarum eſt non minus accommodari humoribus craſſis, quàm tenuibus. Eſt alia præclara dubitatio, an hic morbus fiat interdum duntaxat ex intemperie capitis. Ex vna parte eſt ſententia Gal. loco citato, Pau-li, & Arabum omnium, qui dixerunt, hunc morbum fieri ex humoribus corru-ptis, & Alexander Trallianus dixit fieri ex cacochymia corrupta. quem locum malè intellexit Nicolaus Florentinus. Ex altera parte eſt auctoritas eiuſdem Gal. 6. Epidem. comm. 3. text. 13. quo in loco ſcribit, interdum etiam fieri porriginem ex ſola capitis intemperie, & addit, etiam quòd ſucci corporis ſint boni. quibus verbis clariſſimè videtur docere Gal. quod porrigo fiat interdum ex nuda capitis intemperie. Tollenda eſt & hæc dubitatio ex verbis Auicennæ, qui ſcribit, por-riginem interdum fieri ex humoribus corruptis, qui corrupti in caput mittuntur, interdum verò fieri ex humoribus, qui in caput boni mittuntur, ſed ibi corrum-puntur. Id etiam dicendum eſt nobis, ſemper porriginem fieri ex humoribus cor-ruptis, & nunquam eſſe, quòd hoc malum fiat, niſi adſint praui humores. Ad Galeni auctoritatem dicendum eſt, quòd quando ſcribit fieri porriginem ex ſola capitis intemperie, eius verba ſunt interpretanda, quòd interdum boni humores mittuntur à corpore in caput, vbi cum vitientur, & corrumpantur, faciunt por-riginem, non quod iſti humores ſint in capite, aut corpore, ſed quia ibi ex intem-perie capitis corrumpantur. quodque hæc ſit ſententia Galeni facilè intelligi po-teſt: quia in eo loco redarguens interpretes Hippocratis, qui dicebant rectè illum copulaſſe porriginem cum flatulentia, quia flatus à corpore tollunt prauos hu-mores in caput, inquit Galenus, hoc non eſſe: quia fit etiam porrigo etiam quod non attollantur praui humores à corpore in caput. Itaque colligentes dicimus ſemper neceſſarium eſſe, vt in porrigine adſint praui humores, nec vnquam ſuf-ficere ſolam capitis intemperiem. Præter materiales, & immediatas porriginis cauſſas ſunt & aliæ, quæ tametſi non ſint veræ cauſſæ, magnopere tamen confe-runt ad eius generationem, cuiuſmodi ſunt repletiones frequentes, vſus rerum ſalſarum & acrium, quales ſunt carnes ſalitæ, piſces ſalſi, allia, cæpæ, & huiuſmo-di. Coitus ſimiliter nimius, exercitationes importunæ factæ ante cibum. hæc omnia maximè conferunt ad prouentum huius affectus, ſicut & balnea tam frigi-da, quàm tepida poſt cibos adhibita. Signa, quibus dignoſcitur ſatis aperta & manifeſta ſunt: nam vbi vel ſola frictione, vel leui quacunque pectinatione fur-fura à capite emanant, clara indicia haberi poſſunt huius affectionis. A quo ve-rò humore fiat, etiam dignoſcere licebit ex ipſius cutis colore; quia ſi ſublatis

furfuribus apparebit cutis color rubeus,certum erit ſanguineam eſſe materiam : ſi flauus,bilioſam:ſi liuidus,melancholicam : ſi albus aut ſubalbidus,pituitoſam , & phlegmaticam. Curatio huius affectionis parum diſtat à curatione pediculationis: eo quòd vtriuſque affectionis eadem eſt materia , nimirum humorum corruptio, & idcirco duo etiam ſunt ſcopi in hac curatione habendi ante oculos. Vnus, vt putredo non propagetur : alter verò , vt quicunque ſunt in corpore humores pùtridi tollantur : vel ſi adſit ſine humoribus nuda intemperies , ipſa corrigatur , & auferatur. Pro primo ſcopo implendo ſemper erit recurrendum ad victus inſtitutionem , cui vni tantùm fidendum eſt , vt ſæpè diximus : vt quemadmodum dicit Galenus , ſæpè hac vna curentur morbi , vel contumaces. Abſtinendum itaque erit ab eduliis ſalſis,acribus , mali ſucci , & craſſi , potus erit, vel aquæ ſimplicis , vel vini albi admodum tenuis,& exigui. Auenzoar damnauit potum aquæ dulcis , voluitque ſemper aquæ immiſcendum eſſe vel mel , vel vinum coctum , cuius ſententia erit amplectenda ; quando præſertim conſtabit , quòd morbus oriatur à phlegmate. Archigenes apud Galenum primo de Compoſit.medicam. ſec. loc. cap. 6. multus fuit in inſtituenda victus ratione in hac affectione, primò voluit , vt habeatur ratio , ne vlli cibi flatulenti , aut craſſi , & praui ſucci ingerantur ; & peculiariter damnauit bulbos , legumina , tubera : quamquam in antiqua verſione loco tuberum habetur , ſorborum. nam vetus ille interpres prauum contextum habuit ; damnat etiam fungos. voluit , vt cibi ſint boni ſucci , faciles concoctu : & pro intinctu laudauit acetum cum ſapa. laudauit quoque vſum fœniculi & cumini , quoniam hæc edulia maximè exſiccant putredinem. à fructibus , & bellariis abſtinendum iudicauit : ex iis tamen optimam eſſe vuam arefactam deinde ficus,quibus ante reliquum cibum veſci præſtat. Ambulationes tam veſpertinæ,quàm matutinæ,modò ſint ante cibum, maximè commodæ ſunt in hac affectione. Ablutio vel totius corporis , vel capitis (& præſertim æſtate)frigida commendatur,ſicut calida refutatur. Ab ira abſtinendum eſt ; & ſi quid eſt,quod hanc paſſionem augeat,eſt frequens ira,quæ humores ebullire facit. Coitus quoque immoderatus ex iis eſt , quæ hunc morbum fouent. Inſtituta hoc pacto victus ratione,erit cogitandum, an ſit vitium in toto corpore , an in præcipuo aliquo viſcere,an in ſolo capite:ſi ſit in toto corpore , erit primo huic incumbendum,ſicut ſi fuerit in aliquo viſcere,erit illius habenda cura. de ſanguinis miſſione Paulus , Alexander , & Auicenna fuerunt huius opinionis , quod omnino ſit mittendus ſanguis,vbi tamen ſit vitium in vniuerſo corpore.Ego verò exiſtimo ita ſtatuendum eſſe de ſanguinis miſſione;quòd ſiue ſit vitium in toto corpore,ſiue in aliquo peculiari viſcere , modò nihil impediat , ſemper eſt mittendus ſanguis , & tunc magis,ſi eius exſuperantiæ adſint indicia. Quòd ſi adſit ſola capitis intemperies,quæ corrumpat ſuccos capitis, dimittenda erit ſanguinis miſſio ; ſimiliter dimittenda erit purgatio humorum,& ſtatim veniendum erit ad localia medicamenta. Primò erit caput vel frictione leui,vel abraſione capillorum leui emundandum à furfuribus : poſtquam autem emundatum erit, lauandum aliquo decocto, vt decocto maluæ , altheæ, foliorum rapi,& foliorum betæ, an. partes æquales.ſed inter lauandum loco ſaponis erit vtendum amygdalis amaris contritis : huiuſmodi enim amygdalæ maximè eluunt furfura omnia, exſiccant,& quoquo pacto cutem ipſam confirmant.Abluto capite , & deterſis furfuribus , quando pugna eſt aduerſus intemperiem calidam capitis , erit vtendum aliqua inunctione refrigerante, vt ex oleo roſaceo,nenufarino,oleo de cucurbita & huiuſmodi, quæ facultatem poſſident refrigerandi,& compeſcendi cutis feruorē.Si verò in toto corpore ſit vitiū,

vidẽdum erit,quinam ſunt præcipui humores,qui ſunt corrupti, & morbum fouẽt. Si erunt pituitoſi,ipſos oportebit parare medicamentis accommodatis, & paratos expellere è corpore non vnica tãtùm vice,ſed iterum, atq; iterum. Quòd ſi fuerint bilioſi,identidem agendum erit.idem dicitur de melancholicis. Modum præparationis humorum,& purgationis docere hic ſuperſedeo;quia hęc omnia tradidimus in curatione Alopeciæ, & Ophiaſis. quare erit recurrendum ad eaſdem formas. In hoc caſu etiãſi ſanguis mittendus non erit, poſſumus vti cucurbitulis ſcarifiatis plurimis;quia & hæ ſolent ſanguinẽ vitioſum cuti inſperſum faciliter tollere. Expurgato corpore, properandum erit ad auxilia localia.Circa quorum vſum occurrit ante omnia dubitatio,an conueniant cuti roborãtia medicamenta.ex vna parte vidẽtur conuenire.hic eſt morbus cum affluxu materiæ,in omni verò affluxu nemo ignorat præceptum eſſe Medicorũ, vt pars recipiens corroboretur, quò minus facilè admittat influxus. Ex altera parte eſt auctoritas Cornelij Celſi medici grauiſſimi,qui lib.6.ſuæ medic.cap.2.ſcribit,in hac affectione cutẽ non eſſe confirmandã. Et vtitur grauiſſima ratione;quia natura fecit hãc corporis noſtri particulam omniũ imbecillimam,vt eſſet corruptorum humorum receptaculum.vnde non debet Medicus claudere hanc viam ipſi naturæ,per quam ſi nõ expurget vitioſos humorés,facile eſt,vt illi retenti nobiliores partes offendant.In hac controuerſia mihi dicendum videtur, duobus modis poſſe Medicum cutem corroborare,vel leuiter ipſam corroborare,vel vehementer.vehementer eſſe corroborandam cutem ratio ipſius Cornelij Celſi negat.atque hoc certum debet eſſe nullo modo in hac affectione eſſe vehementer corroborãdam cutem;ſed leuiter quidẽ poteſt corroborari.atque hæc fuit ſententia Galeni,Græcorum omnium,atque etiam ipſius Celſi;quandoquidẽ is in hoc affectu curãdo non veretur vti leuiter adſtringentibus, quale eſt vinum myrteum.quanquam Galenus ex ſententia Archigenis non contentus vino myrteo,etiam medicamenta efficacius adſtringentia vſurpet, quale eſt atramentũ ſutorium. Sed ſententia Archigenis, & Gal.eſt interpretanda de iis furfurationib. quæ ſunt antiquæ,& maximè rebelles. Auicenna diligentiſſimus tres furfurationis ſpecies facit,alteram leuem, vnam vehementiorem, tertiam verò vehementiſſimam:& eſt illa,quæ eſt cum vlceribus.leuem furfurationem ſine ſanguinis miſſione, ſine purgatione, ſolis leuibus medicamentis curari mandat. quomodo verò ſit curanda,iam docuimus in ſolius intemperiei capitis curatione. Vehementiori putat adhibenda eſſe medicamenta vehementiora,ſicut & vehementiſſimæ vehementiſſima accõmodantur.in hac ſecũda laudat quæ abſtergũt,& moderatè reſoluunt: in quo quo genere multa proponuntur & ab ipſo,& à Galeno:veluti eſt fœnugræcũ,folia betæ,amygdalæ amaræ,pumex,myrobalani,malua agreſtis,& ſtaphiſagria. à Paulo thus,& cimolia commendantur : ex quibus poterunt parari vel pulueres, vel linimenta, vel lotiones.ſi pulueres parare placuerit, hoc modo erunt faciendi.

R. fœnugræci,
Fol. betæ exſiccatorum an.℥.2.
Myrobalanorum nigrorum,
Staphiſagriæ an.℥.2.s.

conterantur omnia,& redigantur in puluerem.Tempus verò vtendi pulueribus eſt abraſo capite antequàm abluatur. & iſti pulueres apponantur capiti, atque manibus violentius adfricentur,deinceps abluatur caput huiuſmodi decocto.

R. fol. betæ,
Staphiſagriæ,
Radicum altheæ an.p.1.

Bulliant

Bulliant in ℔. 8.aquæ communis, addatur vini albi modicè adſtringentis libra altera. ſed,vt iam monui, vtendum erit ſemper loco ſaponis in abluendo,vel amygdalis amaris contritis ; vel pumice ſeu contrito, ſeu integro. Quòd ſi ex his etiam linimentum optetur, ita parandum eſt:

R. pulueris fol. betæ,
Pulueris myrobalanorum nigrorum
& alborum,
Pulueris ſtaphiſagriæ an.ʒ.3.
Olei communis,
Olei myrtini an.℥.2.
Aceti ℥.1.s. miſce,& fiat linimentum.

Hactenus itaque oſtendimus quæ medicamenta ſint adhibenda in ſecunda ſpecie furfurationis.Eſt modò videndum,quæ conueniant in tertia,quæ cum ſit vehementiſſima, etiam omnibus aliis vehementiora medicamenta exigit,& multa etiam in hoc genere numerantur à Galeno & ab Auicenna, veluti eſt nitrum, ſulphur, pulpa colocynthidis, veratrum, calcanthum,fel tauri,& farinæ variæ, vt farina lupinorum, farina fabæ, & farina hordei: ex quibus poſſunt quoque parari puluеres, linimenta, & lotiones. puluеres parantur hoc modo.

R. nitri,
Sulphuris an.ʒ.2.
Pulpæ colocynthidis ʒ.1.s.
Ellebori nigri ʒ.1.
Lupinorum craſſo modo contritorum ℥.1.

miſceantur omnia diligenter puluerizata, & capiti deraſo,vt dictum eſt,vehementer adfricentur. Pro ſapone conuenit in lotione capitis etiam farina lupinorum, & farina hordei craſſo modo contriti: appellant auctores Latini huiuſmodi farinas craſſiores, farra. Lotio verò fiet huiuſmodi.

R. fol. betæ,
Radicum altheæ, an.p.1.
Pulpæ colocynthidis,
Ellebori albi,
Nitri an.ʒ.2.

hæc verò poſtrema in petia ligantur, & vnà cum herbis & radicibus bulliuntur in ℔. 10. aquæ, quouſque abſumatur quinta pars, deinceps addendæ ſunt vini albi ℔. 2. atque ita abluatur caput. deinde verò poſtquam ablutum fuerit, quoniam malum contumax eſt, & vlcera eſſe ſolent non benigna, erit hac inunctione vngendum.

R. calcanthi,
Fellis taurini an.ʒ.1.s.
Nitri,
Sulphuris an.ʒ.2.
Olei roſati omphacini ℥.2.

miſceantur ad ignem in duplici vaſe,& cum modico ceræ fiat inunctio.hic verò eſt modus curandi eas furfurationes, quæ ſunt vehementiores, & quæ minimè ſolent reſpondere medicamentis benignioribus. Cornelius Celſus voluit ſæpe eſſe radendum caput,ac deinceps inungédum eſſe aliquibus leuib. adſtringentibus medicamentis, & laudat vinum myrteum cum ladano, myrobalanum cum vino. ſed hæc medicamenta ſolum conueniunt, vel in prima ſpecie, vel in ſecunda, ſed

non antiquata. Paulus, vbi furfura ſunt humida, commendat lotiones capitis factas ex muria, ſeu ex aqua marina, vel decocto lupinorum. idem etiam commendauit Alexander Trallianus, qui magna vtilitate ſe expertum fatetur, has lotiones maximè proficere.

De Achoribus, & Fauis.

CAPVT IX.

HActenus de iis affectibus tractauimus cutis capitis, qui ſunt ſine vlcere. nunc de iis agendum eſt nobis, qui cum cutem capitis infeſtent, id agunt cum vlceribus: quos omnes affectus multi ex Arabum familia, & præſertim Haliabbas appellarunt nomine tineæ: Auicennas & Serapion vocarunt ſahafati ſua lingua, & dixerunt non ſolum fieri in capite, ſed etiam in facie, & in vniuerſo corpore. quod etiam Theodorus Priſcianus libro primo ad Timotheum ſcriptum reliquit. Nos Auicennam ſequentes, hanc tractationem diuidemus in duo capita: vnum erit de vlceribus capitis, quæ humida, ſeu manantia, à medicis Latinis vocantur, vulgus appellat hæc vlcera lactumia, quamquam variæ nationes variis nominibus appellant. aliud caput erit de vlceribus ſiccis, quæ à multis medicinis tineæ vocantur; & hodie etiam populus ſic appellat. frequenter infeſtant homines hi affectus, & propterea non eſt horum cognitio negligenda. auſpicantes itaque ab humidis vlceribus, primò videamus, quid ſit achor. nam hoc nomen, vt docet Alexander Trallianus, & Iulius Pollux, dictus eſt quaſi ichor. vnde dicam pace Cornarij alioquin docti medici, malè actum eſſe ab ipſo, quando in primo commentariorum in libr. Galeni de Medicamentis ſecun. loc. aliud commentus eſt circa hoc nomen. Sunt verò achores tumores quidam præter naturam in cute capitis, in quibus apparent foramina, ex foraminibus emanant humores tenues, & modicè glutinoſi, vt dixerunt Galenus, Oribaſius, & Aëtius: quanquam Paulus Ægyneta dixerit emanare ab his foraminibus humorem glutinoſum. Theodorus Priſcianus loco citato dixit, achores eſſe papillas (niſi quis velit legere papulas) quæ per cauernas breuiſſimas emittūt humorem pinguiſſimum, & fiunt frequenter in capite, in facie, & reliquis membris. proxima achoribus ſunt alia quædam vlcera humida appellata à Galeno primo de Compoſit. medic. ſecun. loc. c. 8. κήρια, Latini multi vocant Fauos. Theodorus appellat Ceriones, Aëtius, Meliceridas; alij, vt Paulus & Oribaſius ſecuti ſunt appellationem Galeni. Differentia inter achores & fauos eſt, quod in achoribus foramina ſunt minora: in fauis verò maiora. Alexander Trallianus ponit & aliam differentiam, quòd foramina achorum non apparent viſui, foramina fauorum videntur. Theodorus Priſcianus poſuit & alias differentias, qui ſcripſit in achoribus vnum duntaxat foramen, ſeu vnam cauernam eſſe, atque ab ea humorem aquoſum emanare; in fauis autem plures cauernas reperiri, atque ab illis emanare humorem craſſiorem. In hoc tamen conueniunt omnes, quòd humor, qui emanat à fauis, eſt ſimilis melli cōſiſtentia. vnde modò meliceris, modò cerium iure appellatum eſt. R hafes dixit fauum eſſe cruſtoſam tineam, de qua malus humor emanat ſimilis fauo mellis. Itaque conſtat duo eſſe vlcera cutis capitis humida ſeu manantia, alterum nomine achoris, alterū nomine faui appellatū. vtraſque has affectiones Cornel. Celſus l. 5. cap. 28. videtur appellaſſe melicerias: quamquam eo in capite multi ſunt errores,

res,qui tamen correcti habentur in poſtrema editione: & manu ſcriptus codex pro meliceria legit cerium.Modus generationis horum duorum vlcerum eſt,quòd primo excitatur ingens pruritus,ob quem dum homines ſe ſcalpunt,generatur tumor, qui quotidie augetur, atque humorem modo craſſiorem, modo tenuiorem mittit.Sed hic adnotare oportet,ne quis fortè fallatur,quòd quanquam Aëtius,& alij appellarint fauos meliceridas; tamen eſt meliceris aliud genus tumoris differens ab hoc, quia in eo tumore materia continetur intra vtriculos. quod non contingere ſolet,neque in achoribus, neque in fauis. Cauſſa materialis horum affectuum ſecundum Galeni ſententiam eſt humor acris, ſeroſus,mordax,craſſo admiſtus: quam Galeni ſententiam mutuatus Auenzoar dixit fieri hæc vlcera ex bile acri, vnà cum modica craſſitie. Paulus Ægineta cauſſam materialem horum affectuum videtur feciſſe pituitam nitroſam,& ſalſam. Et aduertendum quòd Paulus de his affectibus duobus locis loquitur,lib.ſcilicet 3.& lib. 4. neque tamen putandum,quòd apud eum duo ſint genera horum affectuum:quandoquidem eſt vnum & idem genus morbi. ſed Paulus loquitur de ipſis in tertio libro, prout ſunt affectus capitis: in quarto, prout ſunt tumores præter naturam. & quòd non ſit differentia inter hæc capita facilè intelligitur, quia in quarto lib. refert ſeſe ad dicta in 3. Alexander Trallianus ſcripſit hæc vlcera interdum fieri ex pituita, interdum ex bile, interdum ex melancholia.ſed conciliari poſſunt iſti auctores cum Galeno; quandoquidem pituita nitroſa & ſalſa,de qua loquitur Paulus,componitur ex biliofis,acribus,mordacibus,& pituitoſis ſuccis. Vnde non eſt differens Paulus à Galeno,non eſt etiã differens Alexander;quoniam ſub nomine horum vlcerum complexus eſt vlcera tum humida,tum ſicca.ſicca verò fieri ab humore melãcholico teſtatus eſt Auicenna,& nos ſuo loco oſtendemus. Quòd pertinet ad cauſſas horum vlcerum mediatas,Marcellus medicus l.ſuo de Medicamentis c.4.videtur inter eas poſuiſſe ætatem; quandoquidem ſcriptum reliquit,ætatem puerilem maximè obnoxiam eſſe huic morbo; ſed mulieres, & viros acrius & moleſtius infeſtari.Cur autem pueri maximè hoc vitio laborent,cauſa eſt; vel quia in vtero materno replentur multis & variis excrementis, quæ natura, ſtatim ac pueri in lucem editi ſunt, expurgare nititur. Expurgat verò potiſſimum per caput, quia eſt omnium corporis partium humidiſſimum, & maximè plenum. vel ſit hoc vitium in pueris ſæpe ratione lactis nutricis:contingit namq;vt nutrices ob voracitatem nullum in cibis delectum habentes;prauis ſuccis veſcantur,quibus infectum lac communicat prauitatem pueris. Inter has cauſſas ſunt potus & cibi praui,quibus veſcuntur viri & mulieres.Fiunt etiam ex contagio,quod hinc liquet;quia nutrices afficiuntur his affectib.à pueris quos lactant.Sunt & regiones aliquæ,quæ videntur quadam proprietate prouentum horum morborum habere,& memini ad me ſcripſiſſe medicũ ex Sulmone, & petiiſſe, vt explicarem cauſſas, & curationem horum morborum in ea regione regnantium.Tempus anni eſt inter has cauſſas;quoniam Auic.ſcriptum reliquit,hyeme vt plurimum abundare hæc vlcera. Signa quib.dignoſcuntur affectus,partim habentur ex aſpectu,partim ex relatione.hoc cõmune eſt vtriſque, quòd à principio adeſt pruritus immenſus, deinde fit tumor, in tumore apparent foramina,ex foraminibus emanant liquores aliàs tenuiores,aliàs craſſiores. obſeruatum eſt quoque interdum manare pediculos. Raſes monuit, quòd in fauis hoc peculiare ſignum habetur, quando circa vlcera apparent veluti ſquamæ quædam. atque hæc ſunt ſigna communia. priuata autem quibus materia vniuſcuiuſque viſceris dignoſcitur, ſunt primò ea, quæ, vt docet Paulus, capiuntur à colore; quia ſi color erit pallidus, abundabit bilis: ſi albus, pituita. Alexander

Trallian.dixit;hæc ſigna capi etiam ex aliis fontibus, ex temperatura ægri, & ætate, ex guſtu, & ex tactu. ex guſtu enim, quia ſi ægri percipient amarorem in ore, erit indicium morbum fieri à bile,ſi ſapor erit acidus, indicium erit pituitæ acidæ, vel melancholiæ.ex actu ſimiliter; quia ſi vlcera fuerint calidiuſcula, ſignum erit miſcellam generantem morbum eſſe bilioſam, ſi morbus erit frigidus, pituitam. De ſignis prognoſticis commune hoc habent hæc vlcera, quòd deſinunt vt plurimum in defluuium capillorum, & prout materia magis, vel minus praua eſt, ſic defluuium modò benignius, modò deterius exiſtit. atque hinc fit, vt modò in alopeciam, modò in ophiaſin, modò in exulcerationem vſque ad carnem & oſſa pertingant, præſertim quando inueteraſcunt. Hippocrat. lib. de Sacro morbo ſcriptum reliquit,quod pueris ſi fiant vlcera in capite, vel circa aures, vel in facie,vel in reliquo corpore, liberantur ab epilepſia:quod etiam confirmatum eſt ab Auicenna prima tertij,cap.de epilepſia. Circa curationem horum affectuum illud ante cætera ſcire oportet, huic morbo,cùm ſit familiariſſimus pueris, quàm maximè medicamenta adhiberi, & præſertim intus ſumpta duabus rationibus: vna, quia pueri non ſunt idonei bibendis pharmacis: altera, quia mulieres (neque ſine ratione) putant hos morbos maximè pertinere ad valetudinem futuram puerorum, & propterea negligunt ipſos curare. Quia tamen aliquando coguntur medici etiam in hac tenerrima ætate medicinam exercere, primò ſunt ex conſilio Raſis, ſi pueri lac ſumant, nutrices curandæ: prouidendum ſcilicet, vt abſtineant à cibis praui ſucci, acribus, ſalſis, lacte, piſcibus, ouis aſſis & frixis: abſtineant à vino, à Venere,& tandem fugiant omnia ea,quæ poſſunt humores craſſos,& prauos generare; quandoquidem lac ſtatim ſumit qualitates ciborum, & quoniam pueri toti ſunt ex lacte, neceſſe eſt,vt omnes qualitates lactis imbibant.Auenzoar monuit, vt caueant vſum portulacæ: quaſi hæc herba propria quadam facultate hunc morbum augeat. Archigenes apud Galenum damnauit etiam vſum aceti. Poſt victum inſtitutum ſtatim deuenitur ad medicamenta localia, niſi tamen conſtet nutricem opus habere purgatione; in quo caſu præſtabit antequàm veniatur ad localia,ipſam purgare,ſi ſit bilioſa, medicamentis accommodatis ad expurgandam bilem;ſi verò ſit pituitoſa, medicamentis pituitam euacuantibus. Alexander Trallianus de medicamentis localibus verba faciens, videtur docuiſſe, debere ea eſſe repulſoria & adſtrictoria: ſed quia valdè periculoſum eſt in teneris pueris repellentibus vti,præſertim cùm capita ipſorum ſint humoribus refertiſſima:iccirco ſententia Alexandri interpretanda eſt de pueris adultis, non autem de puerulis, & ob id ſententia Auicennæ amplectenda, qui pro medicamentis localibus propoſuit ea, quæ moderatè adſtringunt, & etiam moderatè exſiccant,cuiuſmodi eſt Indicum vnà cum gallis aduſtis, & pinguedine caudæ aretinæ, verbi gratia, ſi accipiantur

Indici	ʒ.1.
Gallarum torrefactarum	ʒ.2.
Pinguedinis caudæ aretinæ	℥.s.

miſceantur, & fiat linimentum. hoc inquit Auicenna eſſe vltimum ex expertis, quaſi dicat, experientia comprobatum fuiſſe, maximè prodeſſe. proponit deinde cortices granatorum cum aceto, oleo roſato, lithargyrio, laudat etiam vt fiant frictiones cum aceto & ſale.Id tamen vnum ſemper erit memoria tenendum, pueros maiori qua poteſt blanditione eſſe tractandos. hoc dico, quia frictiones cum aceto, & ſale nimios cruciatus excitant. proponit item tutiam, cimoliam terram, chartam combuſtam cum aceto, amygdalas amaras. Sed duo medicamenta tradam,

dam,quibus ego ſoleo vti feliciſſimè. primum eſt quo vtor in pueris tenerrimis, aliud quo in grandiuſculis. primum medicamentum eſt hoc.

R.Cineris myrtillorum,
Gallarum an.ʒ.1.
Tutiæ ʒ.1.s.
Butyri vetuſti loti,
Aquæ roſaceæ ℥.1.Cineres aceto leuigantur,deinde miſcentur ad ignem

Aliud verò medicamentum eſt.

R.pulueris corticum granatorum,
Lithargyrij,
Tutiæ an.ʒ.j.s.
Olei roſati ℥.s.

Pinguedinis anſerinæ aceto lotæ ℥.1.s. miſce, & fiat linimentum. Sed circa hæc medicamenta duo ſunt animaduertenda:vnum quoad vſum ipſorum.alterum quoad pinguedines. quoad vſum ſcire oportet neceſſarium eſſe, vt hæc vnguenta extendantur ſuper petias ſubtiliſſimas,quæ priùs ſint cerâ illitæ ; nam huiuſmodi petiæ cera illitæ faciunt , vt caliditas ipſorum vlcerum non ita conſumat medicamentum. Præterea, quia pueri ſæpè manib. auellunt medicamenta , parandæ ſunt cuffiæ quædam,quæ totæ illitæ poſſint continere ea continuò ſuper caput.Alterũ, quod adnotandum eſt circa pinguedines , eſt , quia quotieſcunque volumus vti pinguedinibus ad exſiccandum , ſemper eligendæ pinguedines vetuſtæ : quia , vt ſcribit Gal.5. lib. de Simp.med.& 11.huiuſmodi pinguedines magis diſcutiunt, & exſiccant.quòd ſi velimus facultate ipſarum potiùs emollire , ſemper pinguedines recentes ſunt eligendæ. Sed eſt & aliud obſeruandum:quia etſi pinguedines vetuſtæ magis exſiccent,tamen tempore ipſo redduntur acriores, & calidiores.quo fit, vt non ita tutum ſit facultate ipſa exſiccatoria vti , niſi caliditas ipſarum, & acrimonia penitus retundatur. Vnde opus eſt has abluere iterum , atque iterum , & etiam quinquies : nam ablutio , & præſertim facta aceto , aufert acrimoniam vetuſtate acquiſitam,& caliditatem : ſiccitatem verò potiùs auget, quàm vllo modo minuat:quod etiam facit aqua roſacea,qua butyrum & pinguedines erunt abluendæ quandocunque vſus poſtulabit.Sed circa pinguedines volo contradictionem pulcherrimam Galeni explicare , quam (quod ego ſciam) nemo vidit. Gal. 4. de Simp.medi.c.6. ſcribit, pinguedinem hirci eſſe maximè acrem , atque igneam. ſecundo verò de Simp.medic. cap. 12.dicit eſſe aliquas res, quæ morſus euacuando curant,quemadmodùm ſunt res ſalſæ : alias verò eſſe quæ mordicationes curant non euacuando, ſed attemperando:& inter has, quæ curant mordicationes attemperando,adnumerat oleum dulciſſimum , ſuccum ptiſſanæ , & adipem hircinum. ita quod videtur ſibi clariſſimè contradicere Galenus , quia hic ponit adipem hircinum curare mordicationes attemperando. 4. verò de Simpl. med. habere hanc pinguedinem maximam acrimoniam & igneam. Pro tollenda hac contradictione duo mihi dicenda occurrunt. primũ eſt,pinguedinem hirci,aut recentem eſſe, aut vetuſtã.Pinguedo vetuſta eſt maximè acris & ignea,& de hac locutus eſt Gal.4. de Simp.med.recens autem pinguedo tametſi ſit acris,non tamen eſt ita vt vetuſta,& hoc dictum eſt à Gal.11.de Simp. medic. cap.de pinguedine, & 3.de Comp.medic. per genera cap.5.Pinguedo igitur recens hac ratione conuenit morſibus:quia licet ſit aliquantiſper acris,habet tamen maiorem vim emplaſticã,quàm acrimoniam.& propterea hanc cõmendauit 2.de Sim.med.Sed hæc reſpõſio(vt quod ſentio fatear) mihi non ſatisfacit:quia Gal.loco citato videtur velle,quòd etiam pinguedo hirci,

dum recens eſt, ſit valdè acris. eapropter putaui litteram Galeni 2.de Simpl. eſſe corruptam,& loco τράγου legēdum eſſe αἰγὸς adducor autem ad hoc coniiciendum, quia Galenus 11.de Simp. medic. loco citato inquit, quod in dyſenteriis maximè prodeſt adeps capræ, qui quidem eſt valde minus acris,quàm hirci;concreſcit enim circa parietes inteſtinorum. Vnde permanentia illa ſua non modo placat morſus, ſed etiam pro hibet mordicationem ampliorem. Hactenus de curatione achorum, & fauorum puerulis adhibenda tractauimus. Nunc ſupereſt, vt videamus, quæ debeat eſſe in adultis,quoniam & qui adulta ſunt ætate ſæpe ſolent hiſce morbis tentari.Omnes Græci, & Arabes in hoc concordes ſunt,maximè referre in hac curatione, vt ante alia recta victus ratio habeatur. cuius ſumma in hoc poſita eſt, vt multitudines potuum & ciborum fugiantur, vt cibi ſint optimi ſucci, vina generoſa vitentur, omnia dulcia,acria,ſalſa,frixa,atque omnia, quæ poſſunt craſſos, & acres producere humores. Poſt victus inſtitutionem cogitandum eſt de purgatione prauorum humorum. in qua obeunda primò neceſſum eſt videre,an vnà cum ſuccorum prauitate adſit etiam ſanguinis abundantia; nam ſi ſanguinis notæ appareant, erit citra controuerſiam mittendus. Si morbus magis caput depopulabitur,monet Auicenna,vt vena capitis incidatur, aut vena frontis, aut venæ poſt aures. Quòd ſi morbus in vniuerſum corpus graſſetur, erit vena, vel pedum, ex ſententia Auicennæ, vel etiam ex noſtra, vena communis pertundenda, & habita vitium ratione copia ſanguinis extrahenda erit. Poſt venæ ſectionem deueniendum eſt ad expurgationem humorum, qui primò erunt præparandi huiuſmodi ſyrupo,

R. oxiſaccaræ,
Syrupi de ſucco lupulorum,
Syrupi de ſucco boraginis an.℥.1.
Aquarum boraginis,
Lupulorum, Scabioſæ an.℥.1.s.

Poſtquam erit præparata materia, poſtmodum erit expurganda medicamento, quod ſeroſos, & craſſos humores ſimul educere poſſit. ſi erit pilularum forma medicamentum ſumendum,poterunt ſumi pilulæ de hiera Pacchij, vel pilulæ de agarico, cum trochiſcis alandahal. bolo autem poterit ſumi huiuſmodi medicamentum:

R. ſaccari roſati ℥.s.
Rhabarbari,
Agarici præparati ſubtiliter pulverizatorum,an ℈.ij.s.
Trochiſcorum,
Violarum cum ſcammonio, gr. vj. miſce, fiat bolus,qui capiatur in aurora. potus accommodatus ad expurgationem horum humorum erit talis.

R. agarici electi,
Rhabarbari electi an.ʒ.1.
infundantur ſecundum artem in ſero caprino. deinde,
R. dictæ infuſionis ℥.5.
Syrupi de polypodio ʒ.3.
vel loco huius:
Confectionis Hamech ʒ.3.
Syrupi roſati ſolutiui ℥.2.

Poſtquam optimè expurgatum fuerit corpus, deueniendum eſt ad medicamenta localia: in quorum quidem vſu ante alia conſiderandum erit, an morbus ſit in principio

principio, an verò ſit inueteratus. ſi fuerit in principio, monet Alexander,& rectè, vtendum eſſe medicamentis, quæ adſtringant & repellant. ſunt autem medicamenta in hoc vſu accommodata rubi folia, ſalicis, plantago, oleaſtri ſuccus, myrtus, piceæ cortex, poligonium. atque ex his poteſt parari & lauacrum pro capite, & inunctio. Lauacrum parabitur hoc modo:

R. aquæ calybeatæ ℔.10.
Cineris fol. ſalicis, ℔.s.

fiat lixiuium, cui incoquantur poſtmodum

Fol. roſarum rubearum man.1.
Fol. plantaginis p.s.
Myrtillorum,
Cortis piceæ an.p.s.

coletur poſt decoctionem, deinde abluatur caput; quod poſtquam ablutum erit & exſiccatum, poterit inungi hoc linimento.

R. olei roſati omphacini,
Olei myrtillorum, an.℥.1.
Succi fol. ſalicis,
Succi fol. oleaſtri, an.ʒ.2.
Pulueris roſarum rubearum,
Pulueris myrtillorum an.ʒ.

miſce. fiat linimentum. Quòd ſi morbus ſit in principio, ſed minetur aliquid mali, Archigenes apud Galenum cenſet adſtringentibus miſcenda etiam eſſe quæ moderatè exſiccant, cuiuſmodi eſt, ſi cyperus, lentes, ladanum admiſceantur vnà cum oleo myrtilli, & cum modico vini. Quòd ſi morbus ſit inueteratus, adhuc conſiderandum erit, an vlcera ſint mitia, & ſuperficialia, an verò ſint potiùs fera quodammodo, & profunda. ſi vlcera ſint mitiora, dicit Galenus, quandoque curari ſola victus ratione citra corporis euacuationem; tamen & ſæpè in his etiam ſunt neceſſaria medicamenta localia: atque tunc eliguntur ea quæ poſſint incidere, diſſecare, attenuare, & etiam exſiccare, quemadmodum eſt acetum, quod diſſecat, repellit, & etiam exſiccat. poterunt igitur aliqua medicamenta metallica aceto macerari, & ita apponi, cuiuſmodi eſſet hoc.

R. Tutiæ,
Spodij an.ʒ.2.
Litargyrij ʒ.4.
Olei roſati omphacini ℥.s.
Aceti ℥.ij. ceræ quantum ſatis eſt pro linimento molli: miſce. quod quamquam ſit leuiuſculum, tamen etiam accommodatum eſt. quòd ſi malum his remediis non cedat, ſunt adminiſtranda ea, quæ maiorem paulò facultatem poſſidēt, atque inter hæc adnumeratur calcitis, fex vini vſta, ſandaracha, calx viua, cinis concharum vſtarum. atque huiuſmodi medicamenta valde exſiccantia, quæ veteres achores, & rebelles poſſunt feliciter exſiccare & curare. Studendum igitur erit in his achoribus, vt caput abluatur hoc decocto.

R. aquæ calybeatæ ℔.10.
Cineris lignorum ficus ℔.10.

fiat lixiuium, in quo deinde bulliant

Fol. lapathi acuti,
Radicum betæ an.p.2.

Poſt decoctionem coletur, & caput abluatur. quo abluto, & exſiccato optimum erit hoc medicamento vti.

R. fæcis vini vſtæ ℥.2.
Calcis aceto maceratæ ℥.3.
Concharum vſtarum ℥.s.

Olei veteris quantum ſatis eſt pro linimento conficiendo. & aduertendum hæc eſſe efficaciſſima, & acriora; propterea potius conuenire in corporibus duris, quàm in mollibus. Sunt quoque achores, quemadmodum dicit Galenus, quidam valde dolorifici, inflammati, rubri, qui alio modo tractandi ſunt, quàm prædicti. In his enim opus eſt adhibere ea quæ dolorem ſedant, necnon concoquunt humores crudos, cuiuſmodi ſunt quæ humectant medicamenta, concoquunt, & emolliunt. Inter hæc maximè ab omnibus laudatur illud, quod ϖάπυρὸν à Galeno, & à Græcis vocatur. deſcribitur hoc medicamentum à Paulo lib. 7. cap. 17. Quod ſi iſtud medicamentum non ſit in promptu, loco huius poſſumus vti cataplaſmate, confecto ex farina lentis & melle, aut medulla panis cum ſucco coriandri viridis, aut etiam ſucco plantaginis, ſucco poligonij, vnà cum farina vel hordeacea, vel etiam triticea: prout ſcilicet magis, vel minus liniendum, concoquendum & exſiccandum videbitur. Si dolor liniatur huiuſmodi medicamentis, poterit ablui caput decocto fœnugræci, vel decocto betæ. nam hæc maximè commendantur à Galeno & ab aliis: quia moderatè concoquunt achores crudos, atque etiam moderatè exſiccant. numerantur à Galeno multa alia medicamenta ex ſententia Apollonij, & Critonis, quem omnib. aliis præfert. ea videri poſſunt primo de Compoſit. medic. ſecundum loca. fuerunt aliqui inter recentiores, qui exiſtimarunt inter fauos, & achores dari medium quoddam genus, quod neque ſit achor, neque fauus, atque ad adſtruendam ſuam ſententiam adducunt Galenum in lib. de Tumoribus præter naturam, cap. 15. & Rabbi Moyſen lib. 23. Aphoriſm. Sed diligenter perſcrutatus ſum hæc loca, & inueni iſtos valde deceptos eſſe; quia tametſi Galenus dicat achores fieri ex materia ſubtili & craſſa, fauos verò ex materia craſſiori; non propter hoc tamen ponit achores vllos fieri ex materia tenui ſolum: ita vt poſſimus dicere factos ex ſubtili & craſſo humore eſſe medios. Hæc eſt ratio curationis achorum, & fauorum tam in pueris, quàm in adultis; circa quam adſunt conſideranda nonnulla ſcitu digna. primum, quòd in his morbis curandis non ſunt capilli auellendi, ſed ſolummodò radendi, aut tondendi: & ratio eſt, quia capilli non ſunt corrupti multum, niſi ſint achores, & faui inueterati: nam in illis ſæpe etiã corrumpuntur. in illis ergo in quibus non ſunt corrupti capilli, erunt duntaxat radendi, alioquin niſi ita fieret, non poſſent medicamenta accommodari, neque efficaciam oſtendere. alterum adnotandum eſt, quòd Galenus in vlceribus antiquis & contumacioribus maximè commendauit vſum medicamenti ex charta cõbuſta. imò teſtatur ſe quandoq; ruri ea ſola aceto macerata breuiſſimo tempore curaſſe huiuſmodi morbos. Deſcriptio huius habetur apud Galenum lib. 5. κατὰ γένη, & apud Paulum lib. 7. cap. 13. Vnde cum ita celebretur huiuſmodi medicamentum ab omnibus; erit vtile ſcire, nunquid hoc tempore eo poſſimus vti. quod enim charta antiquorum nos careamus facile eſt intelligere à Plinio, qui vnus modum, quo antiqui eam faciebant, nobis explicauit lib. 13. cap. 11. & 12. eam enim componebant duobus modis ex papyro aqua Nili macerato, vel ex papyro glutino cõfecto, & commiſto. quemadmodum apud auctorem poteſt videri: nolo enim tempus terere in eius verbis recenſendis. Erat verò papyrus genus quoddam iunci quod naſcitur copioſiſſimè in Ægypto prope Nilum, & vidi etiam ego,

dum

dum eſſem Panormi, huiuſmodi plantam. iſte iuncus clarum eſt, quòd habet facultatem deſiccandi valenter. aderat poſtmodum & glutinum, & farina cum aceto, & aqua feruente, quod & ipſum vi ſiccandi pollet. Quamobrem ſi ea, quæ componunt chartam antiquorum conſideremus, pollebant maxima vi exſiccatoria. addebatur poſtmodum vſtio, quæ etiam medicamentum magis exſiccatorium efficiebat. Inuenio ego ob tres cauſſas medicos conſueuiſſe vrere aliquod medicamentum, vel vt magis exſiccatorium redderent, vel vt poſſet redigi in puluerem, vel vt nimia ipſius vis & efficacia frangeretur. cum autem hoc tempore careamus charta celebrata apud Galenum, & alios omnes auctores antiquos, eſt videndum, nunquid habeamus aliquid, quo eius loco vti poſſimus, & an noſtra charta antiquorum loco ſufficiat. Habemus & nos etiam quaſdam papyros, quarum ſubſtantia ſi conſideretur, maximè exſiccatoria eſt. quòd ſi vrantur, magis etiam exſiccare poſſunt, & ſunt illæ, ex quibus conficiuntur ſtoreæ. vnde exiſtimo ego non multum differre, quod ad facultatem pertinet, eam materiam à papyro antiquorum, & ab ea, quæ apud Siculos nunc inuenitur. Vnde ſum huius ſententiæ, quòd in conficiendo medicamento ex charta, loco papyri poſſimus huiuſcemodi materia vti, atque etiam cinerem ipſum aceto maceratum adhibere eo modo, quo Galenus chartam ſuam vſtam. Sed an charta noſtra poſſit ſufficere, dicam & in hoc ſententiam meam. Conficitur charta noſtra, vt omnes norunt, ex pannis lineis, contuſis, maceratis, & glutino in eam formam redactis. Ex quo quantum ad materiam pertinet, ſcimus pannos lineos exſiccare, & propterea à medicis adhiberi ad vlcera curanda. imò Galenus quoque in curanda alopecia laudat pannos lineos cilicios (quanquam Cornarius hanc vocem ῥάκος interpretatus ſit pro panno laneo) & commendat ea ratione, quia exſiccant, & poſſunt accommodari ad medicamenta exſiccatoria. quòd ſi materia linea exſiccat, atque adeſt glutinum in charta, quod etiam exſiccare poteſt, ſi addatur & vſtio, nemini dubium eſt, quin medicamentum ſit magis exſiccatorium. Vnde deficiente papyro à me nuper dicta, puto poſſe in vſum trahi chartam noſtram combuſtam. Tertium notandum eſt, veteres medicos in achoribus & fauis curandis conſueuiſſe frequentiſſimè vti medicinis, quæ ſmegmata nuncupantur. Sunt autem hæc medicamenta pulueres quidam confecti ex rebus abſterſoriis, quæ primo illo tempore adhibebantur ſolùm ad denudanda, & detergenda corpora, quando lauare volebant. & tunc fiebant ex nitro, hordeo combuſto, pumice, lomento, fabarum furfure, & ſulphure. poſteriore tempore traxerunt vſum horum medicamentorum etiam ad vlcera, & præſertim ad manantia. ſed ex alia materia conficiebantur, nimirum ex elleboro, alcyonio, ſulphure, ſtaphiſagria, & teſtis etiam ſepiarum. Sed circa vſum horum medicamentorum vnum prudentiſſimè monet Paulus lib. 7. cap. 13. præſtare ſemper, vt hæc adponantur capiti maximè exſiccato; etenim cum ſint pulueres, ſi humidiori cuti adhibeantur, facilè vis eorum obtunditur. oportet tamen ſcire interdum, cum vſus poſtulat, iſtos pulueres contemperari aliquibus ſuccis, & præſertim cum oxymelle, melle ſimplici, aut aceto ſimplici, quemadmodum exempla plurima inueniuntur apud Aëtium lib. 6. c. 54. Eſt & poſtremò aliud obſeruandum, medicos tam Arabas, quàm Græcos in curandis huiuſmodi vlceribus nunquam ferè pinguedines adhibuiſſe; quòd quidem dum ego conſidero, non poſſum non putare maxima ratione factum eſſe. rationem hãc eſſe exiſtimo, quòd vbi cutis infecta eſt huiuſmodi vlceribus, valdè calet: ob quod ſi pinguedines ipſi adponantur facilè vruntur, atque ita & calorem vlcerum, & materiam magis augent. Vnde conſulo vt ad veterum imitationem fugiantur,

quantum

quantum fieri poteſt, huiuſmodi pinguedines. Sed quæret quis, quomodo ſint continenda linimenta, aut medicamenta arida in capite? omnium præſtantiſſimum remedium in hoc ego experientia comprobaui eſſe, vt pileus, ſeu cuffia quædam ex ederæ foliis ſimul conſutis fiat; atque ita poſtquam inſperſi erunt puluëres, aut linimenta adhibita, caput contegatur hoc pileo, deinde etiam aliquod aliud ſubtiliſſimum integumentum lineum adponatur. quod ſi partes affectæ fuerint aliæ, quàm caput, poterunt etiam folia huiuſmodi ederæ conſui, & in eam formam redigi, quæ opportuna erit; nam edera exſiccat moderatè, repellit, & quoquo pacto educit humores illos prauos.

De Tinea.

CAPVT X.

SEquuntur vlcera capitis ſicca tam ab Arabibus, quàm à Græcis fuſiſſimè tractata, quæ omnia ab Auicenna ſub nomine ſahafati ſicci comprehenduntur. Sunt hæc vlcera cutem capitis, & capillos corrumpentia: ex quibus emanat fœdus, & ſiccus quidam tabus cum fœtore, cum cruſtis deturpantia caput, & totum adſpectum. Sunt verò hæc vlcera duplicia, aut recentia, aut antiqua, quæ omnia à vulgo comprehenduntur ſub nomine tineæ: dico à vulgo; quoniam Arabes, & etiam nonnulli Latini nomine tineæ etiam vlcera humida capitis complectuntur. appellata verò ſunt tinea ad ſimilitudinem illius animalis quod veſtimenta corrodit, & tinea nuncupatur. Multi ſunt, & inter alios Nicolaus Florentinus, qui putarunt, tineam noſtram eſſe ſahafati humidum Arabum. Sed iſti longè falluntur, atque conuincuntur ex ipſo adſpectu, propterea quòd ſahafati ſiccum generatur ex humore melancholico aduſto & bilioſo: noſtra verò tinea & colore, & etiam eſſentia ſua clarè monſtrat, quod fit ab humore melancholico & bilioſo. Quare non eſt vllo modo ſuſpicandum, quin tinea noſtra non ſit ſahafati ſiccum. ſed accedit etiam teſtimonium Auenzoar, qui ſub duobus capitibus declarat, & tineam, & ſahafati humidum. Ex quibus colligitur hæc duo eſſe inter ſe diuerſa, non autem idem, quemadmodum exiſtimauit Nicolaus. quanquam etiam Auenzoar non plenè deſcribit noſtram tineam. poteſt tamen fieri, quemadmodum etiam vſu venit, quod ſahafati ipſum humidum tranſmutetur in ſiccum, ſiue in ipſam tineam. Cauſſa immediata huiuſce affectionis nulla alia eſt, niſi humor melancholicus, ſecundum Auicennam, cui miſcetur humiditas acuta, quæ expungens, extimulans virtutem expulſiuam cogit ipſam ad ſeſe excernendam, atque ita excreta exulcerat cutem, & facit vlcus. Cauſſæ verò mediatæ, & magis remotæ ſunt in primis mala cibaria, & tandem omnis in ſex rebus non naturalibus commiſſus error. Eſt etiam & contagium inter has cauſſas: & ſi quis eſt morbus, qui per contagium recipiatur, proculdubio hic vnus eſt. Conducit quoque ad generationem huius diſpoſitio paterna & hæreditaria; mala quoque curatio achorum, & fauorum ſolet huiuſmodi contagionem inducere; vt hac ratione debeamus ſemper eſſe ſolliciti, quo ſtatim curentur achores & faui, quandoquidem maior pars pauperum corripitur hac infectione hac ferè ratione ſola, quia à principio in ipſis achores, & faui malè curantur. Contingunt quoque interdum aliqui morbi praui in capite; vt dicit Auicennas, ex quibus etiam ſolet facilè hæc affectio oriri. Sed ſciſcitabitur aliquis, an apud Græcos liceat

inueni

inuenire hanc affectionem nominatam , & tractatam. Ego certè adhuc non po-tui inuenire , quòd explicatè hic morbus ſit tractatus à quoquàm Græcorum: puto tamen achores nominatos ab Alexandro ex humore melancholico maxi-mè tineam noſtram referre , & ſahafati Arabum ſiccum. quanquam , vt videre eſt , achor melancholicus Alexandri non plenè repræſentat tineam , de qua eſt nobis ſermo. Signa horum vlcerum multa traduntur à Gulielmo chirurgo. ſed potiſſima hæc ſunt , quòd apparent cruſtæ quædam aridæ ; interdum croceæ, interdum cinereæ , nonnunquam virides, aut etiam nigricantes , quæ nihil , aut parum humoris emittunt. humor verò ille virulentus eſt , quaſique totus vene-noſus ; præterea pili corrupti decidunt. hæc eſt ſyndrome ſignorum tineæ , qui-bus facilè dignoſci poteſt ab aliis affectionibus. Prognoſtica hæc ſunt , quòd omnia hæc vlcera praua ſunt , ſed deteriora habentur omnia illa , quæ ſunt anti-qua, quæ ferè omnia in alopeciam & ophiaſin conſummatas terminantur. Guido de Cauliaco chirurgus excellentiſſimus fatetur ſe obſeruaſſe , quòd hæc affectio ſæpe in lepram , & pediculorum abundantiam terminatur. ſcribunt ferè omnes duas huius tineæ ſpecies eſſe , alteram,quæ curationem recipit : alteram verò om-nino incurabilem. incurabilem dicunt eſſe eam , in qua apparet cutis dura , & teſtacea, ſquamæ etiam multæ, atque pilorum perfectæ corroſiones. Pro curatio-ne huius mali primo inſtituendus eſt victus : quoniam cum ſit ſoboles prauorum humorum, qui continuò generantur ex negligentia victus , ante cætera huius ha-beatur ratio neceſſe eſt. Auicenna monuit , vt vitentur omnia , quæ dulcedinem inſignem habent, quales ſunt dactyli.& nominat præ cæteris dactylos ; quia apud ſuas nationes hic cibus in frequentiſſimo vſu erat. damnat omnia acria,acuta,ſal-ſa , craſſa , & nimis calida. Auenzoar vult , vt cibentur pane optimè fermentato, turturibus veſcantur , & paruis auibus aceto conditis : laudat etiam edulia omnia inſipida. Sed notandum , laudari acetum à multis in hoc caſu ; ſed miſtum aliis eduliis ; quandoquidem ſi per ſe ſolum ſumatur , valde nocuum eſt , & iure dam-natur;quoniam,vt ſcriptum eſt ab Hippocrate com.3.de Acutis , acetum humoris melancholici prouentum facit.Haliabbas vult eſſe regendos ægros cibis humidis, infundendúmque naribus oleum amygdalarum , vel cucurbitæ , vel violarum. In-ſtituto victu, eſt primo deueniendum ad euacuationem prauorum humorum, qui ſunt & in vniuerſo corpore , & peculiariter in capite. Sed quia euacuari commo-dè nequeunt,niſi prius præparentur, erunt primò præparandi,& pro præparatione in vſu eſſe poterit ſimilis ſyrupus.

R. Fol. fumariæ,
Aſplenij,
Fol. brioniæ,
Boraginis an.p.1.

fiat decoctio ſecundum artem. deinde,

R. dictæ decoct. ℥.5.
Syrupi ſaporregis,
Syrupi de ſucco boraginis. an.℥.1.
Oxymellis ſimplicis ℥.s.miſce.

Quo tempore ſumet æger huiuſmodi ſyrupum , erit cogitatio habenda de ſan-guinis miſſione ; in qua obſeruandum eſt quod diximus in vlceribus humidis, quòd ſcilicet ſi adſint indicia ſanguinis , vel ſi praui humores ſint multum ſanguini commiſti , vena omnino ſecetur , & ex eo latere auferatur ſanguis, vnde origo mali magis dependere videbitur. præparati humores erunt poſt-

modum

modum euacuandi: pro qua euacuatione, cum humores peccantes ſint melancholici & bilioſi, erunt ea medicamenta eligenda, quæ potiſſimum humorem melancholicum & bilioſum educere valent: cuius generis ſunt pilulæ cochiæ cum elleboro, hiera Pacchij cum elleboro, pilulæ de lapide lazuli. quòd ſi medicamenti etiam potabilis alicuius formam quis optat, hæc apud me in vſu eſſe ſolet.

R. Fol. brioniæ	p.s.
Fol. ſenæ,	
Epithymi	an.ʒ.1.s.
Corticum ellebori nigri	ʒ.1.
Seminum betonicæ,	
Seminum citri,	
Scordij	an.ʒ.s.

infundantur in ſero caprino per totam noctem, deinde ſummo mane fiat expreſſio, cuius expreſſionis

Recipe	℥.5.
Trochiſcorum de rhabarbaro	℈.2.
Thochiſcorum violarum cum ſcammonio gr. 7.	

Syrupi violati ſolutiui ʒ. 2. s. miſce, & capiatur. iſte potus, vt intelligi poteſt ex compoſitione, maximè poteſt humores melancholicos, & bilioſos expurgare. poſt expurgationem etiam repetitam, ſi opus erit, deinceps deueniendum ad localia medicamenta, circa quæ obſeruare oportet, nunquam repellentia in hoc morbo vſu venire: quia materia eſt ſicca, humor eſt craſſus & rebellis; ita quòd à repellentibus nulla ratione poteſt depelli; ſed potius magis infigitur, & (vt ita dixerim) magis exaſperatur. opus ergo eſt medicamentis, quæ valeant attenuare, exſiccare, conſumere, & altas partes penetrare. Sed antequam adhibeantur hæc medicamenta, duo primò ſemper ſunt cogitanda. primum eſt, vt pili, ſi qui ſunt, auferantur. auferuntur autem vel volſellis, vel etiam aliquo pſilothro (quæ ſint pſilothra paullo poſt declarabo.) alterum eſt, an affectio ſit recens & mitior, an verò ſit vetuſta & contumacior. In mitiore enim ſemper etiam mitioribus erit agendum; in rebelli verò ad vltima & efficaciſſima deueniendum erit. Modus, quo mitiorem tineam curo feliciter hic eſt: quòd primo iubeo volſellis auelli pilos corruptos, deinde poſtquam auulſi ſunt, iubeo fricari valenter totam cutem affectam puluere facto ex ſepia, & nitro an. partibus æqualibus: deinde altera quaque die iubeo, vt caput abluatur infra ſcripto decocto.

R. radicum brioniæ,	
Radicum liliorum alborum	an.p.1.
Fol. maluæ,	
Fumiterræ,	
Lapathi acuti	an.p.2.

Bulliant in decem libris aquæ vſque ad conſumptionem quartæ partis: deinde facta expreſſione addatur vrinæ cyathus, id eſt, hoc decocto altera quaque die abluo caput, & altera quaque die frico & depilo, quemadmodum dixi. poſt exſiccationem inungo oleo amygdalarum dulcium, oleo nucum, aut pinguedine gallinæ. atque mihi ſucceſſit non ſemel curaſſe mitiorem hanc tineam, quòd ſi ſit deterior, & contumacior curanda, alius modus valentior adeundus eſt. Moderni chirurgi ſolent ferè præ omnibus aliis medicamentis præferre argentum viuum extinctum. quod tametſi Græci ſcriptores non laudauerint, neque

Galenus

Galenus cognouerit miram illius qualitatem : tamen Arabes,& præſertim Auicenna, ipſam cognouerunt. Sed ſunt aliqui qui vſum huiuſmodi argenti valde reformidant non mala adducti ratione; quia eſt medicamentum deleterium : pars autem affecta eſt proxima cerebro, vnde periculum imminet, ne venenum huiuſmodi medicamentis cerebro communicetur. & certè conſulo, vt in omnibus capitis affectibus primò extrema quæque alia medicamina explorentur, quæ niſi proficiant, ad argentum viuum tunc recurratur. Ego in tinea vetere & rebelli ſoleo vti medicamentis variis, factis ex calce, ære, vitriolo, ſulphure, & huiuſmodi aliis, quæ valentiſſima ſunt ad debellandas omnes tineas, & extinguendam omnem corruptionem. ſed, vt dixi, hæc omnia adminiſtranda ſunt partibus ipſis depilatis. dabo formam medicamenti, qua ego ſoleo vti:

R. ſucci fumiterræ,
Scabioſæ,
Boraginis,
Lapathi acuti,
Aceti an. ℥.3,
Olei antiqui ℔.1.

Bulliant omnia in duplici vaſe vſque ad conſumptionem ſuccorum & aceti, deinde inſpergantur infra ſcripti pulueres.

R. vtriuſque ellebori,
Sulphuris viui,
Calcanthi,
Auripigmenti,
Calcis viuæ,
Aluminis,
Gallæ an. ʒ.s.
Viridis æris ʒ.2.

Terantur, & cribellentur omnia diligenter : deinde miſceantur cum prædicto oleo,& addendo picis liquidæ, atque ceræ quantum ſufficit, fiat ceratum, quo cooperiatur tota capitis pars malè affecta. hoc cerato ſi quis vtatur prius peractis his quæ diximus, niſi ſit prorſus malum incurabile, ſpero ſemper optimum ſucceſſum illum habiturum. Sed hic oportet etiam vnum aliud obſeruare, tantam eſſe in hoc malo malitiam & prauitatem cutis, vt continuò alimentum proprium corrumpat, & regeneret prauos humores. eapropter ſummo ſtudio prouidendum eſt, vt continuò humores praui, qui regenerantur, tollantur.& ideo ſoleo ego octaua quaque die ſi corpora ſint teneriora, exhibere pilulas cochias cum elleboro, vel hieram ſolam Pacchij. ſoleo etiam vti ſyrupo de polipodio cum infuſione ellebori. Sed quia dixi capillos eſſe auferendos, aut volſellis, aut pſilothro, primò ſcire oportet quæ ſint pſilothra apud Galenum, & alios. Vt ſcriptum habemus apud Galenum primo de Compoſitione med. ſecundum loc. ea quæ capillos corrumpunt, trium ſunt generum, aut pilos attenuant, aut auferunt ad tempus, aut prorſus extirpant. quæ prorſus extirpant, & attenuant capillos, nunquam ſolēt vocari pſilothra; niſi quòd aliquando inueni vitem albam vocari pſilothrum per excellentiam, quia aufert capillos. ſed quæ auferunt ad tempus capillos, dicuntur pſilothra, quæ habent facultatem erodentem,& deuſtoriam, qualia ſunt auripigmētum, ſandaracha, arſenicum, calx viua, quæ omnia erodendo,& deurendo tollunt pilos, ita vt radices omnino non lædant. Sed circa vſum horum medic. plura ſunt obſeruanda. primò

quidem

quidem, quod hæc medicamenta non ſunt adminiſtranda, vbi timetur, ne cutis ſolida ſit, quia cutis magis ſolideſcit, magis areſit; ſed quando cutis humidior paullo eſt, tunc tutius poſſunt vſu venire. Alterum adnotandum eſt, quòd hæc eadem medicamenta pro pilis auferendis nunquam ſola adhibentur, ſed ſemper commiſcenda ſunt cum aliquo, quod vi propria emplaſtica poſſit caſtigare vim igneam ipſorum, & deuſtoriam. pro quo obtinendo tria inuenio apud Galenum, & Critonem fuiſſe vſurpata: primum eſt amylum, alterum eſt ſuccus ptiſſanæ, tertium eſt ſuccus orizæ. itaque quando pſilothrum parare libuerit, poterit ita confici:

R. calcis viuæ,
Auripigmenti an. partes æquales,
Succi ptiſſanæ quantum ſufficit,

Cũ pauco aceti fiat paſta, quæ debet eſſe liquidiuſcula, vt poſſit optimè illini parti depilandæ. Tertium obſeruandum eſt, vt medicamenta iſta tandiu detineantur, quouſque partes ipſas veſicam non contrahere animaduertetur. nam ſolent ſua caliditate veſicam facere. ideo non ſunt multum in parte affecta continenda, ſed ſimulac pilos abſtulerint, aliquo lauacro, & decocto tollenda. Sed quæret aliquis, quæ differentia ſit inter dropaciſmum (de quo aliàs) & huiuſmodi pſilothrum: conſtat enim, quod etiam dropaciſmo auferebant pilos. Oribaſius medicus grauiſſimus poſuit hanc differentiam, quod pſilothrum minus agat, delicatam cutem relinquat, carnem in ſuperficie vellicet: dropax verò nihil horum agat, ſed muſculos habitiores, & robuſtiores relinquat. poſt applicationem pſilothri ſolent duo accidentia interdum contingere: primum eſt fœtor partis, alterum eſt nigror quidam cutis. pro fœtore remouendo Rhaſes maximè commendauit, vt locus fricetur ſandalis, furfure, ſeu ſubſtantia carthami. hæc enim per ſe ſola, aut cum aliis cuti affricata poſſunt quidquid fœtoris relinquitur à pſilothro auferre. pro nigrore auferendo Rhaſes laudat decoctum cicerum, decoctum ex farina fabæ, & cicerum, quæ etiam à me maximè commendantur.

De Pſydraciis, Helcydriis, Sycoſi, & Exanthematis.

CAPVT XI.

PRæter vitia cutis capitis hactenus à nobis enarrata, ſunt & quædam alia, quæ à Galeno in poſtremo capite primi de Com. medic. ſec. loc. complectuntur. alij verò Græci diuerſis capitibus ea tractarunt. ſunt autem hæc quatuor, vel quinque, pſydracia, helcydria, ſeu vlcuſcula, ſycoſis, ſeu ſici, & exanthemata, quæ omnia ab Haliabbate numerantur inter ſpecies tineæ. pſydracia, vt definiuerunt Paulus, & Alexander, ſunt exigua cutis capitis vlcuſcula, ſimilia eis, quæ cutem exardere ſolent. Cornelius Celſus paulo diuerſiùs definiuit pſydracion, vbi ſcripſit, quod ſit paullo durior puſtula, ſubalbida, acuta, ex qua quod exprimitur, humidum eſt. Iulius verò Pollux ex medicis ipſis definiuit pſydracia eſſe igneas effloreſcentias vlceratas ſponte, in capitis cute apparentes. In hoc conueniunt omnes, quod pſydracion ſit vlcuſculum. exanthemata verò non ſunt quidquam aliud niſi effloreſcentiæ quædam ſuper cutem capitis apparentes, inſtar earum, quæ etiam in totius corporis cute apparent. helcydria autem vocata, vt docet nos Aëtius,

ſunt vlcuſcula quædam parua, denſa, & rubra in capitis cute apparentia, papillis mamillarum ſimilia, à quibus ichor defluit. de his omnibus vlcuſculis videtur locutus Cornelius Celſus, vbi ſcripſit, quòd ex puſtulis nonnunquam etiam & vlcuſcula ſunt aut arida, aut humida: & modò tantùm cum prurigine, modò etiam cum inflammatione & dolore, exitque aut pus, aut ſanies, aut vtrumque. Hi omnes cutis capitis affectus videntur habere eandem ferè cauſſam, nimirum ſanguinis ipſius vt plurimum pituitoſi ebullitionem in ipſo capite. Eapropter iure à Galeno dictum eſt, omnium horum vnam, & eandem eſſe curationis rationem & quia vt plurimum hæc vitia puerulis oriri ſolent, de venæ ſectione à nullo auctore facta eſt mentio. Sed hoc vnum dixit Galenus, quòd primò victus ratio habenda ſit, id quod tum in pueris ipſis, tum in nutricibus intelligendum eſt, vt ſcilicet fugiantur ea, quæ prauos humores congregare poſſunt. Præter victus rationem conſulit Galenus, vt caput & corpus expurgetur: pro qua expurgatione maximè commendat pilulas ſuas ex aloë, quas quidem paullò poſt examinabo. Expurgato deinceps corpore, ſtatim ad localia remedia deueniendum eſſe mandat. quæ remedia duûm generum inuenio eſſe, vnum mite, quod traditum eſt à Galeno, aliud paullò acerbius, quod & à Paulo, & ab Alexandro propoſitum eſt. Quæ proponuntur à Galeno ſunt, melilotum, & fœnugræcum in farinam redacta, & aceto macerata, quæ adfricantur ipſi cuti capitis, & ipſi morbo. ſimiliter amygdalæ amaræ, contritæ & cōmanſæ; nam hæ maximè abſtergunt, & exſiccant; quòd ſi mandantur, ex ſaliua, quæ ipſis commiſcetur, acquirunt etiam nonnihil, virtutis concoctoriæ, & diſſipatoriæ: dictum enim fuit ab Auicenna prima primi, vbi loquitur de genere humorum, quòd triticum commanſum ratione ſaliuæ cōcoquit tubercula; idem etiam dicendum de amygdalis amaris commanſis. lilij quoque radix aceto incocta, & adpoſita prodeſt. bulbi quoque commendantur; circa quos eſt adnotandùm, hoc genus medicaminis, ſeu etiam cibi vulgatius fuiſſe apud veteres, ſed ab iis non ita nobis fuiſſe deſcriptum, vt poſſimus ſcire, qui verè fuerunt bulbi antiquorum, ſed loco ipſorum ego ſoleo vſurpare bulbaceum illud genus, quod aſcalonium nuncupatur. habeo medicamentum mihi familiare in huiuſmodi affectibus capitis curandis, quod quidem eſt leue. eſt autem illud:

R. thuris	ʒ.2.
Pul. malicorij,	
Pul. nitri,	
Pul. corticum granatorum.	an. ʒ.1.

redigantur omnia in puluerem, & aceto macerata adfricentur capiti. hoc medicamentum eſt quodam pacto medium inter mitiora & valentiora. Valentiora verò ſunt, quę fiunt ex argenti ſpuma, ex æris flore, ex cinere, quæ omnia habentur apud Paulum, & apud Alex. Celſus in his omnibus curandis videtur duo maximè commendaſſe. vnum eſt, vt ægri multum ambulent, & multum ſeſe exerceant, ſiquid prohibet, geſtentur. alterum eſt, vt imminuant cibos, & abſtineant à rebus acribus & extenuantibus. Sūt etiam quædam affectiones cutis capitis ſcabioſæ appellatæ, quas fuſiſſimè omnium tractauit Auenzoar. Sed ne quis decipiatur, oportet ſcire, apud hunc grauiſſimum auctorem ſub nomine ſcabiei capitis complecti achores omnes, & fauos, & fortaſſe nationes nonnullæ appellarunt achores, & fauos ſagrū, quoniam & ſic dicit Auenzoar ſcabiem capitis, ſeu achoras, & fauos vocatos eſſe ſagrum. In hac affectione hoc ſymptoma ſolet apparere, quòd cutis ipſa auferatur: ita vt caput interdum videatur totum excoriari: & vbi apparet huiuſmodi

excoriatio,optimum medicamentum eſt vt accipiātur folia oleæ,& in melle roſaceo macerentur, deinceps ita macerata ipſi cuti adponantur. hoc enim medicamentum citra cruciatum vllum, & etiam exiguo temporis interuallo ſolet cutem reficere.De ficis,aut ficationibus capitis proditū eſt ab Oribaſio, & à Paulo vocari eruptiones quaſdam vlceroſas,rotundas,ſubduras,rubentes, quas dolor etiam interdum comitatur; quod magna ex parte fieri conſueuit in capite, ſed fit etiam & alibi.Haliabbas lib.8.ſuæ theoricæ,vbi enumerat ſpecies tineæ, duplicem ſpeciem eius eſſe dicit,huiuſmodi eruptiones duras, & rotundas in cutis ſuperficie apparentes, in quibus intus clauditur materia quædam grauis ficuum ſimillima. vnde etiam ficatio,ſeu ficus nuncupatus eſt is affectus.Cornel.Celſus li.6. deſcripſit luculentius hunc morbum,vbi ſcripſit,quòd eſt quoddam vlcus σύκωσις à fici ſimilitudine nuncupatum,in quo caro excreſcit,atque hoc quidem commune eſt omnibus.ſed ſubiungit duas eſſe ſpecies huius affectus, alteram eſſe vlcus durum & rotundum,alteram verò vlcus humidum & inæquale.Ex duro exiguum quid & glutinoſum exire ſcribit;ex humido verò plus humoris & mali odoris emanare.vtrunque verò fieri inquit in iis partibus capitis,quæ pilo conteguntur,ſed in barba potiſſimum effici id,quod durum eſt,calloſum, & glutinoſum; quod verò eſt humidum præcipuè in capillo. Hæc dicta Celſi quanquam videantur paulo diuerſa ab iis,quæ ſcripta ſunt à Paulo,Oribaſio,& Haliabbate;tamen, vt videre facilè vnuſquiſque poteſt,ſunt ferè eadem. Verùm in curatione horum ficuum inuenio, & Cornelium Celſum,& Græcos eſſe diuerſos.nam Celſus laudat elaterium, ſemen lini contritum,& aqua incoctum,aut ficum in aqua decoctam,aut emplaſtrum tetrapharmacum aceto eliquatum,terram Eretriam : quæ omnia ſunt medicamenta valde mitia.Paulus verò,& Græci videntur acriora commendaſſe : nam conſulunt vſurpanda eſſe primo alumen,florem æris,ſquamam æris,cinerem, & alia medicamenta,quæ certè videntur acriora. Sed cauſſa huius diſſimilitudinis, vt ego puto, nulla alia eſt,niſi quia Corn.Celſus ſemper benigniora medicamina amplexus eſt. Græci autem ſemper fuerunt audaciores.Sed quia à principio dixi à Galeno commendari pilulas ſuas ex aloë in expurgandis humoribus in curatione horum affectuum;primò ſciendum eſt quæ ſit compoſitio Galeni,cuius gratia facta ſit, & an rectè confecta, & ritè compoſita. Compoſitio harum pilularum,vt ipſe deſcribit primo de Compoſit.medic.ſecund.loc. eſt huiuſmodi.

R. aloës,
Scammonij an.℥. 2.
Colocynthidis ʒ.3.
Succi abſynthij ʒ.1.

miſceantur diligenter, & fiat catapotium. Finis ob quem compoſuit Galenus has pilulas,nullus alius fuit,niſi vt bilis expurgaretur principaliter;ſecundariò verò pituita.propterea appoſuit duo,quę purgant bilem,nimirum aloën,& ſcammonium. quòd enim aloë expurget bilem, habemus à Meſue; nam ea ratione damnauit vſum eius in hyeme,quia cum expurget bilem, in hyeme bilis non dominatur. ſic etiam Galenus vſum aloës damnauit in ſenibus 5.de Tuen.valet. cap.9. quia ſenes non abundant bile.quod verò colocynthis ducat pituitam, etiam clarum eſt. Itaque patet finem fuiſſe Galeni,vt bilis primò duceretur,deinde etiam pituita.Circa compoſitionem verò duo ſunt videnda, cur Galenus dicat ſe noluiſſe admiſcere maſtichem Chiam,& bdellium,quemadmodum miſcebat Quintus:ſcribit enim ſe ipſa reieciſſe,atque pollicetur ſe alibi cauſſam dicturum. Quod ad correctionem pertinet,poſſet iure dubitari, hæc medicamenta non eſſe caſtigata:quandoquidem adſunt

adſunt duæ drachmæ ſcammonij, vna colocynthidis: nihil eſſe hîc videtur quod poſſit corrigere vim & efficaciam horum medicaminum. Sed ego puto, & iure, à Galeno dimiſſa fuiſſe maſtichen & bdellium, atque tamen medicamentum correctum eſſe. Cum enim debeat educere bilem, clarum eſt, quod hoc agitur ratione acrimoniæ medicamenti, ob quam partes longinquæ, vt eſt caput, ſtimulatæ excutiunt humores bilioſos, eaptopter quia bdellium, & maſtiche ſuo lentore, & craſſitie obtundunt nimis acrimoniam horum medicaminum, ideo puto à Galeno in hoc caſu iure dimiſſa fuiſſe. Quòd poſtmodum non careat correctione, poſſumus facilè intelligere ex iis, quæ à Meſue ſcripta ſunt cap. de aloë: quo in loco ſcribit hoc medicamentum prærogatiuam quandam maximam habere ſupra alia: eo quod cætera ferè omnia labefactant ventriculum, & viſcera principalia, ſola verò aloë corroborat viſcera omnia, & præſertim ventriculum: imò ſubiungit quod poteſt aloë prauitatem aliorum medicamentorum corrigere, & caſtigare. ex quibus verbis pro comperto habetur, eſſe aloën maximum correctorium aliorum medicaminum. Igitur cum talis ſit aloë, duo in compoſitione harum pilularum pręclariſſima præſtat: primum eſt, quòd viſcera & ventriculum tuetur, quominus debeant à prauitate ſcammonij, & colocynthidis infeſtari. præterea ſua craſſitie etiam pauliſper obtundit acrimoniam ipſorum. alterum, quod præſtat, eſt, quòd cum corrigat, non tamen frangit facultatem purgatoriam aliorum, ſed potius auget; quandoquidem cum & ipſa propria facultate bilem expurget, adiuuat etiam facultatem medicaminis. atque hinc perſpicitur, cur veteres, & præſertim Arabes in omnibus ferè pilulis componendis, in quæ valida medicamenta ingrediuntur, ſemper aloën commiſcuerint. Quare intelligi poteſt, quanta ratione Galenus noſter compoſuerit has pilulas, & cur dimiſerit bdellium. & maſtichen, quæ addebat Quintus. Dices, cur in curanda alopecia & ophiaſi admiſcet ſuccum abſynthij, in curandis verò capitis vlcuſculis vult admiſceri ſuccum braſſicæ, non autem abſynthij? Reſpondeo, quòd cùm ſucci iſti admiſceantur ſolum vt poſſint medicamenta conformari & componi, non multum intereſt, hunc vel illum ſuccum eligamus. Si vlla tamen ratio aſſignari poteſt, putarem hanc eſſe, quòd braſſica habet vim aduerſus vlcera, puſtulas, & tumores; iccirco ín curandis his affectibus elegit Galenus illius ſuccum: in curanda verò alopecia & ophiaſi, cùm vitium ſit ex prauitate humorum, & hæc ex ventriculi, & iecoris vitio naſcatur, adhibuit ſuccum abſynthij, quod & ſtomachum, & iecur iuuare putatur. Sed forſan, vt dixi, Galenus nulla ratione elegit hunc, vel illum ſuccum. Sed adhuc optabit aliquis ſcire quantitatem huius medicaminis. Galenus dedit nobis menſuram, vt capiantur ſingulis vicibus vndecim catapotia, ſiue vndecim pilulæ, quæ ſint ſingulæ inſtar ciceris. Quod eſſet pondus ciceris non facilè inuenitur. Sed reperio lupinum fuiſſe tertiam partem ſcrupuli: at granum ciceris non multùm diſtat à grano lupini, imò ſunt & quædam grana, quæ ſunt eius ponderis, cuius eſt lupinus. puto igitur pondus ciceris non fuiſſe multò minus pondere lupini. Vnde ſi computemus vndecim tertias partes ſcrupuli, faciunt quatuor ſcrupulos, aut paulò minus. Itaque doſis huius erit vſque ad ſcrupulos quatuor. Sed oportebit patientis conſtitutionem & habitudinem contemplari, quoniam cum ſint magna ex parte pueri, & adoleſcentes, non poſſunt tantam quantitatem tolerare. Quare debebimus doſin minuere: nunquam tamen augere. Atque hîc tractatio de vitiis capitis finem habeat.

HIERONYMI MERCVRIALIS DE MORBIS CVTANEIS

LIBER SECVNDVS.

DE VITIIS TOTIVS CORPORIS *cutis generatim.*

CAPVT PRIMVM.

POST vitia capitis ſequuntur vitia totius corporis cutis. Appello vitia totius cutis corporis, non quòd ſemper totam cutem occupent, ſed quia in omnibus cutis partibus fieri nata ſunt. Sed quoniam multa fiunt in cute, quæ altiorem originem habent, de iis non eſt mihi habendus ſermo, ſed ſolummodo de illis, quæ videntur in ipſiſſima cute, aut paulo profundius habere ortum. Quæ verò vitia ſunt huiuſmodi, ad duo capita reduci mihi videntur, aut ad colorem ipſius cutis, aut ad aſperitatem & læuitatem. Igitur de iis primò agam, quæ colorem reſpiciunt. Secundo loco, de iis, quæ ad læuitatem & aſperitatem referuntur. Verùm quia ſunt quædam vitia in colore, quæ habent originem inteſtinam, veluti eſt color ictericorum, tam ſcilicet illorum, qui nigra, quàm qui lutea ictericia tentantur, de iis mihi agendum non eſt, expoſtulant enim proprium tractatum. Itaque circa colorem duo erunt vitia, leuce, & alphi: circa læuitatem, & aſperitatem, quatuor, impetigo ſeu lichen, pruritus, ſcabies ſeu pſora, & lepra: & quanquam ſint alij quoque affectus, qui ad aſperitatem, & læuitatem poſſunt reduci, vt ſunt tumores & apoſtemata cutis: de his tamen hoc tempore agere non eſt mihi propoſitum.

De Leuce, & Alphis.

CAPVT II.

ANTEQVAM de vitiis cutis, quæ in colore ſunt, agere incipiam, neceſſe eſt doceam, quiſnam ſit color naturalis ipſius cutis. Et quanquam videatur nullam à nobis legem huius coloris poſſe adferri: attamen duæ ſunt conditiones, quæ maximè in omnibus ferè hominibus reperiuntur, vel ſaltem in maiori

maiori parte. Prima eſt, vt color ſit miſtus ex albo & rubeo;quandoquidem Galen.1.de Temperam.capite vltim. ſcribit, cutem eſſe veluti neruum ſanguine ſuffuſum. ex quibus verbis clarè colligi poteſt, colorem naturalem cutis eſſe miſtum ex albo & rubro. Secunda conditio eſt, vt non ſit idem color in omnibus corporis partibus,ſed diuerſus, hoc eſt,vt alius ſit color genarum,alius manus, alius pedis; & ſic de ſingulis. Igitur cum color, aut erit idem in omnibus corporis partibus, aut mutatus ad albidius, aut liuidius, tunc erit vitium in cutis colore. hoc verò vitium apud Græcos duplex nomen habet; nam dicitur λεύκη, dicitur etiam ἄλφος: qui alphus duplex eſt, albus ſcilicet, & niger. Latini appellarunt hoc vitium communi quodã nomine, vitiliginem, vel à vitio,vel à vitulo,vt ait Feſtus: nam & Cornelius Celſus lib. 5. cap. vltimo complexus eſt alphos & leucen ſub nomine vitiliginis. Arabes alia nomina habuerunt; nam leucen appellarunt albaram, quam faciunt albam, & nigram; alphos verò appellarunt morphæam,quam etiam faciunt albam, & nigram. ita quòd differentia eſt inter Græcos & Arabas; quia Græci faciunt vnam ſolam leucen, Arabes verò duas:vnam, quam appellant albam; alteram verò,quam appellant nigram.Cor.Celſus differens eſt tum à Græcis, tum ab Arabibus, nam ipſe appellat alphum album ſimplici nomine alphum, alphum verò nigrum appellat non alphum, ſed μέλανα,ſed,vt dixi, omnes iſtos cõprehendit affectus ſub nomine vitiliginis, atque alios facit alphos, alios verò appellat leucas,vt Græci dicunt. Leuce, vt ſcribit Gal.3.de Symptomatum cauſſis cap. 2. & Aëtius, dicta eſt à calore albo; vt verò idem Gal.2.Methodi in princi. ſcribit dicta eſt λεύκη à populo alba, quoniã vt in illa arbore ſunt veluti quædam lanugines, ſic in iſto affectu apparet albedo in ipſa cute. Paulus Ægyneta lib. 4.cap. 5.& Ælius Promotus in ſua Medicina dixerunt, leucen nil aliud eſſe, niſi mutationem coloris cutis ad albidius factam à pituita viſcida & craſſa. Galenus verò lib. 14. methodi cap.17.dixit. leucen eſſe ex eorum morborum genere,qui fiunt ex mutatione partium ſolidarum. immo dixit mutari quoque carnem in hac affectione, fit verò huiuſmodi morbus ob errorem facultatis nutritoriæ; quando ſcilicet facultas hæc loco ſanguinis gignit pituitam, aut ſaltem ſanguinem pituitoſum, quo diu caro ipſa nutrita habitum quendam ſuſcipit, ita vt facilè omnia in albedinem conuertat, ex quo non iam caro, ſed potius alba caro dicenda eſt. nam etſi malè nutrita caro adhuc maneat;tamen valde transformatur,eo quòd pro rubra, ſemper albida erit, perinde, dicit Galenus, atque videmus locuſtas, & oſtrea ſemper alba fieri. Dices, ſi in leuce caro ita albida fit his rationibus, cur eſt, quòd hac affectione magis tentantur manus, quàm pedes? videmus enim ſemper in leuce magis manus pedibus laborare. Huic problemati ſatisfacit Alexander lib. 1. Problem.146.vbi ſcribit,idcirco pedes minus laborare leuce, quàm manus, propterea quòd cum pedes magis exerceantur, pituitoſus humor in iis magis diſcutitur, & propterea efficitur, vt caro eorum non ita afficiatur,quemadmodum manus, quæ quoniam non ita exercentur, neque ita pituitam conſumunt: hinc eſt, quòd magis leuce, quàm pedes laborant. ex his itaque omnibus perſpectum eſſe vnicuique poteſt, cauſſam materialem huius affectionis nullam aliam exiſtere, niſi pituitam viſcidam & craſſam. Diuinus Plato in Timæo ſcribit, pituitam albam in corpore noſtro duos effectus facere. ſi in cerebro retineatur, inquit, facit epilepſiam; ſi verò extra cerebrum, & per ſummum corporis ſpiramen ſuſcipiat,facit alphos & vitiliginem. Quare etiãm Plato hoc cognouit, leucen & alphos fieri à pituita albida, etſi eum locum non ſatis clarè expreſſerit Ficinus. Effectrix porrò cauſſa huius affectionis nulla alia eſt, quàm debilitas virtutis nutritoriæ,

 atque

atque hæc eſt natura,hæ ſunt cauſſæ illius ſpeciei morbi, quæ leuce à Græcis nuncupata eſt, ab Arabibus albara. Alphi autem, qui ſub nomine morphææ ab Arabibus complectuntur, habent propè eandem generationem cum leuce: niſi quod alphi nigri fiunt ab humore nigro. ſed differunt inter ſeſe alphi, & leuce. alphi inquam albi: primò, quia alphi colorem cutis immutant: & dicuntur propriè alphi ſecundum Aëtium ἀπὸ τῦ ἀλφαίνειν, quod apud veteres immutare ſignificabat. vtrique alphi tàm albi ſcilicet, quàm nigri differunt à leuce; eo quòd leuce altius mutat cutem, ita vt etiam pili commutentur (quemadmodum teſtatum habemus apud Ariſtot. 5. de generat. anim. cap. 4. qui ſimiliter 10. probl.5. dicebat ſolum hominem leuce tentari;quia habet cutem tenuiorem,& ſolus caneſcit.) alphi verò ſummam duntaxat cutem infeſtant, nec pilos permutant: quanquam & alphi, ſi vetuſtiores ſint, ſolent etiam pilos mutare, & altius ſerpere. Celſus medicus inter Latinos non minùs diligens, quàm eloquens, plures differentias nobis propoſuit, quibus dignoſcamus alphos à leuce. ait enim primò, quòd hæc omnia vitia ſerpunt, ſed in aliis magis, in aliis verò minùs. ſubiungit deinde quòd alphus albus eſt ſine vlla inſigni aſpredine, ſubaſper tamen non continuus: ſed ſunt alphi veluti quædam maculæ albæ per cutem ipſam diſperſæ: leuce verò continua eſt, & quanquam etiam alphi interdum ſint latiores, tamen hæc eſt ſumma differentia, in leuce ſemper apparet aliqua continuitas, in alphis nequaquam. Alphus niger ab alpho albo non alia ratione differt,niſi colore;ſicuti enim albus habet guttas albas ſeparatas,ita niger nigras ſeparatas.Addit præterea Celſus,quòd alphi nō habent difficillimam curationem. & adnotandum, dixiſſe Celſum, non difficillimam: quia,vt meminit Pollux, eſt affectus δυσίατος. Leuce aut nunquam, aut vix recipit curationem, imò quem ſemel complexa eſt, haud facilè dimittit. Neque quenquam dubium teneat dictū Aëtij, qui ſcripſit, in alphis apparere veluti ſquamas;quoniam verè non ſunt ſquamæ,ſed ſunt, vt ait Celſus, guttæ quædam, quæ ſquamas æmulantur. Auicenna ponit differentiam inter materiam leuces, & alphorum;vbi ſcripſit,leuces materiam eſſe craſſiorem, alphorum verò ſubtiliorem. Sed quæret aliquis, quamobrem Græci non fecerint duas leuces ſpecies, quemadmodum fecerunt Arabes. Reſpondeo, iure Græcos non feciſſe duas ſpecies; quia deduxerunt hoc nomen leuces ab albedine: iam verò abſonum eſt dicere leucen nigram, quaſi dicamus albedinem nigram. Arabes autem, qui nuncuparunt albaram,potuerunt proprio ſpiritu facere has duas ſpecies.quanquam id non eſt ignorandum,albaram nigram apud Auicennam,& Arabas non eſſe vitiliginis ſpeciem, nec vitium coloris cutis,ſed potiùs ſpeciem impetiginis excoriatiuæ, atque ipſiſſimam eſſe Græcorum lepram. Non eſt etiam hoc in loco illud ignorandum, differentiam eſſe inter leucen, & leucophlegmatiam, quia leucophlegmatia, vt docet Gal.5.de locis affect. & 3.de Sympt. cauſſis, eſt ſpecies hydropis,in qua totus ferè corporis ſanguis pituitoſus redditur,atque vniuerſum corporis ambitum occupat, aliàs à Græcis appellata ἀνάσαρκα. eſt etiam alia leucophlegmatia, de qua loquitur Galen. 3. Epid. commen. 3. text. 70. quo in loco ſcribit leucophlegmatiam eſſe morbum quendam, in quo caro fit mollis, ſubtumida, alba. Vnde apparet quòd non eſt eadem quæ leuce: quia in leuce non adeſt caro ſubtumida, ſed vel complanata, vel depreſſa. Cauſſæ antecedentes leuces, & alphorum plurimæ ſunt, & primò tempus anni, de quo dicebat Hippocrates 3. Aphoriſmorum 20. quod verè fiunt vitiligines & leucæ. & ratio huius eſt, quia tēpore aëris humores in corpore agitantur. vnde fit, vt à natura ad extimas partes demandetur humor, qui poſtea cuti infixus faciat modò vitiligines, modò leucen.

Regio

Regio quoque videtur eſſe inter cauſas antecedentes huius affectionis; nam habetur apud Plutarchum 3.Sympoſ.5. Barbaras gentes, & Iudæos leuce maximè exerceri. Habemus etiam Æſchinis epiſtolam, vbi refert, ſe apud Delios vidiſſe hunc morbum vitiliginis albæ in incolas ferè omnes graſſatum. Addit Seneca lib. 3. Natur. quæſt. cap.25.quaſdam aquas ſcabiem afferre corporibus,quaſdam vitiliginem, & fœdam ex albo varietatem, ſiue infuſa, ſiue pota ſit, idque vitium habere aquam ex rore collectam. Vbi animaduertendum deprauatè, & mendosè legi, & fœdam ex albo varietatem, cum ſit legendum,ex alpho.hæc enim lectio clarum habet ſenſum. Sexus & ætas ſimiliter ad huius morbi generationem concurrunt;quando traditum habemus ab Ariſt.10.Probl.4.pueros,& mulieres minus pati leucen,quàm viros, & inter mulieres vetulas magis. Cauſſamq; addit:quia eſt ſpiritus exitus: puerorum verò corpora cum ſint denſiora, non perſpirant. ſimiliter & mulieres rarius his infeſtantur:vtpote quarum corpora ob menſtruas purgationes leuia ſunt & denſa: ſicut vetularum rariora corpora, ac inſtar antiquorum ædificiorum magis hiantia ſæpe tentantur. Auenzoar ſcribit ex exercitatione immodica, & frequenti fieri morphæam albam, nigram verò quando aliquis poſt balnea ſeſe non defricat. Importuna quoque cucurbitularum appoſitio ſolet hanc affectionem cauſſare,quemadmodum habemus apud Auicennam; quia ſicut cucurbitulæ trahunt ſanguinem ad cutem, pariter trahunt pituitam, quæ ſi ob viſciditatem detineatur intra cutem,ſolet facere alphos & leucen.Debilitas quoque lienis eſt vna ex cauſſis facientibus alphos nigros, ſicut explicatum eſt à Galen. in fine librorum de Cauſſis ſymptomatum: quandoquidem viſcus illud cum nequeat trahere humorem melancholicum à corporis ambitu,ille retentus facit huiuſmodi affectionem. Habitus quoque corporis eſt ex cauſſis antecedentibus leuces,& alphorum. Dicebat enim Rhaſes 25.Continentis ſe vidiſſe corpora muſculoſa, & latas venas habentia huiuſmodi morbis ſubiici. Atque hoc etiam probauit auctoritate ipſius Galeni.Sunt etiam quidam morbi lethaliſſimi,qui ſolent hos affectus in corporibus hominum facere, veluti eſt tabes, id quod relatum eſt à diuino Hippocrate in fine ſecundi libri Prorrhet. Sed percunctabitur à me aliquis, nunquid hæc affectio fieri poſſit per contagionem?etenim affectus cutanei videntur ferè omnes contagio comparari poſſe. Alexand.2. lib. Probl. 42.ſcripſit vitiliginem nullo modo fieri poſſe per contagionem, & rationem affert; quia pituita cum ſit viſcida,& craſſa,quæ facit hunc morbum, non facilè poteſt communicari de cute ad aliam cutem.Sed & alia ratio addi poteſt; quòd ſcilicet hic morbus ſit ab humore frigido & viſcido, à quo nullæ fiunt eua[illegible]rationes, nullæ exhalationes: ob quod ſit etiam, vt opera & medio euaporati[illegible]num non poſſit iſte morbus communicari. ita quòd clarum eſt, inter morbos cutaneos hunc præcipuum eſſe, qui nulla contagione comparari poſſit. Hæreditariam tamen interdum eſſe vitiliginem albam,ſcripſit Auic ſecunda primi, Doct. 1.in fine.Signa alphorum nigrorum ſatis clara ſunt;quia ſunt maculæ quædã nigræ diſtinctæ, ſine vlla aſpredine; ſine excoriatione,ſine dolore,ac tãdem ſine febre. Signa verò alphorum alborum, & leuces non ita clara ſunt,ſed egent aliqua diſtinctione.Nam in leuce,vt dictum eſt,ſunt maculæ quædam albæ. ſed ita ſunt continuatæ, vt ſeſe in omnibus ferè locis contingant, atque inuicem copulentur. præterea quoque pili albi ſunt. In alphis verò albis maculæ ſunt quidem albæ; ſed ſeparatæ ab inuicem, nec pili albi ſunt. ratio huius eſt; quoniam affectio hæc non ita intimam cutem exercet, vt in leuce. Addit Auicen. ex Græcis ſcriptoribus aliud ſignum diſtinctiuum, quòd in alphis, ſi expungatur cutis, exit ſanguis: in leuce verò

aliquando non exit ſanguis,ſed potius quædam materia alba. Præterea, inquit, in leuce non eſt depreſſa caro, cum non eſt infecta:at vbi maculæ ſunt, apparet caro illa magis depreſſa,& cauata.Ex quo facilè perſpici poteſt, morbum illum Delio-rum,quem Æſchines in epiſtolis Græcis deſcripſit, non eſſe veram vitiliginem, ſicut etiam in noſtris Variis lectionibus fuſius adnotauimus: quoniam, etſi, vt ipſe refert, haberent illi populi maculas albas in facie,& etiam pilos albos: tamen colla tumida,ac pectora habebant, ſimiliter & aliquem dolorem percipiebant. Ita vt clarum ſit neque alphos albos fuiſſe, neque vitiliginem;ſed potius eam leu-ces ſpeciem, quam ex Galeno ſupra deſcripſimus. Tandem omnis vitiligo hoc cō-mune habet, quod à Lucilio apud Feſtum eſt expreſſum,vt ſit fœda,ſed non odio-ſa. Prognoſtica ſunt;primò,quòd Cor. Celſ. dicit hanc affectionem non eſſe peri-loſam ex ſe, ſed ſolummodò fœdam,atque ex malo corporis habitu proficiſci. Ce-terùm contra Cor. Celſi ſententiam aliquæ videntur eſſe Græcorum auctoritates; Nam Paulus inquit, quòd ſi in leuce cutis ſumma pertundatur, atque ex illa non emanet ſanguis, ſed humor albus, affectio illa incurabilis,ac deſperata eſt; vt non ſine periculo hunc affectum facere videatur. Aëtius quoque ſcribit, quòd ſi loci piloſi in hac affectione glabri reddantur, leuce incurabilis eſt. Serapion ſimiliter, & Auicenna Paulum ſequuti dicunt, quòd ſi leuce magnum ſpatium occupaue-rit, & in dies augeatur, vel incurabilis eſt,vel ſaltem curatu difficilis. Quare vide-tur eſſe contradictio inter Celſum & Græcos ſcriptores. Verùm ſi res rectè exa-minetur, nulla eſt. Corn. enim Celſus loquutus eſt de periculo vitæ, quaſi dicere voluerit, hunc affectum non inferre mortem. Græci verò non dixerunt, quod inferant hæ affectiones mortem; ſed quòd diuturnæ ſunt, ac ita difficulter ſuperantur, vt ægri vix ad priſtinam redeant valetudinem. Fuere qui Plato-nis in Timæo auctoritate adducti, qualis Apuleius in prima pro ſe Oratione, dixerint,quòd qui leuce,aut alphis laborant,non capiuntur epilepſia. Sed multum abeſt, vt Plato hoc dixerit. Duæ hîc ſoluendæ ſunt dubitationes, antequam cura-tionem aggrediamur. Vna eſt, an vitiligo, quemadmodum fit ab humore pituito-ſo;ita etiam à bile, & à ſanguine fieri poſſit. Hanc dubitationem propterea moui, quoniam Nicolaus Florentinus fuit huius ſententiæ, quòd poſſit etiam à bile & à ſanguine fieri: hoc verò inquit à nullo medicorum fuiſſe memoriæ proditum: quoniam hæc affectio rarò fit ab alio humore, quàm à pituita. Altera dubitatio eſt, an vitiligo, & alphi morbi ſint, an verò ſymptomata. Quòd ſint morbi vide-tur primò Galenus clarè dixiſſe lib.14. Methodi cap.17. quo in loco reponit vitili-ginem, & alphos inter eos morbos, qui efficiuntur ex mutatione partium ſolida-darum. Videtur etiam eſſe Platonis ſententia in Timæo, vbi ſcribit, quòd pituita ſi extra corpus ſpiramen accipiat,variis coloribus corpus pingit, & vitiliginem in-dúcit,& ſubiungit, facere etiam alios eius generis morbos, quaſi manifeſtè velit eſſe morbos. Neque hac in re contemnenda eſt Platonis ſententia; quoniam Ga-lenus libro contra Iulianum cap.4.citans hanc Plationis ſententiam, inquit ipſum in hoc ſequutum fuiſſe Hippocratem. Ex altera parte eſt Galeni auctoritas, qui libro de Differen. ſymptom. cap. 5. enumerat vitiliginem inter ea ſymptomata, quæ inter qualitates mutatas reponuntur,hoc eſt, inter colores mutatos.eſt etiam ratio in hanc partem; quia huiuſmodi affectiones primò & per ſe operationes non lædunt. Itaque non debent vllo pacto morbi appellari. Ad primam dubita-nem reſolutè reſpondendum eſt, neque vitiliginem, neque alphos fieri poſſe ex ſanguine, aut ex flaua bile. Ex ſanguine quidem fieri non poſſunt; quoniam, vt habemus ex Galeno locis citatis, huiuſmodi affectiones fiunt ob vitium altera-

tricis facultatis: vbi verò in corpore ſanguis eſt optimus, ita vt nec bilem, nec pituitam referat, ſed ſit merus, nulla apparet nota vitiatæ alteratricis facultatis, propterea neque dicere poſſumus, quòd fiat à ſanguine. Quòd ſi quis dicat, poſſe latè per ſummam cutem diffundi ſanguinem, atque ita maculis ſanguineis corpus inficere, quæ ſint aut diſparatæ, aut continuæ; reſpondebo, id quidem fieri poſſe, veruntamen hanc affectionem non eſſe appellandam, nec vitiliginem, neque alphos, quoniam character eſſentialis harum affectionum eſt, vt in ipſis vitietur facultas alteratrix, quemadmodum teſtatus eſt Galenus libro de Sympt. cauſſis cap. 2. & lib. de Different. ſympt. cap. 5. & Auicenna libr. 4. fen. 7. tract. 2. Quòd etiam fieri nequeat vitiligo à bile, facilè probari poteſt; quoniam ex Galeni ſententia locis citatis, fiunt vitiligines & alphi ob frigiditatem; vbi verò bilis abundat, tantum abeſt, vt adſit frigiditas, vt nimius calor exſuperet. Præterea ſi bilis mutet colorem cutis, vel faciet eriſipelas, vel pruritum, vel alium affectum vlceroſum. Vnde non poteſt vlla ratione comprobari, quòd à bile effuſa per cutem fiat vllo modo vitiligo. Ad ſecundam dubitationem reſpondendum eſt, has affectiones eſſe ſymptomata, non autem morbos veros, vt docet Galen. lib. de Differ. ſymptom. capite 5. ratio eſt; quoniam hæc mutatio coloris ex ſe nunquam lædit operationes, & propterea morbus iure dici non poteſt, & quanquam aliqui fuerint, qui putarunt ſenſum tactus in hac affectione lædi; dico tamen, quod vel non læditur, vel ſi vnquam lædatur, id eſt ratione non coloris mutati, ſed potiùs intemperiei frigidæ, ad quam tamquam ad morbum proprium reducuntur hæc ſymptomata. Quòd verò in his affectionibus adſit intemperies frigida, colligitur ex longo diſcurſu, quem fecit Galenus 3. libro de Symptom. cauſſis capite 2. vbi probat ex ſententia Ariſtotelis, membra nutrita permutari quod ad colorem pertinet, ex nutrimentis ipſis: ac exemplum proponens de leuce, inquit hanc affectionem fieri ex frequenti materiæ pituitoſæ ad carnem ipſam affluxu: quo quidem caro mutatur, in qua mutatione cum ſit pituitoſa effecta, conſequenter etiam frigidior redditur, quàm eius naturæ conueniat. Ergo ſi caro permutatur hac ratione, profectò conſentaneum eſt etiam vt mutetur ipſa vis alteratrix; quandoquidem alteratió fit ope caloris natiui, quo permutato & imminuto, operatio quoque alteratrix imminuatur neceſſe eſt. Dices, quomodo in hac affectione alteratrix facultas vitiatur? Galenus enim lib. de Naturalib. facultatibus capite 11. ſcribit, in vitiligine & alphis permutari facultatem adſimilatricem, quòd ſi vitiatur adſimilatrix, non ergo alteratrix. Reſpondeo, quòd vitiatur ſimul & adſimilatrix, & alteratrix; quia etſi iecur bonum ſanguinem gignat, iſque diſtribuatur, & adponatur, tamen non poteſt poſtmodum adſimilari; quoniam cùm adſimilatio fiat opera alteratricis facultatis, hac vitiata, conſequenter & adſimilatrix vitiatur. Quapropter non eſt contradictio vlla in verbis Galeni; quoniam adſimilatrix non vitiatur, niſi alteratrix vitietur. De alpho nigro eſt quæſtio, quomodo fiat, an ſcilicet ab intemperie calida vrente, an verò à frigida & ſicca. Puto ego veritatem hanc eſſe, quòd fiat etiam ab intemperie frigida, duabus rationibus: primò, quia dicunt omnes eſſe eundem generationis modum alphorum nigrorum & leuces. Secundò, quoniam alphi nigri fiunt à melancholia naturali diſperſa per cutim, quam melancholiam ſatis conſtat frigidam, & ſiccam eſſe. Porrò ad Gal. & Platonis auctoritatem reſpondeo, quòd vbi iſti viri appellarunt vitiliginem & alphos, morbos. vſi ſunt nomine morbi communiter ſumpto, prout ſcilicet complectitur omnes affectiones præter naturam, non autem propriè, quatenus eſt diſpoſitio immediatè lædens operationes. hac enim ratione Galenus

14. Methodi appellat ophiaſin & alopeciam morbos. Curationum duo ſunt ſcopi præcipui (loquor de alphis albis, & leuce: horum enim communis eſt curatio.) vnus eſt, vt intemperies frigida habitus extimi corporis auferatur: alter verò, vt ſymptoma illud, nimirum mutatus color, aboleatur, & quia hoc ſymptoma dependet à morbo, ſcilicet ab intemperie, prius vt hæc extinguatur omne ſtudium eſt adhibendum; quæ quoniam ab humoribus ipſis fouetur, eapropter hi primum è corpore ſunt educendi, ſed quia non ſufficit humores pituitoſos præſentes exinanire, niſi quoque prohibeatur ne noui gignantur, erit primò. victus inſtituendus, qui humorum pituitoſorum generationem prohibeat. Sed quæreret aliquis, an diligentia ſit neceſſaria in victu inſtituendo, & in euacuationibus; nam Græci nullius horum meminiſſe videntur. Dico, neceſſariam eſſe diligentiam, Græcos verò nullam mentionem feciſſe; quoniam hæc omnia facienda eſſe ſuppoſuerunt; propterea quod perpetuum eſt & conſtans medicorum præceptum, vt medicaméta localia fortia, cuiuſmodi ea ſunt quæ in vitiligine curanda adminiſtrantur, nunquam in vſum trahantur, niſi victu prius rectè inſtituto, ac euacuato vniuerſo corpore. Vnde Arabes, qui diligentiores fuerunt in curationibus inſtituendis, quàm Græci, meminere & victus, & euacuationis, & etiam fusè omnia neceſſaria tradiderunt. Aër igitur primò debet eſſe calidus & ſiccus, qui niſi ſponte habeatur, erit arte parandus. nam facile eſt videre aërem huiuſmodi eſſe vtilem in hoc caſu; quoniam qui habitant plagas orientales ac calidas, nunquam vitiligine capiuntur. ſomnus & vigiliæ debent eſſe moderata: & potius plus dormiendum, quàm vigilandum; quoniam, vt ſcriptum eſt à Galeno 4. de Sanitate tuenda, nihil eſt, quod perinde ſuccos crudos coquat, atque ſomnus: & cum in his affectionibus adſit eorum copia, videtur requiri vt ſomnus procuretur. Motus omnis & exercitatio opportunè facta mirificè confert in his affectibus; quandoquidem ex iis incaleſcunt membra tam externa, quàm interna: cuius caloris ope poſtmodum facilè habitus frigidus deponitur, & calidus aſſumitur. Triſtitia & mœrores fugiantur. Veneris vſus quoque damnatur. & quanquam Rhaſes videatur non omnino ipſum negare, præſertim ſi fiat ſtomacho vacuo, quod etiam Auicenna confirmauit, tamen præſtat ab ipſo abſtinere; propterea quod rarò contingit, quin ex hoc vſu calor natiuus hebetetur, & membra frigidiora reddantur. Vomitus interdum poſt cibum factus maximè confert, vt Serapion adnotauit: quoniam ex illo euacuantur humores crudi in ventriculo exiſtentes, & qui poſtmodum per meſeraicas venas in iecur, inde in habitum corporis demandati non modò augere has affectiones, ſed etiam nouas facere conſueuerunt. Circa cibum, & potum maxima eſt diligentia adhibenda; nam docuit Ariſtoteles 5. de Generat. animal. cap. 5. & 6. quod confirmauit Galenus 5. de Sympt. cauſ. cap. 2. colores animalium facilè permutari ex permutatione ciborum, & potiſſimum potus. Nam fertur multas eſſe aquas & varias, quas ſi pecora potent, modò pilos rubros, modò nigriores, modò albos faciunt. Aquæ potus in his affectibus inutilis eſſe ſolet & nocuus. immò Paulus & Auicenna commendarunt potum vini veteris, potentis & generoſi. Cibi omnes frigidi ac humidi vitandi, vt piſces omnes, omnia olera, & præſertim frigidiora, frumentacea, ac omnia pultacea, atque omnia tandem, quæ apta ſunt pituitoſos & frigidos ſuccos facere, Prohibet Paulus vnctuoſa, quod ab ipſo eò factum puto, quia hæc ſolent corpus humidius facere: nam ſubdit, ſicco victu vtendum eſſe. Itaque rectè Auenzoar præ cæteris carnes turturum laudauit, tanquam èxſiccantes, & carnes omnium auicularum montanarum, pullos paruos aſſatos, perdices, & omnia quæ exſiccare & ſuccos pro-

bos

bos ac tenues gignere apta ſunt. Rhaſes monuit vitanda eſſe omnia dulcia atque acetoſa. Sed quod maximè vitare debent, qui ſunt his affectionibus obnoxij, eſt caro ſuilla: à qua legitur apud Plutarchum 4. Sympoſ. 5. barbaros ac Iudæos ideo abſtinere, quoniam obnoxij ſunt huic affectioni, quam maximè abhorrent. atque huius indicium eſt, quod & ſues hac affectione infeſtari ſolent. Inſtituto victu poſtmodum neceſſarium eſt, vt qui peccant in hac ægritudine,humores exactè præparentur, qui quoniam frigidi ſunt & craſſi, incidentibus, calefacientibus & abſtergentibus pharmacis erunt præparandi, cuiuſmodi eſt ſyrupus byzantinus, mel roſatum, ſyr. de duabus radicibus, de quinque radicibus, oximel ſimplex & etiam compoſitum, ſyr. de betonica, ex quibus poterunt vnà cum decoctis accommodatis parari ea ſerapia, quæ poſſint hos humores præparare. Poſtquam verò præparati fuerint, erunt deinceps expurgandi iis nimirum pharmacis, quæ pituitoſos præſertim humores è corpore educunt; inter quæ ea ſunt præcipua, quæ componuntur ex agarico, ex turbith, ex hiera, colocynthide, & tandem ex iis omnibus, quæ pituitam educere nata ſunt. quo in caſu etiam ea quæ maximè prouocant vrinam commendantur. Notat Rhaſes, & prudenter, hac in ægritudine medicamenta purgantia non eſſe admodum neceſſaria.& ratio eſt:quia materia huius morbi continetur in cutis ambitu:inde verò difficulter poteſt pharmacis educi, quandoquidem nulla ſunt medicamenta, quæ poſſint humores decumbentes in ipſa cute ad ventrem trahere, & expellere.& certè mihi irridendi videntur nonnulli,qui,ſi quando videant in extrema cute humores,timent,ne pharmacis datis illi intro trahantur. hac ratione puto ego impulſos Græcos ſcriptores nullam mentionem feciſſe pharmacorum purgantium in hac ægritudine curanda: & Auicenna iure etiam hac ratione præcepit, nulla medicamenta eſſe ſumenda, niſi praui humores in corporis ipſius intimis partib.lateant:quaſi & hic cognouerit, non eſſe vſum medicamentorum neceſſarium, niſi humores ſint in intimis corporis partibus. Poſt purgationem deueniendum eſt ad localia medicamenta, quæ cuti ipſi adponuntur.circa quod negotium,vt docet Paulus Ægyneta,diuerſæ fuerunt ſententiæ. alij voluerunt eſſe cutem ipſam vrendam igne;alij in ea ſententia fuerunt, vt non igne, ſed medicamentis cauſticis hoc ageretur; alij timentes ignem,& medicamenta,exiſtimarunt cutem ipſam eſſe pigmentis & fucis coloradam.Sed potior medicina in hoc caſu eſt, vt medicamentis res agatur, quæ poſſint abſtergere, diſſecare, atque etiam diſſoluere. Hippoc. ſectione 5. ſecundi Epidem. videtur commendaſſe calcem cum aqua. Sed iſte vſus fuit antiquorum, qui paullò audaciores ſemper fuerunt in medicamentis adminiſtrandis, quàm poſteriores. Debent itaque in leuce, & alphis albis eſſe medicamenta abſtergentia, incidentia, & diſſoluentia. Sed hoc intereſt: quia in leuce magis penetrare debent, quàm in alphis albis; quia in leuce humores intimius latent, ideo opus habent medicamentis magis penetrantibus. Sunt autem medicamenta, quæ accommodantur, diuerſorum generum: alia ſunt, quæ fortiter abſtergunt tantum, nec multum diſſoluunt, vt ſtaphiſagria, lupini, ſpuma maris, radix capparorum, folia ficuum arida; à Galeno commendantur in hoc genere amygdalæ amaræ aceto maceratæ. aliqua ſunt medicamenta, quæ magis diſſoluunt, veluti eſt elleborus vterque, nigella, condiſi, ſulphur, laureola, pirethrum, piper, caſtoreum, radix cucumeris aſinini, cepæ, narciſci. Oribaſius commendauit etiam ſtercus ſturnorum, qui oriza ſola nutriti ſint. Et hæc eſt claſſis eorum medicamentorum, quæ magis diſſoluunt, & materiam attenuant. Sunt & alia, quæ non modò diſſoluunt valenter, verùm etiam ſanguinem ad cutem attrahunt,

cuiuſmodi

cuiuſmodi ſunt dropaciſmi vocati, nitrum, aphronitrum, adarce, alcyonij genera, atque etiam auripigmentum. Cornelius Celſus laudauit ſulphur, thus, & lenticulam aceto macerata. Rhaſes quoque commendauit ſolatrum ſilueſtre. hæc igitur ſunt omnia medicamenta, quæ prout vſus poſtulabit, erunt loco affecto applicanda: vt ſcilicet in principio adhibeantur abſtergentia ſola: quibus non proficientibus, adhibeantur ea, quæ valentius diſſoluunt, & diſſecant; quòd ſi neque his malum cedat, erit tandem deueniendum ad ea, quæ valentius diſſoluunt, & ſanguinem attrahunt, quæ omnia applicantur vel in formam emplaſtri, vel puluerizata, & adfricata. Sed circa applicationem horum medicamentorum tria neceſſariò ſunt obſeruanda. primum eſt, vt antequam applicetur remedium vllum, exploretur, an affectus ſit curabilis necne. fit verò experientia ex perforatione, exempli gratia, ſi acu perforetur locus affectus, & videatur quænam materia à foramine emanat. ſi humor emanans fuerit lacteus, nullus eſt medicinæ locus; quia affectus incurabilis eſt: ſi verò exeat ſanguis, morbus medicinam recipit, & tunc ſatagendum vt medicamenta idonea applicentur.applicantur verò,ſi alterum duorum primò ſeruetur, vel vt pars affecta optimè fricetur, aut pannis aſperis, aut foliis ficus aridis: vel ſi loco frictionum pluribus in locis pars affecta ſcarificetur. ſic enim maior præparatur introitus medicamentis, vnde poſtmodum efficacius operantur. Auiccenna monuit, vt medicamenta hæc applicentur ad ſolem, eo quòd videret ſic ea magis actuari, & penetrare. Secundum obſeruandum eſt, vt poſtquam quis expertus fuerit omne medicamentorum genus, non formidet deuenire ad medicamenta rubificantia & veſicatoria, quia aliis non proficientibus ſolent huiuſmodi prodeſſe. Ex rubificantibus medicamentis & veſicatoriis præcipua ſunt hæc, anacardus, thapſia, cantharides, arſenicum, lac ficus, ſinapi, euphorbium, lac thytimallorum, calx viua, & calcanthum, quæ ſi non conferant, nihil aliud ſupereſt, niſi deuenire ad ignem ipſum. Sed circa applicationem ipſius Nicolaus Florentinus medicus illuſtris voluit eſſe in parte ipſa cocturam faciendam: atque ad hoc adſtruendum vſus eſt Pauli teſtimonio, quaſi Paulus dixerit plurimos huiuſmodi coctura fuiſſe ſanatos. Sed hoc conſilium mihi placere non poteſt; quia ex coctura inducitur turpis cicatrix. inducere verò turpem cicatricem, vt malus color auferatur, non mihi videtur eſſe curare, ſed potius ex vno morbo in deteriorem labi. Neque etiam Pauli ſententia hæc eſt, quanquam interpretes Latini malè tranſtulerint: nam dicit Paulus, aliquos laudaſſe incenſionem; & ego etiam laudo vt incendatur locus, ſed ita modicè vt fugiatur omne fœdæ cicatricis inducendæ periculum. Tertium obſeruandum eſt præceptum allatum ab Auenzoar, videlicet vt quando medicamenta localia applicantur, etiam detur opera, vt iecur corroboretur, atque impinguetur. quo in caſu adhibenda erunt tum intus, tum extra ea omnia, quæ & impinguare, & attemperare, atque iecur corroborare queant. nonnulla ad hoc medicamenta docuit Auenzoar, quæ licet apud ipſum videre. Nos habemus confectionem diarhodum Abbatis, quæ præſtantiſſima eſt in hoc viſcere confirmando, & corroborando. Sunt præter albos alphos, & leucen,alphi nigri, qui tametſi aliquo pacto communem cum aliis habeant curationem;habent tamen magna ex parte peculiarem, & primò quoad victum videtur Auicennæ, & aliis Arabibus debere eſſe eum humectatorium. vnde maximè balnea aquæ dulcis commendantur, ſimiliter alij cibi, qui poſſunt humectare corpus. vinum tenue, & aqua copioſa temperatum laudatur. Commendauit Auenzoar turtures, pullos, carnes hœdinas. ab omni oleo abſtinendum eſt, ſolo amygdalarum dulcium oleo vtendum. de euacuationibus

in hoc

in hoc morbo plura locuti ſunt Arabes medici, quia materia in hoc morbo magis intima eſt:& propterea magis expoſita eſt medicamentis euacuatoriis. Auicenna fuit huius ſententiæ, quòd in curandis alphis nigris ſit inchoandum à venæ ſectione, eo quòd hic morbus fiat ab humore melancholico, & ſæpe contingat humores hunc morbum facientes eſſe ſanguini commiſtos. itaque & ego probo, vt ſi notæ aliquæ ſanguinis adfuerint, ſumatur initium curationis à ſanguinis miſſione. deinde erunt præparandi humores iis medicamentis, quæ humores hos præparare poſſunt, cuiuſmodi eſt ſyr. de lupulis, de ſucco boraginis, fumiterræ, ſyr. de pomis, ſyrup. ſaporregis: ex quibus cum decoctis accommodatis poſſunt parari ſerapia. Præparati humores ſunt euacuandi iis medicamentis, quæ melancholicos humores educere putantur. inter quæ primum locum tenere videtur epithymus, polypodium, mirobalani nigri, pilulæ de lapile lazuli, elleborus niger, hiera Rufi,& Logodioni. poſt euacuationem duo erunt agenda. vnum, vt lien corroboretur: quandoquidem rariſſimè contingit, vt hic morbus ſine vitio ipſius ſit: alterum eſt, vt poſt corroboratum lienem immediatè ad medicamenta localia deueniatur, quo in caſu, quemadmodum dictum eſt in aliis, primò tentanda ſunt medicamenta abſtergentia. ſecundo loco diſſecantia, & diſſoluentia. tertio ſanguinem attrahentia. & poſtremo ipſa veſicantia, cuiuſmodi ſunt gummi, ruta agreſtis, ſinapi, lac tithymallorum, & omnia illa, quæ ſuperiùs diximus rubificare, & veſicam inducere, circa quorum vſum etiam nonnulla alia ſunt animaduertenda. vnum eſt, quòd duo ſunt modi, quibus in hoc caſu veſicantia applicantur. vnus eſt, vt detineantur medicamenta in parte affecta, quouſque cutis ipſa vratur & abſcedat: qua iam ſeparata ſiſtitur paulatim, quouſque pars illa videatur recreata. deinceps iterum adhibentur veſicantia, atque hoc efficitur pluribus vicibus. alter modus applicandi eſt, vt veſicantia ſolummodo detineantur in parte affecta, quouſque mordicationem aliquam inducant. inducta mordicatione auferuntur medicamenta, & ſiſtitur donec omnis mordicatio ceſſauerit. iterum applicantur veſicantia,& detinentur vſque ad ſenſum mordicationis, denuò auferuntur, atque ita ſæpiùs efficitur. hic poſtremus modus mihi ſemper magis probatus eſt duabus rationibus: vna eſt, quia leuiter attrahitur ſanguis ad partem affectam, tum nullum periculum imminet, vt pars à cicatrice deturpetur, quemadmodum periculum eſt in primo modo. quia interdum ita abſcedit cutis, vt poſtmodum cicatrix remaneat. alterum animaduertendum eſt, quòd poſt vſum veſicantium medicamentorum ſemper pars lacte eſt madefacienda; eo quia ab iis medicamentis relinquuntur quædam veſtigia caloris præternaturalis, quæ poſtmodum vſu lactis tolluntur.

De pruritu.

CAPVT III.

Poſt vitia cutis coloris, ſequuntur illa, quæ fiunt in eiuſdem cutis læuore, de quibus me tractaturum pollicitus ſum. Sunt verò affectus qui fiunt in læuore cutis quatuor, de quibus agendum eſt nobis, pruritus, ſcabies ſeu pſora, lepra, lichenes ſeu impetigines; nam iſti omnes affectus fiunt quodam pacto cum prurigine, ſed, vt præclarè notatum eſt ab Auenzoar, differt medicamentum pruritum faciens, & medicamentum veſicatorium: quia quæ faciunt pruritum,

pruritum, altius penetrant: quæ verò veſicam inducunt, ſummam cutem ſolummodo videntur depopulari. & quanquam affectus enumerati videantur fieri cum prurigine, tamen peculiaris tractatio nobis eſt habenda de Pruritu,à quo initium ſumemus: eo quia hic affectus videtur fieri ante alios, & ſæpiſſimè degenerat in ipſos.Dicitur hic affectus à Græcis medicis κνισμός. Hippocrates duobus in locis appellauit ξυσμὸν. 3. Aphoriſm. vlt. & 5.Epidem. non longè à principio: vbi narrat de quodam Athenienſi, qui cum laboraret pruritu, balneo curatus eſt, ſed poſtea interiit. Hanc vocem ξυσμὸς Erotianus in libro de vocibus Hippocratis adnotauit tanquam vocem ſoli Hippocrati vſurpatam. Eſt verò pruritus duplex, alter leuis, & qui ſola ſcalpellatione curatur: alter verò grauior eſt, & qui aliis remediis, quàm ſcalpellatione indiget. de primo non eſt ſermo nobis habendus: quia non eſt difficilis curationis, imò facillimæ, ſed ſolummodò de grauiore pruritu ſermonem habebimus.Oportet tamen ante alia hic adnotare, quod omnes illi affectus, quibus iungitur pruritus, differentes ſunt ab hoc pruritu; quia in illis vel tumor, vel exulceratio, vel excoriatio aliqua apparet,in pruritu nihil horum. Videntur carnes parum mutatæ,aſperiores quidem aliquo pacto, ſed ſine tumore inſigni, exulceratione, & excoriatione. præterea in aliis affectibus, qui iunctum habent pruritum, à cute ſemper emanat aliqua ſanies: in pruritu nihil emanat, niſi, vt ait Auicenna, quædam corpora furfuracea, atque neque hæc emanant, niſi cutis vnguibus dilanietur. Definierunt alij pruritum,eſſe malam ſenſationem, quæ inducit ad ſcalpendum ex ſolutione continui inducta loco à materia prurien-te abſque loci tumore. Sed dices, ſi pruritus is eſt, quem deſcribunt iſti: ergo ſequetur, dolorem pruriginoſum & vlceroſum non eſſe differentes, cuius tamen contrarium habetur à Galen. 2. de locis affectis cap. 7. vbi inter ipſos manifeſtam differentiam ponit. dico diuerſos eſſe hos dolores: quia in pruitu tametſi adſit ſolutio continuitatis: eſt tamen hæc ſolutio, quæ dolorem facit intra cutem, dicit enim Auicenna, quòd materia inter duas cutes continetur, in vlceroſo dolore materia non continetur intra cutem, neque facit internam ſolum continui ſolutionem, ſed ipſam cutem perforat; atque ita dolorem vlceroſum facit. Ratio verò cur in pruritu non vlceretur cutis, eſt, quia cutis ipſa eſt durior, & propterea tranſitum non permittit humoribus, ſed illi intus cohibiti diuellunt partes, atque ita diuellendo ſolutionem continui pariunt, & conſequenter dolorem inducunt. Habemus ergo ex hoc diſcurſu pruritum eſſe ſymptoma quoddam in genere actionis læſæ ipſius tactus, non quidem omnifariam læſæ, ſed deprauatæ, atque hoc docuit Galenus libro de Differentiis ſymptomatum cap. 3. Et quoniam quodlibet ſymptoma reducitur ad aliquem morbum, hoc etiam reducitur ad duos morbos: ad morbum in numero; quia abundant humores qui non debe-rent: & ad morbum in ſoluta vnitate. Sed obiiciet aliquis, me non rectè appel-laſſe pruritum, dolorem, quia, vt dicebat Plato in Philebo, pruritus inducit voluptatem: & Socrates in Phædone Platonis dum ſcalperet crura, quæ fuerant occupata compedibus, dixit, ſe nunquàm percepiſſe maiorem voluptatem. Reſpondeo, quod, tametſi in pruritu appareat aliqua voluptas, non eſt de ratione pruritus, ſed ſcalpellationis & occupationis. nam ante ſcalpellationem adeſt dolor manifeſtiſſimus: quia materia illa, vt diximus, contenta intra cutem diuellit, diſſoluit continuum, & neceſſariò dolorem inducit, in ſcapellatione videtur fieri voluptas: quia euacuatur materia dolorifica, quemadmodum percipitur voluptas in aliis euacuationibus. in ſcalpellatione apparet maior voluptas; quia ea euacuatio fit ſubitò, & per plures partes: vnde voluptas eſt ratione euacuationis,

nis, non pruritus. poſt ſcalpellationem in pruritu apparet etiam dolor maximus duabus rationibus: vna, quia ex motu illo, & affricatione attrahuntur noui humores ad locum, qui tracti diſtendunt partes illas, & diuidendo dolorem faciunt: altera, quoniam ex illo affricatu humores, qui faciebant pruritum, magis inflammantur, ob quam inflammationem fit, vt pars dulcior tantùm exhalet, remaneat duntaxat acrior, quæ poſtmodum facit ex ſua expulſione dolorem, & etiam pruritum maiorem. nam puto vnumquemque interdum hoc eſſe expertum, quod poſt ſcalpellationem ſemper maior pruritus excitatur. qua etiam ratione efficitur, vt poſt pruritum ſæpiſſimè ſequatur ſcabies: eo ſcilicet, quod dum ſcalpunt, magis acutus fit humor, qui poſtmodum vlcerat. Vnde intelligi poteſt veram medicinam pruritus eſſe non ſcalpere, ſi fieri poſſit. Cauſſæ immediatæ & materiales, vt docet Galenus 2. de Symptomatum cauſſis, capite 6. ſunt excrementa pituitoſa, nitroſa, ſalſa, & amara, id quod probat exemplo vrticæ, ſcillæ, muriæ, & aquæ marinæ, quæ omnes faciunt pruritus. quo in loco ponens differentiam inter materiam pruritus, & ſcabiei, & lepræ, inquit, materiam pruritus eſſe ſuccum tenuem, ſalſum, & immotum: materiam verò ſcabiei, & lepræ eſſe ſuccum multum, ſalſum, craſſum, & immotum. Paulus quoque Galenum ſequutus dixit, pruritum fieri à pituita putreſcente, ſiue ſalſa, nec-non etiam à bile, & Auenzoar, qui etiam ſequutus eſt Paulum & Galenum, habuit hanc eandem ſententiam, quòd ſcabies, quam ipſe appellat veſicas, fiat ab humore craſſo & viſcido: pruritus autem ab acuto & tenui. Sed hoc in loco oritur dubitatio, an verè materia, quæ facit pruritum ſit tenuior, quàm quæ facit ſcabiem. ex vna parte eſt auctoritas Galeni, & omnium Græcorum, atque etiam Auenzoar, qui communiter in hanc ſententiam deuenerunt, ſuccos, qui faciunt pruritum eſſe tenuiores, quàm qui faciunt ſcabiem. Ex altera parte eſt ratio: quia ſi humor in pruritu non exit, in ſcabie verò exit, videtur, quòd ſit craſſior ille humor, qui non exit extra cutem, quàm ille, qui exit. Præter hanc rationem eſt etiam auctoritas Auicennæ, qui ſeptima quarti. tract. 3. cap. 6. ponens differentiam inter pruritum & ſcabiem, inquit in hoc differre, quòd in pruritu non ſunt bothor ſicuti in ſcabie, & adfert rationem; quia materia ſcabiei eſt tenuior, & ſubtilior, & minus declinans ad ſalſedinem. ex quibus verbis clarè apparet, eum habuiſſe hanc ſententiam, quòd ſcabies fiat ab humore tenuiore. Auicennam ſequuti ſunt ferè omnes Arabes, Serapion, Haliabbas, atque etiam alij. Pro reſolutione huius controuerſiæ puto omnino ſtatuendum eſſe id, quod ſtatuit Galenus, videlicet pruritum omnino fieri à materia, & ab humore tenuiori. Sed ratio quæ videtur contra hanc ſententiam eſſe, videlicet, quòd in pruritu materia non exit, facilè diluitur: quia tametſi non exeat materia in pruritu, non eſt quia ipſa ſit craſſior: ſed quia cutis eſt denſata: cuius denſitatis merito efficitur, vt ſuccus tametſi ſubtilis ſit, non poſſit extra prodire. quod verò in pruritu cutis ſit denſata, extat Galeni luculentiſſimum teſtimonium 4. de loc. affect. cap. 7. vbi ſcribit in affectibus pruriginoſis, cutem corporis eſſe condenſatam. Præterea, quòd humores non expellantur in pruritu, aſſignantur & ab Auicenna aliæ cauſſæ, vt eſt imbecillitas virtutis expulſiuæ, ob quam dicebat Auicennas fieri in ſenibus pruritum; quia ſcilicet virtus ipſa expulſiua cum ſit infirma & debilis, non poteſt extra cutem expellere humores. quanquam Galen. 3. Aphoriſm. vltimo videtur aliam cauſſam afferre pruritus ſenum; quia ſcilicet pruritum excitantia excrementa difficilem per cutem euacuationem habent; cum ob refrigerationem habitus corporis, cutis eorum ſit denſata & coacta, atque ob id excrementa retenta craſſiora euadant, & putreſcentia

treſcentia quodam pacto pruritum faciant. Ad auctoritatem Auicennæ dico, caput illud eſſe valdè perplexum; quia in principio dicit vnum, in fine & in medio videtur ſecùs ſentire. Sed vtcunque ſit, poſſumus dicere, hanc fuiſſe ſententiam Arabum propriam, non tamen eſſe veram, quemadmodum vera eſt Galeni opinio. Nam in pruritu quanquam dilaceretur cutis, nunquam videbimus craſſum ſuccum emanare, niſi tranſeat in ſcabiem. ex qua experientia poteſt perſpectum eſſe, non abundare in pruritu humores & ſuccos craſſos. Sed inſtabit adhuc aliquis; Quomodo igitur in pruritu apparet maior dolor? quomodo pruritus magis perdurat, quàm ſcabies? nam ſi materia pruritus fuerit craſſior, erit facile reſpondere, quod pruritus generet maiorem dolorem, & etiam quod magis perduret, propter ſcilicet materiæ craſſitiem. Sed ſi materia pruritus eſt tenuior,non videtur facilè poſſe aſſignari ratio, cur magis duret prurigo in pruritu, quàm in ſcabie. Reſpondeo dupliciter: primò non eſſe ſimpliciter verum, quòd in pruritu ſit dolor, aut moleſtia intenſior, neque etiam quod magis perduret;quia ſæpe videmus contrarium, quod ſcilicet in ſcabie & maior,& durabilior efficitur pruritus. Sed dato, quod ita ſit,reſpondeo fieri in ſcabie maiorem pruritum,ſed minus permanentem, hac ratione;quia materia craſſa pertundit intimius partes,vnde maiorem dolorem, & pruritum facit. præterea hæc materia, quanquam craſſa ſit,exit tamen extra cutem,difflatur magna ex parte,vnde fit,vt non ita permaneat.in pruritu cum materia ſit tenuis,non ita intimè perforat carnem & cutem:& ita pruritum non ita magnum facit; ſed quia hæc materia tenuis continetur, nec extra propellitur, iccirco fit,vt intus cohibita affectio magis permaneat.atque hactenus de cauſſis immediatis, & materialib. pruritus. Cauſſæ verò mediatæ multæ ſunt. & primò ſeſe offert corporis temperatura; nam qui habent corpora calida & ſicca, ſeu etiam calida multum,& humida aliquantiſper,hi omnes pruritui ſubiiciuntur. Ætas ſimiliter eſt inter has cauſſas mediatas: quoniam iuuenes, & ſenes ſcriptum eſt ab Hippocrate pruritibus facilè tentari. potiſſimum locum inter has cauſſas obtinet victus ratio, vt habemus à Galen.2.de cauſſis Symptom. cap.6. nam quicunque corporis ſordibus abundant, nec mundantur, qui frequentes cruditates committunt, qui etiam nutriuntur cibis praui ſucci, ſæpiſſimè exercentur hoc affectionis genere. & Auicennas iure dixit, quod vtentes cibis dulcibus, ſalſis, & amaris ipſi etiam pruritibus facilè capiuntur. Signa pruritus clariſſima ſunt, quia pruriunt carnes omnes, & quamuis ſcalpellentur, tamen nihil extra emanat niſi interdum ſquamulæ quædam furfuraceæ. Signa porrò, quæ diſtinguunt cauſſas materiales, varia ſunt: nam Auenzoar ſcribit, quod ſi ab humore aduſto, melancholico & acri fiat pruritus, apparent in carnibus aliqua nigredinis veſtigia. ſi fiat à ſanguine, morbus citius finitur, & etiam latius per corpus propagatur: quandoquidem diſperſus eſt ſanguis per vniuerſa corporis membra. Sin verò fiat ab humore bilioſo & acri, apparet mordicatio magna, acuitas, & etiam maior in pruriendo & ſcalpendo efficitur delectatio.addit Paulus,& rectè, quod vnuſquiſque humor faciens pruritus, dignoſcitur regione, temperatura corporis,ætate,ratione victus,& etiam exercitationibus vitæ: prout enim videbuntur hæc indicare hunc, vel illum humorem, ſic etiam indicabunt quod pruritus, vel ab hoc, vel ab illo fiat. De ſignis prognoſticis illud potiſſimum poſſum dicere, quod pruritus ſi inueteraſcet, rarum eſt quin in ſcabiem tandem degeneret; quandoquidem etiam recentes pruritus in illam videmus ſæpiſſime conuerti.In ſenibus dicunt Paulus & Auicennas,quod pruritus mitigantur, ſed nunquam curantur, quorum tamen ſententia apud me veritatis perpetuæ non eſt, quia vidi illuſtriſſimum Leonellum Pium octuagenarium

vidi illuſtriſſimum Leonellum Pium octuagenarium à maximo pruritu beneficio medicamentorum eſſe liberatum; vt quanquam raro contingat ſenes decrepitos curari à pruitu, interdum tamen curentur. Scriptum eſt ab Hippocrate in Coacis prænotionibus, quod in tabeſcentibus, ſi aluo ſuppreſſa fiat, pruritus in corpore lethalis eſt. & Auenzoar ſimiliter ſcripſit, pruritum in quo efficitur maior delectatio, peiorem eſſe omnibus in inquietudine & tædio; quia eſt ex cholera. Sequitur modò curatio, circa quam conſtituendam duo eliciendi ſunt ſcopi præcipui; vnus eſt, vt humores ſalſi & acres è corpore omnino tollantur; alter verò, vt prouideatur, quominus alij renaſcantur. prohibetur verò noua generatio horum humorum, ſi iecur, in quo tanquam in officina quadam fiunt humores, attempetur, & etiam materia ex qua fiunt iſti humores prohibeatur: quæ quoniam ortum ducit à ratione victus, conſequitur vti præcipua, & potiſſima totius curationis ratio ſit poſita in recta viuendi ratione. Vnde primò aër eligendus erit temperatus in qualitatibus actiuis: in paſſiuis verò vergens ad humidum. vt enim calidus magis humores exacuit, ſic frigidus condenſat cutem, qua condenſata magis fouetur pruritus. Animi accidentia debent vitari. Exercitationes in pruritu ſunt noxiæ, & præfertim quando corpus nondum purgatum eſt: quoniam, vt dicebat Hippocrates & Theophraſtus, ſi corpora impura exerceantur, fiunt vlcera. Similiter ſunt vitandæ frictiones, & ſcalpellationes. quies confert moderata. ſomni longi dupliciter conferunt: primò, quia pruritus in ſomno non exaſperatur ſcalpellatione. ſecundò, quia humores in ſomno magis à natura regulantur. Auicenna damnauit coitum, nec immeritò; quia, vt dicit ipſe, ex illa agitatione excitantur vapores calidi vitioſi ad cutem, vbi poſtmodum putrefiunt, atque ita putrefacti augent ſalſedinem: cuius merito augetur pruritus. aluum ſolutam habere confert: & ideo ſi non adſit ſpontanea ſolutio; eſt commouenda vel clyſteribus, vel brodiis lenientibus. Inter cætera curandum eſt, vt corpora munda detineantur, videlicet, vt continuis induſiorum, & linteaminum mutationibus, atque etiam lauacris corpora ab omni forditie, & ab omni illuuie defendantur. Sed poſſet dubitari, quod genus balnei conueniat in pruritu. Paulus Ægineta videtur commendare balnea aquarum dulcium. Auicenna dixit, quod propria balnea laborantium pruritu ſunt aquæ marinæ in ſua diſpoſitione, hoc eſt, nulla arte calefactæ, nec vllo modo alteratæ, vel etiam calefactæ. Hippocrates quoque libro quinto Epidi narrat de quodam Athenienſi, qui cum à pruritu non potuiſſet vlla medicorum opera curari, iuit ad balnea Meli inſulæ calida, ex quibus inquit Hippocrates quod perfectè curatus eſt à pruritu: ſed deinde incidit in hydropem, & obiit. Itaque videtur ex vna parte, nimirum auctoritate Pauli, balnea dulcia, auctoritate verò Hippocratis & Auicennæ conuenire balnea naturalia. Dico pro hac dubitatione reſoluenda, balnea poſſe dupliciter adminiſtrari, vel ante purgationem ad abluendas ſolùm ſordes, & ad humectandum, vel ad exſiccandos humores cutaneos poſt purgationem: ſi vtendum eſt balneis ad mundanda corpora ante purgationem, proculdubio Pauli ſententia eſt cæteris præferenda; quia clarum eſt, quòd aquæ dulces magis mundant corpora, quàm aquæ vel marinæ laudatæ ab Auicenna, vel aliæ aquæ: & hoc etiam auctoritate Homeri, qui fecit Nauſicaam non in mari, ſed flumine lauare pannos. Præter hæc aqua dulcis magis humectat, & Paulus ſcribit, quod eſt δύσικμον τὸ πάθος, id eſt, difficulter humectatur. vnde cùm opus habebimus humectatione ante purgationem, ſemper balnea dulcia erunt præferenda: poſt purgationem verò balnea ſalſa laudata ab Auicenna, & naturalia conueniunt; quia cùm intus

purgata ſunt corpora, facilè poſtmodum exſiccantur humores qui relicti ſunt in cute. Ad Hippocratem dicendum, id eueniſſe ob malum vſum aquarum; quia ſcilicet nimium vſus fuerit, ita vt calor natiuus ab illo aquarum vſu ſit veluti extinctus, perinde ac dicebat Ariſtot. ex potu vini oriri interdum hydropen. Cibus debet eſſe optimi ſucci, frigidus & humidus, & aliquantiſper incraſſans, dulcia, acria, ſalſa, & amara omnia ſunt fugienda. fugienda quoque omnia olea, & omnia oleaginea, de quibus ſermonem faciens Auicenna, inquit, quòd corrumpunt cibi digeſtionem, & quod etiam inflammantur facillimè. Addit Auerroës 5. Collect. quod olea facilè conuertuntur in naturam ſulphuris: vt & hac ratione oleum ſit maximè damnandum in pruritu, præſertim frixum. Auenzoar laudauit inter herbas lactucas cum aceto. Et ego ſoleo curare, vt iis ægri veſcantur omni die tàm in prandio, quàm in cœna: tàm in iuſculis, quàm in acetariis. laudauit Auicenna peculiariter melones Indos, portulacam, boraginem, poma acetoſa, atque etiam granata dulcia. carnes optimæ erunt hœdinæ, & præſertim pullorum; quia, vt dicunt Auicenna, & Galenus, attemperant huiuſmodi carnes eorum prauos, & acres humores. Chondrus, ſiue alica, quæ ſit ex farre, & etiam ptiſſana maximè conferunt. nam de chondro ſcriptum eſt à Galen. 4. de tuend. valetud. quòd ſuo egregio illo lentore attemperat, atque corrigit acrimoniam, ac prauitatem humorum. Sed hic adnotare oportebit, omnia edulia laborantium pruritu debere potius eſſe elixa, quàm aſſata, aut frixa; quia ſicuti frixa, & aſſata habent humorem, aut ſuccum paullò acriorem, ſic cibi elixati contrarium habent. vt non immeritò Theodorus Priſcianus medicus Latinus in primo libro ſuæ medicinæ ad Timotheum dixerit, cibos laborantium pruritu debere eſſe ſorbiles. In potu conuenit vel aqua cocta ſimpliciter, vel aqua hordei, vel etiam vinum album pauciferum & tenue. Victu inſtituto deueniendum eſt ad expurgationem humorum, in qua quidem primo erit cogitandum, ſi iecur ſit feruidum, ſi copia ſanguinis ſit in corpore: quia in vtroque caſu inchoanda erit purgatio à ſanguinis miſſione. in feruore iecoris mittetur ſanguis à vena iecorali, in plenitudine ſanguinis, à vena communi. Sed, vt ſemper agendum, antequam ſanguis extrahatur, erit aluus lenienda, vel clyſtere, vel caſſia, aut tamarindis, aut etiam electuario de ſebeſten. lenita aluo, & extracto ſanguine, poſtmodum purgandi ſunt humores, qui cum ſint ſalſi & acres, atque etiam tenuiores, ſunt refrigerandi, attemperandi, & ad mediocritatem reducendi. Itaque opportunus erit huiuſmodi ſyrupus pro præparatione humorum.

R. Fol. portulacæ,
Lactucæ,
Boraginis,
Endiuiæ, an. p. j.
Prunorum damaſcenorum ℥. s.

Fiat decoctio ſecundum artem. deinde,

R. dictæ decoct. ℥. 4.
Syr. de ſucco boraginis,
Syr. fumiterræ an. ℥. 1. miſce.

Poſtquam præparati fuerint humores, erunt deinceps euacuandi. & pro euacuatione conuenit rhabarbarum, epithymus, ſena, polipodium, myrobalani nigri. adeſt etiam ſyrupus de polypodio, qui præſtantiſſimus eſt ad euacuandos illos humores, qui faciunt & ſcabiem, & pruritum. itaque ſi bolus placeat,

R. confectionis hamech ʒ. 3.

Rhabarbari

Rhabarbari ſubtiliter puluerizati. ʒ.1.
Diacotholiconis ℥.1. miſce,

& fiat bolus. Si verò placeat potus,hic eſſe poterit in vſu:

R. rhabarbari infuſi, & expreſſi ſecundum artem ℈. 4.
Syr. de polipodio ℥. 3.
Decoct. ſebeſten,
Thamarindorum, & myrobalanorum nigorum pari portione ℥. 4.
miſce,& fiat potus.

Sed quia humor ita ſæpè contumax eſt & rebellis, vt non vna purgatio ſufficere queat, eapropter erit ſæpè neceſſarium purgationes repetere. quo quidem in caſu etiam ſi licebit, poterit & ſanguinis miſſio repeti; quia interdum repetita purgatio, & etiam ſanguinis miſſio ſola curauit pruritus,vt ego ſæpiſſimè ſum expertus. Poſt purgationem, vt iecur ipſum attemperetur, ſolent vſurpari fomentationes factæ ex ſucco endiuiæ, aut ex ſucco cicorij, quæ remedia etiam à me non improbantur. Sed pro hoc obtinendo præſtantiſſimum omnium exiſtimo ſerum lactis, ſed non ſimpliciter exhibitum, imò aliquo pacto alteratum, & modus in pruritu alterandi ſerum lactis eſt hic:

R. Seri lactis caprini ℔. 1.
Myrobalanorum nigrorum contuſorum, & manibus attritorum ʒ. 1.
Epithymi ʒ. 1. s.

Infundantur per totam noctem: deinde facta expreſſione ſumatur mane quatuor horis ante cibum. huiuſmodi ſerum attemperat feruorem iecoris, deobſtruit, & ſi quid reliquiarum prauorum humorum relictum eſt, facilè expellit; poſſumus etiam ſolum ſerum adminiſtrare, ſed in magna quantitate. vtendum verò eſt hoc ſero, vel altero quoquo mane, vel etiam ſingulis diebus; prout ſcilicet videbitur magis, vel minus corpus poſtulare. Poſt hæc omnia deueniendum ad medicamenta localia,ad ea ſcilicet,quæ poſſint humores in cute exſiccare;atque hoc tempore laudantur balnea aquarum ſulphurearum, balnea etiam aquæ marinæ. ſed quia aliqui auerſantur balnea,vel non ſunt ita prompta paratu, ſunt etiam alia medicamenta, quæ pruritum tollunt. & ego habeo exploratum medicamentum,quod eſt & Oribaſij, & Pauli, quod efficitur hoc pacto.

R. Farinæ lupinorum ℥. 4.
Pul. ſulphuris ℥. 2.

Aceto macerentur, & violenter toti corpori affricentur. ſunt etiam alia medicamenta, veluti eſt puluis vtriuſque ellebori: laudatur etiam apium, & perdicium: capiuntur herbæ, & arefactæ affricantur ipſi corpori. habeo etiam & aliud medicamentum, quo ſoleo vti, niſi primum conferat, & eſt.

R. nucum magnarum rancidarum,
Sulphuris an. ℥. 1.

Succo apij læuigantur, & macerantur, deinde affricantur. Gal.6. Simplicium medicamentorum commendauit recrementa balanorum, & in lib. de facilè parabil. ad Solonem inquit, quòd ſi garum,ſulphur,& oleum miſceantur, facilè, & mirificè curant. Sed notandum, quòd vbicunque affricantur huiuſmodi pulueres, ſemper poſt affricationem vtendum eſt balneis aquarum dulcium. & propterea ſoleo commendare, vt iſtæ affricationes fiant in laconicis, & ſtatim deinde deueniatur ad balnea.

De Scabie.

CAPVT IV.

CVm pruritui ſcabies ſit valdè congenea, ſolúmque differant ſecundum magis & minus, poſt illius tractationem conſequens eſt, vt de ea ſermonem habeamus. dicitur hic affectus à Græcis ψώρα. Auenzoar appellauit pruritum veſicalem. omnes ferè Arabes ſcabiem nuncuparunt. Paulus Ægineta definiens hunc affectum, dixit eſſe cutis aſperitatem cum pruritu, & cum corporis colliquatione, variè figuratam, ex qua emanant corpuſcula quædam furfuracea. Quo in loco eſt adnotandum, Actuarium omnia hæc verba ferè deſumpſiſſe à Paulo lib.2. Methodi: & tamen apud Actuarium non legitur, quod à ſcabie corpuſcula furfurea emanent. Vnde neceſſarium eſt, dicamus vel Pauli, vel Actuarij codices eſſe deprauatos. Sed ego puto potiùs Pauli codicem deprauatum eſſe: eo quia nullus auctor ferè neque Græcorum, neque Arabum, neque Latinorum hoc dixit, quòd in ſcabie corpuſcula furfurea appareant. Bene verum eſt, quod Galenus 4. Aphoriſmorum 77. dixit, in ſcabie, & lepra tenue quoddam excerni quod imitatur ſenectam ſerpentum, quodque, inquit, ab Hippocrate nuncupatur in veſica furfuraceum. quod etiam ſcriptum inuenitur ex ſententia Archigenis apud Aëtium lib. 4. cap.134. Iulius Pollux ex ſententia medicorum dixit ψώραν eſſe vlceroſam quandam cutis affectionem ſubrubram,effloreſcentias in ipſa habentem. Cornelius verò Celſus paulò diuerſius à cæteris videtur de ſcabie locutus, vbi dixit, quòd ſcabies ſit tumor cutis durior & rubicundior, ex quo puſtulæ quædam emanant interdum humidæ, interdum ſiccæ, & ex puſtulis quibuſdam ſanies exit, ſitque veluti continuata quædam exulceratio pruriens, quæ ſerpit in aliquibus citò, in aliquibus tardè, in aliquibus ex toto aboletur, in aliquibus verò quolibet anno reuertitur. Quo in loco notare oportet (quemadmodum fuſiùs declarabimus, cum de lichenib.tractabimus)apud Cornelium Celſum ſcabiem non eſſe eum affectum, quem alij ſcabiem appellant,ſed alium:quanquam cæteri & Græci,& Arabes in appellanda ipſa ſcabie conueniant. De cauſſa materiali huius affectionis non paruam inuenio controuerſiam inter ſcriptores Græcos,& Arabas. Gal.7. Aph. 40. & lib.de Tumoribus præter nat.cap.13. tertio de Alimen.facul.cap.2.ſcripſit,ſcabiem eſſe affectionem melancholicam. & appellauit melancholicam, eo quia ortum ducat à materia melancholica. Similiter lib.de Cibis boni & mali ſucci, atque etiam 11.de Simp.med. cap. de carne viperina dixit, fieri ſcabiem à ſuccis melancholicis, à ſuccis terroſis & craſſis. Quare vbique videtur hanc habuiſſe Galenus ſententiam, quòd ſcabies fiat à materia & à ſucco melancholico. Ex aduerſo Auic. lib. 4.fen.7.tract.3. cap.6. dixit materiam ſcabiei eſſe ſanguinem, vel melancholicum, vel pituitoſum ſalſum.vbi illud colligitur ex ſententia Auicennæ,materiam ſcabiei eſſe ſanguinem variis qualitatibus refertum, modò melancholicis, modò ſalſis & pituitoſis. Serapion non minimus inter Arabas habuit hanc ſententiam, quòd ſcabies fiat ex ſanguine craſſo putreſcente: Haliabbas ex pituitæ ſalſæ cum ſanguine, bilioſo admiſtione. quam etiam inter poſteriores Græcos videtur ſequutus eſſe Actuarius, qui dixit lib. 2. Methodi. cap. 11. ſcabiem fieri ex omni humorum miſcella. In hac auctorum controuerſia exiſtimo dicendum eſſe, duo genera ſcabiei inueniri; alterum ſiccum, alterum verò humidum. Siccum genus ſcabiei appello

appello, in quo vel nihil emittitur, vel illud, quod exit craſſum, terreum atque ſiccum eſt: humidum autem, in quo materia ſanioſa, humida; ſubtilis & acris, aut craſſa, atque ſordida educitur. Si de ſicco genere ſcabiei loquamur, profectò iſtud efficitur à ſucco melancholico per exſuperantiam, quòd ſcilicet tametſi humores alij concurrant ad generationem huius ſcabiei, tamen maior pars materiæ eſt melancholica, & hoc facilè intelligi poteſt ex colore: quando illi qui arida hac ſcabie exercentur, vlcera & ſtigmata liuida, ac nigra ſemper gerunt. Cum igitur Galenus dixit ſcabiem eſſe affectum melancholicum, intellexit de hac ſcabie ſicca; & intellexit affectum eſſe melancholicum per exſuperantiam, hoc eſt, quòd maior pars materiæ efficiens hunc morbum eſt materia melancholica. Itaque & Galenus, & qui eum ſectati ſunt, vbi dixerunt, ſcabiem eſſe affectũ melancholicum, de ſicco genere locuti ſunt. Arabes verò, & qui eos ſequuntur, cum locuti ſint de omni ſcabiei genere, tam ſcilicet de arido, quàm de humido, iure merito dixerunt fieri illam ex omni humore, videlicet tam ex craſſo & ſicco, quàm ex humido & ſubtili. etenim ſi videamus generationem humidæ ſcabiei, profectò ad ipſam producendam concurrit pituita ſalſa, concurrit etiam vtraque bilis, interdum ichor bilioſus, interdum etiam concurrunt omnes iſti humores: vt iure dictum ſit ab Arabibus, ſcabiem prout complectitur tam humidam, quàm aridam fieri ex omni humore. Sed quid dicemus ad Auicennam, qui voluit omnem ſcabiem effici ex ſanguine? Dico veram eſſe ſententiam Auicennæ: quia ſemper materia ſcabiei eſt ſanguis. & ratio eſt: quia ſcabies eſt affectus vniuerſalis corporis: nullus autem humor in toto corporis ambitu ita propagatus eſt, perinde ac ſanguis. ſed ſanguis, qui facit ſcabiem, non eſt purus, ſed craſſus, qui aliquando eſt ſalſus ratione putrefactionis, aut ratione commiſtionis bilis: interdum eſt mordax, quandoque melancholicus. ſat eſt, quod ſemper in ſcabie peccat ſanguis. Cauſſæ primitiuæ ſcabiei multæ ſunt, & inter ipſas prima eſt ætas, nimirum iuuenilis & puerilis: quia hæc imprudens eſt in victu, plurimos cibos ſumit, plurima excrementa gignit. ex calore etiam & ex laboribus ſanguis acrior euadit; ita vt ex his ætatibus ſuppeditetur abundè materia ſcabiei. otium ſimiliter ſcabiem facit: eo quòd non excernuntur recrementa, quæ retenta in cute, & in carne cum putreſcant, & acrimoniam acquirant, fiunt vlcera, & ſcabiem gignunt. Exercitatio etiam intempeſtiua, hoc eſt, quæ fit corpore impuro, & à cibo, ſolet facere ſcabiem; quia ex hac, vt ſcribit Galen. 3. Aphoriſm. 20. humores praui, qui intra corporis latebras continentur, extra ad ſuperficiem trahuntur, quàm quia non poſſunt elabi, demum ibi retenti computreſcunt, & faciunt ſcabiem: vt non immeritò dictum ſit à diuino Hippocrate 6. Epide. com. 5. tex. 34. quod ſi corpus impurum exerceas, vlcera fient. Incuria quoque & negligentia ſolet facere ſcabiem: iſti enim, qui neque mutãt induſia, neque abluunt ſordes, facillimè capiũtur hac affectione: quia ſordes ipſa retenta in ſuperficie acrimoniam acquirit, quæ poſtmodum facit ſcabiem, & hoc Q. Serenus medicus antiquiſſimus, & grauiſſimus in libro ſuæ medicinæ optimè explicuit, vbi dixit:

Illotus ſudor, & inopia nobilis eſcæ
Sæpe graui ſcabie correptos aſperat artus.

Quod quoque praui ſucci, aut praua edulia facilè ſcabiem inducant, luculentiſſimum teſtimonium extat Galeni primo de Differen. feb. & in principio libri de Cibis boni & mali ſucci. ſunt verò edulia, quæ faciunt hanc affectionem hæc, omnia ſalſa, vt carnes & piſces: amara, acria, vt cæpe, allia, & porra, nam propter hoc pauperes homines ſolent frequentiſſimè vexari ſcabie, quia huiuſmodi

eduliis veſcuntur. Res quoque dulces faciunt facilè ſcabiem. dicebat enim Galenus ſecundo de Alimentorum facult. cap. de ficubus, quod omnia dulcia, & lieni, & iecori inflammandis conferunt; quia huiuſmodi incendium augent. tempus etiam anni inter cauſas ſcabiei primitiuas adnumeratur ab Auicenna, vbi dixit, autumno fieri aridam ſcabiem, hyeme humidam: quia autumno abundat melancholia, quæ facit ſcabiem ſiccam; hyeme verò pituita ſalſa, cuius ſoboles eſt ſcabies. Scribit quoque Seneca lib. 3. Natur. quæſt. cap. 25. quaſdam aquas ſcabiem afferre corporibus, quaſdam vitiliginem, quod vitium habere ait aquam ex rore collectam; quam quidem aquam dixit Plutarch. facere lepram. Gal. 4. de Tuenda valetudine capite 4. dixit quoſdam eſſe, qui proprietate quadam naturæ facilè in corporibus ſuis congregant excrementa; ex quibus facilè ſuboritur ſcabies. quare etiam proprietatem naturæ videtur Galenus retuliſſe inter cauſſas primitiuas ſcabiei. Eſt quoque inter has contagium, nam Galenus quarto de Differentiis pulſ. cap. primo recenſens quædam genera morborum, qui contagio acquiruntur, inter alios adnumerauit & ſcabiem. Cur verò contagio comparetur, Alexander 2. Problem. 42. ſatis manifeſte explicuit, vbi dicebat, ſcabiem idcirco contagioſam eſſe, quia ex ſuperficie emanat quædam humiditas viſcida, & tenax, quæ facilè adhæret corporibus vicinis, & facilè communicatur de corpore in corpus. Vbi obſeruandum eſt, proprium eſſe ſcabiei humidæ, vt contagio acquiratur: & quanquam etiam ſcabies ſicca poſſit contagio capi, id tamen non adeò frequens eſt. Motus criticus naturæ ſolet etiam facere ſcabiem. ſæpe enim fiunt morbi quidam acuti, qui cum à natura neque per tumores, neque per ſolutionem terminentur, ſolent finiri per ſcabiem. Sed percunctabitur aliquis à me, qua arte cognoſcendum ſit, quando ſcabies erit morbus ſponte factus, & quando erit abſceſſus, hoc eſt, quando erit effecta à motu critico aliquo naturæ. Modum hunc cognoſcendi docuit Hippocrates in fine ſecundi Prorrheticorum, quo in loco dicebat, quòd quibus iuuenibus, aut pueris efficitur ſcabies & paulatim efficitur, hæc nullo alio morbo efficitur, ſed ſponte naſcitur; vbi verò in aliis ætatibus vbi poſt morbos, & vbi ſubito naſcitur, tunc facta eſt ſcabies non ſponte, ſed per criſim. Signa ſcabiei ſunt, quòd adeſt pruritus cum exulceratione interdum cutis, & cum exitu materiæ interdum aridæ, interdum humidioris. & diſtinguitur ſcabies in hoc à pruritu, quia à pruritu nihil, à ſcabie verò ſemper aliquid emanat aut aridum, aut humidum. Vt verò genera ipſius ſcabiei dignoſcantur, multa tradiderunt Arabes medicinæ ſcriptores. dicunt enim, quod ſi ſcabies fiat à ſanguine corrupto, tunc pruritus erit iucundus & ſuauis, humiditas apparebit cum puſtulis acutis non admodum latis: nulla erit fiſſura, nulla aſperitas, color inclinabit ad rubedinem, aut ad palliditatem, feſtinè generabit ſaniem, atque hæc multa erit, & laudabili proxima. Si verò fiat à pituita, pruritus non aderit multum intenſus, ſed ſuauis erit: color inclinabit ad liuiditatem: humiditas apparebit multa cum puſtulis craſſioribus & latioribus: atque etiam dum exſiccabitur, & dum ſcalpetur, videbuntur emanare quædam veluti ſquamæ aridæ & ſiccæ: generabitur ſanies multa, ſed tardè. quòd ſi fiat à pituita ſalſa, pruritus erit intenſior, color inclinabit ad liuorem. Si fiat à bile, pruritus erit magis acerbus & acutus, puſtulæ etiam erunt acutiores, ſiccæ, & ſi quid emanabit, erit materia aridior, aut biliosa & ichoroſa: color cutis erit pallidus vel ſubpallidus. Quod ſi fiat ab humore melancholico, dicunt Arabes, quòd pruritus erit debilior, magis in profundo, non aderit ſanies, aut ſi quid emanabit, paucum erit, craſſum, minimè mordax: color autem cinereus, vel fuſcus, vel niger. Et quia dixi ſecundùm Arabes pruritum in melancholica ſcabie eſſe minorem, dubitare poſſet

ali

aliquis, quomodo hoc verum ſit: quandoquidem Galenus ſecundo de ſymptomatum cauſſis capite 6.ſcribit, ſcabioſos & leproſos maiori affici pruritu,quàm alios, neque tamen placari,etiam quod ſcalpant,& ſeipſos excorient: & inquit rationem eſſe, quia humor craſſus, viſcidus, & tenax eſt, qui adeo tenaciter cuti inhæret, vt neque vnguibus, niſi ſummo labore euelli queat. quod ſi verum eſt, ex ſententia Galeni, verum etiam erit ſcabiem melancholicam habere pruritum magnum; quia (vt diximus) ſcabies eſt affectus melancholicus per exſuperantiam, & facit pruritum magnum: ergo habebit pruritum magnum & intenſum; cum tamen contrarium dicant Arabes. Reſpondeo, quòd vbi Arabes dixerunt ſcabiem melancholicam non habere pruritum magnum & intenſum, intellexerunt de humore melancholico, qui minimè acris,& mordax eſt, quíque magis naturalis eſt, Galenus autem quando dixit eſſe affectum melancholicum per exſuperantiam, voluit etiam, quòd vnà cum humore melancholico adſit aliquando pituita ſalſa, aliquando bilis, ita vt ratione tenacitatis humoris melancholici, & acrimoniæ bilis, & pituitæ ſalſæ efficiatur pruritus inextinguibilis. De ſignis prognoſticis ſcabiei pauca nobis dicenda ſunt: ſed illud non eſt ſilentio prætereundum, quod à Platone ſcriptum eſt in Philebo, in ſcabie & pruritu plus eſſe doloris quàm delectationis; eo quòd illud quod intus eſt, feruet, & gliſcit, neque poteſt perfricando extra produci; ſed tantum exagitatum cutem attingit. Ex quibus verbis poſſumus colligere, ſcabiem, quamuis dolorifica ſit, interdum etiam afferre voluptatem: nunquam verò periculum; immò vt plurimum ſolet homines liberare à morbis pluribus imminentibus. Scribit Auicenna, ſcabiem eam eſſe acutioris humoris, & acerbioris,quæ magis corpulenta eſt, & cuius puſtulæ ſunt acutioris capitis, quæ plures habet puſtulas: nam calida & acutâ materia magis propagatur, & etiam in plures partes diuiditur. quæ verò latior in profundo eſt, ea fit à materia minus acerba, & acuta. habet tamen ſcabies hoc peculiare, quòd facit homines deformes, & præſertim medicos, vt dicit Galenus 6. Epidem. habet & aliud, quòd niſi curetur, ſolet in lepram facilè commutari, vt hac ratione debeamus eſſe diligentes in cognoſcenda ipſius curatione; quæ quidem partim communis eſt cum curatione pruritus, partim etiam peculiarem quandam rationem habet. Victus quidem communiſſimus eſt, ita vt ferè omnia eadem, quæ in pruritu conueniunt, conueniant etiam in ſcabie, eſt vnum quoddam peculiare circa carnem ſuis, quam ſcribit Plutarchus 4. Sympoſiacorum quinto, Iudæos, & Barbaros abhorruiſſe, propterea quòd ea natio valde obnoxia eſt ſcabiei. ſues autem etiam eadem affectione laborant. Paulus in curanda ſcabie monet, vt ante alia cogitetur, an in corpore ſit plenitudo: qua exiſtente, neceſſarium iudicat, vt ſtatim ſanguis mittatur; ſed prius tamen, vt ſemper agendum eſt, inteſtinis exinanitis à fæcibus. erit verò ſanguis mittendus plerunque à dextro latere: eo quia rariſſimè contingit, quin in ſcabie iecur ſit affectum. dico, rariſſimè, quoniam poteſt contagio effici: quo quidem in caſu non eſt neceſſarium iecur eſſe commaculatum. Sed duæ hic oriuntur dubitationes: vna eſt cur dixerim cum Paulo requiri plenitudinem ſanguinis ad hoc, vt vena ſecetur: nam videtur ſemper ſecanda eſſe venena; quia, vt diximus, Auicenna cenſuit ſemper in ſcabie ſanguinem peccare. Altera dubitatio eſt, quòd ſi ſcabies eſt affectus melancholicus, vt oſtendimus ex Galeni ſententia, videtur potius ſanguis mittendus à ſiniſtro latere: quia in affectibus melancholicis lien ſemper præcipuè afficitur. nos autem diximus, mittendum eſſe ſanguinem plerunque à dextro latere. Ad primam dicendum eſt breuiter, verum eſſe, quod ſanguis tanquam ſubiectum

humorum putridorum in ſcabie ab Auicenna ponitur: non autem ab ipſo dictum eſt, ſanguinem abundare. idque verum eſſe facile eſt videre; quia Auicenna in curatione ſcabiei reſpexit potius purgationem, quàm ſectionem venæ, quaſi certus eſſet abundare prauos humores, ſed in ipſo ſanguine. Secundæ dubitationi dupliciter reſponderi poteſt, vno modo, quod in ſcabie Græcorum, quæ eſt ſemper ab humore melancholico, ſemper etiam ſit affectus lien, & ideo in hac etiam ſit ſanguis à ſiniſtro latere mittendus. aliter etiam poteſt reſponderi, quòd quanquam ſcabies ſit affectus melancholicus, tamen ſemper iecur ipſum eſt primariò affectum; quandoquidem humor melancholicus non ab ipſo liene generatur, ſed à iecore, quod quidem vel ob nimium feruorem aduritur, vel cum ſit frigidum & ſiccum, humorem melancholicum producit. Sed dices, quomodo ergo dicitur lien concurrere ad generationem humoris melancholici? Duobus modis dicitur concurrere; vno, quia non attrahit, vt deberet, fæcem ipſius ſanguinis, propter quod cum in reliquo corpore melancholicus ſuccus exſuperet, dicitur lien ipſum efficere. altero modo, quia plus attrahit, quàm deberet; nam lien vbi intemperie calida & ſicca affectus eſt, attrahit vehementer ſanguinem tam fæcalem, quàm non fæcalem, qui vbi attractus eſt, tumorem in liene facit, & ratione ſimilitudinis à corpore ipſius lienis conuertitur in ſuccum melancholicum. Itaque habemus verè in affectu melancholico, & præſertim ſcabioſo, affectum eſſe primariò iecur: vt iure dictum ſit à nobis, mittendum eſſe ſanguinem à dextro latere. Miſſo ſanguine, purgandi erunt humores hoc ſyrupo, vel ſimili.

R. Fol. fumiterræ,
Scabioſæ,
Lupulorum,
Boraginis an.p.s.

fiat decoctiò ſecundum artem; deinde:

R. dictæ decoct. ℥.4.
Syrupi fumiterræ,
Syr. de ſucco boraginis an. ℥.1.miſce.

Præparatis humoribus erit ſtatim deueniendum ad purgationem. pro expurgando humore melancholico in ſcabie Auicenna maximè commendat epithymum, ſenam, polipodium, mirobalanos nigros, & citrinos, addamus nos & rhabarbarum. Laudat etiam in vetuſta ſcabie aloën, quam dicit, ſi ſæpe deuoretur, ab hoc affectu liberare. eſt ſyrupus noſter de polipodio, quem quidem etiam maximè valere in his affectibus conſtat. Purgati poſtquam erunt humores, eſt deueniendum ad localiamedicamenta:quorum componendorũ hæc eſt methodus, vt primò accipiantur detergentia; quia cum cutis ſit aſpera, neceſſarium eſt, vt detergatur. ſecundò, quæ meatus expurgant; quia meatus cutis oppleti ſunt tabo & ſanie interna. vnde neceſſarium eſt ipſos expurgare. Tertiò, accipienda ſunt illa quæ incidunt; quia humor, qui facit ſcabiem, craſſus & viſcidus eſt, & propterea indiget inciſione. Demum accipienda ſunt exſiccantia: quoniam in ſcabie ſunt vlcuſcula humida, quæ indigent exſiccatione. Inter medicamenta detergentia, vt ſcribitur à Galeno 5. de Simplicibus medicam. cap. 12. numerantur farina hordei, fabæ, erui lupinorum, amygdalæ dulces. Inter ea quæ meatus expurgant, reponuntur vrticæ ſemen, ſcilla, iris, nitrum, aphronitrum, abrotanum, amygdalæ amaræ. Inter incidentia potiſſimum omnium eſt acetum. Quæ verò exſiccant & detergunt, ſunt ellebori vtrique, ſquama æris, calcitis, lithargyrium, ſulphur viuum, calx viua, & ſimilia, quæ poſtmodum ex arte componuntur.

Sed

Sed circa compoſitionem & vſum oportet quatuor obſeruare. vnum eſt, quòd hæc medicamenta, quæ ſcabiem tollunt, ſolent dolorem excitare: propter quod ad tollendam ipſorum vim dolorificam debent commiſceri aliqua, veluti eſt oleum roſatum, butyrum, adeps aliquis, veluti gallinæ, anſeris, aut vitelli ouorum. Alterum obſeruandum eſt, quod in medicamentis, quæ debent exſiccare ſcabiem, fugienda omnino ſunt ſemper adſtringentia. ratio eſt ex ipſo Galeno loco citato, quia ea, quæ intus aſſumuntur, & repurgant meatus, nihil offenduntur ab ipſis adſtringentibus; ſed potius vim ipſorum maiorem acquirunt, quia meatus interni ſunt latiores. Vnde adſtringentia commiſta aliis non poſſunt facilè ipſos obſtruere. Secus verò eſt in medicamentis, quæ exterius apponuntur; quia cum meatus exteriores ſint admodum anguſti, ab adſtringentibus facilè occluduntur. Vnde poſtmodum aliis medicamentis non patet aditus. Tertium obſeruandum eſt, quòd medicamenta apponenda pro ſcabie, debent apponi in loco calido, & parti corporis calefactæ: eo quia ſic magis penetrant. Vnde antiqui ſolebant vngere vel ad Solem, vel in Laconicis, vel etiam ad ignem; vt apud Hipporatem 6. Epid. comm. 2. in hiſtoria Simonis ſcriptum habemus. Quartum obſeruandum eſt, quòd non niſi interpolatis diebus ſunt adhibenda hæc medicamenta, quia ſic magis penetrant; & natura interuallo illo leuata magis poſſet aduerſus morbum adiuta medicamentis. Medicamentum verò pſoricum, hoc poterit, vel ſimili modo parari.

℞. ellebori vtriuſque	ʒ. I.
Lithargyrij	ʒ. I. s.
Olei roſati	℥. I.
Butyri recentis	℥. s.
Farinæ lupinorum	ʒ. 5.

Miſceantur omnia diligenter, & fiat linimentum. Quòd ſi valentius optetur, hæc erit forma.

℞. nitri,	
Sulphuris viui	an. ʒ. I.

Quæ abluantur ter aceto accerrimo:

Olei roſati	℥. s.
Vitellos ouorum numero duos,	
Adipis gallinæ	℥. s.

Miſceantur omnia, & fiat linimentum. Sunt & pro tollenda ſcabie aquæ thermales, & præſertim aquæ omnes ſulphureæ, quæ mirificè purgata corpora ſolent ſtatim à ſcabie liberare. Eſt dignum ſcitu, an argentum viuum, vel argentum ſublimatũ conueniat; eo quod Auicenna & ſequaces mirificè commendant: atque etiam recentiores pharmacopolæ ſolent vti huiuſmodi medicamento. Ex altera parte ſcimus argentum viuum eſſe medicamentum venenatum, ac deleterium, & propterea non conuenire. Neque enim etiam Græci huius remedij meminerunt. Dico igitur, in affectu ſcabioſo, ſi ſit mitis & recens, omnino fugiendum eſſe argentum ſublimatum, vel argentum viuum; quia magnum periculum affert, ſi vel plus addatur quàm conueniat, vel ſi pluri vtamur linimento, quàm par ſit. Vbi verò periculum magnum imminet, ſemper debemus fugere periclitari in re, quæ admodum non eſt grauis. Quod ſi ſcabies ſit inueterata & maligna, eo in caſu poterimus vti; ita tamen caſtigato, & aliis medicamentis benignioribus commiſto, vt de periculo magno non ſit nobis formidandum.

De Lepra.

CAPVT V.

COngeneus ſcabiei eſt alius affectus, qui lepra communiter dicitur, cuius materiam eandem eſſe cum materia ſcabiei, non modò Galenus; verùm etiam Oribaſius, Paulus, & omnes teſtati ſunt. Hunc affectum definiebat Paulus, quod ſit aſperitas cutis cum pruritu, & corporis colliquatione, ex humore melancholico ortus, orbiculatim depaſcens profundas corporis partes, atque piſcium inſtar ſquamulas ex ſeſe mittens. Circa quam definitionem eſt obſeruandum, dictum eſſe à Paulo, eſſe aſperitatem cutis cum pruritu, & colliquatione: quia, vt habemus apud Aëtium lib. 11. cap. 134. ex ſententia Archigenis, lepra differt à leuce & alpho, quæ ſunt vitiliginis ſpecies: eo quòd lepra aſpera eſt ad contactum, pruritum inducit; quandoquidem cutis ſola affecta eſt, & ideo excoriata ipſa cute caro ſubiecta ſana apparet. Ad hæc, ex ſententia Hippocratis 5. Epidem. circa principium, in lepra cutis craſſa eſt: eo quod imbibita eſt humore viſcido & craſſo. In leuce verò non eſt aſperitas, non adeſt pruritus, & ſi cutis ipſa auferatur, videtur tota caro ſubiecta eſſe commaculata; quia albidior eſt, & ſi confricetur, vel ipſa cutis, vel etiam caro ſtatim rubedinem quandam contrahit, præſertim ſit curabilis ſit. Alphi verò & ipſi ſunt ſine pruritu, ſine aſperitate, quanquã appareant maculæ, quæ valde ſquamulas æmulantur. Similiter dicebat Archigenes loco citato, differre lepram à ſcabie; quia in ſcabie interdum furfuracea corpuſcula emanant: in lepra verò quædam veluti magnorum piſcium ſquamæ: videntur enim ipſa corpora deſquamari. Iulius Pollux definiens lepram dicebat, eſſe impetigines multas aſperas, vlceroſas, modò ſubrubras, modò ſubrufas, aut ſubalbidas difficiles curatu. addit etiã & in lepra vngues ipſos corrumpi, quæ quidem differentia eſt notanda. Actuarius Medicus inſignis 1. meth. cap. 11. eandem ferè ſententiam habere viſus eſt, quam omnes alij Græci, vbi dicebat lepram vocari ἀπὸ τῶν λεπίδων, hoc eſt, à ſquamis: quanquam Scholiaſtes Nicandri in Theriacis dixerit deduci potius hoc nomen lepræ ἀπὸ τοῦ λεπρύνεσθαι, quod ſignificat ſcabrum fieri & albeſcere, licet codex Græcus Aldinus deprauatè legat λεπτύνεσθαι. Itaque conueniunt omnes Græci, lepram eſſe veluti quandam ſcabiem nigram & prauam: conueniunt etiam cum Galeno, quod materia lepræ ſit ſuccus melancholicus; quanquam Archigenes præter ſuccum melancholicum videtur addidiſſe ſuccum viſcidum & craſſum. quod etiam ſenſiſſe videtur Galen. 2. de Sympt. cauſis cap. 6. vbi ſcribit, lepram & ſcabiem fieri ex humore multo, craſſo, ſalſo & immoto: quod eſt perinde, ac ſi diceret, poſſe etiam fieri lepram à pituita ſalſa commiſta: ita tamen, vt ſemper dominetur ſuccus melancholicus. hæc Græcorum lepra ab Arabibus, & præſertim ab Auicenna ſeptima quarti, tract. 2. cap. 9. vniuerſali nomine nominata eſt, vbi albaræ duas ſpecies efficiens, albam ſcilicet, & nigrã, videtur clariſſimè ſub nomine albaræ nigræ nihil aliud intelligere, niſi lepram Græcorum, quandoquidem, vt videre licet, præter alia dicit, albaram nigram eſſe impetiginem excoriatiuam, & ſcabioſum acccidens, cutim exaſperans vehementer, & ſquamas mittens cum pruritu propter humorem melancholicum, quem imbibit cutis. Ex quibus verbis clariſſimè exprimitur tota natura, & tota facies lepræ

Græcorum,

Græcorum, & hoc etiam clariſſimè videre eſt apud Serapionem, à quo forſan ſua mutuatus fuit Auicenna. Vnde miror Tagautium, & alios, qui, cum hanc materiam fuſiſſimè tractarint; tamen non videntur hanc rem attigiſſe. miror etiam Haliabbatem, qui ſolus inter Mauritanos ſcriptores videtur leucen Græcorum, & albaram albam Auicennæ manifeſto errore vocaſſe lepram, cum non albara alba ſit lepra, ſed potius albara nigra. Videndum eſt modò, quid ab Auicenna ſub nomine lepræ intelligatur. Clara igitur eſt ipſius ſententia libro 4. fen. 3. tract. 3. cap. 1. lepram nihil aliud eſſe quàm elephantiaſim ipſam Græcorum, quæ eſt veluti tumor totius corporis: & hodie hic morbus, nimirum elephantiaſis, etiam lepra nuncupatur. Eſt difficillimus affectus, vt iure Chriſtus Dominus noſter voluerit curare leproſum. eſt igitur lepra apud Auicennam, & Auenzoar, elephantiaſis Græcorum: & lepra Græcorum eſt albara nigra ipſius Auicennæ. Fuerunt qui putarunt ſecundam ſcabiei ſpeciem apud Celſum lepram eſſe; ſed ego ſum huius ſententiæ, eſſe potius impetiginem Celſi, cuius libro 5. quatuor ſpecies effecit, in quibus omnibus ſquamas emanare dixit. Itaque vt rem paucis complectar, lepra Græcorum, albara nigra Auicennæ, & impetigo Cornelij Celſi eſt vnus & idem affectus. Quod verò hoc ita ſit, facillimè & apertiſſimè colligitur ex Cornelij Celſi verbis; nam dicit, impetiginem ſuam vngues infeſtare: id quod etiam ſupra monuimus poni in lepra à Iulio Polluce. Reducitur hic affectus ad morbum in aſperitate & læuitate. Cauſſa interna & materialis eſt humor à prædominio melancholicus: effectrix cauſſa, vel iecoris, vel lienis, vel vtriuſque mala temperies. De cauſſis primitiuis & procatarcticis idem prorſus dicendum, quod de ſcabie; quia ex ſententia Galeni vterque hic affectus ab iiſdem cauſſis promanat. Scribit Auerroës 3. Collect. cap. 7. quod ante ipſum dixerat Auicenna 2. primi, doct. 1. in fine lepram oriri hæreditate, & ob coitum cum menſtruata muliere: quod tanquam intelligendum ſit de lepra Arabum, quæ eſt elephantiaſis; tamen id quoque veritatem habet in lepra Græcorum. Morbus hic, vt ſcribit Gal. 3. Prog. 28. ſolet eſſe peculiaris ipſis ſenibus. vt hæc ætas etiam ſit ponenda inter cauſſas primitiuas huius morbi, quemadmodum & Hippocrates in fine ſecundi Prorrh. repoſuit morbos melancholicos præcedentes. Eſt dubitatio, an lepra fiat contagio, quia Gal. 4. de Differentiis pulſuum cap. 1. ſcribit, pſoram eſſe contagioſam; ſed lepra eſt pſora praua, vt ſupra memorauimus: igitur eo magis videtur eſſe contagioſa. Ceterùm Alexander Trall. 2. Problem. medicinalium prob. 42. ſcribit lepram non eſſe contagioſam, & inquit vitiliginem & lepram hoc habere; quia humores ſunt viſcidi & craſſi, & terreſtres magis quàm vt poſſint adhærere. Ariſtoteles etiam 7. Problem. ſectione vltima fuit huius ſententiæ, quod lepra non ſit contagioſa, quanquam Petrus Aponenſis contrarium videatur intellexiſſe. In hac controuerſia reſpondendum eſſe iudico, lepram omnem tam Græcorum quàm Arabum contagioſam eſſe; immò Auicenna tertia quarti, tract. 3. cap. 1. recenſens varias cauſas lepræ, inquit, quòd interdum, & contagione aëris putrefacti, & ob viciniam leproſorum acquiritur, quod etiam ſcripſit Auenzoar lib. 2. tract. 7. cap. 12. Ad Alexandri ſententiam dico; vel textum illum corruptum eſſe; vel lepram apud Alexandrum nihil aliud eſſe, quàm alphum ipſum nigrum, quemadmodum Haliabbas intelligit leucen. atque ad hoc exiſtimandum impellor pluribus rationibus. 1. quia Alexander facit ſimilem lepram & leucen. ſed lepra Græcorum omnino diſſimilis eſt ipſi leuce: alphus verò maximè ſimilis. Præterea ait Alexander, non eſſe contagioſam lepram; quia humor in ſuperficie eſt, & nihil emanat; ſed in lepra Græcorũ ſemper aliquid humoris emanat, vt hac etiam

ratione

ratione dicendum ſit non poſſe lepram veram Græcorum intelligi áb Alexandro. Ad Ariſtotelem etiam reſpondeo,illum non expreſsè dicere,quod lepra non ſit cõtagioſa, ſed quod minus contagioſa eſt,quàm pſora, id quod certè affirmare poſſumus; quia materia eſt magis terreſtris, vel poſſumus dicere,etiam apud Ariſtot. ſub nomine lepræ intelligi vitiliginem,hoc eſt,ipſum alphum; nam, vt videre eſt apud ſcholiaſten Nicandri in Theriacis, lepra apud Græcos ſumitur pro omni albedine cutis præternaturali, qualis eſt alphus, ἀπὸ λεπτύνεσθαι, quod eſt albeſcere. Vnum docere volo, quod non eſt pœnitendum, & ſcriptum eſt à Plutarcho in Quæſtionibus naturalibus, quæſtione 6. quod qui ambulant inter arbores rore plenas capiuntur lepra; eo quia, vt dicebat Laitus, ros ille mordicat, & excoriat corpora; vel quia ros adhærens arboribus abradit ab ipſis corpuſcula quædam acria, quæ poſtmodum adhærentia corporibus humanis, ipſa excoriant, & lepram inducunt. Accedit etiam, quod ros corpora colliquat: cuius ſignum illud adferunt, quod mulieres quando rorem colligunt veſtimentis, ſi ſint pingues, valde extenuantur. Vt etiam ſcribunt Geoponici, boues, quando herbis rore plenis paſcuntur, emaciari. Signa lepræ eadem ſunt etiam quæ ipſius pſoræ. hoc vnum habet lepra, quod emittit ſquamas, ſudor fœtidus eſt, & minus remediis obedit. Prognoſtica ſunt, quod vt ſcabies mutatur in lepram, ſic etiam lepra in elephantiaſin. Dicebat Cornelius Celſus, lepræ ſeu impetiginis ſpecies difficilè curationem recipere. Sed iure poſſet hîc aliquis dubitare, quomodo lepra poſſit permutari in elephantiaſin; quandoquidem Glenus 11. de Simplic. medic. cap. de carne viperina ſcribit apertè, elephantiaſin commutari in lepram. In libro etiam de Subfiguratione empirica habetur idem, quod ſcilicet elephantiaſis permutatur in lepram, vbi refertur hiſtoria philoſophi elephantici, qui factus eſt leproſus ex vſu carnis viperinæ. Reſpondeo vtrumque fieri poſſe, & vt elephantiaſis in lepram, & lepra in elephantiaſin permutetur. nam ſi humores, qui in cute faciunt lepram, carnes totas oppleant, faciunt elephantiaſin; rurſus ſi humores in carne contenti, qui faciebant elephantiaſin, ad cutem conuertantur, faciunt lepram; ita vt poſſit eſſe tranſitus alterius morbi in alterum. Eſt Hippocratis ſententia in fine ſecundi Porrheticorum, ex lepris eas facilius ſanari, quæ fiunt in maximè iuuenibus, quæ ſunt recentiſſimæ, & quæ in molliſſimis, ac carnoſiſſimis corporis partibus gignuntur. curatio huius morbi eadem eſt, quæ curatio ſcabiei: quandoquidem differt lepra à ſcabie ſecundùm magis & minus. & quia lepra, vt dixi, eſt quædam ſcabies praua, idcirco requirit medicamenta valentiora. & dicebat Galen. quintus de componendis medicamentis ſecundum loca, ea medicamenta,quæ conueniunt lepræ, debere eſſe fortiter reficcantia, extergentia,& meatus expurgantia.Inueniuntur multa remedia leproſorum apud auctores, quæ breuitati ſtudens non recenſebo. Cornelius Celſus refert duo ſubauctore Protarcho, & ſub auctore Serapione. Sunt etiam quædam peculiaria remedia apud Marcellum, vt herba Britannica cibo, vel potu accepta, vulpis ſtercus cum aceto tritum, ſanguis hircinus illitus: quæ omnia etiam à Dioſcoride commendantur. inter cætera laudantur à Galeno cantharides, de quibus ſcribit; quod alij conſueuerant auferre alas, pedes, & capita, quódque ipſe integris illis vtebatur; ſed quia Hippocrates libro de Natura muliebri primo, & ſecundo de Morbis muliebribus, libro de Victu acutorum præcepit, ſemper eſſe auferenda à cantharidibus alas, pedes, & capita: ne videatur receſſiſſe à ſuo Hippocrate, ipſe etiam alas, pedes & capita amputabat. Verùm oportet ſcire, quod ſi cantharides ſint intus adſumendæ, debent exſpoliari, quemadmodum iubet Hippo-
cra-

crates ; ſi verò exterius vtendum ſit illis, poſſunt integræ adminiſtrari.

De Lichenibus.

CAPVT VI.

Est inter affectus cutaneos & alter, qui Lichen nuncupatur. barbari multi appellarunt hunc morbum ſerpiginem, ſiue zernam. Haliabbas vocat petiginem & ſarpedinem; vulgus appellat volaticam. Sunt lichenes aſperitates quædam cutis, & veluti tumores cum pruritu multo, ex quibus materia emanat, quemadmodum in lib. de Definitionibus medicis Galeno adſcripto habemus. Græci, & Arabes duo fecerunt lichenum genera, alterum benignum, & mite: alterum ferum. Gal.6. de Compoſ. medic. per genera cap. 2. ſcribit, feros lichenas eos appellari, qui à medicamentis moderatè ſiccantibus nil iuuantur, à valde exſiccantibus irritantur maximè. In libro etiam, qui Medicus inſcribitur, habetur duas eſſe impetigines, alteram mitem, alteram feram. Auicenna quoque ſeptima quarti.tract.3.cap. 3. ſcribit, aliam eſſe impetiginem humidam, ex qua confricata manat ros; aliam verò eſſe ſiccam: atque humidam magis ſalſam eſſe; ſiccam verò fieri à pituita ſalſa conuerſa in humorem melancholicum, & rurſus ſcribit, aliam etiam impetiginem excorticari ob vehementem ſiccitatem, & multitudinem profundationis; aliam verò non excorticari, & aliam eſſe ambulatiuam & malignam, aliam verò ſtantem, quod etiam videtur Galenus confirmaſſe 5. de medicamentis ſecundum loca.cap.7. vbi ſcribit, aliam eſſe impetiginem recentem, aliam antiquam. Ex quibus omnibus ego colligo, ſcabiem ipſius Cornelij Celſi, quam deſcripſit lib.5. nihil aliud eſſe, quàm lichenes ipſos Græcorum, & impetiginem Arabum. apprimè enim omnia conueniunt impetigini, quæ ponuntur in lichenibus à Græcis. & præſertim hoc vnum eſt, quod Cornel. Celſus ſcribit, ſcabiem feram Græcos appellare ἀγρίαν, quæ magis prurit, & difficilius curatur: quod ſi verum eſt, non videbimus Græcos vnquam appellare pſoram ἀγρίαν, ſed lichenas: vt mihi conſtantiſſimum videatur Celſi ſcabiem eſſe lichenas Græcorum. Vnde miror Tagautium diligentem alioquin virum, qui hoc non viderit, & qui vniuerſaliter enunciarit pſoram Græcorum eſſe ſcabiem Latinorum. Materia lichenum ſecundum Græcos, & Arabas eſt miſtio ex humoribus tenuibus, ſeroſis & craſſis: in qua miſtione interdum craſſi, interdum tenues, & ſeroſi humores exſuperant. fit in toto corpore, ſed præſertim in facie, & mento, vt ſcribit Gal. 5. de Medicam. localibus cap.7. eſt enim lichen menti, vt ibi meminit Galen. iniucundiſſima affectio; quoniam pruriginem multam inducit, facit partium affectarum circumtenſionem: periculoſa eſt non parum, perſerpit per totam faciem, oculóſque interdum contingit, & tandem extremam quandam fœditatem parit. Hic dubium eſt, an lichen menti ſit mentagra illa, de qua ſcribit Plin. lib. 26. cap. 1. quòd ſub principatu Tiberij Claudij Cæſaris primum in Italia apparuit, quódque ex Aſia tranſportata eſt ab equite Peruſino. Nec defuerunt, qui putarunt lichenem menti, & mentagram eundem affectum eſſe, quia Plin. ipſe dixerit, mentagram vocatam eſſe lichenas nomine Græco. Sed horum ſententiam tribus rationibus ego refellere ſoleo. primò, quòd lichen eſt vetuſtiſſimus morbus, vt habemus ex Hippocrate 4. Epidem. primo de Morbis, & alibi, à Theophraſtò etiam in libro de Sudoribus, vbi cum mentio fiat lichenis, fieri non poteſt, vt hic morbus fuerit nouus tempore Plinij. Secunda ratio eſt; quia mentagra ex Plinio

nio erat ſine dolore, & ſine periculo vitæ: Galenus verò dicit lichenes menti eſſe periculoſum morbum cum pruritu, & cum dolore. Tertia ratio eſt; quia dicit Plinius vocatum eſſe lichenem nomine Græco: quaſi morbus eſſet diuerſus, ſed vocaretur hoc nomine, cum aliud deeſſet. Accedit etiam quod mentagra ſoli proceres tentabantur: mulieres, ſeruitia non tangebat hic morbus: ſed lichen menti indifferenter depaſcebatur omne hominum genus. Sed quod maximum argumentum eſt, lichenem menti, & mentagram diuerſos affectus eſſe, habemus ex Galen.5. de Medicamentis localibus, vbi ter mentionem facit mentagræ. Sed aduertendum eſt in cod. Græco legi melitagræ, cum debeat legi mentagræ: ibidem quoque Galenus longum ſermonem habet de lichene menti, vt videatur omnino ſtatuiſſe diuerſitatem inter lichenem menti, & mentagram. Accedit quod Marcellus medicus diligentiſſimus, & ipſe mentagram ab impetigine, ſeu lichene diuerſam facit; pro qua ſcribit curanda Soranum Medicum ſe locaſſe ducentis viris in Aquitania. Primitiuæ cauſſæ impetiginis, ſeu lichenis ſunt omnes illæ, quæ etiam efficiunt ſcabiem & lepram; nimirum victus malus, anni tempus, vt ver, quemadmodum ſcribit Hippocrates tertio Aphoriſmorum, contagium, & reliquæ. Signa indicantia hunc affectum ſunt hæc, quod apparent plurima vlcera in formam cuiuſdam rotunditatis, in medio quorum apparet interdum veluti foramen: interdum veluti platea cum pruritu, ardore, & aſperitate: atque ab ipſa parte affecta aliquando defluunt veluti cortices, nonnunquam etiam manat humiditas inſtar ſudoris cuiuſdam, cuius color aliàs rubeus, aliàs ſubalbus exiſtit. Signa prognoſtica lichenis ſunt, quod ex Galeno ſæpè in ſcabiem & lepram tranſmutatur, & præſertim ſi negligatur, nec initio curetur, vt debet. Scribit Hippocrat. in fine ſecundi Prorrheticorum facilius ſanari lichenas in iuuenibus, in carnoſis, & molliſſimis corporis partibus. Auicenna quoque ait, quod impetigo citius ſanatur, in qua materia tenuis craſſam ſuperat, & recens & benignior, quàm vetuſta & fera. Nam & Pollux de lichene ἄγριος, ſeu fero loquens dixit; quòd aſper eſt, inæqualis, & δυσίατος. Circa curationem huius affectus pauca dicenda ſunt, quia idem ferè modus & vitæ, & aliarum rerum, quæ in ipſo pruritu, de quo ſuprà diximus, conuenit. Victus debet eſſe humectans maximè, vt notat Auicenna. Vnde balnea aquæ dulcis magnopere commendantur. Serapion iubet vitari acuta, ſalſa, & ea omnia, quæ ſuccum bilioſum gignunt, peculiariter vinum meracum, dactyli, & vſus Veneris ab ipſo inhibentur. Hinc etiam ſi ſanguis exſuperet, ſecanda eſt vena à iecore. Immò Auicennæ ſententia eſt, omnino eſſe applicandas ſanguiſugas, etiam ſi non adſint indicia mittendi ſanguinis. Præparandi deinde humores, & euacuandi ſunt medicamentis iis, quæ poſſunt ſeroſos humores & craſſos euacuare. Poſt præparationem & euacuationem deueniendum eſt ad localia medicamenta. Et aduertendum, non debere ipſa eſſe vnius generis, ſed ſi lichen ſit ex benignis, benigniora accommodata ſunt, ſi ſit ex malignis, conueniunt grauiora & valentiora medicamenta. Et propterea dicebat Galenus, quod qui lichenes conuertuntur in pſoram & lepram, opus habent valdè exſiccantibus, extergentibus, & meatus explentibus. Hippocrates ſecundo de Morbis muliebribus ſcribit, maximè tolli impetigines ab aceto & manna thuris, à pumice, ſulphure, cum aceto, naſturtio ſilueſtri vſto, viperæ exuuiis, & rumicis ſilueſtris radice. In benignis lichenibus ego ex præcepto Galeni & Oribaſij vtor ſaliua ieiuni, & præſertim pueri; nam hoc medicamentum etiam norunt mulieres. In prauis vtor ſulphure viuo in petia linea ligato, & aceto ma-
cerato.

cerato. Multa quoque refert Marcellus,& inter cætera ait, quòd ſi locus impetiginoſus auro circumſcribatur, curabitur. Ælius etiam Promotus, Democritus, ac alij multa dicunt, quæ apud ipſos auctores quiſque videre poteſt; neque enim eſt, quòd ſingula recenſeam.ego ſulphur cum aceto adhibeo feliciter.

HIERONYMI MERCVRIALIS DE EXCREMENTIS

LIBER PRIMVS.

QVI EST DE VRINIS.

CAPVT I.

INTER ea quæ ad dignoſcendos morbos medico neceſſaria ſunt, potiſſimam partem ſibi corporis excrementa vendicare, & Galenus, & cæteri omnes medici apertiſſimè docuerunt. Quamobrem operæpretium facturum me exiſtimaui, ſi de iis tractationem inſtituerem, in qua omnia, quæ ad hanc rationem pertinere videntur, accuratè comprehenderem. Primò igitur de Vrinis agemus: quarum cognitionem maximi momenti in re medica facienda eſſe, ita clarè apud omnes auctores ſcriptum inuenitur, vt neceſſe minimè ſit in quæſtionem hoc reuocare. Immò clariſſimus Galenus qui poſt Herophilum, & Archigenem pulſus notitiam efferre conatus eſt lib.4. de Tuenda valet. cap.4.& primo de Criſi.cap.7. viſus eſt vrinæ cognitionem pulſus notitiæ anteferre: nec iniuſtè quidem; quoniam ſiue dignitatem cognitionis vrinæ ſpectemus, ſiue certitudinem vtriuſque conferamus, profectò apparebit cognitionem vrinæ pulſuum notitiæ valde antecellere. Quod ad dignitatem ſpectat, negare non poſſumus, quin vrinæ ſpeculatio in medicina ſit antiquiſſima. Habemus id apud Ariſtophanem antiquiſſimum Comicum, qui medicos antiquos deridebat,quòd ſtercora & vrinas inſpicerent. ſcimus etiam Hippocratem vetuſtiſſimum, & grauiſſimum auctorem maximi feciſſe vrinarum inſpectionem: id quoque quod confirmauit pleriſque in locis Ariſtoteles. Cæterùm pulſuum notitia, & obſeruatio quin noua ſit, negare nequaquam poſſumus; quoniam Hippocrates pauciſſima, eáque obſcuriſſima de pulſibus tradidit. Ariſtoteles quoque eius ſequax vel non obſeruaſſe, vel non cognouiſſe pulſus viſus eſt, qui lib.2. Meteor. c. de terræmotu, & lib. de Reſpiratione in fine,& in principio libri de Spiritu, ita obſcurè de pulſibus loquutus eſt, vt horum notitia eius tempeſtate ignota viſa ſit. De certitudine porrò dubium eſſe non poteſt, quia cognitio morbo

tio morborum certior habeatur ex vrinis, quàm ex pulſibus: pulſuum enim notitia adeò incerta ſemper eſt reputata, vt quemadmodum Plin. lib. 11. cap. 37. refert, Herophilus, qui primus pulſuum notitiam ſcriptis tradidit, propter difficultatem rei à diſcipulis fuerit deſertus. Galenus etiam refert, ſe multis, imò pluri-mis annis in dignoſcenda ſola ſyſtole laboraſſe. Accedit, quod cum pulſus quali-bet vel minima corporis, vel animi commotione permutetur, præſertim in animi affectibus, vt teſtatur Ariſt. lib. de Spiritu: vrinæ verò magis conſtantes, & permanentes ſint, ex his cognitionem certiorem, ex pulſu incertiſſimam habere poſſumus. Cum igitur tot bona ex vrinæ notitia ſint expectanda, digna ſanè eſt, quæ ſumma diligentia memoriæ mandetur.

De nominibus Vrinæ, & quid hæc ſit.

CAPVT II.

QVæ verò de vrina explicaturus ſum, vt eius notitia facillimè aperiatur, quatuor erunt. primò, quæ ſit eius natura & generatio. ſecundò, quot & quæ differentiæ. tertiò, cauſſas vniuſcuiuſque differentiæ ſpeculabimur. quartò & vltimò, quæ iudicia ex vrinis ferantur, edocebimus. Quoniam verò vrinarum cognitionis vſus duplex eſt, alter in curando, alter in iudicando: vſum notitiæ vrinarum in curando paucis abſoluemus; eo quòd huiuſmodi notitia etſi tradita ſit à medicis noſtris, potius tamen ad ſuperſtitioſos, vt tradit Plin. lib. 28. qualem fuiſſe Xenocratem ſcribit Gal. 10. de Simplici med. quàm ad naturales medicos pertinere videtur. Vſum verò in iudicando longa oratione perſequemur; maximè enim confert tàm in proſpera, quàm in aduerſa valetudine cognoſcenda: quòd in proſpera, ſatis teſtatus eſt Cornel. Celſus, & Plinius, qui auguria valetudinis ea ſola haberi prodiderunt. Addam hiſce omnibus nonnulla, quæ circa vrinarum inſpectionem medico ſunt obſeruanda: ita quòd pauca in hac re deſiderari poterunt. Auſpicabimur igitur à natura ipſius vrinæ. Lotium, ſiue vrina, quod apud Latinos dicitur, apud Græcos tria nomina ſortitum eſt; aliquando enim dicitur οὖρον, interdùm οὔριον, nonnumquam οὔρημα nuncupatum eſt, quamquam Galenus in fine libri de natura humana ſcriptum reliquit, hæc duo nomina οὔρημα, & σύνοχον numquam fuiſſe in vſu apud Hippocratem, aut Polybum, ſed à recentioribus inuenta fuiſſe. Vrinæ generationem Heraclitus philoſophus diuerſo quodam modo fieri putauit ab aliis philoſophis. Hic enim, referente Ariſtotele 14. Problematum 6. putauit vrinam gigni in corpore noſtro eo modò, quo pluuiæ in mundo vniuerſo generantur: videlicet, ſicuti in hoc magno mundo obſeruamus, vapores à terra eleuatos in ſumma aëris regione concreſcere, & in aquam conuerti, pariter ex corpore noſtro continuos vapores eleuari, qui in veſicam delati, ibi in vrinam concreſcunt. fuit enim hic philoſophus adeo conſtans in ſua huiuſmodi opinione, vt cum etiam ipſe laboraret hydrope, putauerit eam aquam hoc modo in corpore ſuo collectam fuiſſe. Vnde cum medici aliquando ipſum inuiſiſſent, vt curarent, quemadmodum refert ipſe in epiſtola ad Amphidamantem, interrogauit, numquid ἐξ ἐπομβρίας αὐχμὸν, ſiue ex pluuia ſiccitatem facere poſſent? quod medici illi non intelligentes ſtatim ab ipſo exploſi ſunt. Opinionem

Heracliti

Heracliti Aſclepiades quoque ſequutus eſt : hic enim putauit potum omnem, qui intra corpus aſſumitur, in halitum & vapores conuerti, qui poſtmodum veſicam penetrantes ibi concreſcant; tandémque in vrinam degenerent. Cæterùm has opiniones Gal.lib.1.de Facul.natural.c.13.quatuor rationib.refellere conatus eſt,quarum prima eſt; Veſica adeò denſa eſt, vt nullo modo intra eam penetrare poſſint vapores:ſi non poteſt penetrari à vaporibus,ergo ſequitur, vrinam hoc medo non generari. dicebat enim Galenus alibi, præſertim quarto de Digno. ex pulſibus,veſicam matrice valde duriorem eſſe, atque magis neruoſam. Secunda eſt, quòd ſi vapores pertranſeant veſicam, tanto magis pertranſirent peritonæum, ſeptum tranſuerſum, & abdomen, ac pectus ipſum : quare etiam ibi vrina colligeretur. quòd verò tanto magis illa pertranſirent, probat : quia exterior tunica veſicæ ſimilis eſt peritonæi tunicæ, interior verò eſt duplo craſſior. Tertia ratio eſt; quòd vaporum natura eſt, vt continuò ſuperiorem regionem verſus ferantur ; quod ſi ita eſt, videretur rationi magis conſentaneum (inquit ipſe) vt ſi ex vaporibus fieret vrina, fieret potius in partibus ſuperioribus, quàm inferioribus, quod eſt abſurdum. Quarta eſt, quoniam iſti vapores, vel egredientes ex inteſtinis, & ventriculo intra ſpatia illa colligerentur, quemadmodum contingit in hydrope : vel per vniuerſum corpus elati extollerentur, atque ita vrinam nullo modo generarent. Rufus Epheſius in 1.lib. de Appellationibus partium corporis definiuit, vrinam eſſe humiditatem nitroſam,in veſicam delabentem.Quæ definitio nimis vniuerſalis eſt, præterquàm quod nitrum quomodo in corpore noſtro fiat, aut humiditas nitroſa, non eſt facile inuenire. Sed his opinionibus omiſſis eam tradam, quam antiquam fuiſſe, & præſertim ab Hippocrate, Platone, Ariſtotele, & Galeno confirmatam exiſtimo. Omnes enim, qui hactenus de vrinis pertractarunt, viſi ſunt cenſuiſſe, vrinam eſſe excrementum; alij quidem iecoris concoctionis excrementum, alij venarum, alij renum exiſtimarunt. Nos verò dicimus, vrinam nil aliud eſſe, niſi materiam potulentam, alimenti vehiculum, in iecore, & vaſis alteratam, & permiſtam à calore naturali, aut præternaturali, tandémque à renibus attractam, & in veſicam depulſam. Longa deſcriptione vtor in declaranda vrinæ natura; quoniam Galenus 4. de Differ. pulſuum cap. 2. quaſi lege quadam præcepit, tyrones longis definitionibus, & deſcriptionibus rerum eſſe docendos. Nunc ſingulas huiuſce deſcriptionis partes examinemus. Dixi vrinam eſſe materiam potulentam; non autem potum ; quoniam,vt Galen. 2. Aphoriſmo 11.meminit,multæ res ſumuntur loco cibi, quæ quidem potulentæ ſunt, vt brodia,vt ſucci,ῥοφήματα Græcorum, ſiue ſorbitiones, quæ omnes etiam in vrinam conuertuntur.Dictum eſt,eſſe alimenti vehiculum, non autem alimentum;eo quia ea pars potus,ſiue materiæ potulentæ, quæ in nutrimentum vertitur, non efficitur vrina, ſed ſolum pars illa, quæ peruehit cibum, quæue in iecore multis accidentibus ſpoliatur, multa etiam alia ope iecoris ſuſcipit : (niſi enim hæc materia eſſet cibus, vt colligitur ex Galen.lib.4.de Vſu partium cap.3.à ventriculo ad iecur, aut nunquam, aut magno labore duceretur :) ita quòd ſapientiſſimè dictum fuit ab Ariſtot.lib.4.Meteor.cap.5.7.& 11.vrinam,quoad materiam, aquam eſſe, habere verò caliditatem extraneam, & alia accidentia. Dixi,in iecore, & venis alteratam ; propterea quòd licet potus dum à ventriculo ad iecur demittitur, cum cibo permiſceatur, nihilominus in iecore, & vaſis efficitur ipſius alteratio, & permiſtio,quo tempore (vt clarius dicam) cibi etiam mutantur, ſed alia, & longè diuerſa mutatione. Addidimus, à calore naturali, aut præternaturali:quoniam fiunt in febribus,& in aliis morbis,etiam variæ vrinarum permiſtiones, quæ ab innatu-

rali potius,quàm naturali calore proficiſcuntur.Vt ergo tam ſanas,quàm morboſas vrinas comprehenderemus,illæ particulæ à nobis adiunctę ſunt.Dictum eſt,à renibus attractam,& in veſicam depulſam,vt vrinam à ſudore ſecernerem;quandoquidem ex ſententia Ariſtot.2.Problem.3.& Galeni 10.de Simpl.med. cap. de ſudore, eiuſdem naturæ eſt ſudor, immò eadem materia ſudoris eſt, & vrinæ. vt ergo ſecernerentur, hoc adiunctum fuit. Quòd verò eadem vrina, quæ in veſica reperitur, non ſit diuerſa ab ea, quæ in venis eſt, hoc vno ſenſibili argumento demonſtrari poteſt : quòd ſi ſanguine extracto, quod ſupereminet ſerum conferatur cum vrina eiuſdem corporis, apparebit, vtraſque eiuſdem conditionis, eiuſdem coloris eſſe.

Rationibus comprobatur Auctoris de vrinæ natura ſententia, & oſtenditur, eam non eſſe nouam, ſed fuiſſe Hippocratis, Platonis, Ariſtotelis, & Galeni.

CAPVT III.

SEd quæreret iure aliquis, quomodo dicam hanc noſtram ſententiam non eſſe diuerſam ab Hippocratis, & Galeni opinione; ſiquidem à Galeno ſcriptum eſt primo libro de Tuenda valetud.cap.duodecimo, & 3. Epidem.commentar. primo, text.quinto vrinam excrementum eſſe venarum,atque arteriarum, necnon earundem ſerum.Reſpondemus, quam explicuimus ſententiam diuerſam minimè eſſe à Galeni opinione:quod vt exactè intelligatur,clarius quod dixi,demonſtrabo. Potus enim dum in ventriculo ſumitur,cibo commiſtus eum per anguſtiſſimas venas Meſaraicas ad iecur transfert,quo quidem tempore ſolùm vehiculum cibi verè nominari poteſt:in iecore autem dum ſanguis perficitur, duo excrementorum genera tantum gignuntur:alterum,quod in ſummo eminet : alterum,quod in imo reſidet: vnum bilis vocatum eſt:alterum verò melancholia,ſiue fæx:tertium quod ſupereſt, ſanguis nuncupatur.Vnde ſanguini ſemper immiſta eſt illa materia potulenta, ſiue ſeroſa,quæ materia vnà cum ipſo ſanguine à iecore per venas ipſas transfunditur. Sed quoniam hæc materia ſeroſa, & potulenta in venis adeo neceſſaria non eſt, cum iam ſanguis ſua ſponte fluxilis ſit,hinc efficitur,vt illud ſerum,quod ſupereſt, & ſuperfluum eſt,à renibus trahatur,& ad veſicam demandetur, vt iure merito excrementum venarum, & arteriarum dictum ſit, quia tota hæc materia dum eſt in vaſis,eſt materia ſuperflua;quia ſanguis ſua ſponte fluxilis eſt, nec opus iam habet vehiculo. Quemadmodum enim dicitur ſemen eſſe περίττωμα,hoc eſt, excrementum,eo quòd eſt illud vltimum alimentum,quod ſupereſt vltimæ coctioni & nutritioni:pariter hæc materia potulenta dicitur eſſe excrementum venarum; quia amplius non eſt neceſſaria perducendo ſanguini.Hic verò notandum eſt totam materiam ſeroſam,ſeu potulentam à renibus nunquam trahi,ſed aliquam portiunculam in venis relinqui,quæ poſtmodum in ſudorem conuertitur. Ex quo conſtare arbitror,iure à Galeno,& Ariſtotele dictum eſſe,ſudorem,& vrinam eandem materiam habere.Habet hoc munus ea ſeroſitas,quæ relinquitur in venis,vt quamuis exigua ſit,tamen præſter hanc vtilitatem,vt deductionem ſanguinis per vniuerſum corpus iuuet:

iuuet : ratio eſt; quoniam licet ſanguis ſit ſua ſponte fluxilis; quia tamen penetrare nonnunquam debet anguſtiſſimos meatus, habuit opus & alio vehiculo. Perſpicuum igitur eſt, quomodo ſerum ab Hippocrate, & excrementum à Galeno dicta ſit vrina, & quòd non aliud volunt eſſe eam, quàm materiam potulentam. Iam rationibus, & auctoritatibus veterum hanc ſententiam confirmabo, quibus oſtēdam nec nouam eſſe, nec figmētitiam. Prima ratio eſt, quòd ea animalia, quæ vel nunquam potant, vel exiguum, neque veſicam à natura habuerunt, neque etiam vrinam generant. Dicebat Ariſt. 3. de Partibus anim. c. 1. & 84. ea animalia, quæ pulmonem ſanguineum habent, ſortita eſſe etiam veſicam; propterea quòd cùm ſiticuloſa futura eſſent, debebant potare: & propterea neceſſe erat, vt ex potu vrina generaretur, & conſequenter veſicam haberent. Quę verò talem pulmonem non habent, neque bibunt: aut ſi habent, parum bibunt, quòd fungoſus ſit: aut potant quidem, ſed eis potus loco cibi eſt, quemadmodum ſunt piſces, atque inſecta; vel pennata ſunt, & ſquamigera, aut cortice intecta, quæ omnia veſica carent tum propter humoris exiguitatem, quam capiunt: tum quia, quod capiunt, in pennas, ſquamas, & cortices abſumitur. Quòd ſi reperiuntur aliqua animalia, quę veſicam non habent, & tamen potant, potus in illis conuertitur, vel in pennas, vt in auibus, vel in ſquamas, vt in piſcibus, vel in cruſtas, vt in oſtreaceis. Itaque videmus à natura hoc factum eſſe, vt non habuerint veſicam, neque vrinam fecerint; vel quia non potant: vel ſi potant, quia materia aliò conuertitur. Vt clarum iam videatur, vrinam eſſe materiam potulentam. Sed obiiciet aliquis, ſcriptum eſſe apud Suidam, ἀλέκτωρ πίνει, καὶ οὐκ οὐρεῖ, μύξος οὐ πίνει, καὶ οὐρεῖ, id eſt, gallus bibit, & non meit, glis autem non bibit, & mingit: quod dici in difficultatem vrinæ aſſerit. Præterea videmus cuniculos toto anno non bibere, & tamen mingere. Cui obiectioni dicendum eſt, huiuſmodi animalia partim aliò potum conuertere, partim herbas humidas, in quibus eſt multum materiæ potulentæ, ſumere, & propterea mingere: bibere tamen interdum. Secunda ratio eſt, quòd animalia, quæ potant, ſi multum bibant, multam vrinam faciunt; ſi parum, paucam: quod argumento eſt, ſi vrinæ quantitas ſtat in propria materia, nihil aliud eam eſſe, quàm materiam quæ potatur. Tertia ratio eſt ex experientia, Medicorum enim in ſuppreſſionibus vrinarum maximum præceptum eſt, vt omnino potus arceatur, ne vrina gignatur: ſi hoc eſt maximum præceptum, ne bibamus, quis non videat, vrinam nihil aliud eſſe, quàm materiam potulentam? Quarta ratio deſumatur ex iis, qui aquas thermales potu ſumunt: (de his loquor, quæ per vrinam ducuntur) videre eſt enim in huiuſmodi corporibus aquas illas per veſicam tales emingi, quales aſſumuntur. quod ſignum eſt, potum hunc in iecore, & venis nullam mutationem ſuſcipere, quod etiam ſignum eſt, eandem eſſe materiam vrinam, & quæ bibitur, niſi quòd ſpoliatur accidentibus. Sic Ariſtotel. appellat vinum aquam quarto Meteor. & Empedocles aquam concoctam, ſeu putrefactam in vite. Hoc etiam videre eſt, vt ſcriptum reliquit Galen. 1. de Facult. natural. cap. vlt. in illis bibonibus, qui κωθωνίζοντες à Græcis dicuntur, qui quotieſcunque bibunt, quantum ingerunt, tantundem quoque per vrinam excernunt, & ferè nihil mutatum. Plura alia argumenta ex experientiis ducta poſſemus proponere, ſed ne longior euadat oratio, his finem imponemus, & auctoritatem Hippocratis, & aliorum grauiſſimorum auctoritates in medium adducemus, quibus noſtram ſententiam confirmemus. Vetuſtiſſimus auctor Hippocrates libro de Alimento hoc quaſi oraculo quodam obſignauit. Humiditas alimenti vehiculum eſt. Quam ſententiam Galen. 4. de ratione victus in acutis morbis 17. lib. 4. de Vſu partium, cap. 5. exponens dixit, ab Hippocrate eam humiditatem intelligi, quæ cibum à ventriculo ad iecur perducit:

quo etiam in loco cùm ſcribat aquam in animantibus nil aliud efficere, niſi quòd cibum perducit, manifeſtè monſtrat, eandem humiditatem, quæ cibum perducit, eandem etiam per vrinam excerni.libro præterea Prorrhet.hanc veluti quandam legem ſtatuit, vt ſemper potus debeat quantitate vrinam æquare, ita vt & craſſitie, & menſura vrina nunquam potum debeat ſuperare. Quòd ſi hoc verè ſtatutum eſt ab Hippocrate, facile eſt colligere, ſi quantitas potus, & vrinæ eſt eadem, pariter quoque eſſe materiam eandem. Eodem libro paullò pòſt ſcribit Hippocrates, vrinam debere apparere pro ſtudiorum ratione, & pro vinorum mutatione:quod ſi verum eſt,verum eſt etiam vrinam nullam aliam materiam habere; niſi potum. Præterea quarto de ratione victus acutorum text. 88. ſcribit, aquoſa pocula in hypocondriis permanere, neque in vrinam percurrere; quod ſignum eſt,ea potulenta,quæ ad vrinam currunt,nil aliud eſſe,niſi ipſummet potum. Poſtremò lib. 4. de Morbis diſputans contra eos, qui potum ad pulmonem ferri putabant, tribus rationibus vtitur. Prima eſt; quòd ſi eò pertingeret potus, explerετur pulmo: & per conſequens ſpirandi difficultas neceſſariò induceretur, neque tunc vox edi poſſet,cùm non eſſet, quod reſonaret. Secunda eſt,quòd ſi potus in ventriculum non proficiſceretur, cibi ſicci, atque ſolidi inconcocti permanerent,neque diſtribuerentur per corpus.Tertia,& vltima ratio eſt,quòd ſi rerum potulentarum ductus non eſſet in ſtomachum, ſequeretur medicamenta purgantia non poſſe purgare. quibus habitis concludens antiquiſſimus auctor,inquit, potum in ventriculum deſcendere, inde deinceps in vniuerſum corpus diſtribui. Quòd ſi potus per vniuerſum corpus diſtribuitur, cum hic idem per vrinam & ſudorem excernatur, clariſſimum eſt ex Hippocrate, vrinæ materiam eſſe ipſummet potum. Quo in loco diligenter eſt obſeruandum, eos omnes vehementer aberraſſe, qui putarunt Platonem primum omnium hanc ſententiam habuiſſe, quòd potus ad pulmonem pertingerent: eſt enim hæc ſententia antiquiſſima:quando & Ariſt. 3. de Partib.ani.cap.3.diſputat aduerſus hos, non aduerſus Platonem, vt nonnulli voluerunt. Plato in Timæo cùm lienis, & iecoris vſus explicuiſſet; ſcribit totum inferiorem ventrem, inteſtina ſcilicet, & veſicam iccirco à primo opifice fuiſſe fabricatum, vt eſculentorum, & potulentorum receptaculum eſſet. Cùm enim homines plus bibere, & comedere deberent, quàm par ſit, niſi (inquit) natura huiuſmodi receptaculum feciſſet,ſæpiſſime ægrotarent.Si igitur ſecundum Platonem totus venter inferior, nimirum veſica, & inteſtina ſunt receptacula potus, & ciborum, ſequitur vt veſica, quæ eſt vrinæ receptaculum,& per conſequens receptaculum potus ſit.Magnus philoſophus Ariſtot.lib.1.de Gen.anim. cap.18. præter loca à me iam citata,poſtquam demonſtraſſet ſemen non eſſe σύντηγμα,hoc eſt, colliquamentum,ſed eſſe veluti ſuperfluam quandam partem vltimi alimenti, & veluti purpuriſſum illud,quod pictori ſupereſt poſt pictam effigiem; inquit, excrementis à natura peculiares locos eſſe datos, non autem colliquamento; enumerans verò loca excrementorum inquit; vterum & genitalia ſemini deſtinata eſſe, ventriculum pituitæ, inteſtina ſicco alimento, veſicam verò humido. Si igitur veſica eſt locus deſtinatus humido alimento; neceſſe eſt etiam potui fuiſſe deſtinatam. Siquidem Plato in Hipparcho dicebat, potum nihil aliud eſſe, niſi humidum alimentum. Idem Ariſt.3.Probl.22.quærens cur potus affatim, & copiosè ſumptus minus humectet, ideo euenire ſcribit; quoniam venter potum continere,ac ſuperare poteſt: iccirco dimittit illum locum ſibi proprium, nimirum ad veſicam; qui locus eſt crudi humoris. ergo ſi per Ariſtot.veſica eſt locus crudi humoris, neceſſariò ex eius ſententia vrina erit ipſemet potus.Eodem problemat.lib.35. quærens,

cur

cur iuuenes ebrij magis ſibi ipſis immingant, quàm ſenes, hanc rationem ádfert, quod in ſenibus præ membrorum ſiccitate potus abſumitur: in iuuenibus autem ad veſicam per vrinam demittitur. Poſtremò ſectione 13. Problem. 1. quærens Philoſophus, cur vrina, quanto diutius in veſica moratur, fœtidior euadat; ex aduerſo quanto diutius fæces permanent in inteſtinis, tanto minus fœteant: rationem adfert, quòd ſtercora magis ſiccantur, & ideo minus fœtent, vrina autem magis craſſeſcit. Subiungit autem vrinam recentem ſimillimam eſſe potui, qui à principio ingeritur. Ex quibus omnibus cuiuis res intimius ſpeculanti facilè paterè poteſt, ex ſententia huius philoſophi, vrinam nil aliud eſſe, niſi materiam potulentàm. Iam Galenum ducem noſtrum adeamus, qui in fine primi libri de Facultatibus naturalibus diſputans aduerſus Lycum Macedonem ſectæ Eraſiſtrateæ ſequacem, qui eam opinionem habuit, vt crederet, vrinam eſſe excrementum nutritionis renum, contra ipſum hac ſenſibili demonſtratione vtitur, quòd vrina eſt id totum, quod bibitur, excepto pauco quodam, quod vel per aluum, vel per ſudorem, vel per inſenſibilem tranſpirationem eiicitur. hoc autem manifeſtum fieri ait ex vrinæ multitudine, quæ quotidie mingitur, in hyeme maximè, in otioſis, ac bibacibus; præſertim ſi vinum tenue, atque permeabile exiſtat. Hoc idem clariſſimè confirmat 5. de Vſu partium c. 16. vbi ſic inquit: Quomodo fiat excrementorum cibi excretio, iam dictum eſt, potus verò excretio, quam vrinam appellāt, deinceps dicendum quomodo fiat. ex quibus verbis clariſſimè conſtat, Galenum voluiſſe, vrinam eſſe excretionem potus. Sexto Epidem. comm. 5. text. 15. ſcribit, quòd cum corpus noſtrum naturaliter diſpoſitum eſt in generandis ſuccis, tunc potus commutatur, colore inficitur, atque ſic vrinarum differentias facit: cum verò præter naturam ſe habet, vrina tunc ſimillima eſt potui. Itaque manifeſtè apparet cenſuiſſe Galenum, materiam potulentam permutatam, & coloribus infectam vrinam generare, immò verò ipſiſſimam eſſe vrinam. Libro de atra bile cap. 2. ſermonem habens Galenus de humiditate illa, quæ ſanguini extra venas exiſtenti ſupereminet, in hanc ſententiam venit, ſemper ex potu magnam partem adeſſe in ſanguine in iecore facto, quæ potus portio per vrinam, per ſudorem, & inſenſibilem tranſpirationem educitur, quæ ſententia eadem ferè eſt cum illa, quæ ex libro de Potentiis naturalibus eſt adducta. Tandem lib. 10. de Simplici medicina cap. de ſudore clariſſimè aſſerit, vrinæ & ſudoris non modò eandem eſſe materiam, verùm etiam eundem generationis modum, dicens, quòd vtriſque, nimirum ſudori, & vrinæ generatio eſt ex potu in corpore excalfacto, ac nonnihil bilis admiſtum habente. quanquam (inquit) ſudor ſemper ſit plus elaboratus; eo quòd per plures & anguſtiores vias peruehitur, quàm vrina. Cum igitur tot tantíſque grauiſſimorum auctorum ſententiis confirmatam hanc veritatem habeamus, certò credere cogimur, vrinam, vt diximus, eſſe materiam illam potulentam cibi perductricem, in iecore & vaſis alteratam, & permiſtam à calore naturali, aut præternaturali à renibus attractam, & ad veſicam depulſam. Quòd ſi excrementum, aut ſerum interdum ab Hippocrate, & Galeno appellata eſt vrina, ſapienter id pronunciatum eſt; ſi quidem dicitur excrementum, & ſerum; propterea quòd hæc humiditas in venis & arteriis eſt veluti quoddam ſuperfluum, cum ſanguis ſua ſponte fluxilis non opus habeat amplius eo vehiculo.

De differentiis Vrinarum.

CAPVT IV.

AGgrediamur modò ſecundum à nobis propoſitum caput, differentias ſcilicet vrinarum. Hæ igitur ſumuntur à tota ipſius vrinæ natura, quę quidem natura conſtituitur ex tribus, ex ſubſtantia, ex accidentibus, & ex contentis. Itaque ab his tribus quoque differentias vrinæ accipiemus. Quæ à ſubſtantia, quæ χῦμα, & in lib. de Vrinis Galeno attributo, & ab Actuario dicitur, ſumptæ differentiæ quatuor ſunt; quia vrina vel craſſa eſt, vel tenuis, vel clara, vel turbida. Dicitur corpus craſſum ex ſententia Ariſtotel. 11. particula Problem. 16. & ſecundum Galen. ſecundo Aphoriſm. 54. quod duas dimenſiones auctas habet, nimirum latitudinem & profunditatem. Igitur vrina craſſa erit, cuius profunditas & latitudo aucta apparebit; atque hæc erit, quæ partes craſſas habebit. Ex altera parte ſecundum eorundem auctorum ſententias, dicitur corpus aliquod tenue, cuius vna ſolùm dimenſio clara apparet, nimirum longitudo. Vnde vrinam dicimus tenuem, cuius corporis ſola longitudo clara oculis ſeſe offert: atque hæc eſt, quæ tenues partes habet. Clara, ſeu ſplendida nuncupatur illa vrina, cuius ſubſtantiam acies oculorum penetrat, dicimus enim vitrum clarum, ac ſplendidum eſſe, per quod facillimè oculorum acies perducitur. Ex aduerſo nuncupatur vrina illa turbida, per cuius corpus radij noſtri non feruntur, ſed ſtatim quodam modo reflectuntur; & ita vitra ſolemus obſcura & turbida vocare, quæ radiis oculorum noſtrorum aditum non præbent. Rurſus turbida, aut poſt mictionem fit turbida, aut ſemper eſt turbida, aut paullò pòſt clareſcit.

Tot igitur ſunt vrinarum differentiæ à ſubſtantia captæ: ſequuntur ſumptæ ab accidentibus: & primò hæ capiuntur aut à quantitate, aut à qualitate. A quantitate quidem, quòd ſit vel pauca, vel multa, vel potui proportionata. paucam aut multam vrinam dicimus reſpectu eius materiæ quę bibitur. A qualitate captæ differentiæ ſunt penes Arabas quinque, videlicet ab odore, à ſapore, à ſono, à tactu, à colore. Neque mirari quiſquam debet, quòd enumerem differentias ab odore, & à ſapore ſumptas; quoniam apud me inter maxima vrinarum ſigna habetur odor, neque vnquam eſt, quòd quis dedignetur olfacere vrinas. De ſapore etiam dixi, non quidem vt guſtentur vrinę, ſed per quandam rationem debeamus earum ſapores conſequi quomodocunque, ſicq; ex habita ſaporis cognitione ad temperaturę quoque notitiam peruenire. Quanquam etiam, ſi Rhaſi grauiſſimo auctori fides habenda eſt, Galenus noſter interdum vrinas deguſtauit, cum mentionē fecerit eius ſaporis. Ab odore ergo captæ differentiæ tres ſunt, quoniam vel odor nullus eſt, vt videantur vrinę nullum præſeferentes odorem notabilē: vel quia malus ac fœtidus eſt, vel quia bonus. A ſapore multas differentias faciunt Arabes, imitati tamen Græcorum, & præſertim Galeni doctrinam: dixeruntq; vrinarū alias eſſe amaras, alias ſalſas, alias dulces, alias acutas, alias acidas, alias aquoſas. eſt enim, vt refert Plinius, proprius etiam aquæ ſapor, qui aquoſus appellatur. A ſono pariter deſumuntur differentiæ: quoniam vrina dum labitur in matulam, vel ſonum clarum edit, & veluti ſtrepitum, vel nullum, aut paruum, vt oleum; nam hoc ex vno vaſe in aliud transfuſum nullum ſonum edere conſpicitur, ex altera parte aqua, & vinum (vnde venditores capiunt indicia bonita-

tis

tis ex ſono,quem edit)ſonum edere.A tactu;quia vel frigida eſt vrina,cum exit,vel tepida,vel feruida.& conſulo,vt ſemper animus adhibeatur huic differentiæ; pariter vel eſt aſpera,vel lenis vrina. Illa eſt aſpera, quæ inter exeundum aſperitatem ſuam oſtendit:lenis,quæ blanditiem quandam in exitu oſtentat. In ſumendis à colore differentiis diligentiſſimi fuere auctores poſteriores, & præſertim Actuarius. ſed vt clarius res percipiatur, dico colorum alios eſſe extremos, alios medios. Extremi duo ſunt: medij verò apud Galenum quatuor ſunt generum. Extremorum colorum alius albus,alius niger.Albus ſub ſe tria genera continet.Aquoſum,eſtque ille, qui aquæ adſimilatur: Glaucum, ſiue corneum, & eſt ille, qui adſimilatur cornibus læuigatis. Tertium eſt vinoſum: nam ſunt quædam vina,auctore Galeno primo de Criſi, alba, quibus interdum vrinæ maximè adſimilantur. Quo loco Actuarium laudare non poſſum, qui propria quadam via incedens colorem vrinarum vinoſum inter rubeos adnumerauerit. Niger color & ipſe tria genera complectitur, atrum, liuidum, ſiue fuſcum, & viridem, χλωρὸν Græci dicunt.quanquam Galenus multis in locis refert, Aſianos hoc nomine vſos eſſe etiam in colore pallido ſignificando. Viridis color duplex eſt, praſinus,qui foliis porri adſimilatur,& ærugineus, qui æruginis ſimilitudinem gerit. Liuidus & ipſe duplex eſt, alter violaceus,qui violarum purpurearum vocatarum colorem refert: alter oleagineus,ſiue plumbeus, qui plumbi, aut olei colorem demonſtrat. Alter quoque color duplex habetur, quorum alter cæruleus nuncupatur, qui colorem ſereni cœli refert: alter verò Iſatidis. Iſatis enim herba eſt, quæ Glaſtum nuncupatur, quæ inficit manus atro colore. Vnde habemus apud Cæſarem Britannos conſueuiſſe hac herba faciem tingere, vt hoc colore hoſtes perterrefacerent. Hi ſunt vrinarum extremi colores, in quibus recenſendis etſi nonnullos omiſiſſe videar, id tamen ideo feci, vt claritati, & breuitati conſulerem: eò magis, quòd ſi non rationem, ſed ea, quæ oculis quotidie inſpiciuntur, monſtrare velimus, neque plura, immò potius pauciora colorum genera eſſe reperiemus.Nunc qui ſint vrinarum colores medij, videamus,auſpicantes ab eo,qui albo proximè accedit(quanquam à Græcis, & Galeno præſertim ὠχρὸς,ſiue pallidus nuncupetur)cuius ſunt gradus duo: vnus,qui proximius albedini accedit, & ὑπώχρος, ſiue ſubpallidus appellatur, adſimilaturque iuri carnium ſemicoctarum: alter gradus, qui pallidus verò vocatur. Hunc multi compararunt illi colori, qui in paleis antiquis conſpicitur. Poſt hunc colorem ſequitur ille, qui πυῤῥὸς à Græcis appellatur, nos verò igneum, ſiue fuluum nuncupamus. Hic etiam ſuos gradus habet, qui proximior eſt colori pallido, ὑποπυῤῥὸς, ſiue ſubfuluus, aut ſubigneus vocatur; qui intenſior eſt, fuluus ſolummodo dicitur. Vterque ſimilis eſt colori citri, & proinde citrinus appellatur. Sed hoc intereſt,quòd qui intenſior eſt,magis fuluus vocari meretur: & hic iure comparari poteſt colori ſiderum. Nam Tibullus ſæpè ſidera fulua appellauit. Sed cauendum, ne quis decipiatur; quoniam fuluus color, vt apud auctores obſeruatur, multis rebus attributus eſt.Succedit tertio loco color ξανθὸς, ſiue flauus appellatus, qui à Galeno lib.de Tumor. præter naturam comparatur colori auri. Sed quoniam varij ſunt colores auri,alij legitimi,alij illegitimi:hinc factum eſt, vt quiſque color proprium ſortitus ſit nomen; qui illegitimo ſimilis eſt auro, ὑποξανθὸς, ſiue ſubflauus appellandus eſt,videntur enim adulterata minus flaueſcere. qui auro legitimo ſimilis eſt,hic verè flauus dicitur. A Plinio autem, & Columella hic color dignoſcitur in ſegetibus valdè maturis. eſt vltimo loco inter medios colores ruber, ſiue rubeus, ἐρυθρὸς à Galeno vocatus. hic eodem auctore libro de Tumoribus præter naturam adſimilatur colori ſanguinis. Huius coloris & ipſe Galenus,& Auer-

roës 3. collect. cap. 21. tres tantum gradus effecerunt: nos perſpicuitati ſtudentes, Auicennam, & alios imitati quatuor faciemus. Primus rubei coloris gradus eſt dilutior, qui conſpicitur in pilis quorundam hominum, in barba præſertim atque capillo: quíve color rufus appellari debet: ſæpe enim legere nobis contingit apud auctores, rufos homines, ac rufas virgines. atque hic color etiam ſuos gradus habet. Si ſit vicinior flauo, ſubrufus vocandus eſt: ſin autem magis ab eo recedat, verè rufus: nam apud auctores Latinos rufus propriè color dicitur, qui à rubro parum declinat. Vnde Catullus gingiuas rufas dixit. Et hinc coniectura conſequi cuique licet, interpretes ferè omnes lapſos eſſe, qui πυῤῥὸν pro rufo tranſtulerunt, quos imitati alij rufum, & citrinum eundem colorem fecerunt. Hunc colorem auctor eſt Plinius lib. 15. cap. 22. inuentum eſſe ex tinctura manuum eorum, qui nuces virides decorticant. Secundus gradus rubei coloris eſt, qui roſeus dicitur, & comparatur illis roſis, ex quibus rhodoſaccarum efficitur apud Pharmacopolas. Tertius gradus eſt purpureus. quis verò ſit iſte color vere, adhuc controuerſum eſt apud ſcriptores. poſſumus tamen in præſentia ſub purpurei nomine eum colorem intelligere, qui impensè rubeus eſt, & vocabulo vernaculo ſcarlatum ſolet nuncupari. Quartus & vltimus gradus eſt color ille, qui verè ſanguinis eſt, quémve Actuarius proprio ſpiritu ductus vinoſum vocare voluit. Sed, vt dixi, iſti omnes colores communi quadam veriſimilitudine à Galeno comparati ſunt ſanguini; eo quòd etiam inter ſanguinum genera aliqua ſint colore magis ſaturata, aliqua minus. Præter hos colores rubeos Arabes addunt alium, quando in ſuperficie apparet aliqua nigredo, & vocat Auerroës hunc cima. ab Auicéna puluerulentus nuncupatur, qua ratione, ignoro. Prædictæ omnes colorum differentiæ, ſi cum differentiis à ſubſtantia acceptis conferantur, atque copulentur, faciunt varia genera vrinarum, nimirum ſi color niger ſubſtantiæ craſſæ, ſi rubeus tenui, ſiue lucidæ, aut obſcuræ. At omnes has differentias enumerare ſuperuacaneum duco; quoniam cognitis ſimplicibus, copulata etiam cognoſcere facile eſt. Subſequuntur modò differentiæ à contentis acceptæ, ſed antequam has explicem, operæ pretium eſſe puto, quàm breuiter contentorum naturam explicare & generationem. Contenta igitur à Græcis παρυφιςάμενα vocata ſunt, quidquid ſubſtantiæ vrinæ corpulentum immiſtum eſt. Diximus vrinam eſſe materiam potulentam permiſtam & alteratam in iecore, & vaſis. quodcunque igitur admiſcetur huic materiæ, neceſſum eſt, vt vel intra vaſa, vel in iecore ipſo miſceatur. Sed quoniam etiam totum illud, quod in vaſis continetur, à iecore eò mandatur, conſentaneum eſt rationi, vt hæc miſtio contentorum præcipuè efficiatur in iecore. Videamus igitur, quid materiæ potulentæ in iecore admiſceri queat. Nemo eſt qui neſciat, ex chylo in iecore tres ſubſtantias effici præcipuè, nempe ſanguinem, atque vtranque bilem: materia enim vrinæ non efficitur in iecore, ſed ſolummodo quibuſdam accidentibus ſpoliatur, vt dictum eſt, atque alia miſcentur. Ergo neceſſum eſt, vt quidquid huic materiæ miſcetur, ſit vel ſanguis, vel alterutra bilis, vel portio ipſius chyli non perfectè mutata: nihil enim aliud in iecore efficitur. Sed cùm non ſit bilis; quia hæc trahitur à proprio folliculo: cum non ſit fæx, ſiue melancholicus ſuccus, qui exſugitur à liene: cum non ſit ſanguis, vt clarum eſt, relinquitur neceſſariò eſſe partem chyli, vel nihil, vel parum mutatam, quæ pars chyli materiæ potulentæ commiſta vnà cum ſanguine in venas mittitur. Atque hoc eſt totum id, quod Galen. 1. Prognoſtic. vltimo, illo diſcurſu manifeſtare voluit. Sed quæret aliquis, quæ ſit differentia inter hunc ſuccum, qui continetur in vrina, & inter pituitam: eo magis, quòd Galen. 2. de Facultatibus naturalib. vltimo, pituitam etiam

ſemicoctum

ſemicoctum humorem appellat. Hæc eſt differentia, quod pituita proximè accedit naturæ ſanguinis,& in eum conuerti poteſt:hic autem longius recedit à natura ſanguinis,& quamuis in vaſis alteretur, ac permutetur, nunquam tamen naturam ipſius ſanguinis conſequi poteſt, &. hoc proficiſcitur ſolum ex defectu coctionis ventriculi: vnde iure vrinæ à natura miſcetur, vt tanquam inutile cum ipſa extra corpus feratur. Hac declaratione poteſt facillimè ea controuerſia tolli, quæ inter medicos diu agitata eſt, nunquid ſcilicet neceſſarium ſit in vrinis ſanorum contenta apparere,ſi enim contenta nihil aliud ſunt,niſi partes chyli crudi, vbicunque vir ſanus ſtudeat chylum in ventriculo probè conficere, ſedimentum, ſiue contentum non eſt neceſſe apparere in vrina. Ex altera parte quantumuis ſanus quis ſit,ſi tamen in victu erret,proculdubiò ſemper contenta in vrinis videbimus; & quanto magis quis erret,tanto plura contenta conſpicientur.Et propterea pueri,& voraces homines,quanquam ſanitate fruantur, habēnt tamen vrinas multis ſedimentis referras.Sed hæc,vt iam dixi,intelligenda ſunt de vrinis ſanorum. Quæſtio eſt à recentioribus nonnullis tractata, num eodem modo contenta gignantur in vrinis ſanorum,quo in vrinis febricitantium. Ego in hac ſum ſententia, omnino diuerſa eſſe contenta febricitantium vrinarum,& ſanorum. Ad quod credendum tribus rationibus adducor.Prima eſt:quia ſicuti colores, & alia accidentia vrinarum diuerſa ſunt in ſanis,& ægris, pariter & contenta non eadem eſſe debent. Secunda ratio eſt: quoniam ſi eadem eſſent vtrorumque contenta, vanus profectò eſſet medicorum labor, dum ex contentis humorum peccantium naturam intelligere ſtudent. Tertia,quia in ægris fit multa perturbatio in vaſis, atque exuſtio; ex quo efficitur, vt in eiuſmodi perturbatione neceſſariò aliquid admiſceatur: quæ turbatio cum non fiat in ſanis,non poteſt quidquam admiſceri. Igitur ſecundum Galeni ſententiam primo de Differ.feb.cap.6.& 3.de Præſag.ex pulſibus cap. 7. dicendum eſt, ſedimentum,quod in vrinis febricitantium conſpicitur,nihil aliud eſſe vt plurimum, quàm fæcem humoris putreſcentis puri proportione reſpondentem. Dixi, vt plurimum,quod alij non animaduerterunt; quoniam etiam in vrinis febricitantium poſſunt generari & apparere contenta eo pacto, quo in ſanis. Sed quæret aliquis, quonam modo cognoſcendum ſit, àn ſedimentum, ſiue contenta in vrinis ægrotantium ſint eiuſdem naturæ cum contentis ſanorum? Vnam atque eam potiſſimam hoc dignoſcendi habeo rationem, videlicet errata ægrotantium in victu commiſſa. ſi enim videbimus vrinas contenta habentes,ac certi ſimus in victu nullum erratum committi, tunc certò pronunciandum, ea contenta eſſe humorum putreſcentium partes. Quòd ſi, vt aliquando contingit,ægrotus plus cibi capiat, quàm par ſit,tunc verendum eſt,ne contenta apparentia ſint potius eiuſdem naturæ cum ſanis, quàm partes putreſcentium humorum. Et hinc facile eſt intelligere, falli ſæpenumero medicos, qui videntes contenta in vrinis ægrotantium, illicò pronuntiant, ſignum eſſe valetudinis, cum tamen interdum videantur ægri cum iſtis contentis perire; eo quòd illa ex cruditatibus potius ab errore genitis, quàm ex materia morbifica efficiantur. Tradita igitur ſit breuiter generatio, ac natura vtriuſque ſedimenti,illius videlicet,quod in vrinis ſanorum,& illius quod in ægrotum vrinis continetur.Nunc vt ad rem noſtram redeamus,differentias,quæ ex huiuſmodi contentis capiuntur,videamus. Differentiæ igitur contentorum ſunt numero ſex,vel enim à loco ſeu ſitu eorum capiuntur, vel à quantitate, vel à colore, vel à ſubſtantia, vel à miſtione, vel à tempore. A loco quidem; quoniam contenta vel ſunt in imo vrinæ, vel in medio, vel in ſummo. ſi ſunt in ſummo appellatur νεφέλη à Græcis, nebula à noſtris. Notandum tamen, hanc vocem apud

Hippocratem,vt ſcribit Erotianus in Onomaſtico ſuo, interdum ſignificare quid-quid ſupereminet alui egeſtionibus,ſiue ſit ſubpingue,ſiue album,ſiue flauum, ſiue aliquo alio colore infectum. & hoc dicit auctor ille, factum eſſe ab Hippocrate metaphora à nebulis in ſummo aëre conſiſtentibus capta. Si contentum ſit in me-dia parte, ἐναιώρημα Græcis, ſuſpenſio Latinis nuncupatur, ſecundum Galenum lib. primo de Criſi:quanquam idem ſecundo Prognoſt.textu vigeſimo nono,& trigeſi-mo ſexto,nec non tertio Epid.comment.primo,textu quarto ſcribit Hippocratem interdum etiam hanc ſuſpenſionem nebulæ vocabulo appellaſſe. Si in ima parte contineatur hæc materia,Græcè ὑπόστασις,ſiue ὑφίστασις, vel ὑφιστάμενον, Latinè ſubſi-dentia, & ſedimentum vocatur. & hæ quidem particulares, quæ modò ſequuntur differentiæ,omnes communes ſunt tam nebulæ,quàm ſuſpenſioni,& ſedimento. A quantitate ſumitur differentia, quoniam contenta vel pauca, vel multa ſunt. A coloribus quoque ſumi differentiæ poſſunt multæ;ſed vt breuitati & claritati con-ſulatur,tres ſolos colores faciemus,qui frequentius conſpiciuntur:dixi frequentius; quoniam ſæpiſſimè contingit;vt color liquoris,ſiue ſubſtantiæ vrinæ ſit idem, qui contentorum;quòd ſi diuerſus ſit, tunc contentorum colores ſolent eſſe vel albi, vel nigri,vel rubri. A ſubſtantia contentorum ſunt differentiæ;quoniam vel tenuis eſt,vel craſſa,vel æqualis, vel inæqualis. inæqualis, quando altera pars eſt craſſior, altera tenuior,altera denſior,altera rarior. Æqualis eſt cum omnes partes ſunt, vel æquè craſſæ,vel æquè tenues,apparétque veluti vna omnium planicies. Ex miſtio-ne ſumuntur differentiæ, quandoquidem videntur contentis ipſis ſæpè diuerſi ge-neris corpora commiſceri:quæ corpora ſunt vel leuia, vel grauia. Corpora leuia, quæ contentis commiſcentur, ſolent vel in ſummo, vel in medio conſpici, qualia ſunt flatus,filamenta,araneæ.pilos etiam ſe vidiſſe memorat Galenus ſexto de Lo-cis affectis cap.tertio,Plutarchus quoque 8.Sympt.Problem. nono refert quendam extitiſſe,qui in vrinis excernebat paleas hordeaceis ſimiles. Aut grauia sũt corpora contentis immiſta,& hæc in fundo reſident,cuiuſmodi ſunt arenæ,pituita, pus,la-minæ,furfures, ſubſtantia ſanguinea, ac cætera,quæ ab Hippocrate & Galeno re-cenſentur libro 4.Aphoriſm.2.Prognoſt.1.de Criſi, cap. 12. A tempore pariter ca-piuntur differentiæ, quia vel ſtatim apparent contenta, ac vrina excreta eſt; vel paullò pòſt,vel longo tempore,& tunc aut durant,aut permutantur, ac diſſoluun-tur.Tot ſunt differentiæ à contentis acceptæ. Sunt & quædam alia, quæ in vrinis conſpiciuntur contineri, quæ quatuor ſpeciebus comprehenduntur. prima ſpecies eſt circulus,ſiue corona:& hæc ſunt quædam ſubſtantiæ, quæ adhærent parietibus matulæ, ſuntque duorum generum: vel enim ſola quadam linea deſcribunt circu-lum,aut coronam,vel vniuerſo ſuperficiei vrinæ ambitu: ita vt ſola ſuperficies vri-næ videatur coronam, circulúmve efficere. Hæ coronæ, & circuli interdum fiunt ex materia pingui, interdum ex paruis bullis inuicem copulatis. Secunda ſpecies ſunt bullæ quædam diſperſæ, & inuicem ſeparatæ, quæ in ſuperficiebus vrinarum conſpici ſolent:& has Plinius lib.28.cap.6.bullantes vrinas appellauit. Tertia ſpe-cies eſt ſpuma,quæ,vt ſuo loco oſtendimus,nihil aliud eſt,niſi paruæ bullulæ inui-cem coniunctæ,& copulatæ.Quarta ſpecies eſt pinguedo quædam, quæ in ſuperfi-cie ſupereminet;& hæc duplex eſt, aut oleaginea, ita vt videatur veluti oleum ſu-pernatare:vel colliquatiua, vt videantur veluti carnes colliquatæ. Vnde adnotare oportet,Aëtium,Actuarium,& eorum ſequaces non parum fuiſſe allucinatos, qui librum illum de vrinis Galeni nomine falsò publicatum ſequuti,tria genera vrina-rum oleaginearum commenti ſunt:vnum à ſubſtantia, alterum à colore,tertium à toto corpore.Nam.Galen.qui ex ſententia Hippocratis 2.Prognoſt.huiuſmodi vri-
narum

narum meminit, nullam aliam vrinam oleagineam agnouiſſe videtur, niſi eam in cuius ſuperficie veluti oleum apparet. Hæ ſunt omnes vrinarum differentiæ à nobis methodo ac breuitate traditæ.

De optimæ Vrinæ conditionibus.

CAPVT V.

COgnitionem veram vrinarum ex cauſſarum notitia expectandam eſſe, nemo eſt qui ignoret: propterea poſt declaratas differentias, neceſſe eſt vt earum cauſſas aggrediamur. Quod vt facilius conſequi vnicuique liceat, vrinarum optimarum conditiones explicabimus. Quatuor igitur omnium vrinarum eſſe cauſſas, compertum eſt omnibus medicis, efficientem, materialem, formalem, & inſtrumentalem. Efficiens cauſſa nulla alia eſt, niſi propria iecoris, atque vaſorum temperies. Materialis eſt ipſamet potulenta materia. Inſtrumentalis, vaſa ipſa, atque iecur. Formalis nil aliud, niſi propria vrinæ temperatura. Cum igitur & temperatura iecoris, & vaſa ipſa moderatè conſtant, cúmque materia potulenta ſine vllo vitio habetur, neceſſariò conſequitur formam ipſius vrinæ, ac temperaturam optimam fieri. Conditiones verò huiuſmodi vrinæ tales traduntur à Galen. 1. de Criſi c. 12. quòd ſcilicet ſit media inter craſſam, & tenuem, colorem habeat fuluum, aut ſubflauum, eúmque permanentem, quantitate potui correſpondeat, & vel ſine ſedimento ſit, vel cum ſedimento albo, leui, æquali. Leue ſedimentum inquit Aëtius lib. 5. cap. 28. ab Hippocrate vocari, quod συνεχὲς καὶ ἀδιάσπαστον, hoc eſt, continuum, & indiuiſibile eſt: æquale verò; cuius tota ſubſtantia ſimilis eſt, & quod vnaquaque die eodem pacto conſpicitur, ita vt non vna die vno modo, altera altero conſpiciatur. Vbi duo ſunt digna, quæ animaduertantur. Vnum, huiuſmodi vrinæ notas minimè in omnibus reperiri; eo quòd, vt ſuo loco dicemus, & ſexus diuerſi, & diuerſæ ætates diuerſos vrinarum colores habent. Alterum, quòd vt optimæ vrinæ conditiones perſpectæ habeantur, non inſpicienda eſt vrina quolibet tempore capta, ſed ea tantùm quæ poſt coctionem excernitur. Quæ enim vrina ante coctionis perfectionem ſumitur, colore ſpoliata eſſe ſolet; propterea quòd nondum calor iecoris materiam potulentam alterauit, nondum permiſcuit quidquam. Quæ verò poſt coctionis perfectionem inſpicitur, iam propriis coloribus & accidentibus induta eſt, & hoc pacto interpretanda eſt ſententia Cornelij Celſi medici grauiſſimi libr. 1. cap. 2. à quo poſtmodum eandem ſententiam tranſtulit Plinius lib. 28. cap. 6. quòd ſcilicet ea vrina eſt ſana, quæ manè alba emittitur, deinde rufa euadit; quoniam illa concoquere naturam: hæc verò concoxiſſe iam ſignificat. Cur verò vrina optima talis ſit, prima cauſſa eſt; quia cauſſa effectrix effectum ſemper ſibi adſimilare ſtudet: effectrix verò cauſſa cùm facultas ſit, atque illa in temperatura conſiſtat, proculdubiò etiam in vrina eandem temperaturam producere quærit. Quantitas verò potus non diminuitur; quoniam aut nihil, aut exiguum ſanè eſt, quod pro nutrimento ex potu exſugitur, ſi vnà cum chylo à ventriculo aliquid mittatur, quod alicuius humoris naturam ſubire nequeat, in ſedimentum euadit: ſin nihil, nullum etiam ſedimentum apparet. Fiunt ſedimenta alba, leuia, & æqualia; quoniam etſi natiuus calor eam materiam in ſanguinem nequeat conuertere: poteſt tamen ad vnam formam redigere, eóque colore inficere, quo ſunt vaſa ipſa, ſiue vaſorum tunicæ: ſunt

alba,

alba,cùm materia potulenta etiam alba ſit natura, nimirum aquea. Atque hæ ſunt notæ optimarum vrinarum cum ſuis cauſſis.

De cauſsis naturalibus differentiarum vrinæ.

CAPVT VI.

NVnc eas vrinas contemplemur,quæ ab hac optima deſciſcunt, eadem metho-do vtentes, qua in differentiis venandis vſi ſumus:& primum à ſubſtantia ex-ordium ſumamus:quæ quidem ſubſtantia ab Aëtio, & omnibus ferè poſterioribus. χῦμα, id eſt, affuſio, ſiue liquor nuncupata eſt. Vnde non ſatis mirari poſſum,qua ratione ductus Montanus vir grauiſſimus voluerit χῦμα,ſiue liquorem,& ſubſtan-tiam differre. Hæc ſubſtantia eſt aut tenuis,aut craſſa, aut lucida & perſpicua, aut turbida & obſcura. Hæ ſunt differentiæ à ſubſtantia ex natura rei ſumptæ: quas etiam ita accepit & Auicenna, & Auerroës; ſubſtantia tenuis, vel ſemper tenuis manet, vel paullò pòſt craſſeſcit. vtranque vrinam tenuem à virtutis alteratricis imbecillitate ortum ducere, communis eſt omnium ſententia. Cum enim calor natiuus iecoris ſolummodo materiam potulentam quibuſdam accidentibus exuat, nec eam alterare,aut multis aliis accidentibus afficere poſſit,fit tenuitas vrinæ. Eſt ſententia Ariſtotelis 4. Meteor. cap.2. ea quæ coquuntur, ſemper craſſefieri: qua-re vrinam, quæ tenuis eſt, ſignum eſt minimè eſſe concoctam.fit & tenuitas vrinæ ex obſtructione vaſorum, per quæ excolatur, veluti renum, meatuum vrinario-rum & veſicæ,quæ vaſa quandocunque anguſta ſunt,aut obſtructa, efficitur vt vri-na per illos ductus anguſtos tranſcolata deponat partes craſſas ſibi immiſtas. Vnde Galen.6.de Loc.aff.cap. 11. & alij omnes inter nephritidis ſigna vrinæ tenuitatem in principio apparentem reponunt. Immodica quoque potio tenuitatis vrinarum cauſa eſt,propterea quòd potus ob multitudinem non poteſt tandiu in iecore per-manere, quoad alterari queat. Craſſeſcit verò vrina tenuis, quoniam ex cruditate flatus miſcentur, qui flatus ambientis frigore in humiditatem condenſati craſſi-tiem vrinæ obducunt.Sed hic dubitatio eſt:quoniam Ariſtot. lib.4. Meteor. cap.7. ſcribit, quòd quæcunque non craſſantur à frigido, aquea ſunt,& exemplum affert de vrina, ſero, lixiuio, & vino: ergo videtur Ariſtoteles ſentire à frigido vrinam craſſefieri non poſſe. Dico pro diluenda hac dubitatione, frigidum per ſe humo-res incraſſare non poſſe, per accidens tamen poſſe,hoc modo ſcilicet, quòd flatus condenſantur in humorem,ex qua condenſatione conſequitur craſſities. Sic ete-nim dicebat oleum craſſeſcere; eo quòd aër ſubſtantiæ pingui commiſtus in hu-morem condenſetur. Craſſa vrina & ipſa vel permanet craſſa, vel paullò pòſt at-tenuatur. vtraque efficitur ab eadem cauſſa, nimirum ex admiſtione craſſorum cor-puſculorum facta à calore naturali,aut præternaturali. hæc verò permiſtio aut ex-actè fit,ita vt minimum vnius miſceatur minimo alterius:aut licèt non perfectè fiat, corpora tamen miſta viſcida ſunt, ac tenaciter adhærent: vel neque fit perfectè miſtio,neque corpuſcula miſta viſcida ſunt, neque tenaciter adhærent. Si facta ſit exactè commiſtio, vel materiæ commiſtæ ſunt lentæ & viſcidæ, vrina craſſa talis permanet multo tempore.Sin verò non fit miſtio perfectè facta, nec corpora ſint viſcida, vrina craſſa excreta paullò pòſt attenuatur;eo quòd corpora illa ſeparētur, ac in aliquam contentorum ſpeciē tranſeant. Craſſitudinis etiam poteſt eſſe cauſa,

vel

vel potius concauſſa colli veſicæ amplitudo,atque breuitas, id quod dicebat Ariſt. 10.partic.Problem.36.quo in loco ſcriptum reliquit,iumenta craſſas vrinas mingere, & hominibus calculo veſicæ minus tentari ob veſicæ colli amplitudinem. Hippocrat.etiam libro de Aëre,aquis & locis,necnon Alexand.2.Problem.47.dicebant, mulieres craſſas vrinas mingere , & minus veſicæ calculo vexari ob veſicæ colli amplitudinem , ſimul & breuitatem. Clara ſiue ſplendida vrina , & ipſa aut clara permanet,aut paullò pòſt turbida euadit.quæ clara permanet , efficitur ob virtutis alteratricis imbecillitatẽ;eo quòd materia potulenta cum propria perſpicuitate relinquitur,nec vlla alia re inficitur.De hac claritatis ſpecie loquutum puto Auerr.4. Collect.21. quando ſcripſit,claritatem vrinæ ſubſtantiæ tenui naturaliter coniungi. Quæ autem clara eſt, & paullò pòſt turbatur,efficitur vel à cruditate interdum, quæ replet multis vaporibus craſſis vrinam , atque illi demum in aquam denſati turbant illius perſpicuitatem:vel fit ſæpiſſimè à calore præternaturali, atque igneo (vt in febribus)qui non,vt multi putarunt,efficit perſpicuitatẽ ob ſpiritus,ſed quia ſubſtantiam vrinæ politam,atque læuem inſtar ſpeculi reddit. Vnde fit, vt poſtmodum lumen inde recipiatur , atque reflectatur , quò calore abeunte,cum læuor ille atque polities deperdatur, aboletur ſimul & perſpicuitas : quod luculentiſſimè teſtatur Ariſt.lib.de Coloribus. poteſt & alia vrinæ perſpicuitatis eſſe cauſſa à nullo ſcriptore(quod ſciam)explicata;videlicet pororum rectitudo,ac raritas. Neque hoc ego ſomniaui;nam Ariſt.23. partic.Probl.15.quærẽs cur mare,cum ſit craſſius aqua fluuiali,magis tamen perſpicuum ſit, inquit,id fieri non ob tenuitatem, ſed duabus de cauſſis;quarum vna eſt meatuum rectitudo,per quos meatus facilè radij oculorum feruntur;altera eſt ſubſtantiæ puritas;in fluuiis enim materiæ terreæ commiſtæ ſunt,quæ puritatem aquæ deſtruunt,meatuum rectitudinem delent.è conuerſo in mari arena cum ſubſideat,relinquit poros aquæ rectos,& puros.Si igitur in aqua marina perſpicuitatis ratio redditur hæc ab Ariſt. poſſumus nos eandem aſſignare in vrinæ luciditate.Ex quo loco colligi poteſt,luciditatem & craſſitiem poſſe ſimul conſiſtere , contra nonnullos, qui lucidum nihil eſſe poſſe arbitrati ſunt,niſi idem tenue quoque ſit. Turbidæ vrinæ vel ſemper tales manent, vel paullo pòſt clareſcunt. differunt autem turbidæ à craſſis ; quoniam craſſarum contrariæ ſunt tenues;turbidarum claræ: præterea craſſæ lucidæ eſſe poſſunt,turbidæ nũquam:quoniam illæ lumen reflectentes luciditate prorſus non priuantur , & propterea viſus acies vniuerſum earum corpus penetrat. hæ verò lumen potius ſua aſperitate in profundum recipiunt,nec reflectunt.vnde fit,vt obſcuræ reddantur , atque viſus acies ſuperficiem ſolùm videat,non autem internas partes permeet. fiunt huiuſmodi turbidæ vrinæ ob admiſtionem corporum craſſorum,& obſcurorum,quæ ſi viſcida ac lenta ſint,ſi exactè commiſceantur, vrinas ſemper turbidas reddunt : quales eſſe iumentorum ſcriptum reliquerunt Hippocrat.4.Aphoriſm.70.& Ariſt.10.Problem. 38.ſin autem illa corpora neque perfectè miſceantur,neque ſint viſcida,vrinæ tunc clareſcunt ; quoniam illa corpora , aut propria grauitate fundum petunt , ſicque ſubſtantiam vrinæ puriorem & lucidiorem relinquunt , vel beneficio caloris externi,aut ignei ſeparantur,atque in aliquam ſpeciem contentorum mutantur. Sequuntur cauſſæ explicandæ differentiarum à quantitate : quoniam vrinæ reſpectu potus vel paucæ ſunt,vel multæ : paucæ fiunt, vel quia aliò vertuntur humiditates potulentæ,vt ad ſudorem,ad aluum,ad ventrem,vt in hydrope;vel quia retinentur in veſica , aut renibus:idque accidit aut ob tumores , aut ob lapillos , vel propter grumos ; vel fiunt paucæ , quoniam ab incendio conſumuntur , quod contingit in febribus maximis atque ardentibus : quod etiam contingit in corporibus

arefactis

arefactis & conualeſcentibus ; quæ cum admodum ſicca ſint , humiditatem potulentam in ſeipſis totam abſorbent. Multæ fiunt vrinæ reſpectu potus , vel quia commutatrix facultas cum cibos probè conficere nequeat , eos in humiditates conuertit ; ac materiæ potulentæ commiſcet : vel quis retentæ alibi humiditates , vt in thorace , aut ventriculo , per vrinas erumpunt ; vel quia humores morbifici per vrinas excernuntur , id quod ſæpè fieri in criſibus , ſiue bonis , ſiue malis , experientia quotidiana docet : quando & Galenus tertio Epidem. commentario tertio , textu quadrageſimo primo ſcripſit , ſe multos vidiſſe ſola vrinarum copia iudicatos. Vel fiunt multæ vrinæ ; quoniam craſſi humores , carnes , pinguedines colliquantur , & materiæ potulentæ commiſcentur , quod accidit in febribus ardentibus , quodque fieri contigit in puella illa Mediolanenſi octodecim annos nata , quam refert Medicus quidam, Marcus Gatinaria , per quadraginta dies ſingula quaque die quindecim libras vrinæ excreuiſſe , cum potus , & cibi quos aſſumebat , non æquarent pondus quattuor librarum. Vel fiunt quoque multæ vrinæ ; quia renes admodum ſupercalefacti vndique humiditates trahunt , vt in diabetica affectione : vel quia diuretica edulia , aut medicamenta ſumuntur , quæ propria vi humores attenuentia vrinæ multitudinem producunt , quod etiam facere plantas omnes, ac ſemina odorata memoriæ prodidit Ariſtoteles duodecima particula , Problemate duodecimo , vel quia aliæ euacuationes cohibitæ ſunt , vt ſudores, menſtrua , alui egeſtiones. Quòd enim fæces per vrinas poſſint exinaniri , luculentiſſimus teſtis eſt Ariſtoteles quarto libro de Generatione animalium capite quarto , quo in loco ſcribit, vaccam quandam fuiſſe Pirinthi, cuius anus cum clauſus eſſet , excrementa ſicca in flatus conuertebantur à natura , & per vrinam excernebantur. Accedit magni Hippocratis teſtimonium , qui libro quarto Aphoriſmor. vltimo , ſcribit , multam mictionem noctu factam , paruam deiectionem ſignificare. Quam ſententiam exponens Cornelius Celſus cap. octauo libri ſecundi , necnon Galenus in commentario illius Aphoriſmi , dixerunt , vrinam fieri multam , quando humiditates fæcum ad vrinam conuertuntur , ſicuti egeſtiones fiunt liquidæ , quando humiditates potulentæ ad inteſtina defluunt. Scribit præterea Hippocrates libro ſecundo de Morbis in principio , fieri vrinam multam , quando caput ſupercalefactum eſt , nulla alia ratione , niſi quia à calore pituita , quæ in cerebro ſemper multa eſt , colliquatur , atque ad vias vrinæ demandatur. Cauſſæ verò differentiarum , quas à ſono ſumi diximus , nullæ aliæ ſunt , niſi motus velocitas , aut tarditas vrinæ. Dicebat Ariſtoteles ſecundo de Anima , capite de ſono , fieri ſonum quotieſcunque corpora mutuo colliſa vehementer , ac velociter aërem percutiunt. Quare ſi vrina ſit ſubſtantiæ ſubtilis , ita vt velociter illidi poſſit matulæ , & vehementer, fit ſonus euidens & clarus ; ſin verò vrinæ corpus ſit craſſum , ſit pingue , cum tardè moueatur, cumque nec vehementer , nec velociter percutiat aërem , fit ſonus obtuſus, & languidus : quemadmodum contingere videmus in oleo , quod quia craſſarum & pinguium eſt partium , non poteſt velociter moueri , neque vehementer aërem percutere. Tres in odoribus vrinæ differentias haberi à medicis obſeruatum eſt. Prima eſt , ſi vrinæ nullum habeant odorem ; hoc eſt , nullum adeò inſignem , vt vel nomen , vel aliqua alia conditio aſſignari poſſit. Huius differentiæ cauſſa nulla alia eſt præter caloris natiui imbecillitatem , qui cum nec alterare, nec permiſcere queat materiam potulentam , in ſua aquoſitate relinquit. faciunt quoque inodoram vrinam potus frigidi, perinde ac in regionibus frigidis , in

ætatibus

ætatibus frigidis odores obſcurari animaduertimus. Secunda differentia eſt, ſi vrinæ bene oleant:quod dupliciter contingere poteſt, vel à cibis,aut à medicamentis; ſic enim videmus,eos qui deglutiunt laricis arboris reſinam,vrinam violas purpureas olentem reddere:ſic quoque qui aſparagis veſcuntur, vrinas odoratas faciunt. Id tamen magis perpetuum eſt, vrinas reddi odoratas à calore optimè coquente. Tertia, & vltima differentia eſt, ſi vrinæ malè oleant:cuius praui odoris quatuor cauſſæ aſſignantur. Prima eſt cruditas,ſiue ciborum indigeſtio.Nam vbi cibi crudi, & indigeſti à virtute alteratrice relinquuntur, vrinæ fœtent: eo quòd probè ſucci ipſi permiſti non ſunt concocti. hanc cauſſam aſſignauit Ariſtot.13. partic. Problem.4. ſic obſeruatur quotidie, eorum, qui cruditatibus ventriculi laborant,ora malè olere.Sic quoque leones vrinas fœtentes reddunt; propterea quòd,teſte Ariſtot.8.de Hiſt.anim.cap.5. hi fame tentati plurimos cibos; eóſque non manſos ingurgitant, quos cum deinde concoquere nequeant, plurimas cruditates gignunt, ex quibus in vrinis fœtor naſcitur. Secunda fœtoris vrinarum cauſſa eſt putrefactio; eſt namque Galeni ſententia 5.de Simplici medicina libro, quæcunque putreſcunt fœtere. Propterea in febribus putridis peſtiferis ſemper vrinas peſſimè olere inuenitur. Sic etiam ſi vrinæ per loca putridis vlceribus ſcatentia pertranſeant, vel ſi ſanies aliunde emanans ipſis permiſceatur, fiunt fœtidæ. Tertia praui odoris cauſſa eſt nimia vrinæ in veſica retentio. Dicebat Ariſt.13.partic. Problem. 1.Vrinas diutius in veſica moratas craſſeſcere,& ſubinde etiam prauis odoribus inſici.Quarta cauſſa eſt qualitas eorum,quæ vel loco cibi,vel medicamentorum, vel potus ſumuntur.Sic videntur aſini vrinas fœtidas reddere. Sic ſcriptum eſt ab eodem Ariſtotele allia vrinas fœtentes facere:quod tamen duplici ratione contingit; vel quia quæ ſumuntur proprios quoſdam odores habent:vel quia propria quadam vi humores fœtidos promouent ad vrinas. Sed hic non contemnenda oritur dubitatio; Quomodo fieri poſſit, vt cibi vſque adeo in iecore, & venis alterati poſſint proprios odores ita conſeruare, vt vehant illos ſecum ad partes longinquas, qualis eſt veſica:quomodò etiam potus,cum præſertim dixerimus, materiam potulentam ante cætera in iecore propriis accidentibus ſpoliari. Pro cuius dubitationis reſolutione ſciendum eſt,odores interdum fundari in parte aërea ſolùm, interdum in aquea ſola,aliquando in ſola terrea,nonnunquam verò in terrea & aquea ſimul. exempla ſuggerunt ſublimationes. Videmus enim ex rebus ſublimitatis huiuſmodi omnes effectus. Si flores illos ab Italis vocatos nomine Gariophyllorum ſublimemus; nec aqua extracta, nec excrementa relicta odorem habent: quod argumentum eſt ipſorum odorem in parte aërea, quæ euanuit, fundatum eſſe. Rurſum ſi ſublimetur cinnamomum, aquam extractam maximè olere inuenimus; excrementa prorſus inodora relinquentur:quod indicium eſt cinnamomi odorem in parte aquea collocari. Rurſus ſi roſæ ſublimentur, non modò aqua,verum etiam excrementa odorem ſeruant; ex quo facilè conijcitur,ipſarum odorem tam in terrea, quàm in aquea parte fundari.Camomelum ſi ſublimetur,aquam inodoram facit;excrementa tamen adhuc olent. Id etiam propemodum contingit in corporibus noſtris,in quibus fiunt variæ ſublimationes.Cibi; quorum odores fundantur in parte aquea,ſimiliter & potus,non eſt mirum, quòd vrinas faciunt olentes proprio odore;quoniam quemadmodum pars aquea vehitur eò,ſic & odor ipſi inexiſtens.Quæ verò odores habent poſitos in parte vel terreſtri,vel aërea,aut ſtercora odore inficiunt,aut per halitus inſenſibiles deperdunt.Sequuntur differentiarum à ſaporibus ſumptarum cauſſæ:& primò ſalſedinis, quæ videtur vrinæ, ac ſudoribus eſſe maximè propria,cuius cauſſam hanc aſſignauit Ariſtot. 1.Problem. 3. videlicet,

videlicet,quòd pars dulciſſima,& leuiſſima tota in nutrimentum tranſit:pars verò alieniſſima,ac terreſtris relinquitur,quæ ſero commiſta ſalſedinem inducit. qua ratione Medici quidam,qualis fuit Paracelſus,dixerũt vrinam eſſe ciborum ſal. Rhaſes,& alij Arabes medici putarũt ſalſedinem vrinarum, & ſudorum effici ex miſtione ſalſæ pituitæ cum ſero, aut ex calido, & humido terreo. Nos verò dicimus etiam ex vaporibus calidis, & ſiccis commiſtis humiditati potulentæ huiuſmodi ſalſedinem generari,perinde ac videmus mare ſalſum fieri ex huiuſmodi calidis, & ſiccis euaporationibus.Amarus ſapor fit ex permiſtione humorum ſiccorum,& calidorum, qualis eſt bilis.Acidus ex ſententia Rhaſis fit vbicunque melancholicus ſuccus naturalis humiditati ſeroſæ commiſcetur. Acris ob caliditatem immenſam. Acerbus ex imbecillitate natiui caloris:quemadmodum videmus fructus immaturos eſſe acerbos:eò quòd calor nondum excoxit ipſos. Dulcis efficitur vel ob miſtionem pituitæ dulcis,vel ob coctionem moderatam. Aquoſus fit ſapor, quoniam materia potulenta,quam ex Ariſt.aqueam eſſe ſæpe diximus, in propria natura relinquitur,nec alteratur,nec permiſcetur.

Quæ colorum vrinarum differentias faciunt cauſſæ multæ quidem ſunt, neque etiam admodum medicis notæ. Nos tamen ea perſpicuitate, ac breuitate qua fieri poterit,eas tradémus. Sed antè omnia illud notandum eſt, omnes ferè vrinarum colores,exceptis albis quibuſdam,ex aliorum humorum permiſtione effici.Humores verò, qui colores proprios quoſdam habent, tres ſolum ſunt, vel flaua bilis, vel melancholia, vel ſanguis. itaque omnis vrinarum color ex vnius horum humorum permiſtione naſcitur, vt ſignificaſſe videtur Galenus 6. Epidem. comm.5. text.15. Nam materia potulenta denudata proprio colore, ſemper alterum horum induit.Vnde facilè videre eſt,auctores quoſdam ineptè feciſſe, & præſertim Nicolaum Florentinum,qui dubitauit,an vrinæ ſubſtantia,an verò color prius gignatur: clarum eſt enim vrinæ ſubſtantiam non gigni, ſed eam tanquam ſuſtentaculum quoddam accidentium præexiſtere. Iam igitur videamus primò extremorum colorum cauſſas. Albus color quod fiat ab imbecillitate caloris, omnes medici conſentiunt, qui calor imbecillus cum nequeat multum alterare, ac permiſcere, proprium aquæ ſubſtantiæ colorem relinquit.eſt & alia cauſſa, nimirum tenuitas, ac ſubtilitas potus,cuius ratione cum citiſſimè permeet, non alteratur. Eſt quoque in cauſſa copia & acrimonia potus;quoniam vtroque modo non potens potus diu permanere in iecore & venis,ſtatim qualis aſſumitur, talis egeritur, ſicuti in potu aquarum thermalium obſeruatur. Poteſt etiam color albus effici ex admiſtione pituitæ, puris,ac ſeminis; quales lacteas eſſe ab iſtis appellatas exiſtimo. Summa eſt, albedinem vrinarum frigiditatem ſemper atteſtari, & propterea ſcriptum eſſe ab Ariſt. 4. Meteor.cap.11.caliditatem omnem vrinis extraneam eſſe. Adnumeratur ab Hippocrate lib. de Aëre, locis, & aquis alia albedinis vrinarum cauſſa, quando ſcilicet aluus adſtricta & ardens eſt, ſimulque ardorem veſicæ communicat:ex quo fit,vt huius ardore partes craſſæ & bilioſæ vrinę condenſentur,ac in veſica retineantur:partes autem ſolummodo eæ emittantur,quæ ſubtiliores ſunt, ex quo vrina ſplendidiſſima,& ſero ſimilis fit.Niger color efficitur aut extrinſecùs,aut intrinſecùs.extrinſecùs quidem,ſi potiones nigræ,vel cibi ſumantur. expertus ſum quoque clyſteres factos ex ſapa ſola vrinas atras reddidiſſe. Referunt Auicenna & Rhaſes, quòd ſi quis corpus oblinat Halcanæ fructu (eſt enim Halcana liguſtrum album, fructum & florem nigros ferens) vrinam nigram reddit. Intrinſecùs verò generatur nigredo; vel quia humor melancholicus naturalis plurimus commiſcetur, ſicuti in ictericia à liene ortum ducente: vel quia alij humores exuſti,

&

& nigrefacti admiſcentur. Aſſantur verò humores hi & nigreſcunt, videlicet bilis, ſanguis, & melancholia naturalis à vehementi calore, vt in febribus ardentiſſimis, in carbunculis, & huiuſmodi aliis. Et quoniam ex varietate quantitatis atramenti, aut aliquarum rerum ſibi iunctarum aquæ mixti efficiuntur varij nigroris gradus; pariter ex diuerſitate humoris atri potulentæ materiæ commiſti, & aliorum humorum, qui ipſi copulari queunt, varij efficiuntur nigredinis vrinarum gradus: nam bilis flaua aſſata, ſicuti ſcribit Galen. 10. de Simplici med. cap. de Bile, modò efficitur æruginoſa, modò praſina, modò cærulea, modò herbæ Glaſti colorem referens, prout calor aſſans maior, vel minor eſt. Vnde fit, vt hæc miſta feroſæ humiditati colorem aliàs viridem, aliàs cæruleum, aliàs fuſcum, aliàs liuidum efficiat, quos omnes ſub nigredine complectitur. fit præterea nigredo ex caſibus, aut percuſſionib. veluti videmus ſanguinem contuſum ex caſu, vel percuſſione liueſcere, ac nigrorem contrahere: pariter etiam intus ſanguis huiuſmodi liuefactus vrinam nigram reddere poteſt. An verò vrinæ nigredo etiam à ſummo frigore poſſit oriri, veluti videtur ſenſiſſe Galenus primo libro de Criſi. 12. com. ſecundo Prognoſt. text. 29. (dicam liberè quod ſentio) ſemper mihi dubium fuit: ratio eſt, quoniam ſi, vt ipſemet Galenus interdum facit, externis interna metiri nobis placeat, vt videmus in exterioribus corpora, quæ à frigore nigreſcunt, à ſummo frigore id pati: ſimiliter neceſſarium eſſet, vt ſi vrinæ nigræ fierent hac de cauſſa, intus à ſummo frigore id paterentur; quomodo verò in corpore viuo valeamus commiſci intenſiſſimum hunc frigoris gradum, certè videre non poſſum. Quòd ſi videmus aliquando vngues, & ſummum naſum nigreſcere, vt in principiis acceſſionum, videmus ſimiliter & eas partes tactui eſſe frigidiſſimas. atqui vrinæ nigræ omnes dum minguntur, vel calidæ, vel ſaltem tepidæ ſunt. Eſt hic locus perobſcurus, ac difficilis, qui non indignus ſit, in quo docti vires ſuas exerceant. Galeni enim auctoritas maxima eſt, nec rationes contra ipſum allatæ ſunt contemnendæ. Colores medij & ipſi vel fiunt extrinſecus, vel intrinſecus. extrinſecus fiunt, vt à medicamentis & cibis; ſcimus enim rhabarbarum, caſſiam, & crocum vrinas flauas & rubeas reddere. Refert Rhaſes quædam folia commanſa vrinas virides reddere, ſicuti panem ex ſimila, albas. Intrinſecus fiunt huiuſmodi colores; vel quia bilis miſcetur, vel quia ſanguis. Tres bilis ſpecies, videlicet praſinam, æruginеam, & Iſatidi ſimilem diximus colores nigros reddere: ſupereſt ergo, vt ſola vitellina bilis hos alios medios colores faciat. Si igitur hæc vitellina bilis dilutior ſit, quæ ſit à calore modico in pauca quantitate humiditati potulentæ commiſta, colorem pallidum & ſubpallidum facit, perinde ac ſi modicum croci plurimæ aquæ commiſceatur. Quòd ſi calor adhuc maior ſit in corpore, quíue bilem hanc vitellinam craſſiuſculam faciat, magíſque ſaturatam, ea in mediocri quantitate ſero commiſta, colores πυῤῥὸν καὶ ὑποπυῤῥὸν, fuluos, & ſubfuluos facit, quos Actuarius ſpiceos, alij citrinos appellant, nec ineptè. Quòd ſi iterum calor maior ſit, craſſioremque hanc bilem, & ſaturatiorem faciat, ea in multa quantitate commiſta humiditati potulentæ ξανθὸν, καὶ ὑπόξανθον, id eſt, flauum, & ſubflauum colorem parit, ſicuti ſi adhuc in maiori copia commiſceatur, colorem producit rufum & ſubrufum. Quamobrem iſti omnes colores in vrina efficiuntur, prout plus vel minus bilis, eiúſque craſſioris, aut dilutioris commiſcetur. Pſeudomedici quidam Paracelſiſtæ ſomniarunt huiuſmodi colores ex ſulfure vrinis commiſto effici. Vltimo loco inter colores medios eſt rubeus, qui, vt diximus, plurimos gradus habet, quos tamen omnes ex ſanguinis permiſtione effici docuit nos Galen. 6. Epidem. commen. quinto tex. 14. Cæterùm qui miſcetur ſanguis duplex eſſe poteſt, vel ichoroſus &

tenuis, vel craſſus. Si ichoroſus & tenuis, vel bilioſus miſceatur, qui à virtutis co-ctricis imbecillitate proficiſcitur, vrinam rubram & ſubrubram reddit: quod teſtatus eſt Galen.1.lib.de Criſi,cap.12.lib.2.Prognoſt.text.27. nam ſanguis huiuſ-modi cum valde ſubtilis, & tenuis ſit, facilè ex vniuerſa craſſioris ſanguinis maſſa elabitur, ſicque ſero commiſcetur. Contingit quoque nonnunquam, vt venæ re-num adeo raræ ſint,& apertæ, vt facillimè huiuſmodi ſanguini egreſſum præbeat, qui vrinæ permiſtus eum colorem facit; quod teſtatum reliquit Galen. 6. de Loc. aff. cap.3.& 7. & habetur in lib. de renum affectibus. Ipſimet quoque renes inter-dum vſque adeo imbecilles ſunt, vt cum ſeroſam humiditatem exſugere probè nequeant, facilè vrinas hoc colore in venis tinctas dimittant. Quòd ſi ſanguis craſſus commiſceatur,vrinas verè rubras efficit: qui & ipſe vel multus, vel paucus commiſceri poteſt. ſi multus commiſceatur, efficitur ille color, qui à Galeno 2. Prorrhet. λίαν ἐρυθρὸς, ſiue valde rubeus vocatur;ſin paucus,fit color rubeus ſimpli-citer. Miſcetur porrò huiuſmodi ſanguis; vel quia à nimio calore, aut multitudi-ne ſanguinis venarum ora ſunt reſerata,vel quia vaſa aliqua ſunt diſtracta,vel quia ex labore nimio ſanguis ſupercalefactus intumeſcens ſponte venas recludit; at-que ita exit. Quòd ſi ſanguis etiam melancholiam miſtam habeat, fit puluerulen-tus color Auicennæ, & cima Auerrois. Sed dicet aliquis, videri etiam ſæpè vri-nas rubeas in morbis frigidis, & aliis caſibus, quarum cauſſæ nequaquam ad præ-dictas referri poſſunt. Dico videri ſanè, at earum omnium tres ſummatim eſſe cauſſas, vnam dolorem colicum, vel alicuius partis vrinæ inſtrumentis proximæ, ob quem natura, vt ſuccurrat parti dolenti, ſanguinem mittit eò, qui facilè vri-næ miſcetur. Alteram iecoris diſcretoriæ facultatis imbecillitatem, quod cum nequeat ſanguinem à materia potulenta ſeparare,ita is excernitur per vrinam.Ter-tiam obſtructionum copiam ab humoribus craſſis,cuius merito humores non dif-flantur,ſed cohibiti valde putreſcunt: atque in putrefactione calor præternatura-lis magnus exiſtens colorem vrinæ rubeum inducit. Vnde Rhaſes dicebat iure, ſe vidiſſe in quotidiana vrinas rubeas. Supereſt modò,vt videamus cauſſas contenta-rum differentiarum,quæ cauſſæ duæ ſunt. Vna materiæ diuerſitas: altera actionis caloris in ipſis varietas.Materia tenuis tenue ſedimētum parit. ſi tenuis magis fiat, ſuſpenſio efficitur: ſi tenuiſſima, nebula exſurgit. Materia craſſa ſedimentum craſſum ſemper facit. quòd ſi tenuis craſſæ miſceatur, inæqualitas in ſedimento, vel etiam in ſuſpenſione efficitur. Flatulenta pariter materia ſi craſſa ſit,ſuſpenſio-nem facit, ſin tenuis, nebulam. Quòd ſi hæc omnia ſint vnius generis, omnia ſunt æqualia: ſin plurium, inæqualia exiſtunt. Hæc omnia vel plus, vel minus à calore coquuntur, & ideo ob maiorem, vel minorem coctionem, aliàs læuor, aliàs aſperitas inducitur. Colores contentorum fiunt albi à virtute vaſorum al-teratrice adſimilante ipſa propriis ſubſtantiis. Vnde Alexan. 2. Problem. 20. re-ctè ſcripſit, colorem album hypoſtaſis optimum eſſe; quia oſtendit partes ſolidas bene ſe habere. fiunt quoque albi ab optima caloris conſtitutione, quando ſcili-cet optimè materias conficit. Rubri efficiuntur ab iiſdem cauſſis, à quibus liquo-ris colores induci demonſtrauimus. Cæterùm nigri omnes colores à calore aſſan-te generantur, qui prout hunc vel illum humorem adurit plus minúſue, pariter varios contentorum nigrores inducit. Ad quam aſſationem cum ſequatur nati-ui caloris extinctio, poteſt hac ratione dici, quòd contentorum nigredo etiam à frigido fiat: tametſi, vt ſupra dixi, videtur Galenus voluiſſe à frigido poſitiuo interdum huiuſmodi nigredinem induci. Sunt particulares aliæ contentorum ſpe-cies, quæ vel in ſummo, vel in imo collocantur. Eorum quæ in ſummo videntur,

qua

quatuor ſpecies ab auctorib. numeratæ ſunt; pinguedo, colliquatio, corona, circulúſue,& ſpuma. Pinguedines internæ ſi colliquentur, faciunt ſpeciem Pinguedinem vocatam: quæ, vt dicebat Plato in Timæo,bullulas ſponte excitat.Sin carnes colliquentur, fiunt eæ ſupernatationes, quæ propriè Colliquationes vocantur.atque has Galen.3.Epid.3.lib. 8. de Compoſit. medic. cap. 7. dicebat in febribus peſtiferis apparere. Coronæ,circuliue, & ſpumæ ab iiſdem cauſſis efficiuntur: & ideo cognita ſpumarum generatione,cognoſcetur & reliquorum natura. Cauſſæ ergo ſpumæ ſecundum Ariſtot. lib. 2. de Generat.animal. cap.2. lib.5. de Generat.anim.cap.6.& ſecundum Gal. com.3.de Ratione vict. acutorum tex. 12. primo Prorrhe.21.lib.2.Aphor.43.2. Progn. 47. cauſſæ,inquam,ſpumæ ſunt vel materiales, vel efficientes. materiales cauſſæ duæ ſunt, humor viſcidus, & flatus. Cauſſæ agentes tres ſunt, motus ſcilicet,calor,& frigus. Cum igitur flatus in materia viſcida concluduntur quærentes in aërem exire, qui proprius eſt ipſorum locus,humorem eleuant, ac tollunt, qui humor ſi viſcidus ſit, ac tenax, & denſus, exitum flatibus non præbet; & ita bullulas illas parit, ex quibus fit ſpuma. Quòd ſi humores non ſint denſi, nec tenaces, facilè fit, vt flatus concluſi elabantur. Calor tanquam agens duplici ratione ad efficiendam ſpumam concurrit:primò,quia humores incraſſat & viſcidos reddit:ſecundò,quia ex humoribus illis flatus parit:-id quod in bullientibus humoribus facilè conſpicitur. Quare puto eos errare, qui ſpumas in bullientibus rebus effici potius ex agitatione arbitrantur. Motus & ipſe dupliciter ad generationem ſpumæ concurrit: primò,quia rarefacit humores, quibus rarefactis, ne detur vacuum, includitur aër, ac ſpiritus: ſecundò, quoniam humores calefaciens ex ipſis calefactis ſpiritus educit, qui incluſi ſpumam efficiunt, & prout materia magis vel minus viſcida eſt, ſic magis vel minus ſpuma durat, hoc pacto venti agitantes aquas ſpumas faciunt. Vnde corrigendus eſt Galeni contextus primo Prorrhet.21.vbi videtur innuere ex verſione latina ventos ratione frigoris ſpumas facere. vbi inquit contextus latinus frigiditatem, legendū eſt,perturbationem; quoniam vox Græca ψύξις ſubſtituta eſt meo iudicio pro hac κίνησις, vel τάραξις. In omnibus enim locis, in quibus Galenus ſermonem facit de ſpuma,nullam aliam cauſſam effectricem agnouit præterquam motum & calorem (tametſi ego etiam addam frigus.) ſic qui ſpumas facere volunt, ſolent aquam, oleum,aut res pingues commiſcere,deinceps agitare valde. Sic Romani faciebant ſuum Aphrogala,de quo Galenus lib.7.Methodi:quod etiam puto eſſe Aphrogala Patauinorum: quodque nihil aliud eſt,niſi butyrum in ſpumæ formam redactum; nam & Plinius lib. 11. cap. 41. butyrum lactis ſpumam vocat. Verum hoc fuſius alibi pertractauimus.A frigore verò fit ſpuma,tum quia ſpiritus intra aquam condenſatam concluduntur: vnde dicebat Ariſtoteles lib. 2. de Gener. animal. cap. 2.galenam,ſiue plumbaginem aquę immiſtam facere ſpumam;tum quia frigus calorem retundens facit, vt ſuccos coquere, ac ſuperare nequeat, ſed in flatus illos conuertat. his ergo de cauſſis fiunt ſpuma & coronæ. Sed coronæ & circuli diutius permanent, quàm ſpuma, nulla alia ratione, niſi quia parietibus matulæ adhærentes magis conſeruantur. Spumæ cuiuſuis colorem album eſſe monſtrauit primò diuinus Plato in Timæo: deinde eius ſententiam viſus eſt comprobare Galenus libro 8. de Placitis Hippocratis & Platonis capit. 6. teſtatus idem eſt Ariſtoteles 2.de Gener.anim. cap.2. & 5.cap. 6. nam ſpiritus & aër humoribus incluſi eos ſemper albeſcere faciunt.Ex quo liquidiſſimè conſtare arbitror,ea omnia quæ de coloribus ſpumarū ab Actuario prodita ſunt,falſa vt plurimum eſſe. quoniam,etſi concedamus,ex tenuiſſimis bilioſis humoribus generari ſpumā,quandiu

tamen eſt ſpuma, tandiu albeſcit. Et hoc probabat Ariſtot. in ſemine, quod quandiu ſpuma eſt, albeſcit: poſtquam autem ab aëre corrupta eſt eius ſpuma, potius nigreſcit. Sedimenta illa varia, vt furfurea, laminea, & ſimilacea ab Hippocrate 2. Prognoſt. 4. aphoriſm. & à Galen. 6. Epidemi. 5. nominata. omnia fiunt à calore adurente humores viſcidos, eóſque, prout variè diſpoſiti ſunt, in varias formas conglobante: ſimiliter pultacea, & orobea, de quibus Galen. loco citato. Ramenta ex veſicæ, renumve vlceribus naſcuntur. Pili, filamenta, & araneæ ſimiliter ex humoribus craſſiuſculis à calore renum craſſefactis efficiuntur.

De cauſſis non naturalibus Vrinarum.

CAPVT VII.

HActenus cauſſas naturales vrinarum expoſuimus, atque etiam præternaturales: præter quæ duo cauſſarum genera, ſunt aliæ cauſſæ non naturales à medicis vocatæ: eo quia neque generant, neque corrumpunt, ſed mutant citra morbum. Hæ cauſſæ plurimæ ſunt in vrinis, & vel extrinſecæ dicuntur, vel intrinſecæ. Intrinſecarum tria ſunt genera, complexio, ſiue temperamentum, ætas, ſexus. A complexione igitur auſpicantes dicimus, quòd ſanguineorum vrinæ ſemper mediocriter craſſæ ſunt, cum ſimili ſedimento, rufæ, rubeæve: ſic enim calor ſanguinis materiam potabilem alterat, ac permiſcet. Bilioſorum vrinæ ex altera parte tenues ſunt, nebulam, aut ſuſpenſionem potius, quàm ſedimentum monſtrant; non aliam ob cauſſam, niſi propter materiæ tenuitatem, cuius merito neque craſſeſcit vrina, & ob leuitatem in ſummo apparent nebulæ, aut ſuſpenſiones. Pituitoſorum vrinæ craſſæ ſunt cum craſſo & multo ſedimento, coloris albi, aquei, vinoſive. Melancholicorum vrinæ craſſiuſculæ exiſtunt cum ſedimento interdum fuſco, interdum flauo: prout melancholicus humor alteri magis, minuſve copulatus eſt, colorem habent pallidum, & ſpumas interdum ob cruditates & flatus, quibus ferè ſemper melancholicorum corpora abundant. Ab ætate variantur vrinæ; quia pueri albas, craſſas, & multo ſedimento plenas faciunt, cum enim ſint voraces, ac imprudentes in victu, plurimos crudos humores coaceruant, qui vrinas tales reddunt. Vnde ſcriptum eſt ab Hippocrate, & Galeno tertio Aphoriſm. vigeſimoſexto, pueris calculos veſicæ eſſe familiares. Iuuenum vrinæ tenues ſunt, cum ſedimento, vel ſuſpenſione tenui, coloris flaui. nam cum ſint calidiores, materias magis attenuant, & per conſequens cum ſint bilioſiores, flauitiem in vrinis habent. Senum vrinæ albæ ſunt, tenues & decolores: quòd ſi & iſti in victu errent, faciunt quoque vrinas craſſas, & multis ſedimentis refertas. Ex quo fit, vt ſæpè, ac ſæpius ſenes veſicæ calculis tentari conſpiciantur. Medij inter has ætates, medias quoque vrinas reddunt. A ſexibus quoque diuerſæ inducuntur vrinæ. Viri, qui ſecundum Medicos, & Peripateticos mulieribus ſunt calidiores, quique & animis, & corporibus magis quàm mulieres exercentur, coloratiores emittunt vrinas, quæ etiam pauca ſedimenta habent, tenuiores ſunt, cúmque agitantur, magis perturbantur, nulla alia ratione, niſi caloris beneficio. Mulieres quæ vtero non gerunt, pallidas, & ſubpallidas vrinas faciunt; cum enim frigidiuſculæ ſint, parum bilis generant, eiúſque dilutæ: ſubturbidæ quoque ſunt, ac craſſæ iiſdem de cauſſis, cum multo ſedimento. Imò Ariſt. qui ſexto de Hiſt.

anim.

anim.cap.18. ſcripſit, vrinas iumentorum humanis comparatas eſſe craſſiores, teſtatus quoque eſt,inter bruta hanc eſſe differentiam,quod fœminę ſemper craſſiores vrinas faciunt, excepto aſinorum genere. De grauidis mulieribus diſputatur, nunquid iſtæ vrinas à non grauidis diuerſas faciant. Dicam breuiter quod ſentio. Vrinæ grauidarum mulierum neceſſariò diuerſæ ſunt à non prægnantium vrinis. nam ſcribit Ariſt. 4. de Generat. anim. cap. 6. bruta dum vtero gerunt, maximam temporiş partem ſana viuere; mulieres magna ex parte ægras eſſe; eo quia cum ſellulariæ ſint, ac vitam otioſam degant,plurima excrementa aggregant,quæ ipſis ægritudines inducunt. Hipocrates quoque primo de morbis ſcribit, grauidas virore quodam palleſcere; propterea quòd fœtus in vtero puriore ſanguine nutritúr, & deterior relinquitur. Quibus rationibus factùm eſſe puto, vt, quemadmodum teſtatum reliquit Vitruuius lib.2.cap. 9. lenones,& mangones dum mulieres grauidas vendebant, nunquam ſanas præſtarent. Si igitur prægnantium ſtatus diuerſus valdè eſt à ſtatu non prægnantium,quî fieri poteſt,vt ne vrinæ ipſarum ſint diuerſæ? Sciendum eſt tamen, me Arabibus vſquequaque non conſenſiſſe, qui quaſdam differentias commenti ſunt, quæ non conſpiciuntur, veluti ſedimenta goſſipio carminato ſimilia, granula, & id genus alia. neque etiam ſum eius ſententiæ, quòd ex ſolis vrinis valeat medicus certior fieri, num mulier vtero gerat, an non; quoniam ex iis ſignis, quæ nos Hippocrates multis locis docuit pro cognoſcendis prægnantibus, nullum habemus, quod certam nobis fidem facere queat. Sunt verò grauidarum vrinæ albidiores, tenuiores, cum minori ſedimento,ſi cætera paria ſint. Fiunt autem coloratiores quanto magis partui accedunt; quoniam ob fœtus calorem ipſarum etiam calor quoquo pacto augetur,ſicque colorem vrinarum auget. Sequuntur extrinſecæ cauſſæ,quarum tria ſunt genera;Regio, Anni tempus, & genus vitæ. In calidis regionibus vrinæ fiunt coloratæ, tenues,pauci ſedimenti; eo quòd corpora tenuia ſunt,exſiccata, atque exſucta. Iurarem Herodotum putaſſe Æthiopum vrinas eſſe nigras; quandoquidem non veritus eſt exiſtimare, eorundem ſemen nigrum eſſe. In quo deridetur non ſine ratione ab Ariſt.3.de Hiſt.anim.cap. vltim.& 2.de Generat. anim. cap.2. In frigidis regionibus fiunt vrinæ coloratæ, & ſæpenumero perturbatæ, hac ratione; quia à rigore externo intus calor cohibitus augetur, ſicque auctus colorem vrinarum ſaturatiorem efficit. Fiunt interdum perturbatæ ſimiliter; quoniam calor intus auctus agitat,neque perturbat: propter quod Ariſtot.14. particul. Problem. 15. dicebat, habitatores plagarum frigidarum perpetuò eſſe veluti ebriis ſimiles. Abanni temporibus variantur quoque vrinæ; æſtate enim fiunt coloratiores,tenuiores, & pauci ſedimenti,& ſumma quidem ratione;quandoquidem tunc temporis corpora noſtra plurima bile abundant, quæ humiditates potulentas colore flauo inficit,cúmque hæc materia tenuis ſit, aut ſuſpenſionem,aut ſolas nebulas facit. Autumno colores vrinarum remittuntur,& tenuitates multis rationibus,ſed his præcipuè; quia bilis impetus deferuere incipit; & quia eo tempore plurimi fructus comeduntur, qui crudos humores producentes, decoloratiores vrinas faciunt, eáſque multis ſedimentis replent. Hyeme vrinæ ad naturalem ſtatum propius accedunt, quo tempore corpora calidiora exiſtentia coctiones meliores faciunt, & propterea color magis naturalis eſt,ſic & ſubſtantia, & ſedimenta. Vere fiunt vrinę mediæ inter hybernas & æſtiuas,prout eo tempore medio quodãmodo corpora noſtra diſpoſita inueniuntur. A genere vitæ ſimiliter vrinarum diuerſitas efficitur; ſi quidem ſtudioſi decoloratas,crudas,tenues,ac pauci ſedimenti faciunt, ea ratione,quam attulit Cor. Celſus l.1.quia maior pars vrbanorum,& eorum qui litteris

operam nauant,imbecillo ventriculo ſunt, cuius imbecillitatis ratione fruſtrantur coctiones omnes,& propterea materia potulenta non poteſt multum in ipſis alterari,aliíſque rebus permiſceri.Laborantium vrinæ, ſeſe exercentium,vigilantium, & ieiunantium, calidis cibis, potibúſue vtentium flauæ ſunt, aut ſubflauæ, tenues cum ſedimentis paucis.Ex aduerſo qui crapulis continuis ſeſe oblectant,qui otiantur, multum dormiunt, frigidis cibis ac potibus veſcuntur,vrinas albas faciunt, craſſas, cum ſedimentis multis. atque hic finem habeat tractatio de cauſſis vrinarum.

De iudiciis, quæ fiunt ex vrinis.

CAPVT VIII.

CVm verò omnis rerum cognitio alicuius vſus gratia ab hominibus quæratur, vrinę quoque cognitionem à medicis alicuius finis gratia perquiri concedendum eſt.Finis autem nullus alius poteſt eſſe,quàm ipſe vſus. Itaque poſt cognitionem vrinarum à nobis vberrimè explicatam,conſentaneum eſt, vt vſus earum tradatur. Qui ſanè duplex eſt, alter ad iudicandum ægritudines, earúmque ſtatum: alter ad curandum. hic poſtremus,quoniam potius ſuperſtitioſis medicis conuenit,de ipſo à nobis pauca tradentur:de primo verò multa dicentur. Sed antequam huius exactam tractationem auſpicemur, duo ſumma diligentia animaduertenda proponere volo. Primum eſt,vrinas in affectibus iecoris,venarum,& arteriarũ, ac facultatis ſuccorum generatricis efficaciſſimum omnium ſignum haberi.In aliis verò morbis non parum etiam vrinarum inſpectionem conferrre; eo quia non parum in quouis morbo refert intelligere quomodo facultas ſuccorum procreatrix ſe habeat:id quod clariſſimè teſtatum reliquit Gal. lib.4.de Tuen.valet.cap. 4. primo lib.de Criſi cap.6.& 7.ſecundo Prorrhet.2.tertio Epid.commen.2.Alterum obſeruatione dignum eſt,vrinas alia per ſe,& primariò indicare,alia per aliud.Per ſe, & primò indicant cauſſas proprias,coctionem,& cruditatem.Per aliud indicant ſanitatem,& morbum,ſalutem,aut interitum,iudicij celeritatem,aut tarditatem.Dicuntur vrinæ hæc poſtrema per aliud indicare; propterea quòd medio coctionis, & cruditatis, necnon cauſſarum propriarum hoc manifeſtant. Dicebat hoc Ariſtot. lib.4.Meteor.cap. 2.dum ſcripſit, vrinam,ſtercus, & excrementa idcirco ſanitatem indicare;quia monſtrant humidum natiuum à proprio calore regulari, hoc eſt,optimam coctionem fieri.Coctio verò,vt ſcribit Hippoc.1.Epid.comm.2. ſalutis ſecuritatem,& iudicij celeritatem declarat. His prænotatis ea methodo,quam à principio inſtituimus, iam iudicandi ex vrinis modum aggrediamur, ab ſubſtantia exordio ſumpto, quæ vel tenuis eſt, vel craſſa, clara, vel turbida. Vrina tenuis, aut ſemper tenuis manet, aut craſſeſcit; quæ verò neque tenuis eſt, neque craſſa, ſed ſubſtantia mediocri,cum ſemper coctionem ſignificet,ſequitur,vt & tenuis,& aliæ cruditatis perpetuò indicia ſint. Igitur tenuis, quæ tenuis perdurat,cruditatem ſemper indicabit: & præterea nihil excerni, vel obſtructionem aliquam eſſe, cuius ratione transfuſa vrina attenuatur.Quæ tenuis, craſſeſcit,& hæc cruditatem monſtrat,ſed minorem; quandoquidem ſignum eſt, calorem natiuum ſaltem ex materia flatus generare, qui craſſefaciant vrinam.Eſt tamen hæc in febribus ardẽtibus lethale ſignum;quoniam monſtrat calorem debilem eſſe vna cum morbo magno.Craſſa vrina vel attenuatur,vel perpetuò manet craſſa,quæ craſſa permanet,& permi

permiſtionem maximam eſſe prauorum humorum, ſiue flatuum craſſorum,& flatus viſcidos eſſe,ac tenaces,propterea etiam morbi longitudinem, recidiuas, dolores,abſceſſus prauos prænunciat. quæ craſſa attenuatur, indicat humores non eſſe optimè permiſtos, cum leuiter à liquore ſegregentur, ſicut ex aduerſo craſſæ, quæ tales durant, hæ omnes vrinæ ſimpliciter morbum minus lethalem monſtrant, vt Galenus meminit 4. Aphoriſm. 74. Vtraque tamen cruditatis alicuius argumentum eſt.Neque admirari quiſquam debet,quòd & tenuem, & craſſam vrinam cruditatem monſtrare dixerim; propterea quòd coctio eſt veluti adæquatio quædam humorum, in qua qui tenues admodum ſunt, incraſſantur, quod intellexit Ariſt. lib. 3. Meteorol. & illi, qui nimis craſſi ſunt, attenuantur, quemadmodum in immaturis fructibus videre eſt, & in ſuccis arborum. immaturi fructus cum humidum à principio craſſum, ac veluti congelatum habeant, beneficio caloris in dies attenuatur, ſi concoqui debent. Econuerſo ſucci, ex quibus gummata, & reſinæ efficiuntur, cum à principio ſint tenues in concoctione à calore magis craſſantur. Claræ vrinæ & ipſæ, vel tales perpetuò manent, vel turbantur. Quæ perpetuò claræ manent, in ſanitatis ſtatu optimam coctionem perpetuò commonſtrant:in morbis verò exceſſum cruditatis indicant; eo quia calor ex hoc ita debilis eſſe apparet, vt neque flatus ex humoribus queat generare. Claræ quæ pòſt turbantur, modò à cauſſa nulla externa turbentur, vt à ventis, ab agitatione,ac ſimibus,prauæ à Gal.1.lib.de Criſi,cap.12.perpetuò iudicantur;in quo etiam Galenum omnes poſteriores ſequuti ſunt; eo quòd indicent naturam aut aggredi materiæ agitationem; & ideo, ſi vires debiles iungantur, ferè certam futuram mortem: ſin validæ, ſaltem morbum longum futurum.Rhaſes tamen auctor nobilis ex Pythagoræi Alexandri auctoritate huius iudicij terminos quoſdam conſtituit: videlicet quòd ſi ſtatim vrina turbetur clara, iam materiam à natura tentari ſignum ſit: ſin verò paullò, aut multò pòſt turbetur, econtrariò indicatur, non tentari materiam à natura. Vrinæ turbatæ quæ perpetuò manent, quales ſunt iumentorum, albas vocat auctor Prænotionum Coacarum,nomine Hippocratis inſcriptarum, materiæ agitationem magnam eſſe, & adhuc crudum morbum demonſtrant. Hipp.4. Aphoriſm.70. ſcripſit huiuſmodi vrinas dolorem capitis, vel præſentem, vel futurum prænunciare. non enim huiuſmodi vrinæ turbatæ ex ſe interitum,aut ſalutem demonſtrant,ſed prout validis,aut infirmis viribus coniunguntur: ita vt cum infirmis lethales, cum validis minus lethales habeantur. Sed hic doceam neceſſe eſt, quæ ſit ratio nondum à quoquam perfectè explicata,qua permotus Galenus primo lib.de Criſi, cap.12. quarto Aphoriſ.72.inter turbidas vrinas dixerit eas eſſe peiores,quæ primò minguntur claræ,deinde turbantur;ſecundò,quæ & turbatæ excernuntur,& tales permanent: tertiò,quæ turbidæ emittuntur, deinde clareſcunt. eſt enim vera huius ſententiæ ratio;quia quæ claræ minguntur, & turbantur, hoc patiuntur merito flatuum craſſorum, qui ipſis immiſti ſunt. Iam verò cum calor in aliquam materiam agit, ſi ſit debilis, flatus tantùm producit: ſi ſit paullò validior, præter flatus materiam etiam ipſam agitat: ſin adhuc validior, non modò agitat materiam,verùm etiam illam adæquat,& alterat. Vrinæ claræ,quæ craſſeſcunt, demonſtrant calorem eſſe adeò debilem,vt ſolummodò flatus parere poſſint: perinde ac debilis ignis ex lignis viridibus ſolùm fumum producit. Quæ turbantur, & turbidæ relinquuntur, indicant calorem iam materiam agitare; veluti ignis ſi ſit validior præter fumum incipit ligna cõburere. Quòd ſi vrinæ turbatæ paullò pòſt clareſcant,indicat calorem non ſolùm ágitare humores, verùm etiam corrigere, ac alterare; propterea quòd viſciditas iam caſtigata demonſtratur: cuius ratione

efficiebatur,vt humores ſubſtantiæ vrinæ tenaciter adhærentes efficerent, quominus clareſceret. atque hoc adſimilatur ei operationi ignis, quando non ſolùm flatus excitat, non ſolùm vrere incipit: verùm etiam partes à partibus iam ſegregat. Et hæc ſententia noſtra eſt,cur ſit,quòd claræ vrinæ,quæ turbantur,iudicentur deteriores turbidis ſic ſemper manentibus:quod fortaſſe videri poſſet à ratione alienum. Eſt dubitatio, quomodo dixerim ex Hippocratis ſententia vrinas turbatas dolorem capitis, vel præſentem, vel futurum indicare. occaſio dubitationis habetur ex Galeno, qui ſecundo Prorrhet.2. clariſſimè teſtatum reliquit vrinas non indicare affectiones cerebri, ſed alia eſſe ipſius affectionum argumenta. Dicendum eſt, vrinas turbatas per ſe certè nullum capitis affectum commonſtrare poſſe, ſed per aliud, hoc modo videlicet, quod indicant humorum perturbationem, & per conſequens vaporum multorum eleuationem. Vapores autem cum propria natura caput verſus ferantur, neceſſarium eſt, vt conſequentia quadam ex huiuſmodi vrinis affectionem capitis, vel præſentem, vel futuram auguremur. Immò videmus Hippocratem 7. Epidemi. vbicunque vrinarum turbatarum mentionem facit in ægris, veluti in Polyphanto Abderita, & in Eualcide famula, dixiſſe etiam ægros illos fuiſſe phreniticos effectos, ac tandem obiiſſe. Quæ igitur turbidæ minguntur vrinæ, & paullò pòſt clareſcunt, morbum breuem ſignificant: quæ turbidæ minguntur, & manent, longum: quæ claræ, & poſt turbantur, & longum, & etiam periculoſum morbum portendunt. Non debemus tamen ſemper ab vrinis turbidis deterreri;quoniam interdum quoque ab expulſione maxima humorum putridorum proficiſcuntur, in quo caſu bonæ potius valetudinis auguria ſunt, quàm prauæ. Sed quæret aliquis, nec immeritò, cum medicus ſæpè videat vrinas, quæ multò pòſt tempore mictæ ſunt, turbatas, quomodo dignoſcendum ſit, num vrinæ illæ turbatæ fuerint ſic emictæ, an verò poſt mictionem turbatæ ſint? Rhaſes 23. Continentis cap. de vrinis ex Galeno; & veteribus medicis duas monſtrat regulas, quibus dignoſci hoc poſſit. Prima eſt, quòd quæ mingitur clara, & turbatur,nullam tranſparentiam habet,ſed alba eſt,ac inſtar pinguedinis congelata. præterea ſi igni adponatur, clara redditur. Quæ verò turbata ex veſica exiit, tranſparentia prorſus non deſtituitur: ad hæc quantumuis prope ignem detineatur, nunquam claritatem acquirit. Addunt alij vrinam corruptam poſt mictionem parietibus matulæ adhærere, quæ verò non eſt corrupta,non adhærere. Multa alia à ſubſtantiis vrinarum traduntur auguria, quæ ſingula enumerare ſuperuacaneum eſſet, cum ad hæc omnia iam dicta reducantur.

Ab accidentibus modò vrinarum ſumuntur indicia;& primò à quantitate,quoniam ſi multa ſit,aut(in ſanitate loquor)potus multitudinem indicat, & præſertim aquæ,& tenuium vinorum,aut rerum diureticarum vſum, qualia eſſe ſemina odorata dicebat Ariſtot. In ægris verò monſtrat virtutis expultricis robur, & retentricis imbecillitatem, criſin perfectam, aut imperfectam, necnon ex Hippocr. quarto Aphoriſ.in fine paucam egeſtionem:aut turbationes, ac colliquationes, præſertim in morbis magnis,vt idem Hippocrates lib.1. Epidemiorum comm.3. teſtatur. ex aduerſo paucæ vrinæ, modò non ſint ex paucitate potus, vel aliò non conuertantur,ſignificant obſtructionem viarum,vel craſſorum humorum,vel ardoris magnitudinem, quemadmodum in febre ardente ſpuria ex pituita falſa euenire ſcribit Gal. tertio de Ratione victus in morbis acutis, & 3.de Symptom.cauſſis cap.2. Dicebat Rhaſes,vrinas paucas in epidemicis conſtitutionibus eſſe prauas;quoniam ſignificant virtutis concoctricis & expultricis ſummam imbecillitatem. Dixi, vrinas paucas hoc ſignificare, niſi aliò conuertantur: quoniam Rufus Epheſius libro

de

de Renum affectibus ſcriptum reliquit ex ſententia Praxagorę medici,fuiſſe quendam, qui duodecim & ampliùs annis vrinam continuò per aluum eiecit. Ab odore ſumuntur indicia, quòd ſi nullus ſit odor, neque bonum, neque malum monſtret.Si bonus,bonæ coctionis argumentum eſt:ſi malus,neque hoc proficiſcitur à cibis,medicamentíſue ſumptis, prauum ſignum eſt;quoniam indicat magnam putrefactionem:quanquam etiam,vt refert Rhaſes,interdum humores putrefacti per vrinam excreti eam fœtidam reddant:in quo caſu ſignum potius ſalutare habetur. addunt nonnulli, iique optimi auctores, odorem in vrinis interdum apparere, perinde ac ſi carbonibus accenſis ſuperinfundatur acetum: quem odorem demonſtrare dicunt multas humiditates crudas & acidas, quæ adurantur: atque id mortale eſſe in febre ardente. Limoſus odor multam putrefactionem deſignat. Vrinarum ferè omnium ſanorum ſapor ſalſus eſſe conſueuit.

Qua ratione Rufus Epheſius in primo libro de Appellationibus partium humani corporis dicebat, vrinam eſſe humiditatem nitroſam in veſicam delapſam. Itaque ſi ex ſalſis vrinæ fiant, vel acres,vel amaræ,iam caliditatem & ſiccitatem in corporibus abundare,certum indicium eſt:ſin verò aquoſæ ſint & acidæ,aut magnam frigiditatem, aut pituitæ acidæ miſtionem indicant. Dulces mediam conſtitutionem quandam demonſtrant;quandoquidem dicebat Gal.l.4.de Simplici medicina c.10.dulcedinem eſſe ſymmetriam quandam.Si vrina non ſonet inter exeundum, colliquationis manifeſtum argumentum eſt, quæ nimirum ipſam perinde ac oleum reddat. Sin verò ſonet, materiam ipſius ſubtilem eſſe, ac proinde melius regulatam, indicium eſt.

Colores vrinarum ad ferendum de morbis iudicium maximè conferre, apud medicos clariſſimè conſtat, vt non immeritò Gal. quarto de Tuenda valetudine, Quintum, & Eraſiſtratum medicos damnarit, quòd putarint colorum vrinarum cognitionem potius ad pictores, quàm ad medicos pertinere. Ideo ſicuti vrina ea dicitur optimi iudicij, optimæque coctionis indicium eſſe, quæ ſubflaua eſt, aut citrina,pariter quicunque colores ab hoc valdè recedunt,& mali,& cruditatis argumenta clara ſunt. Albæ vrinæ ex Galeno primo de Criſi, capite 12. cruditatis indicia ſunt, ac alteratricis facultatis imbecillitatem commonſtrant, & præſertim in pueris, quorum calor cum ſit magnus, non poteſt non maximè eſſe offenſus, quando huiuſmodi vrinæ apparent. Immò quanto magis albæ vrinæ ad colorem aqueum accedunt, tanto deteriores habentur, & præſertim in febribus magnis. An verò huiuſcemodi vrinæ obſtructiones indicent, vt Arabes nonnulli, & Actuarius putarunt,certè difficile eſt creditu;quandoquidem ſæpenumerò contingit, vt etiam in maximis obſtructionibus vrinæ coloratæ conſpiciantur; eò quòd humores bilioſi adeo ſint liquori coniuncti,vt nulla vaſorum anguſtia corradi poſſint. Albæ vrinæ in febribus acutis, ſi Galeno credimus, pernicioſiſſimæ ſunt, & præſertim ſi à principio flauæ,aut ſubflauæ apparuerint.Quòd ſi perſeuerent albæ, neceſſariò mortem futuram eſſe commonſtrant,quandoquidem cum humores bilioſi caput verſus ferãtur,neceſſum eſt,vt id vehemẽtiſſimè oblædatur,nec læſionẽ longo tempore ſuſtinere valeat.Quapropter ſumma ratione dictum eſt à Galeno 4. Aphoriſm.72. neminem phreneticum à ſe cum huiuſmodi vrinis viſum fuiſſe ſeruatum.Eſt tamen ſciendum, quòd in febribus ab humoribus crudis ortis huiuſcemodi vrinæ non ſunt lethales. Sicut etiam dicere poſſumus de multis aliis, quæ ratione vel ætatis,vel regionis,vel vitæ generis tales redduntur. Vrinæ nigræ omnium, vt dicebat Galenus, peſſimæ ſunt, quæ etiam ſi paucæ videantur, ipſarum prauitas augetur; & quia indicium eſt, incendium vſque adeò magnum eſſe,

vt abſumat humorem, & hoc potiſſimum eſt in principiis, augmentis, & ſtatibus febrium. Hoc dico; quoniam in declinationibus vrinæ nigræ non ſemper prauæ ſunt; cum humores aduſti interdum per eas vias excernantur:quemadmodum contingere animaduertitur in quartanis, quemadmodum etiam interdum & in puerperio,& in menſtruis ſuppreſſis conſpiciuntur, quod Rhaſes,& Galenus 3. Epid.3.in caſu mulieris auſteræ,quæ vrinas nigras minxerat,ſe interdum inſpexiſſe confitetur. Vrina nigra poſt laborem multum mincta ſpaſmum prænuntiare creditur.Rufus Epheſius,qui Traiani tempore medicinam Romæ exercuit,ſcribit,vrinam nigram in ſanitate multo tempore mictam lapidis in renibus ſignificare generationem. Inter nigras ſunt virides,liuidæ,ærugineæ, omnes certè prauæ;quantoque magis ad atrum accedunt colorem,tanto deteriores habentur. Nam virides dicebant Celſus, & Plin. lib. vigeſimo octauo cap. 6. ex ſententia veterum medicorum,viſcerum morbos indicare.Sunt inter hos duos colores extremos,& medij. Rubeus, qui nigro proximus eſt, niſi vel à cibis, vel à medicamentis fiat,materiæ cruditatem ſemper ſignificat:eo quia hi colores tales redduntur ex ſanguinis crudi permiſtione, & propterea morbi longitudinem ſignificant. Quòd ſi vrina rubea ſpiſſa ſit, renum lapidem: ſi tenuis, & pauca, ac perſeueret, hydropem prænuntiat; ſiquidem & ex iecoris calore, & ex obſtructione, quæ hydropis cauſſæ eſſe ſolent naſcitur. Vrinæ ſanguineæ in acutis,niſi fiant ex apertione vaſis, ſanguinis copiam oſtendunt, quæ ſic euacuatur, vel iecoris, aut renum feruorem. vnde malæ habentur,& eò magis ſi nullam ſubſidentiam habeant; quoniam ſignum eſt multæ & crudæ materiæ,quæ in acutis vix euincitur. Dicebant nanque Rhaſes,& Auicenna,huiuſmodi vrinas perniciẽ ægri indicare, atque ſi dolori capitis iungantur,delirium neceſſariò prædicere. At dices,cur igitur Gal.4.Aph.71.dixit,rubrum colorem in vrinis,ſalutarem quidem eſſe,ſed morbum diuturnum ſignificare? Aliqui reſponderunt, Galenum loqui de ſedimento: nos verò dicimus, illum loqui de vrinarum rubedine non ſanguinea, ſed remiſſiore. Nam citat Hippocratem, cuius verba ſunt de ſubſtantiis vrinarum. Aliæ poſt rubeas colorantur ex bile, & ideo eius copiam indicant,exceptis pallidis, quæ ſicuti minimum bilis in corpore eſſe monſtrant,ita & cruditatem,& frigiditatem ſolent indicare.nulla tamen,quãtum ſit ex ſe, ex iſtis pernicioſa eſſe ſolet. Vnum pro omnibus vrinis notandum eſt,quòd ſicuti dicebat Hippocrates 2. Aphor. 34. in morbis minus periclitantur, quorum naturæ, ætati,ſexui,complexioni familiares illi ſunt;pariter & vrinæ minus prauæ ſunt,quæ & ætati, & ſexui,& complexioni adſimilantur. Quemadmodum ex aduerſo grauès & pernicioſę,quãdo nec ætati,nec ſexui,nec cõplexioni,& huiuſmodi aliis ſimiles ſunt;quandoquidem argumentum eſt,validam adeſſe cauſam, quæ ſic vrinas permutat. Adeamus modò iudicia ex contentis. Nam ſuſpenſio,aut nebula vel minutam coctionem,vel cruditatem declarant: ſed hoc vt plurimum; quoniam ſicuti ſcriptum reliquit Gal.lib.1.de Criſi, in morbis, qui fiunt ex repletione, ſi feliciter debent finiri, neceſſarium eſt, vt ſedimenta appareant: in iis verò febribus, quæ ex laboribus,ſiue ex inedia oriuntur,ad declarandam coctionem & ſecuritatem ſufficit,vt vel nebula,vel ſuſpenſio appareat.Sedimentum nigrum ſemper deterrimum eſt, præſertim ſi liquor eiuſdem ſit coloris. nam teſtatur Galenus, ſe neminem vidiſſe ſanatum, in cuius vrina ſedimentum huiuſmodi eſſet viſum. Reliqui ſedimentorum colores quanto magis à nigro recedunt, tãto minus praui ſunt.læuor & æqualitas ſedimentorum boni ſigni rationem habet;quia nimirum illæ qualitates à calore concoquente efficiuntur.ex aduerſo aſperitas & inæqualitas deteriores ſunt;paucitas,vel copia ſedimentorum ex ſe multũ

non

non indicant, niſi quòd ex paucitate ſæpe comprehenditur inopia materiæ mor-bificæ, ex copia verò eiuſdem multitudo; modò tamen reliqua his non ſint diſ-ſentanea. Igitur ex Hippocrate, & Galeno ſecundo Prognoſt. optimi ſedimenti notæ hæ erunt, vt ſit candidum, læue & æquale. Suſpenſiones bonæ ſunt albæ, ci-trinæ, & ſubflauæ, eo quòd indicent coctionem, & materiæ benignitatem. malæ ſunt nigræ, virides, diuulſæ, quæ indicant vel cruditatem, vel caloris natiui extin-ctionem, & materiæ prauitatem, & malignitatem. A Rhaſe ſcriptum eſt, nebulam nigram longas vigilias, & mentis alienationem indicare, atque in ſenibus letha-les eſſe, rubras verò ſuſpenſiones, & craſſas, morbi longitudinem. Scriptū idem re-liquit, ea filamenta, quę in ſuſpenſionibus conſpiciuntur, coitum indicare prægreſ-ſum; quod tamen non eſt perpetuò verum, & præſertim in iis, qui in viuendo in-continentes ſunt. Fiunt ex huiuſmodi differentiis diuerſæ vrinarum complicatio-nes: ita quòd interdum odor bonus eſt, ſedimentum prauum, color mediocris: & econuerſo ſuſpenſiones bonæ, ſubſtantia bona, colores praui. In omnibus compli-cationibus hæc vna methodus in iudicando ſeruanda erit, vt omnia ſigna ſimul conferantur; quòd ſi bona plura, mala pauciora ſint, bonum ſignum erit: ſi bona à malis ſuperentur, contrarium erit: ſic ſi & bona, & mala æqua ſint, neque bo-num, neque malum ſignum certum habebitur. Bullarum ſpecies, vt corona, circuli, & ſpuma duo ſignificant, vel defectum coctionis, ob quem flatus generantur, qui ſpumam & bullas faciunt, vel colliquationem. ſicuti nanque videmus, in pingui-bus colliquatis bullulas apparere; ſic etiam in vrinis ex pinguedinum colliquatio-ne bullæ ingenerantur & ſpumæ. Dignoſcentur verò eæ, quæ efficiuntur à crudi-tate ab iis, quæ ab eliquatione; quoniam vbi liquatio facit ſpumam, color inten-ſior eſt, diutius permanent bullæ; vbi verò à cruditate naſcuntur, minus colora-tæ ſunt, minúſque perdurant. Præterea quæ ex cruditate fiunt, craſſiores ſunt, & ideo morbi longitudinem prænuntiant: quæ ex liquatione efficiuntur, ſubtilio-res exiſtunt. De quibus loquebatur Corn. Celſus lib. 2. cap. 5. quando huiuſmodi bullas prauas eſſe dixit. Cur Rhaſes ſcripſerit, bullas globoſas ſanguinis è naribus fluxum, croceas verò cum quadam albedine pulmonis ægritudinem ſignifica-re, ſatis clarè intelligere non poſſum; eo præſertim quòd à Galen. 2. Prorrhet. & alibi ſcriptum eſt, vrinas nullum alium affectum indicare, niſi vaſorum iecoris, & facultatis ſuccos generantis. immò expreſsè dixit, nec capitis, nec pulmonis affectus ex vrinis monſtrari. Prodidit Hip. 7. Aphoriſ. 34. quòd in quibus vrinis bul-læ ſupernatant, nephritin, & longam ægritudinem futuram eſſe præmonſtrant. Cu-ius ſententiæ eam rationem eſſe puto, quòd bulllæ huiuſmodi humorum viſcidi-tatis comites ſunt, qui humores neceſſariò multum temporis requirunt, vt ca-ſtigentur, & ideo futuri morbi longi argumenta ſunt. præterea humores viſci-di dum per anguſtos renum meatus labuntur, rarum eſt, quin ibi adhæreant, ſic-que vel in tumores, vel in lapillos finiantur. Vnde non ſine ratione dictum eſt ab Hippocrate, nephritin indicare. Dubium eſt, nunquid ſpuma, & bullæ in corpori-bus noſtris generentur, an ſolùm fiant dum vrina defluit in matulam. Huius ſen-tentiæ fuere nonnulli recentiores, quòd bullæ & ſpuma ſolummodo gignantur, quando extra corpus vrina agitatur, idque probant exemplo & experientia, quòd vbi quis mingit, ita vt vrina non moueatur, neque in matulæ fundum illidat, nulla ſpuma videtur. Sed mea ſententia eſt, quòd ſicuti ſæpe ac ſæpius vrinæ ſpuma ex huiuſmodi agitatione generatur, ita etiam nonnumquam in corporibus noſtris efficitur. Idque probari poteſt ex fæcibus quæ interdum ita ſpumoſæ exeunt ab in-teſtinis, vt nemo inficiari poſſit, quin ſpuma intus ſit genita. Præterea Ariſt. lib. 2. de Gener.

Gener. anim.cap.2.& lib. 5.cap.6. quod etiam à Gal.confirmatur lib.1.de Semine, cap.5: hanc certam ſententiam habet, ſemen ſpumam eſſe, eámque intra corporis vaſa generari;quod probat,quia inter exeundum ſemen albeſcit ratione ſpirituum, & ratione ſpumæ. Poſtquàm verò paullulum temporis ſub aëre permanſit, ſtatim aqueſcit, eiúſque color permutatur nulla alia ratione, niſi quia ſpiritus diſſoluti ſunt,ac ſpuma intus genita deleta eſt. Vnde dicebat veteres appellaſſe Venerem ἀφροδίτην,quaſi fiat à ſpuma, hoc eſt, ſemine. Sed cupiet aliquis ſcire, quomodo dignoſcendum ſit nunquid ſpumæ, quæ in vrina apparent, factæ ſint à motu,an verò intus genitæ. Duobus modus id cognoſcetur; vnus eſt, ſi obſeruetur inter mingendum paucam factam fuiſſe agitationem & motum;ſic namque ſpumæ apparentes erunt intus genitæ. alio ſigno cognoſcetur,quòd ſpuma intus genita diutius perdurat;quę efficitur à motu,vt celerrimè gignitur,ſic citiſſimè diſſoluitur.Eſt tamen ſciendum,ſpúmam,quæ intus efficitur,latere;quoniam flatus in aqua concluſi,dum per arctos meatus excluduntur,comprimuntur,neque humorem eleuare poſſunt: poſtquam verò extra vaſa ſunt, locúmque ampliorem habent,humores, quibus incluſi ſunt, eleuant, ſicque ſpumam faciunt. Sedimenta præter naturam,qualia ſunt pultes,ac polentæ nominatæ à Galen.lib. 1. de Criſi, & 2. Progn. 28.magnum feruorem oſtendunt, qui & carnes colliquat,& humores incraſſat & adurit. Ideo ex his vrinis,ac ſedimentis pernicioſum augurium trahitur: quoniam vel mortem,vel ſaltem,vt inquit Hippocrat.7.Aphoriſmo 31.morbi longitudinem ſignificant. quem locum exponens Galenus docet, eam fuiſſe Hippocratis ſententiam,quòd talia ſedimenta mortifera ſunt,atque ſi quis ex ipſis ſeruetur, eum non poſſe morbi diuturnitatem effugere,& vtrumque probauit exemplis deſumptis ex Epid.lib .1.in caſu Sileni,qui mortuus eſt, necnon ex 3. lib. in ægroto horti Dealcis, qui quadrageſimo die iudicatus eſt.Quare qui dixerunt eo in loco Hippocratem à Galeno damnari, ipſi certè damnandi ſunt,cum reprehendant id, quod minus intelligunt. Sedimentum lamineum, furfureum, & carunculis commiſtum, veſicam,vel renes,ſcabie,aut vlceribus laborare indicium eſſe,memoriæ conſignauit Hippocrates 4. Aphoriſ.77.& 81.Quòd ſi nec vlcera, neque ſcabies adſint, ſignum eſt magnum in vaſis adeſſe feruorem, qui humorem adurat, & in eas figuras conformet. Vnde Corn. Celſus lib. ſecundo cap. 4. huiuſmodi vrinas deteriores, & peſſimas vocat.quo in loco cum imitatus ſit Hippocratem in Coacis prænotionibus, loco filorum, foliorum legendum eſt, vt in manuſcripto codice legitur, & loco nubecularum, ſubſidentiarum. Modus verò diſcernendi affectum vaſorum ex his vrinis ab affectibus renum,aut veſicæ,traditur à Galeno in expoſitione prędictorum aphoriſmorum:vbi ſcribit,quòd ſi affectus ſit in vaſis,coctio in eiuſmodi vrinis nunquam apparet: ſin verò in renibus ſolùm, & veſica, coctionis indicia apparere non repugnat. Vt verò diſcernantur affectus veſicæ ab affectibus renum explicat Hippocrat. 4. Aphoriſm. & Galen.2. de Locis affectis, qui dicunt, carunculas renum, laminas veſicæ, affectionem çommonſtrare. Nunquid iecoris ſubſtantia poſſit cum vrina excerni, quemadmodum auctor illius libri de Vrinis, nomine Galeni publicati dicere videtur,certè eſt difficile creditu; quoniam iecur cum ſit viſcus præcipuum, non poteſt in ſubſtantia tantam læſionem ferre, quin etiam ſtatim mortem afferat. Et licet Hippocrates, ac Rhaſes ſcribant, orobea & lenti ſimilia ſedimenta iecoris læſionem indicare: id tamen de intemperie, non de ſubſtantia læſa intelligendum eſt,vt ait Galenus, qui ex iecoris inflammatione, & renum ſanguinem aduri,& in orobeam formam conglobari ſcribit. Sedimenta lactea ſeminis effluxum indicant: cinericia, ac ſabuloſa, lapidis generationem,

frigiditatem, ac vaſorum latitudinem. Vrinæ pingues feruoris ſunt argumenta liquantis carnes, vel aliarum partium, vel ipſorum renum. Quomodo autem diſcernere valeamus, an liquationes, & pinguedines à renibus, aut à vaſis defluant, docuit Hipp. 7. Aphor. 35. quo in loco dicebat, ſi pinguedines confertim exeuntes in ſuperficie appareant, quòd morbus nephriticus eſt; ſin verò non confertim, aliunde proficiſcitur pinguedo. Quo in loco, quidquid dicant alij, Gal. prudenter ſcripſit hoc ſignum ab Hipp. traditum optimum eſſe: propterea quòd dum pinguedines renum liquantur, confertim exeunt, cum ſint propinqui. Vbi verò à vaſis magis remotis deſcendunt, nequeunt confertim exire, ſed paullatim, & propterea in illis quatlibet vice multa pinguedo conſpicitur, in his verò pauca. Vrinæ colliquatiuæ ex liquatione carnium factæ incendium indicant, perpetuóque febrium peſtiferarum comites ſunt, vt ſcriptum eſt à Gal. 3. Epid. com. 3. tex. 57. Solent tamen interdum conſequi iecoris magnæ inflammationes, quemadmodum idem Gal. teſtatur lib. 8. de Comp. med. c. 7. atque hæ vrinæ adſimilantur iuſculis carnium non pinguium. Multæ præterea ſemper ſunt: quoniam ex carne liquata in humiditatem ſemper multa humoris copia efficitur. & quoniam dixi, colligationes perpetuò comites eſſe febrium peſtiferarum, dubitatur, qua ratione fiat, vt interdum in febribus peſtiferis vrinæ ſimiles ſint ſanis. Gentilis, & eius ſequaces dixerunt, idcirco vrinas ſimiles ſanorum vrinis in febribus peſtiferis apparere; quoniam natura non audet aggredi materiam prauam. Sed hæc nugæ ſunt; eo quia natura electiuè non operatur, neque in ſuis actionibus ita diſcurrit, vt debeat vereri materias putridas, & prauas, benigniores verò non timere. Montanus clariſſimus putauit, huiuſmodi vrinas videri; quia virtus expultrix admodum debilis eſt: ita quod excrementa expurgare non poteſt. Sed neque hæc ratio mihi placet; primò, quia etiam in aliis maximis febribus, in quibus ſæpenumero vires proſtratæ obſeruanrur, deberent vrinæ ſimiles apparere. præterea deberent eſſe paucæ, ſi ex debilitate expultricis efficerentur, quod tamen non videtur. tertiò & vltimò, cum in febribus peſtiferis calor natiuus alterare valeat materiam potulentam, eámque colorare, & præterea ſedimentum optimum reddere, cur etiam non valeat excrementa vrinæ immiſcere? Pro reſolutione igitur dicendum eſt breuiter ex Galen. lib. 3. de Præſag. ex pul. cap. 3. vrinas ſimiles ſanis in iis febribus apparere, in quibus putredo cordis corpus ſolum occupauit, & ideo cùm tota materia morbifica eò loci ſit conuerſa, eúmque vaſa ipſa, & iecur aut nullam affectionem habeant, aut exiguam, efficitur, vt vrinæ, quæ ſolummodo à iecore per vaſa in veſicam labuntur, non ſint vlla putredine infectæ, taléſque videantur, quales in febribus ſimpliciter hecticis conſpiciuntur.

De Vrinæ vſu, ac de iis, quæ in eius inſpectione ſunt obſeruanda.

CAPVT IX.

POſtquam vrinarum naturæ, differentiarum, cauſſarum, & iudiciorum cognitionem tradidimus, conſentaneum eſſet ordini, quem alij ſequuntur, vt vrinas morborum variorum comites declararemus. Sed hoc facere nobis in animo non eſt; tum quia vrinæ, quæ febres conſequuntur, ſatis ex declaratis hactenus

nus manifeſtæ ſunt, partim etiam in Lectionibus noſtris de putridis febribus explicabuntur; tum quia alia, quæ de particularium morborum vrinis dicuntur, ferè ſuperuacanea ſunt. Quis enim non derideat Actuarium, & alios, cum volunt nos docere, quæ ſint vrinæ eorum, qui pedibus laborant, quæ illorum, quos manus morbi exercent, & quæ capite laborantium? His itaque omnibus dimiſſis duo pro huius tractationis fine declarabo. Vnum erit, idque breuiſſimum, de vſu vrinarum in medendo: alterum verò de iis, quæ circa quotidianas vrinarum inſpectiones ſunt obſeruanda. Multos de vrinarum medicinis ſcripſiſſe, teſtatum reliquit Galen. 10.lib. de Simplici medicin. capite de Sudore. porrò quàm in variis vſibus apud veteres eſſent, præter Galenum ſunt locupletiſſimi teſtes omnes Geoponici, Hippiatri, Plinius, Columella, & alij. Qua ratione factum eſſe exiſtimo, vt veteres Imperatores interdum vectigalia ex vrinis facerent, quemadmodum refert Suetonius de Veſpaſiano, quem Tito ipſum reprehendenti odorandam pecuniam ex vrinæ vectigalibus exactam porrexiſſe ſcribit, & propoſciſſe, num malè oleret, quod ipſo negante, ait, atqui ex vrina venit. Sed aliorum omnium vſum dimittentes, quid duntaxat corpori humano poſſint vrinarum medicinæ conferre videamus. Scribit Galenus loco citato, vrinas maxima calefaciendi vi pollere, & præterea, ſi quid aliud, maximè abſtergendi facultate. idque exemplo fullonum probat, qui ad eluendas à veſtibus ſordes, nullum præſtantius remedium ipſa vrina inuenerunt. Refert Strabo lib. 3. conſueuiſſe Iberos vrina in cloacis inueterata lauare, ſibique ipſis, ac mulieribus eadem dentes abſtergere. Id quod etiam Catullus in Egnatium confirmare viſus eſt. qua ratione etiam puto permotos fuiſſe Barbaros, ſicuti ſcribit Plin. lib. 28. cap. 8. vt vrina quinque annis inueterata ad ciendas aluos magno plauſu vterentur. Eſt igitur vſus vrinæ duplex, vel in potu, vel extrinſecus. Scribit Dioſcorides libro ſecundo, quem ſequutus eſt Plinius, vrinæ potum aduerſus venenatos ictus, atque morſus maximè conferre: & idcirco verum eſt putandum illud, quod memoriæ conſignauit Galen. 10. de Simplic. medic. multos in Syria peſte tentatos ſolis vrinarum potibus fuiſſe liberatos. quandoquidem ſicuti videmus in vlceribus veſicæ, vrinæ fluxum non parum conducere ad eluendas vlcerum ſordes: ſimiliter putare debemus non parum vtiles eſſe ad compeſcendam inteſtinam corporis putredinem. Creditum eſt quoque vrinam bibitam orthopnoicis, cachecticis, & obſtructis mirificam vtilitatem afferre. Verùm tamen vbi medicamentorum meliorum copia ſuppetit, ſatius eſſe duco ab hoc medicamenti genere abſtinere: eſt tamen neceſſarium ſcire, quoniam interdum & ruſtici, & ſerui, & mulieres, quæ in medicina ſuperſtitioſæ eſſe ſolent, huiuſmodi remediorum genera exigunt. In extrinſecis verò, quoniam Galenus ſe etiam vrinæ medicamento vſum fatetur, neque erit, quòd nos dedignemur. in pſora, in lepra, in ſordidis infernarum partium vlceribus vti poterimus: quemadmodum Galenus, Aëtius, & ſequaces vtebantur, & hodie etiam multi vtuntur. Dixi, inferiorum partium; quoniam etſi aliqui hodie etiam in abluendis corporibus, & faciebus vtantur, honeſtum tamen mihi videtur huiuſmodi remedia effugere, vbi conceditur. Vrinam ſuam cuique potam conferre exiſtimatum eſt. diſtinguebantur autem interdum ab ætate; quoniam impuberum vrinæ contra ſaliuas aſpidum pithyadarum vocatorum, contra oculorum obſcuritates, ad aurium ſordes detergendas, ad vermes enecandos maximè commendabantur. Econtra virorum vrinis in podagris ſunt qui fateantur ſe vſos maxima felicitate: exemplo fullonum, quos, quia in vrinis pedibus verſabantur, podagra non ſollicitari conſpiciebant. Sunt multa alia, quæ dimittenda

tenda ſunt. Videamus nunc quæ in vrinarum inſpectione ſunt obſeruanda, quæ omnia partim ad medicum pertinent, partim ad vrinam inſpiciendam, partim ad corpora, quorum ſunt vrinæ. Quæ ad medicum ſpectant, tria ſunt. primum, vt curetur eam oſtendi in vaſe congruo: erit autem conueniens vas, ſi quatuor habebit conditiones. Prima eſt, vt ſit ex vitro lucido, tenui, quale eſt Venetum, non autem opaco, & obſcuro, quemadmodum in pleriſque aliis Europæ regionibus fieri ſolet. Secunda conditio eſt, vt vas ſit ea magnitudine, quæ poſſit totam vrinam ſemel eiectam capere. Si enim in pluribus vaſis poneretur, proculdubio iudicium adeo rectum ferri non poſſet. Tertia conditio eſt, vt ſit anguſtum, & oblongum; quoniam ſic melius contenta colliguntur, necnon inſpiciuntur. Quarta, & vltima conditio eſt, vt fundum eius ſit rotundum, nullis angulis obductum, quippe qui & liquorem, & ſedimenta diuellere ſolent. Secundum medico obſeruandum eſt, vt vrinam ita à prope inſpiciat, vt etiam odorari poſſit; ſic enim fiet, vt exactius ſtatum vrinæ cognoſcere poſſit, & præterea illam à vino, & liquoribus aliis diſcernere, vt ne decipiatur: quemadmodum ſe olim deceptum fuiſſe ſcribit Iacobus Foroliuienſis conciuis meus. Tertium, quod ad medicum pertinet, eſt, vt ſi vult rectè cognoſcere vrinæ liquorem, ſemper pannum nigrum, vel quid aliud poſt vas ponendum curet, vt viſus acies terminetur; ſin ſedimenta vult cognoſcere, ſimilem pannum ſub fundo matulæ collocet: quod ſi ſuſpenſionem, vel nebulam, quemadmodum monet Rhaſes, manus ſupponatur matulæ, ne lux tota in ſuperficiem vrinæ deferatur. Quod quidam doctiſſimi medici monuerunt ad diſcernendas vrinas ab aliis liquoribus, vt ſcilicet diligentia adhibeatur, numquid corpuſcula circumuolitent in vrina; quoniam vt hæc propria ſunt vrinis, ſic in aliis liquoribus non conſpiciuntur: apud me ſanè incertum ſignum eſt; quandoquidem multi ſunt liquores, quibus huiuſmodi corpuſcula miſta ſunt, vt in iis vinis Romæ videtur, quæ temperantur aqua Tyberina. Præterea non ſemper in vrina huiuſcemodi corpuſcula conſpiciuntur, ſed ſolummodo fere quando nuperrimè micta eſt.

Quæ ad vrinam ſpectant obſeruanda, quatuor ſunt. Primum, vt neque ſtatim ac micta eſt, inſpiciatur, neque multo poſt tempore. Auicenna lib. 1. fen. 2. doct. 3. cap. 1. monuit, ne vrina noctu excreta manè conſpiciatur. imò vult, quòd nec poſt horam videatur. Si enim inſpiciatur, adhuc contenta non ſunt collecta, cúmque calor ipſi in venis immiſtus nondum ſegregatus ſit, efficitur, vt integer vrinæ ſtatus cognoſci nequeat. Similiter ſi multo poſt tempore videatur, ab aëre alterantur ſedimenta, aliáque contenta ſæpenumero diſſoluuntur, ac minuuntur. igitur debet vrina neque ſtatim, neque multo pòſt tempore inſpici. Sed ſciſcitabitur fortè aliquis, quo modo dignoſci poterit, numquid vrina emicta ſit turbida, vel non, niſi ſtatim inſpiciatur? Dico quod vbicunque dabitur, ſiue per miniſtros liceat, ſiue ex nobiſmetipſis, vrina eſt ſtatim micta inſpicienda. Verum eſt tamen, quòd de ea numquam certum iudicium ferendum eſt, niſi poſtquam micta eſt per aliquod tempus, quando iam calor deferbuit, & contenta omnia in propria loca ſunt collecta: eo magis, quòd ſunt quædam vrinæ, quæ etiam per totam diem integræ conſeruantur. Secundum circa vrinam obſeruandum eſt, ne in aëre frigido teneatur, aut ventis expoſito, nimirum à quibus cōgelatur, agitatur, ac perturbatur. Similiter & loca calida vehementer ſunt vitanda. Vnde errant ſæpe miniſtri, qui putantes ſeſe vrinas conſeruaturos magis propè ignem ponunt, vbi vrun tur, ac veluti coquuntur. Tertium obſeruandum eſt, vt vrinæ ſemel corruptæ non multa fides habeatur; eo quia ex philoſophiæ principiis, quod ſemel corruptū eſt,

idem

idem numero amplius redire non poteſt. Quartum & vltimum eſt, vt tota vrina ſemel eiecta conſpiciatur: ita quòd non vna pars in vno, & alia in alio vaſe ponatur; quoniam ſic contenta diuelluntur: liquor etiam impeditur, quo minus exactè iudicari poſſit. Aduertebat Rufus Epheſius vrinas pluribus vicibus eiectas non in vno vaſe etiam eſſe ponendas; propterea quòd neque diuerſitas vrinarum conſpici poteſt, neque etiam quæ melior, quæ deterior. Sed hic inſurgit dubium, cur ſit, quòd Ariſtotel. prima ſectione Problem. quinquaſimotertio, ex veterum medicorum ſententia ſcribat, quod ſi ex vrina, eiúſque colore cognoſcenda eſt coctio, neceſſarium eſt, vt ea non vnica fluxione capiatur, ſed vt curſus eius intercipiatur; quia paullatim accepta magis colorem oſtendit, quàm ſi tota in magna copia inſpiciatur: quod certè falſum, & à præceptis à nobis traditis valde alienum videtur. Dicamus ad hoc, Ariſtotelem parum praxin medicinæ calluiſſe. Vel ſi quis eum tueri velit, poterit reſpondere, Ariſtotelem eo in loco loqutum eſſe ſolummodò de vrinarum colore, nempe quem putauit ſufficiens ſignum eſſe ad oſtendendam coctionem. Nos verò, qui præter colorem contenta etiam diligenter inſpicimus, & ex ipſis iudicia ferimus, volumus, vt vrina non intercipiatur, ſed tota, quæ ſemel eiicitur, ſimul conſpiciatur; propterea quòd ita contenta minus diſſipantur, magiſque colliguntur. Quæ vltimò ad corpus, cuius vrina eſt, obſeruare oportet, ſunt numero ſex, temperatura, ætas, ſexus, anni tempus, regio, & vitæ ſtudium: quæ omnia quoniam abundè monſtrauimus quas vrinas ſigillatim pariant, neceſſe eſt, vt dimittantur, eo tantùm obſeruato, vt ſemper, & ſexus, & regio, & alia attendantur, neque iudicium de vrinis vllum feratur, niſi certum ſit, & perſpectum à nulla ex hiſce cauſſis vrinam talem, vel talem eſſe factam. Duo duntaxat addam, vt finem faciam. Vnum eſt, vt procuretur, quò ea vrina oſtendatur, quæ à corpore, quod iam coxerit cibos, eiiciatur. & hoc fieri poterit, ſi ante prandium & ante cœnam vrina emicta inſpiciatur. Alterum, vt quotieſcunque corpus ad expellendam vrinam proritabitur, nunquam retineat, quoniam ſic vrina retenta magis incraſſatur, neque adeò fideliter naturam propriam oſtendere poteſt.

HIERO

HIERONYMI MERCVRIALIS DE EXCREMENTIS LIBER II.

Qui eſt de fæcibus Alui.

CAPVT PRIMVM.

CVM tractationem de Vrinis abſoluerimus, ſequitur, vt quoniam alui fæces inter reliqua corporis excrementa ad dignoſcendos morbos maximè neceſſariæ ſunt, de iis hoc loco ſermonem inſtituamus. Neque huius quenquam debet pudere. Quoniam ſi, vt refert Gal. 7. Methodi 6. factionis Venetæ, & Praſinæ ſectatores Romæ equorum ſtercora odorabantur, vt eorum temperaturas intelligerent, debemus etiam hominum inſpicere, vt ipſorum temperaturæ poſſimus certiores fieri, eo magis, quòd huiuſmodi contemplatio antiqua eſt & vtilis. Nam Ægyptios huic operam dediſſe teſtantur hiſtoriæ. Ariſtophanes in Pluto Medicos σκατοφάγες appellauit. Vnde Galenus 10. de Simpl. Med. cap. 1. eum imitatus, vocauit quoſdam ægros κοπροφάγες. Hinc eſt etiam, quod Hippocrates in libro de Flatibus dicebat, Medicos grauia videre, & inſuauia tangere: quam ſententiam Gregorius Nazianzenus in Apologetico, & in Epitaphio Cæſarij citans, monſtrauit ſpeculationem fæcum antiquam eſſe. Vtilem verò eſſe tum Hippocrat. 1. Aphoriſm. 12. tum etiam Ariſtot. 4. Meteor. cap. 2. atteſtantur; quibus in locis ſcribunt excrementa alui maxima ſanitatis, & ægritudinis eſſe indicia. Immò ſi comparemus notitiam hanc notitiæ vrinarum, non parùm ipſam antecedit: illa ſiquidem ſolummodò iecoris, & venarum indicat ſtatum; hæc autem non modò iecoris, verùm etiam venarum meſaraicarum, ventriculi, & inteſtinorum: &, vt vno verbo omnia complectar, ex hac ſpeculatione ſtatus totius alui intelligitur; cuius gratia, vt ſcriptum eſt à Plin. libr. 26. cap. 8. maior pars mortalium viuit. Aluus ſanè eſt, quæ cibum capit, continet, & conficit: aluus ſæpius nos die interpellat inſtar creditoris: ob aluum omnes ferè labores ab homine ſumuntur: &, vt dicebat Muſonius apud Stobæum, ob aluum extrema maris litora nauigantur.

De nominibus fæcum alui, & quid hæ ſint.

CAPVT II.

DE fæcibus igitur alui tractaturi, vt totam rem exactiſſimè deſcribamus, quatuor ea, qua poterimus diligentia examinabimus, generationem ipſarum, &

naturam,differentias,cauſſas,& vſum,& omnino ea,quæ in tractatu de vrinis præſtitimus,hîc non prætermittemus.Fæces itaque alui apud Græcos & Latinos varia habuerunt nomina:apud Hippocratem,& Ariſtotelem ſæpiſſimè διαχωρήσεις,διαχωρήματα,ὑποχωρήσεις,ὑποχωρήματα,ξηρὰ περιττώματα.Apud Herodotum εὐμαρεὴ, & εὐμαρεία.Apud Galenum,& alios præter dicta nomina inueniuntur & hæc κόπρος, ἀπόπατος,ἀποπάτημα,ἄφυδος,σκύβαλα.Apud Suidam ἀπέλεθος,& ἀπατήλη.Apud Corn. Celſum,Plinium,& Columellam leguntur hæ voces,ſtercus,fæces alui,onera alui,egeſtiones & deiectiones.Hæ itaque videndum eſt primò quid ſint,quomodo fiant,vbi gignantur,& quomodo expellantur.Galenus,ſiue Herodotus libro de Definitionibus Medicis dixit,ſtercus eſſe ἀποκάθαρμα,ſiue expurgamentum alimenti,in concoctione,digeſtionéque conſummata diſcretum. Sed quoniam huiuſmodi excremento ſemper aliquid miſcetur, mihi videtur dicendum,ſtercus eſſe partem terreſtriorem, expurgamentúmque alimenti inutilis,vel ciborum inconcoctionis, digeſtioniſve conſummatione diſcretum,aliis rebus ſæpè commiſtum.Dicitur eſſe pars terreſtrior; quoniam cùm cibi ex quatuor conſtent elementis, plurimum terreæ ſubſtantię ipſis ineſt(vnde Paracelſiſtæ Medici Tartarum ſuum confinxerunt)atque hęc pars terreſtris ſeparata ab aliis eſt materia ipſius excrementi. Dicitur hæc pars terreſtris alendo quoque inutilis;quoniam id quod nutriturum eſt, ſi diſtribui, apponi, atque vniri debet, humidum ſit neceſſe eſt : hoc verò humidum quia pauciſſimum eſt,vt ſcribit Ariſtoteles lib.primo de Generat.animal.c.18.hinc fit, vt excrementa alui ſemper plurima ſint:immò dicebat Ioannes Grammaticus,ſiue Michaël Epheſius in commentario in librum Ariſtotelis citatum,minimam eſſe partem nutrimenti,quod quotidie membris apponitur, nec quinquaginta dierum ſpatio tantum nutrimenti apponi,aut carnis gigni in corpore,quanta eſt vnguis latitudo. atque hac ratione factum eſt,vt Hippoc.comm.1.de Ratione victus in morbis acutis, text.45.lib.4.de Morbis,& Galen.eum ſequutus ſtercus vocarint σιτίον.immò Hippocrates ipſe tertio de Morbis,& quarto,vocauit hoc excrementum modò τροφὴν, modò βρώματα,ſiue edulia:quo in loco ſcribit edulia ſecunda, vel tertia die à corpore exire.Hoc idem Plato in Timæo ſignificauit, quando ſcripſit , inteſtina à natura ad recipiendos cibos eſſe facta.Idem quoque Ariſt.dixit,quando alimentum ſiccum ſtercus appellauit,vrinam verò humidum. Atque (ſi licet miſcere ſacra prophanis) Chriſtus Dominus noſter idem intellexit Matthæi 15.vbi docuit,id quod intrat per os,in ventrem ire,& per ſeceſſum mitti. Dictum eſt, inconcoctionis. digeſtioniſue conſummatione diſcretum ; quoniam non ſtatim, atque cibus eſt coctus , efficitur ſtercus;ſed poſtquam digeſtus,atque attractus eſt omnis alendo corpori ſuccus idoneus.Dictum eſt,aliis rebus permiſtum;ſiquidem,vt ex Anatome conſpicitur,quotidie à cyſti fellis ad inteſtina bilis mittitur , quæ excrementis permiſta , virtutem inteſtinorum expulſiuam proritat.

De ſtercoris generatione.

CAPVT III.

Iam verò ſtercoris generatio ita apud omnes medicos traditur , quòd cibus primò in ventriculo à calore natiuo minuitur : deinde in chyli formam redigitur, quo tempore ventriculus propriis venis trahit ſub forma vaporis quidquid in ipſo

chylo

chylo ſibi commodum eſt. demum chylum in inteſtina propellit, in quibus à venis exſugitur, adhuc quicquid alendo corpori vtile illi ineſt, attrahitur. Nam, vt ſcribit Galen. lib. 4. de Vſu part. cap. 8. idcirco inteſtina plures venas habuerunt, quoniam per illas ſuccus alendo corpori idoneus erat diſtribuendus. Poſtquam à venis omnibus exſuctum eſt, reſiduum omne ad infima inteſtina propellitur: exit verò, vt diximus ex Hippocratis ſententia lib.4. de Morbis, ſecunda, vel tertia die ab aſſumpto cibo. Ex quibus omnibus clariſſimè patere poteſt, ſtercoris generationē inchoari in inteſtinis ſublimibus:conſummari verò in extremis, quēadmodum apertiſſimè docuit Auicenna pluribus locis, ſed præſertim 13. libr. de Natura anim. cap. 6. Hæc quoque fuit Galeni ſententia; nam lib.3.de Naturalib. facult. cap. 7.& 12. diſputans aduerſus Aſclepiadem,qui nullam in ventriculo fieri coctionem putauit, hac ratione vſus eſt, quòd fieri non poſſit, vt panis, niſi coquatur in ventriculo, fiat ſubitò in inteſtinis ſtercus. quaſi putarit in inteſtinis cibum fieri ſtercus. Nunquid autem chylus à ventriculo ſolùm in inteſtina propellatur,an verò etiam ab inteſtinis ipſis trahatur, in controuerſia poſitum apud medicos inuenio. Gal. lib. 3. de Nat. fac. lib.4. de Vſu part. cap. 17. & 8.lib.5.de Vſu par. c.2. ſcribit, inteſtina fibras rectas non habuiſſe; quoniam vi attrahendi non eguerunt. Quòd ſi aliquas habuiſſe videantur, eas potius ad tutamen tranſuerſarum,quàm ad attrahendum habuiſſe fatetur. Auicenna lib.1.fen.1.doct.4.cap.2.lib. 3.fen.16.tract.1.c.1.lib.13.de Natur.anim.cap.6.manifeſtè demonſtrat,vi attrahendi inteſtina minimè fuiſſe à natura priuata. Hanc controuerſiam ego ita tollendam puto, quòd inteſtina habuerint quidem vim attrahendi, ſed ſatis obſcuram & debilem. ratio eſt; quoniam ventriculus ex ſeſe aptus eſt chylum in inteſtina impellere, vt propterea non videatur neceſſaria inteſtinorum vis attractrix: atque idcirco obſcuratur omnino, & etiam iure à Galeno ipſis denegatur. Ad hoc verò credendum adducor maximè Galeni auctoritate, qui primo Aphoriſm. 22. lib. 3.de fac. nat. cap.9. & alibi ſæpiſſimè hanc conſtantem,ac perpetuam habuit ſententiam, omnia corporis membra quatuor facultates eſſe ſortita, alteratricem,attractricem,contentricem, & expultricem; cum verò inteſtina ſint corporis noſtri membra,debent hac ratione omnes huiuſmodi facultates habuiſſe. Eſt tamen differentia; quoniam,vt doctiſſimè ſcriptum eſt ab Alexand.2.Problem.57.non omnia membra pari ſorte adepta ſunt has facultates;nam partes illæ,quæ ſibi ipſis ſolum inſeruiunt, vt neruus & vena,has omnes facultates ex æquo habuerunt: quæ verò non ſibi ſoli,ſed toti corpori ſubminiſtrant,ac publico quodam munere funguntur, prædictas facultates diſpari dignitate conſequutæ ſunt. Ventriculus enim, & iecur alteratricem facultatem omnium maximam habuerunt. lien, œſophagus,fellis veſica, & renes attractoria facultate maximè fuere donati. inteſtina, atque veſica excretoria,ſiue expulſiua maximè pollent. vulua propter retentiuam facultatem omnes alias partes antecedit. Quare ex hac naturæ mirifica diſpenſatione intelligere poſſumus, inteſtina cùm maximè expulſiua vi polleant, minimè verò attractiua vigeant,non abſque ratione à Gal. hanc facultatem ipſis fuiſſe negatam, quam,licèt obſcuram, Auic.ipſis concedere voluit.Sequitur nunc,vt videamus, quis fuerit præcipuus vſus,quo inteſtina à natura ſunt facta: eo magis,quòd auctorum hac in re variæ ſunt ſententiæ. Plato enim in Timæo eius fuit opinionis,quòd ſolūmodo facta ſint,vt cibi,& eius recremētorum ſint receptacula. Ariſt. lib.3.de partibus anim.cap. 14. habuit hanc ſententiam,quòd inteſtina fuerint facta,vt cibos coquerent,atque etiam excrementa propellerent.Gal.4.de vſu partiū, cap.17.aliam ſententiam ſequutus eſt, quòd ſcilicet inteſtina gratia diſtributionis

chyli per vniuerſum corpus fuerint fabricata. Nec hoc contentus quatuor rationibus Ariſtotelis, & Platonis ſententiam inſectatus eſt. Prima eſt, quòd ſi inteſtina fuiſſent facta gratia excrementorum expulſionis, æquum erat, vt inteſtina, quæ propellunt ſtercus, fuiſſent immediatè ventriculo copulata. Secunda eſt, quòd ſi fuiſſent ſolummodo ad expellendum nata, non debebat natura tot ſpiras ipſorum, tot orbes facere. Tertia, quòd ſi fuiſſent facta gratia coctionis, non prouidiſſet natura ne quidquam ex ventriculo dimittatur,niſi concoctum:ſi enim debuiſſent cibi etiam in inteſtinis coqui, fruſtra fuiſſet hoc naturæ opus. Quarta ratio eſt, quòd par erat,vt inſtrumenta conficiendi chyli, & diſtribuendi fuiſſent diuerſa: alioquin periculum erat,ne ſi vnum & idem fuiſſet inſtrumentum,cibus incoctus diſtribueretur. His rationibus probauit Galenus, inteſtina à natura facta eſſe,non vt excernant,non vt coquant: ſed vt per ipſa nutrimentum vniuerſo corpori diſpenſetur. Verùm hoc loco duæ oriuntur dubitationes. Vna quidem eſt: quoniam Galenus lib. 5. de Vſu partium cap.12. ſcribit inſtrumenta excrementorum priuata fuiſſe craſſa tunica: quia in ipſis nulla debebat fieri coctio: ſed 14. de Vſu partium cap.14. ſcribit, ventriculum, & inteſtina eſſe potius gratia coctionis, quàm excrementorum,ex quibus manifeſta propemodum videtur in Galeno contradictio. Altera dubitatio eſt ex eo,quod ſuperius diximus,quòd Galenus lib.4. de Vſu partium capite 1.videtur ſentire ſtomachum perinde facere, atque illum qui frumenta à paleis, terra, & lolio ſecernit: quaſi ſtomachus inutile ab vtili ſeparet, hoc diſtribuat corpori, illud ad inteſtina depellat. Quæ quidem ſententia videtur contraria iis, quæ diximus, quando monſtrauimus, chylum ſolùmmodo à ventrilo expelli, deinde in inteſtinis bonum à malo ſegregari. Pro prima dubitatione animaduertendum eſt,ventriculum & inteſtina coctioni quidem inſeruire,ſed impari dignitate;quoniam ventriculus præcipuus eſt, qui concoquit: inteſtina verò, vt dicebat Galenus, abuſiuè, ſiue ſecundario modo coquunt, primario autem cibum diſtribuunt. Vnde quando Galenus ſcriptum reliquit,inteſtina non eſſe craſſa tunica dotata, & non concoquere, voluit intelligere, quòd non habeant hoc præcipuum munus coquendi:quanquam, vt ipſemet refert,natura ſæpè conſueuit iiſdem partibus ad plures vſus abuti. & propterea cum inteſtina tria faciant: primò diſtribuant cibum: ſecundò coquant: tertiò excernant, ſi vſus coquendi comparetur cum vſu diſtribuendi, ſanè minimus eſt:ſi verò comparetur cum vſu excernendi,potior quidem hic eſt in inteſtinis. Quapropter iure merito Galenus dixit, ventriculum,& inteſtina eſſe coctionis potius quàm excrementorum inſtrumenta. Ad ſecundam dubitationem dicimus,ſtomachum quidem inutilia ab vtilib.ſeparare: ita tamen,quòd omnia hæc ſub forma vnius chyli permanent:cum enim caloris munus ſit homogenea congregare, & heterogenea ſegregare, ventriculi calor proculdubiò ſegregat & congregat, ita tamen, vt omnia ſub vna chyli forma conſeruentur: quia chylus poſtquam in inteſtina deſcendit, ab ipſo vtile trahunt venæ, quod ſupereſt in infima inteſtina propellitur. eiicitur verò ſtercus, vt ſcribit Gal. lib.3.de Facult.natura.& lib.1.de Tuen.valetud.cap.12.necnon 5.de Vſu partium à muſculis inſertis fini inteſtini recti; qui muſculi tandiu continent fæces, donec à multitudine grauentur:& tunc illi à voluntate permoti exitum fæcibus dimittunt.Hinc patet,exitum fæcum partim naturalem,partim voluntarium exiſtere:quemadmodum docuit Galen.lib.3. de Facult. nat. lib. 2.de Placitis Hippocratis & Platonis, capite 5. Atque hæc de vniuerſa natura & generatione ſtercorum ſufficiant.

CAPVT IV.

De ſtercorum differentiis.

TEmpus nunc eſt, vt differentias perquiramus: quod quidem facilè obtinebimus,ſi ad prædicamenta,ſub quibus omnes res ſublunares complectuntur,recurramus.Erunt verò ſex prædicamenta,ex quibus tanquam ex fontibus quibuſdã omnes differentias fæcum venabimur,ſubſtantia ſcilicet,quantitas,qualitas, tẽpus, locus & exitus.A ſubſtantia capiuntur primò differentiæ;quoniam ſtercora ſunt vel craſſa,vel etiã liquida;vel ſunt mollia,vel dura,vel læuia,vel aſpera,vel æqualia,vel inæqualia. Craſſa ſunt, quorum partes & in altitudinem, & etiam in latitudinem protractæ ſunt,vnitæ tamen.Liquidæ fæces appellantur,quæ tametſi ſint vnitæ,defluunt tamen.Molles,quæ tactui cedunt. Duræ, quæ reſiſtunt. Læues,quæ ſuperficiem planam habent:ſicut aſperæ, quæ aſperam. Æquales fæces dicuntur, quarum partes ſunt vniformes.Inæquales,quarum partes ſunt diſformes.Hæc ſunt differentiarum genera à ſimplici ſubſtantia capta. Sunt & alia quæ à ſubſtantia commiſta ſumuntur,quando fæcibus commiſcentur vel flatus, vel humores,vt putà ſanguis, pituita,vtraque bilis, ichores, vel corpora ſolida, vt carunculæ,membranæ, quas Auic.lib.4.fen.2.tract.1.c.77.ſimiles corticibus lupinorum facit,vel commiſcentur animalia, vt lumbrici,vel lapides.Nam etſi Gal.lib.1.de Loc.affect.c.5.& lib.6.c.2. referat,ſe nunquam vidiſſe lapides ab inteſtinis excretos,neque audiuiſſe qui viderint; ait tamen aliquos auctores legiſſe,qui id ſcripſerint. Imò Anton. Beniuenius lib.de Abditis morbis c. 19. refert ſe vidiſſe.& ne exempla longius repetam, Friſimelica,qui olim in huius Gymnaſi Patauini theatro magna cum laude medicinam docuit, excreuit aliquando lapidem ad magnitudinem oui vnà cum ſtercoribus. Quinimò refert Hipp.5. Epid. famulam Dyſeridis, quod magis mirum videtur, à vulua lapidem deieciſſe.A quantitate capiuntur differentiæ tam continua,quàm diſcreta;quandoquidẽ vel ſemel in die,vel bis,vel ter egeruntur,ſimiliter vel multæ, vel paucæ:quod eſt intelligendum habito ciborum aſſumptorũ reſpectu;propterea quòd fæces debent ſemper cibis aſſumptis eſſe proportionatæ. A qualitatibus porrò deſumuntur differentiæ, vel tactilibus, vel viſibilibus, vel audibilibus, vel odorabilibus.Guſtatiles omittemus; quoniã magnopere damnatur Xenocrates ille à Gal.10.de Simpl.med.qui ægris ad curandos morbos ſtercora deuoranda dabat, quaſi remedia meliora non haberet: ne producam in memoriam Commodum illum Imp.qui in orbis terrarum incommodum & perniciem natus eſt, quem tradunt ſæpe conſueuiſſe cibis ſtercora commiſcere. A tactilibus qualitatibus differentiæ capiuntur,quòd fæces,aut calidæ ſunt,aut frigidæ,aut humidæ,aut ſiccæ,aut graues,aut lẹues,aut acres & mordaces,aut lenes & mites.A viſibilibus quoque capiuntur;quoniam ſtercora vel ſunt alba,vel ſunt nigra,vel rubra,vel flaua,& ignea, vel cinericia,vel viridia,vel diuerſis coloribus infecta.hi ſunt colores,qui vt plurimum in fæcibus alui conſpiciuntur. Quòd ſi aliquos alios videre nobis continget, poterimus iure merito omnes ad prædictos referre, prout illi vel intenſiores, vel remiſſiores exiſtunt.Ab audibilibus etiam qualitatibus differentias venamur,quod fæces vel ſine ſono & ſtrepitu exeunt, vel cum ſono & ſtrepitu. Ab odorabilibus tandem ſumuntur;quoniam aut moderatè fœtent,aut immoderatè,aut nihil prorſus.Quòd enim ſtercora hominum vnquam hominibus bene oleant,fieri ſanè non

poteſt. Dico ſtercora hominum; quoniam reperiuntur animalia, quorum fæces alui bene olent, veluti aliquorum murium; auis illius Cinnami ab Herodoto & Ariſt.vocatæ: ſtercus etiam illius Gazellæ,quæ zibetum facit, fragrantiſſimè olet. Refert Alex.1. Problem.29. Damarum ſtercora bene olere. Dixi quoque non ſine ratione ſtercora hominum non bene olere hominibus; quoniam ſunt animalia, quibus fæces noſtræ ſuauiſſimè olent. quandoquidem refert Gal. lib.3. de facult. natur.cap.9. canibus ſtercora humana iocundiſſimè olere. Teſtatur etiam Alex.1. Problem.136. ſues odore fæcum noſtrarum delectari. Pantheram, cum venenum, pardalianches vocatum hauſerit, auidiſſimè ſtercora noſtra captare, auctor eſt Ariſt. lib.9. de Hiſt. anim. cap.6. Sed hoc in loco pulcherrimum, & ſcitu dignum eſt problema, Cur ſit, quòd vrinæ à cibis, & potibus odoratis odorem interdum bonum ſuſcipiant, fæces verò fieri non poſſit, vt vnquam à cibis aut potibus odorem bonum contrahant: quanquam Auic. 7. 4. tract. 3. cap.23. ſcribat, fœnugræcum vrinam fœtentem reddere,& à fæcibus alui omnem prorſus fœtorem auferre, ſimiliter etiam vinum aromaticum putorem fæcibus adimere. Animaduertendum verò eſt,à me dictum eſſe fæces non ſuſcipere bonos odores à cibis: quoniã malos quidem contrahere poſſunt: ſi quidem refert Auic. eodem loco, porros, allia, raphanos,erucas, & oua magnum fœtorem fæcibus ingerere. Pro huius problematis reſolutione, ſciendum eſt, vrinam apud Ariſt. lib.4. Meteor.7. & 11. ex genere aquæ eſſe. Iam verò, quòd aqua facillimè quoſlibet odores admittat, nihil eſt, quòd rationibus vllis comprobem. Cæterùm fæces cum terreæ totæ ſint, vt iam diximus,cúmque proprio quodam malo odore ſint ſemper plenæ,fieri non poteſt, vt alienos bonos odores admittant,immò quanto odoratiora ipſis commiſcentur, tanto deterius fœtent: niſi tamen multitudine obruantur. Idem enim ipſis contingit,quod melli, cui ſi ſal admiſceatur, tantum abeſt vt eius dulcedo minuatur, vt potius magnopere augeatur. Cauſſa verò cur odorata fœtorem fæcum augeãt, eſt,quòd cum calidæ ſint, vapores,in quibus fœtor collocatur, magis fundunt, & propterea magis putorem apparere faciunt. ob quod iure ſcriptum eſt ab Ariſt.13. Problem.9. iis,quibus alæ hircum olent,quo magis vnguentis perfundunt, eò deterius olere: efficitur enim, vt ab vnguentis calidis magis vapores diffundantur, atque ita magis fœtor appareat. Quæ ſtercorum à tempore ſumuntur differentiæ, ſunt,quòd alia celeriùs exeunt,alia tardè,alia nocte, alia die,alia tertia quaque die: ſunt & quibus non niſi ſexta aut octaua die aluus deiiciatur. A loco variantur exitus fæcum, quod vel per anum, vel per os, vel per alias partes deiiciantur. Scribit Alexander Trallianus in epiſtola de lumbricis, ſe interdum vidiſſe lumbricos præ fame inteſtina perfodiſſe,atque per abdomen exiuiſſe.Vnde per vulnera inteſtinorum facilè etiam ſtercora educi, & Gal. lib. 1. de Loc. affectis, & quotidiana experientia atteſtantur.Sed quod magis eſt,narrat Beniuenius medicus libro de Abditis morbis cap.86. ſe vidiſſe puellam, quæ cùm à natura haberet occluſum anum, alui recrementa per partes naturales deiiciebat octaua quaque die. Quod etiam dixi per os excerni ſtercus,manifeſtũ eſt in ea paſſione, quæ χορδαψὸς, & εἰλεὸς à Græcis dicitur,à noſtris verò Voluulus. Immò narrant etiam Romæ fuiſſe quendam temporibus noſtris,qui toto ferè vitæ ſuæ curriculo fæces alui per os expurgauit. Ab exitus modo variæ fiunt fæcum differentiæ; quoniam vel facilè, & ſine multa compreſſione deiiciuntur, vel difficilius, & cum labore, quemadmodum canes & lupi excernunt; vel cum dolore, vel ſine dolore; vel totæ ſimul, vel diſperſæ & diſpartitæ. Hæ ſunt omnes excrementorum alui differentiæ, præter quas non erit facile alias inuenire,

De

De cauſſis naturalibus differentiarum ſtercorum.

CAPVT V.

IAm cauſſas differentiarum conſiderare incipiamus exorſi à ſubſtantialium explicatione. Craſſæ itaque fæces redduntur ex optima ventriculi coctione, necnon ex actione moderata caloris inteſtinorum. ſcriptū enim eſt ab Ariſt. lib. 4. Meteor. quæ ſunt terrea,& aquea, à calore craſſeſcere. propter quod Gal.lib.4. de Ratione victus in morbis acutis 4. ſcripſit, vigilantibus liquidas alui fæces fieri, neque craſſeſcere ſtercora,quoniam illi non concoquunt. nam, inquit,coctio omnis congregat,& incraſſat. Liquida ſtercora ἔξυγρα ab Hippocrate vocata 2.de Ratione victus acutorum 4.fiunt multis de cauſſis, vt eſt apud Galen.2.Progn. 14. & Auic.2.primi ſumma 2.doct.3.cap.13.prima eſt venarum meſaraicarum obſtructio, cuius merito efficitur, vt pars chyli ſuccoſa non penetret in corpus, ac retenta in inteſtinis liquidas fæces reddat. Secunda cauſſa eſt; propterea quòd cibus non conficitur, quod euenit in cruditate: vel quia non alteratur, vt in lienteria conſpicitur, vel corrumpitur, vt in nidore. & hæc omnia fiunt modò cum virtutis expultricis imbecillitate, modò cum retentricis debilitate, interdum quoque cum expultrice valida. Tertia eſt, attractiuæ meſaraicarum infirmitas, quæ cum nequeat ſuccum chyloſum attrahere, ille relictus ſtercora liquida reddit. Quarta eſt capitis defluxio humida ad inteſtina. dicebat enim Ariſtotel.4. Problemat. 3. Spadonibus, & Eunuchis fieri aluos liquidas, & partes omnes inferiores tumeſcere, eo quòd abundent maxima capitis defluxione, quæ ad partes inferiores præcipitata,& partium inferiorum tumores, & fæces liquidas,aluúmque ſolutam reddunt. Quinta eſt ciborum qualitas, & aliorum quæ aluum humectant, vt Pruna, Caſſia, Tamarindi, & huiuſmodi. Sexta, potus ad inteſtina conuerſio; quandoquidem interdum contingit hominibus, ſicut & auibus, vt vel vniuerſus potus, vel ſaltem maior pars ad inteſtina conuertatur. Hinc Ariſtot.3. Problem.5. dicebat,ebrioſis fieri aluos liquidas. Immò primo de Gen. anim. cap.20.ſcriptum reliquit, quòd illis qui habent vaſa generationis à natura olæſa, efficitur aluus humida; quoniam ſuccus, qui deberet fieri ſemen, reflexus ad inteſtina conuertitur,ac ſtercora liquida reddit. Molles fæces & ipſæ pluribus de cauſſis efficiuntur. Prima, ex moderata inteſtinorum humiditate. Sunt enim aliqui, quorum inteſtinorum ſubſtantia humida eſt, humiditas verò illa ſtercora continuò humida conſeruat. Secunda, ex cibis emollientibus,vt malua,lactuca,& huiuſcemodi,de quibus dicebat Martialis.

Vtere lactucis, & mollibus vtere maluis:
Nam faciem duram Phœbe cacantis habes.

Tertiæ, fiunt ſimiliter ex permiſtione diuerſorum humorum à iecore, vel aliunde emanantium, ex permiſtione quoque pinguedinis, vt in phthiſicis, & in hecticis conſumptis obſeruatur. Eſt etiam Galeni ſententia 3. Epid. comm.3. quam confirmat quoque 8. libro κατὰ τόπους, in febribus peſtiferis perpetuum ferè eſſe, vt alui egeſtiones ſint liquidæ ob pinguedinem. Dura ſtercora à pluribus item fiunt cauſſis ſecundum Auicennam locis citatis. Prima eſt calor immodicus natus ex labore,vel balneis, vel aliqua alia extrinſeca cauſſa, ob quem calorem cum humiditates ferè omnes abſumantur, facilè fit, vt ſtercora durentur. Secunda

eſt vrinæ prouocatio, quam durare fæces teſtatus eſt Galenus quarto Aphoriſm vltimo. Tertia, igneus calor internus vel ab inflammatione præter naturam, vel à natiua iecoris caliditate effectus. Reperiuntur enim aliqui, quibus iecur vſque adeo calet, vt omnes ſtercorum humiditates conſumantur, & proinde dura remaneant. Quarta eſt qualitas ciborum, vt ſunt meſpila, pyra ſylueſtria, ſorba, de quibus Martialis.

Sorba ſumus molles nimiùm durantia ventres.

Quinta cauſſa eſt mora longa fæcum in inteſtinis, ex qua venæ inteſtinorum exſugunt quidquid humidi fæcibus ineſt. præterea ex retentione fæcum calor inteſtinorum magis creſcit, qui poſtea valentius humiditates conſumit, & durat. Qua ratione Caſſius medicus in libr. Problem. medicin. 70. dicebat, in febricitantibus ſi aluus ſit adſtricta, calorem maiorem eſſe, quàm ſi ſit fluida. Sexta poteſt addi cauſſa ſiccitas inteſtinorum, & corporis ſicca intemperies: arida ſiquidem membra attrahunt in ſe humiditates, vt paleæ aquam, & propterea fæces priuatæ humiditate durantur. Sic poſt longos ventris fluxus fæces facillimè dureſcunt. Sic etiam in capris, & ouibus fæces fiunt duriſſimæ, tum ob corporis ſiccam intemperiem, tum quia humiditates eorum animalium omnes in pilos, & cornua conſumuntur. Eſt dubitatio, numquid poſſint à frigore indurari fæces; quoniam eſt Ariſtotel. ſententia libr. quarto Meteor. Galen. libr. quinto de Simplic. medic. decimo, & Auerr. quinto Collect. ſeptimo, ex cauſſis duritiem in corporibus efficientibus, potiſſimam eſſe frigiditatem. Ad quam dubitationem dicendum eſt, frigus per ſe nunquam poſſe fæces durare; nunquam enim in corpore viuo tantum frigiditatis inueniri poteſt, vt duritiem valeat inducere: poteſt tamen per accidens frigus durare fæces; quando à frigore calor recluſus, & reflexus augetur, auctus conſumit humiditates, & proinde fæces exſiccat, & durat. Aſperæ redduntur fæces, aut quia dura mollibus miſcentur, aut quia in chylo aliquæ partes remanſere duriores, aliquæ complanatæ, ex quo etiam fit inæqualitas in fæcibus. Læues redduntur, quando aut omnes cibi æqualiter ſunt complanati & confecti, aut quando viſcidi & lenti humores ipſis ſtercoribus obducuntur. Hæ ſunt cauſſæ ſubſtantialium differentiarum ſimplicium. Modo differentias ſubſtantiales per miſtionem videamus. Miſcentur igitur multæ res ipſis fæcibus, & primò flatus, qui ſtercus ſpumoſum, & quale eſt vaccarum, reddunt. Miſcentur autem flatus vel propter ciborum indigeſtionem, vel ob vim flatuoſam eduliorum. Et hinc eſt, quòd tempore Quadrageſimæ ſtercora fiunt flatuoſa, ob vſum eduliorum flatuoſorum, vel propter miſtionem humorum ebullientium, & ſpumoſorum, vt in febribus ardentibus, & colliquatiuis; vel propter pituitam, ex qua aſſiduè gignuntur flatus, ob quod dicebat Alexand. ſecundo Problem. 85. eos, qui laborant magni inteſtini, ſiue coli dolore, ſtercora deiicere, qualia ſunt vaccarum, id eſt, ſpumoſa, vel propter pituitam ipſam flatu plenam à capite in inteſtina præcipitatam: de qua cauſſa loquebatur Hippocrat. ſeptimo Aphoriſm. trigeſimo, quando ſcripſit; Quibuſcunque ſunt ſpumoſæ deiectiones in diarrhœa, his à capite pituita fluit. Vel fiunt ſpumoſæ propter ambientem calorem, veluti in æſtate contingit, quo tempore ſæpiſſimè videmus fæces in vaſis veluti ebullire & ſpumare; quia ab aëre ambiente incaleſcentes quodam pacto fermentantur, & ſpiritibus, & flatibus replentur. Si miſceantur humores, primò miſcetur vel ſanguis, vel alij. ſanguis miſcetur aut ex apertis hæmorrhoidibus, aut ob inteſtina corroſa, & vlcerata, aut ex iecoris imbecillitate,

quod

quod cum nequeat optimum ſanguinem generare,aquoſum facit,qui poſtmodum ſua tenuitate facilè ad inteſtina perducitur, ſicuti contingit in fluxu hepatico. Immò ſcribit Gal.lib.3.de Sympt. cauſſis c.2. nonnullis fieri periodicas quaſdam ſanguinis per anum excretiones,perinde ac menſtrua mulieribus.Si miſceatur pituita, cauſſa eſt ventriculi imbecillitas,aut otium.nam habent illi,qui otiantur,ſępiſſimè ſtercora multæ pituitæ commiſta.Si humor melancholicus miſceatur,cauſſa eſt lienis obſtructio, vel calor generans humores melancholicos,vel cibi, vt caro leporum,& aliarum ſimilium beluarum.Si ichores miſceantur,cauſſa eſt copia ipſorum in corpore redundans,& eorundem acrimonia,quibus virtus expultrix excitata, & irritata,eos in inteſtina deponit. Si carunculæ miſceantur, cauſſa eſt abraſio,& vlceratio inteſtinorum,quemadmodum etiam ſi muci, aut pinguedines miſceantur. Si lumbrici commiſti ſint,cauſſa eſt corruptio humorum crudorum; & caloris inteſtinorum abundantia. Sed de lumbricorum genere aliàs. In præſentia ſatis ſit monuiſſe, lumbricos ex Gal.ſententia lib. de Formatione fœtus fieri in corporibus humanis caſu quodam,non autem ab ea virtute formatrice,à qua producuntur reliqua animalia. Si lapides fæcibus commiſceantur, cauſſa eſt continua, & longa actio caloris in humores crudos,qui conſtipati & craſſati ab ipſo inteſtinorum calore, in lapides concreſcunt. quòd enim ex fæcibus lapides gignantur fieri nequaquam poteſt;quoniam humidum fæcum continuatiuum facile à calore immodico diſſipatur: ex quo partes terræ ſtercorum diſcontinuatæ nequeunt in lapides concreſcere; ſed ipſis idem propemodum contingit, quod furfuri, & arenæ, ex quibus ſi quis lateres facere conetur,fruſtra laborat. Quòd fæces præter ciborum copiam multiplicentur,multæ à Gal.3.de Sympt.cauſſis c.2. & ab Auic.16.3.2.tract.4.c.vlt. traduntur cauſæ. Vna eſt,quòd chylus non perfectè diſtribuatur per corpus: quod contingit,vel quia non rectè præparatur in ventriculo;vel quia à venis Meſaraicis, vt deberet,non attrahitur. Secunda eſt humorum à partibus ſuperioribus defluxio; quando multi humores à capite in inteſtina labuntur, quibus commiſti eas non parum augent. Tertia eſt cibus humidus & fluxilis,ſuper quem etiam multum potatur. Quarta excrementoſus cibus, ac parum nutriens,necnon abſtergens. Vnde Galenus libro primo de Aliment.facultatibus cap.12. ſcriptum reliquit,ex furfuribus multa ſtercora generari,quoniam detergent,& ob craſſitiem non poſſunt facilè illabi venis ventriculi & inteſtinorum.Eſt quæſtio hoc loco,quomodo fieri poſſit,vt ciborum humiditas, ſuper quos multum bibitur,ſit cauſſa copiæ excremétorum alui, quemadmodum ſcribit Auicenna loco citato. Dubitationis ratio eſt, quoniam Ariſtoteles 4. de Generat. animal. cap.1. teſtatur caliditatem corporis in cauſſa eſſe quantitatis excrementorum, quod tamen videtur contrarium; quia calor cum humiditates exſugat,facilè contingit vt excrementa minuantur; tamen ſcribit Ariſtot. animalia calidiora plus excrementorum alui egerere. Dicendum eſt nobis,quemadmodum Ioannes Grammaticus eo loco meminit, Ariſt. loqui de animalibus in eodem genere, & ſexu; ac ſi dicat,in eodem genere, & ſexu animalium ea plus ſicci excrementi deiicere, quæ calidiora ſunt,quod quoque interpretandum eſt de ciborum quantitate vnica vice excreta, ſiquidem calor, quo maior eſt, eo plus, & breuiori tempore coquit: & vt breuiori temporis ſpatio coquit,ita etiam vnica vice excreta emittit. Ex aduerſo, ſicuti calor debilis paullatim coquit,paullatim quoque excrementa deiiciuntur. Paucitatis fæcum in primis cauſſa eſt multa chyli diſtributio; quando enim chylus vel totus, vel magna ex parte rapitur à venis, minuuntur quidem ſtercora, at augentur vrinæ, cibi pariter duri, multi alimenti, neque excrementoſi, ac ſuper quos non bibitur, in cauſſa ſunt

paucitatis fæcum alui.denique bilis ad inteſtina non penetrans paucitatem fæcum facere conſueuit. Dubitatur hîc, quomodo Auicenna dixerit, cibos humidos, & ſuper quos multum bibitur,fæcum multitudinem cauſſare;quoniam Ariſt.10.Problem. 58. habet hanc ſententiam, homines interdum plus excrementi humidi quàm ſicci egerere; aſinos verò & equos plus ſicci,quàm humidi; propterea quòd bruta plus ſicci alimenti ſumunt, homines verò plus humidi: quod dicebat idem Ariſtoteles paullò ſuprà euenire, quòd homines ſint omnibus brutis calidiores, quódque ea ratione pluri refrigeratione egent: aſini verò,& bruta cum ſint ſicciora, ratione ſimilitudinis plus ſicci alimenti optent. ex quibus omnibus patet, philoſophum maximum hoc ſenſiſſe, quòd humiditas ciborum non concurrat ad generationem multitudinis fæcum, ſed potius ſiccitas. Dicamus nos Ariſtotelem dicere (quandoque) quaſi ſignificare velit, contingere interdum,vt homines plus humidi excernant,ſed contingere etiam ſæpè, vt plus ſicci. aut dicendum eſt, duplex eſſe humidum, aliud potabile, aliud alibile. homines plus humidi potabilis quidem ſumunt quàm bruta,vt non immeritò dixerit Plinius,homines à vino hoc tantùm eſſe conſequutos, vt vel non ſitientes bibant: bruta verò plus humidi alimentalis ſumunt: & cum multitudines fæcum ex copia humidi alimétalis naſcantur, multitudo verò vrinæ ex copia alimenti potabilis,efficitur iure, vt bruta plus excrementi ſicci, homines verò plus humidi eiiciant, vt dicebat Ariſtot. Verùm adhuc inſtabit aliquis,hanc reſponſionem non valere; quoniam Auicenna loquitur de humido potabili. Dico, Auicennæ ſententiam eſſe, humidum alibile eſſe illud, quod facit verè copiam ſtercorum,ſed augeri etiam ab humido potabili hoc modo; quoniam huiuſmodi humidum magis diffundit fæces, atque etiam magis auget humidum alibile. Vel poſſumus etiam dicere, Auicennæ ſententiam intelligendam eſſe, quando potus non ad veſicam, ſed ad inteſtina conuertitur. Iam differentiarum à qualitate cauſſas indagemus. Calidarum fæcum cauſa eſt prima, miſtio humorum calidorum: ſecunda iecoris caliditas,aut inteſtinorum,vt in ileo, aut etiam febrilis. Qui enim febre ſollicitantur, ſæpiſſimè ſtercora veluti vrentia deiiciunt: vel etiam inteſtinorum,aut partium illis proximarum inflammatio: ciborum tandem calidorum eſus ſtercora calida reddit. Frigidarum fæcum cauſſæ quoque ſunt plurimæ,in primis extinctio caloris natiui,vt in morituris, quãdo calor natiuus extingui incipit, ſtercora frigida videntur. Sed animaduertendum eſt, appellari frigida ſtercora apud medicos,non quæ verè frigida ſunt:quandoquidem nulla vnquam talia videre eſt in homine viuente:ſed frigida vocantur tepida.Prætereà huius teporis cauſſa eſt frigidorum ciborum eſus, vt cucurbitæ, lactucæ, & huiuſmodi. Humorum quoque permiſtorum frigus id facit, veluti quando pituita vitrea,craſſa, & admodum frigida commiſcetur. Vniuerſi etiam corporis ardor efficit fæcum tepiditatem. Neque id mirum cuiquam videri debet; quoniam & Galenus,& Alex.1.Problem.ſect.52. prodiderunt,eos qui in Laconicis, ſiue ſtuffis, verſantur,mingere tepidum: quoniam ardor & caliditas, quæ occupat vniuerſum corporis ambitum, facit, vt vrina tepida videatur. quod pariter contingit de fæcibus; ſiquidem ſæpè vniuerſus corporis ardor facit, vt interdum fæces videantur frigidiuſculæ, quod maximè confert ad hoc, ne quis facilè decipiatur. Humidæ fæces à liquidis in hoc differunt; quòd craſſæ poſſunt eſſe humidæ; liquidæ verò non poſſunt eſſe craſſæ; quoniam humiditas eſt differentia accidentalis: liquiditas verò differentia ſubſtantialis. Igitur humidarum fæcum in primis cauſſa eſt materia potulenta ipſis immiſta. Dicebat enim Plutarchus libr. de Tuenda valetudine, duras aluos continuo aquæ potu humectari, ſiccitatis cauſſa eſt calor magnus

abſumens,

abſumens, atque vehemens caloris natiui actio: adhæc alui fluxus prætergreſſus; præterea longa in inteſtinis mora. his etenim omnibus de cauſſis fæces ſiccitatem contrahere ſolent. Fiunt ſtercora grauia ob multitudinem & denſitatem: leuia ob aërem & flatus immiſtos. Acrimonia fit, vel humoribus acribus immiſtis, vel ex cibis acribus & ſalſis; vt ſi quis vel muria veſcatur, vel alliis, aut cæpis, facilè acres fæces redduntur: quæ lenes quoque fiunt aut ob moderatam natiui caloris actionem, aut ob immoderatam. Immoderata verò vel æquè adurit omnes fæces, & læuorem quendam ipſis inducit, vel colliquat carnes & pinguedines, ex qua colliquatione poſtmodum ſtercora lenia efficiuntur. A coloribus differentiarum acceptarum cauſſæ quamplurimæ apud medicos ſunt, & primo albedo ex ſententia Auicennæ pluribus de cauſſis efficitur. Prima eſt, quando bilis impeditur, quominus ad inteſtina permeet, veluti fit in ictericia, quemadmodum etiam ſententia eſt Galeni ſecundo Prognoſt. 17. & 20. & Alexandri primo ſegmento Problem. 88. Altera cauſſa eſt ſanies ex magno apoſtemate in inteſtina miſſa. Dico, ex magno apoſtemate, propterea quòd ſi paruum ſit hoc apoſtema, ſanies quoque pauca erit, & idcirco fæces albas reddere non poterit. Tertia eſt pituita ex otio genita. Quarta eſt ciborum albedo, vt videmus in puerulis, & etiam in adultis, qui ſolo lacte veſcuntur, quorum ſtercora perpetuò albeſcere conſpiciuntur. Quinta cauſſa eſt, quando humores colorantes aliò conuertuntur. ſcriptum eſt enim apud Ariſtotelem libr. 4. de Partibus anim. cap. primo, piſces, ſerpentes, & aues alba alui excrementa deiicere; propterea quòd humores, qui alioquin colorarent, in ipſis conuertuntur in pinnas, cortices, & pennas. Nigredo ſtercorum fit aut à cibis, & medicamentis, vt quando mora, aut caro leporina, aut panes nigri comeduntur, vel Caſſia, aut Tamarindi aſſumuntur; aut ab aduſtione maxima, aut ab humoris atri permiſtone. Permiſcetur verò ater humor, vel quando à liene euomitur in inteſtina: vel quando à medicamento humores atros ducente mittitur: aut quando ab vniuerſo corpore natura deponit humores atros in inteſtina; quemadmodum contingit in ſolutione aliquarum quartanarum febrium. Dubium eſt, an fæces nigræ efficiantur à frigore. Auicenna 1. Cant. 2. quem ſequutus eſt Auerroës in commento, & 5. Collect. 29. & 4. Collect. 22. opinatus eſt nigrorem fæcum à frigore quoque produci. Sed hæc ſententia nunquam mihi placuit; quandoquidem in extimis nos videmus, frigus, quod nigrefacit, eſſe intenſiſſimum: quomodo verò in corpore viuente poſſit nigredo effici à tanto frigore, non video, quando etiam morientes calida ſtercora emittunt. propterea ſapienter puto Galen. 2. Prognoſt. & 4. Aphoriſm. 21. vbi cauſſas nigredinis fæcum enumerat, frigiditatem dimiſiſſe. quod etiam Auicenna fecit ſecunda primi in fine, vbi ex profeſſo hanc materiam tractat. Rubedo efficitur ex ſanguinis permiſtione, qui prout plus vel minus miſcetur, ac modò ſincerior, modò minus ſincerus: ita quoque alias rubicundas magis, alias minus fæces reddit. fit præterea rubedo ex flauæ bilis aduſtæ permiſtione. ſicuti namque videmus, oui vitellos nimium aſſatos rubere: & ita bilis flaua ſi immodicè aſſetur, ruborem contrahit, & poſtea fæcibus commiſta, ſimili colore illas inficit. Flauities ſecundum Galeni ſententiam 2. Prognoſtic. 17. & 20. inducitur ſtercoribus ex flaua bile permiſta. Cinericius color fit, vel ob pituitæ aduſtionem, eo tamen modo, quo poteſt pituita aduri, vel ex colliquatione pinguedinum & carnium, quæ colorem quendam cinericium inducunt. Viriditas, liuor, & fuſcedo ſunt ferè ſub vno genere comprehenſa; ideo quod de viriditate dixero, idem de aliis dictum à me velim. Viriditas igitur ex ſententia auctoris, qui libros de Plantis nomine Ariſtotelis inſcriptos edidit, fit ex cruditate. volebat nāq;

ille

ille Auctor,folia arborum viridia effici, eo quòd ſuperficies extima non coquatur. Sèd hæc ſentétia multis rationib. refellitur, & potiſſimum hiſce duabus,nimirum, quòd ſequeretur, folia nunquam coctionem conſequi, quod eſt falſum ; ſiquidem ſemper folia virent, & quando interitum ſubeunt,tunc viriditate ſpoliantur.Præterea multi ſunt fructus,vt cucurbitæ, pruna Iberica,quæ quáto magis cocta ſunt, tanto plus viriditatis nanciſcuntur. Itaque dicendum viriditatem præternaturalem ſaltem fieri pluribus modis, vel cum pallidum magis aduritur : propter quod Galen.1. Prorrhet. 10. ſcriptum reliquit, bilem ærugineam fieri, quando bilis flaua aſſatur antequam nigreſcat;vel fit viriditas,quando niger humor croceo miſcetur. Si enim atramentum , & auripigmentum ſimul miſceantur,videbimus conſequi colorem viridem.fit tertiò viriditas,quando crocei, & nigri humores permiſti computreſcunt:quod memorat Auerr.3.Collect.3. Vt igitur rem in vnum colligamus, dicimus viriditatem fæcum effici,vel ob bilis æruginee permiſtionem ſecundum Galen. 1. de Criſi 11.cui adſtipulatur Auerr. 1.par. cont.text.325.aut ob maximum incendium. quanquam Auerroës in hoc ſanè parum ſibi conſtans videtur, qui 4.Collect.22.ſcripſit,coloré viridem à frigido fieri omnem,præter æruginеum, praſinum, & piſtaciorum ſimilem. quo in loco idem dicendum , quod nuperrimè dixi,frigiditatem nullo tépore tantam in corpore viuo poſſe reperiri, quæ virorem inducat. Quòd ſi velimus tueri Auerroëm , poſſumus dicere, frigus eo modo inducere virorem , quo nigredinem in carbonibus , videlicet , quando ferè extincto calore natiuo , ſuccedit frigiditas priuatiua ſaltem. Quamquam etiam poſſumus dicere, frigus exprimendo humidum , aliquam ſaltem viriditatis ſpeciem efficere. Diuerſi colores fiunt ex humorum varietate ipſis fæcibus commiſta. Excernuntur fæces ſine ſono,aut ob pinguedinem , quemadmodum videmus facere oleum, quod dum ex vaſe in vas transfunditur,nullum edit ſonum : aut ob virtutis expulſiuæ imbecillitatem,quæ ſi lente propellat fæces,eas ſine vllo ſono emittit.Reddútur verò fæces cum ſonitu interdum ob vehementes impulſus:ſæpiſſimè autem ob multorum flatuum permiſtionem cum impetu exeuntium. Dico , cum impetu: quia & aliquando ſine impetu exeunt , quo tempore nullum ſonum edunt , & ex virtutis debilitate proficiſcuntur , vt 2. Prognoſt. 24. Hippocrates innuit. Flatus autem fiunt,vel ex ebullitione,vel ex imbecillo ventriculi calore;ſicuti nanque videmus fieri flatus,quando ſolaris calor debilis eſt , quemadmodum tradit Ariſt. 2. Meteo. pariter & in corpore noſtro fiunt flatus,vbi ventriculi calor imbecillus eſt. Iam verò flatus ſecundum Gal.3.de Sympt. cauſ.c.2. vel retinentur in corpore,vel exeunt. ſi retinentur,id accidit,aut ob virtutis expultricis imbecillitatem,aut propter flatuum craſſitiem , aut quia impedimentum aliquod in infimis inteſtinis reperitur,quod exitum flatibus non permittat , qui flatus retenti faciunt illam affectionem,quam Græci ἐμπνευμάτωσιν, noſtri verò inflationem vocant. Flatus retenti quando per inteſtina modò huc, modò illuc mouentur,& puri,ac aërei ſunt,efficiunt ſonos tenues,& exiles,aut non tenues , neque exiles , ſed paruos, qui omnes fiunt in ieiuno inteſtino. Quòd ſi grauem ſonũ efficiant,talis efficitur in inteſtinis craſſis,& latis.Cõtingit enim in his,quemadmodum in fiſtulis, quæ ſi ſint latiores, efficiunt Baſſum,vt vocant ; ſi in tenuioribus,alium ſonum edunt. Atque ibi ſonitus,vel ſunt cum humiditate,& nuncupantur à Græcis βορβορυγμοὶ:lingua noſtra caret hoc vocabulo, quod ſacræ Scripturæ interpretes transferunt , aquarum ſtrepitum. Vel eſt iſte ſonitus ſine humiditate,& appellatur βόμβος. Si flatus exeant, aut per os educuntur, & faciunt ἐρυγὴν, ſiue eructationem, aut per anum,& efficiuntur cum ſono ſimili βορβορυγμοῖς, qui fit cum humiditate executne , vel cum clariori, & ma

& magis aëreo ſono: atque hic efficitur ex inteſtinis vacuis, ac duris excrementis plenis. ſicuti namque ex percuſſione durorum corporum efficiuntur clariores ſoni, pariter cum flatus percutiuntur in inteſtinis duris, naſcitur ſonus clarior. Hic verò ſonus vocatur crepitus à Latinis,à Græcis πορδὴ, & dicitur proprius eſſe ſeniorum.Vnde apud Strabon.lib.14.Boëthus Poëta Athenodorum exprobrans mutauit Adagium illud in ipſum, quod tale eſt, Opera Iuniorum, Conſilia virorum, Preces ſeniorum: vbi dicitur, preces ſeniorum, voluit eſſe dicendum crepitus: inquit enim,

Ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, πορδαὶ δὲ γερόντων.

Vel eſt medius ſonitus inter βορβορυγμὸν,& clarum; & hic à Galeno dicitur τρισμὸς, & τρυσμὸς, qui fit ex flatuoſo ſpiritu cum exigua humiditate per anguſtos meatus ducto: nos poſſumus vocare ſtridorem,ac gemitū.Illud hoc loco admonebo,quod aduertit Ariſt.4.Probl.9.nunquam crepitus eſſe emittendos,niſi turgente, & valdè ſtimulato corpore. Ratio eſt, dicebat ille, quia ſicuti qui euellere arbores tentant vi,modò aliquam partem radicum dimittunt in terra,modò terram ſimul cum arbore euellunt;ſic qui crepitus importunè emittunt,aliàs non educūt flatus omnes: quando verò humores,& partes ſolidiores cum crepitu educunt.Fœtor,niſi fiat ex rebus fœtorem inducentibus,vt alliis, eruca, porris,ouis,quæ omnia fœtorem inducere ſcribit Auicen.lib.4.fen. 7. tract.3.cap.24. fit aut ob indigeſtionem,ſed non conſummatam, quemadmodum Rhaſes adnotauit,eáque de cauſſa ſcriptum eſt ab Alex.1.Probl. 29. hominum ſtercora peſſimè olere, vtpotè qui,cum cibis variis & multis vtantur, malè illos coquunt: ſicut ex aduerſo animalia ſylueſtria fæces minus fœtentes edunt;tum quia ſimplici cibo veſcuntur:tum quia multum exercentur:vel efficitur fœtor ex putrefactione,vt voluit Gal.l.1.de Criſi,cap.11.& Auerr. 21.Cantic.text. 333. Hac etiam ratione dicebat Galen. 10. Methodi,corpora calida & humida eſſe expoſita putrefactioni; propterea quòd habent & materias, & cauſſas efficientes obnoxias putrefactioni:idque eo argumento probabat,quòd ſudores & ſtercora ipſorum maximè fœteant. Inodora ſtercora fiunt aut à ſiccitate, vnde Ariſt.13.Probl.1.dicebat,ſtercora quanto diutius retinentur in inteſtinis,tanto minus fœtere:eo quòd ſicceſcant magis:aut à frigiditate,atque vltima cruditate, quemadmodum in lienteriis, quando cibi inalterati deiiciuntur. Quòd verò ſtercora celerius,quàm par ſit,educantur, quinque à Galen.3.de Symp. cauſſis, cap. 2. aſſignantur cauſſæ.Prima ciborum copia,qua grauatus ventriculus,& inteſtina citò ſeſe exonerare quærunt. ſecunda eſt ciborum acrimonia, qua ſtimulata inteſtina citò deponere fæces nitūtur.tertia humorum acrium, & mordacium permiſtio, veluti melancholiæ, bilis, & pituitæ ſalſæ, quæ omnia virtute quadam pungitiua inteſtinorum vim expultricem citò excitant. quarta eſt ciborum mollities, qualia ſunt oua recentia, nuperrimè nata,lactuca,malua, & huiuſcemodi alia. quinta eſt fortitudo & robur expulſiuæ virtutis, & contentiuæ imbecillitas. Hæc autem poſtrema cauſa dignoſcitur ab acrimonia;quoniam acrimonia inducit dolorem: expulſiuę robur celeres deiectiones facit citra vllum dolorem.Tarditatis quoque deiectionum multæ aſſignantur cauſſæ à Gal.loco citato,& ab Auic.1.Cant.tex. 329. Prima eſt tarditas digeſtionis chyli.Secunda expulſiuæ facultatis imbecillitas,quæ ab aliqua intemperie, & potiſſimùm frigida ortum ducit. Tertia eſt cibus adſtringendi facultate pollens.Quarta ciborum paucitas. nam dicebat Corn.Celſ.iis,qui prandere conſueuerunt, ſi prandium dimittant, aluum adſtringi. quod didicit ab Hippocrat.comm. ſecundo de victu acutorum. Quinta eſt inteſtinorū hebetudo, ac durities; nam aliqui ſunt, quorum inteſtina adeò hebeti ſunt ſenſu, vt, niſi

maximè

maximè exſtimulentur, onus tardiſſimè deponant. Quòd verò excrementorum alia mane,alia veſpere, alia interdiu, alia noctu deiiciantur, fit vel ex conſuetudine, vel ex motione corporis, vel vehementib. animi motibus, vel caloris concentratione, vel ex aliqua alia incognita ratione. Ex vehementibus animi motibus; quoniam experientia,& ratione compertum eſt pluries,vbi animus vexatur interdum, inteſtina etiam facilè deponere fæces. Si ab ore exeant fæces, id fit propter impedimentum aliquod inferiorum inteſtinorum, quod quidem modò à natura eſt, modò ab accidente, veluti quando inflammantur inteſtina. Si verò ab alio loco exeant, id contingit vel ob inteſtina perforata, vel ex incognita aliqua cauſſa: quemadmodum fuit in puella illa, quam Beniuenius refert conſueuiſſe ſtercora per partes naturales emittere. Quòd exitus ſtercorum efficiatur cum labore, & preſſione, accidit vel ex naturali inteſtinorum craſſorum anguſtia, quod in lupis & canibus contingere memoriæ prodidit Plin. lib. 11. c. 37. vel ex præternaturali affectione, & hoc aut ob hæmorrhoidas tumentes, aut propter craſſitiem & duritiem fæcum. Si ſine labore exeant, eſt id tum ob mollitiem ſtercoris, tum ob inteſtinorum amplitudinem. Si cum dolore deiiciantur, in cauſſa eſt vel fæcum mordacitas & acrimonia, quæ inter exeundum mordentes inteſtina dolorem efficiunt:vel accidit ex inteſtinis exulceratis & corroſis,quæ à fæcibus,qualeſcunque ſint illæ, dum exeunt,irritantur;vel ex flatibus,qui dum egrediuntur, inteſtina extendendo dolorem pariunt;aut ex mucis,qui tenaciter tunicis inteſtinorum adhærentes dum euelluntur, tunicas illas diuellendo dolorem adferunt. Quòd porrò exeant ſine dolore, cauſa eſt abſentia prædictarum cauſſarum. Si paullatim educantur, fit ob expultricis facultatis imbecillitatem, propter anguſtiam inteſtinorum, ob fæcum diſcontinuitatem, quemadmodum videmus in illis, quorum ſtercora ſunt veluti σκύβαλα, & pilulæ, quæ ab ipſis paullatim deponuntur. Confertim verò, & celeriter educuntur, aut ob fæcum multitudinem,vel ob continuitatem earundem, aut propter inteſtinorum latitudinem, aut ob caliditatem, quemadmodum ex Ariſtotelis ſententia iam diximus, vel propter vim expulſoriam inteſtinorum robuſtam.

De cauſsis non naturalibus differentiarum ſtercorum.

CAPVT VI.

HActenus omnes cauſſas naturales perſcrutati ſumus. ſuccedunt cauſſæ non naturales; hæ ſunt temperatura, ætas, ſexus,ſtudium vitæ, tempus anni, & regio. A temperatura auſpicati dicimus,ſanguineorum ſtercora eſſe compacta,fœtida, & multa. Bilioſi multas & ipſi reddunt fæces,flauas, & liquidas. Pituitoſi liquidas,ſubalbas,flatulentas,& cum ſono. Melancholicorum ſtercora ſubnigra ferè ſunt, pauca, ſicciora, cum ſono, & flatibus plena. dicebat enim Ariſtot. 30. Problem. primo, melancholicorum corpora ſemper flatibus eſſe plena. Pinguia corpora faciunt fæces paucas; quoniam maior chyli pars diſtribuitur, & adponitur, molles,ſine ſono,fœtidas, interdum cinericias,& ſemper confertim. Macra multa ſtercora reddunt,dura,flaua,tardè & cum labore.Scriptum apud Ariſtotelem inuenitur in extremis verbis libr. de Hiſtoria animalium, experientia conſtare, quòd

inter

inter quadrupedes, inter aues, & homines ; ea animalia quæ habent longiora crura, ſemper ſunt ὑγροκοίλια, ſiue humida aluo. Cuius rationem eam eſſe puto, quòd breuem aluum habeant, & proinde non ita coquant: vel quòd humiditates in ipſis non diſtribuantur; quandoquidem ea animalia, quæ crura longa habent, habent & tenuia: quod ſignum eſt, humiditates alimentarias in eas partes non diſtribui copioſè. Nam & hac ratione alibi dixit Ariſtot. crura longa & tenuia habentes, eſſe ſalaciores. Pueri multa ſtercora reddunt ob voracitatem, vermibus ſæpè oppleta, celeriter, abſque multo fœtore, ſubalba, mollia, & liquida. Senum fæces vt plurimum molles ſunt, albæ ob pituitam, paucæ, cum difficultate egeruntur; & paullatim: habent quoque interdum vermes permiſtos ob continuas cruditates. Habemus namque apud Hippoc.4. Epidem. duo exempla, alterum ſenis cuiuſdam, alterum verò Terſandri vxoris vetulæ, qui ambo vermes multos in ægritudine deiecerunt, & alter obiit, altera ſeruata eſt. Mediæ ætatis homines ſemper duriora, & plura ſtercora emittunt: mulieres molliora, & pauciora. Otioſorum ſtercora ſunt mollia, alba, multa, fœtida, vt dicebat Alexan. Exercitatorum fæces paucæ ſunt, flauæ, duræ, non longo tempore ductæ, quemadmodum docuit Hipp.2. Prorrhe. Vigilantium ſtercora vt plurimum eſſe liquida docet Gal. comm.4. de Victu acutorum 4. Dormientium paucæ ſunt fæces. Iam verò qui ſtudiis litterarum, & animi maximis exercitationibus operam nauant, mollia ſtercora reddunt, & plurima: ſimiliter quoque illi, qui natura timidiuſculi ſunt; quandoquidem ab Ariſt. ſcriptum eſt lib. 4. de Partibus animal. cap.5. & ſect.4. Problem. 8. necnon 27. Problem. primo, 8. & 10. timentibus aluum ſolui; quoniam calor extima membra deſerens, totus intrò conuerſus vim expulſiuam excitat, ac robuſtiorem efficit. Qui ſellulariis artibus incumbunt, præſertim ad ignem, ſtercora pauca reddunt, ſicca, & tardè: propter quod dicebat Martialis, betas eſſe fabrorum prandia, quę nimirū ipſis conuenirent ad emolliendas aluos. Hyeme alui magis conſtringuntur; ſicciores, & duriores fęces redduntur, paucæ, albæ. Æſtate molliores, plures, & flauæ, propter bilem eo tempore exſuperantem. Autumno multæ, ſubnigræ, fœtidæ. Vere quoque multæ, compactæ, & fœtidæ. Qui habitant regiones paluſtres, vt inquit Hippoc. libro de Aëre, locis, & aquis, fæces multas, & liquidas excernunt; quòd ipſis multa pituita à capite in inteſtina delabatur; & ea ratione illi neque pleuritide, neque peripneumonia, neque febre ardente, nec denique vllo alio morbo acuto exercentur. Siquidem, quemadmodum ibidem dicebat Hippoc. qui fluidas aluos habent, ab huiuſmodi prauis affectionibus ſunt liberi. Habitantes plagas frigidas pauca ſtercora, dura, & ſicca habent; vt non immeritò ſcriptum ſit ab Hippo.3. Aphoriſm.5. Aquilones aluos indurare duabus rationibus, vt ibi docet Galenus; tum quia vniuerſus corporis habitus vehementer exſiccatur, membra verò exſiccata humiditates ex chylo, & fæcibus exſugunt: tum quia eo tempore multum permanent in inteſtinis ſtercora, & propterea multum quoque exſiccantur. In temperatis regionibus temperatæ quoque deiiciuntur fæces.

De notis, quibus bona ſtercora dignoſcuntur.

CAPVT VII.

POſtquam cauſſas differentiarum omnes abundè explicuimus, conſequens eſt ordini à nobis propoſito, vt vſum huiuſce cognitionis tradamus, cuius

gratia

gratia omnia,quæ hactenus dicta ſunt, à nobis inſtituta fuere. Vſus verò quoniam duplex eſt,tum ad cognitionem corporis diſpoſitionum , tum ad curationem : primum vſum latiſſimè explicabimus , de ſecundo pauca nobis dicenda erunt. Sed vt omnia quàm maxima fieri poterit facilitate doceamus , prius tradendæ ſunt notæ , quibus optima ſtercora à medicis depinguntur. Sunt autem huiuſmodi notæ, vt colligitur ex Hippocrat. & Galen. 2. Progno. 13.ex Auic.2. primi, cap.vlt.num. 11. Prima, vt fæces ſint continuæ, æquales, vnitæ, ſine flatu, ſine alterius extranei corporis miſtione.Secunda, vt ſint molles,atque ſiccum humido ita permiſtum,vt pars aquea & terrea non ſint ſeparatæ, quod monuit Galen. lib. 1. de Criſi.cap.11. quod etiam Corn. Celſus lib. 2. cap. 3. intelligere voluit , vbi inter alias ſtercoris boni conditiones dixit eſſe debere molle , figuratum. Tertia , vt conſiſtentia ipſorum inſtar mellis ſit,non liquati,ſed in ſua conſiſtentia(vt ſic dicam)congelati,hoc eſt,vt ait Gal. vt fæces non ſint ita duræ,vt lapides;nec fluidæ inſtar liquoris , ſed conſiſtant , nec prætercurrant. Quarta , vt faciliter , ſine labore , dolore, & compreſſione exeant. Quinta,vt omni mordacitate careant. Sexta , vt color eius ſit citrino proximus,medius ſcilicet inter album & citrinum,qui color pallidus nuncupari ſolet. Septima,vt non ſint neque admodum fœtida,neque etiam omnis fœtoris expertia;nam ſiue immodicè fœteant,ſiue nihil,malum eſt : quia illud magnam corruptionem , hoc verò aut immodicam ſiccitatem , aut conſummatam indigeſtionem ſignificat. Octaua , vt exeant ſine vllo ſtrepitu. Nona , vt ſint ſpumæ expertia. Decima , vt exeant hora ſolita ſanitatis,vel ſecundum Hippoc.2. Progn.vt deiiciantur hora prima lucis, quo tempore omnis concoctio perfecta eſt. Vndecima,vt ſint in quantitate cibis proportionata. Nam etſi dictum ſit à nobis pauc um omnino quid à chylo in corpus diſtribui , eſt tamen hac in re magnum diſcrimen, quandoquidem alia ſunt edulia,ex quibus plus excrementi gignitur,veluti ex herbis:alia,ex quibus multum alimenti diſpenſatur in corpus , vt ex ouis,& gallorum teſtibus : alia verò,quæ mediocriter ſe habent,qualia ſunt panis,& carnes. Quanquam Alexand. 1. Problem. ſection. & Corn. Celſus ſecundum nonnullos veteres contextus ; voluerunt in pane plus eſſe nutrimenti , quàm in quoquam alio edulij genere. Igitur ſemper metienda erit fæcum quantitas ex quantitate, & qualitate acceptorum ciborum. Atque hæ omnes conditiones idcirco bonæ ſunt; quoniam ventriculum , inteſtina,meſaraicas , & iecur rectè conſtituta eſſe declarant. Eſt hoc in loco dubium de numero egeſtionum naturalium & optimarum: quoniam Hippocrates 2. Prognoſt. 15. videtur commendare eas egeſtiones , quæ bis , terve in die , & ſemel in nocte deiiciuntur ſecundum conſuetudinem. Quare videtur Hippocrates voluiſſe , quòd quiſque ſi ſanus verè eſſe debeat , ſemel etiam debeat , bis , aut ter in die , & ſemel in nocte ventrem exonerare. Qua in re Galenus Hippocratem reprehendere non dubitauit , quòd ſat fuiſſet illi , breuitatis amantiſſimo,inquit, dicere,egeſtiones debere eſſe ſecundum conſuetudinem. Iunior quidam , vt tueatur Hippocratem ait , ſenem id maximo iure dixiſſe ; quoniam ſuis temporibus , Hippocratis ſcilicet, homines in die & nocte toties egerebant. atque hanc ſuam ſententiam probare nititur auctoritate Athenæi lib. 1. c. 4. & Iulij Pollucis auctorum ſanè illuſtrium , qui mentionem fecerunt ientaculi, prandij,cœnæ,& comeſtionis poſt cœnam : quaſi,inquit ille,iſti nos doceant,veteres quater in die comedere conſueuiſſe, & cum egeſtiones comeſtionibus reſpondeant, debuiſſe etiam toties ventrem exonerare. Sed ſententia huius viri, meo iudicio,parum ſana eſt.primò, quia diuinus Plato in epiſtola ad Dionem ſcribit,ſe in Sicilia maxima admiratione affectum fuiſſe,quòd illi populi bis in die cibum ſumerent:

rent:quod clariſſimum argumentum eſt tempore Platonis, neque etiam bis Græcos comedere conſueuiſſe. Iam verò Plato ſi non fuit Hippocr. tempore, paullò pòſt tamen floruit, vt nullo modo videatur potuiſſe aliqua eſſe differentia inter tempora, & conſuetudines horum virorum. Sed quod magis deſtruit huius viri opinionem, eſt, quòd Hippocr. lib. de Aëre, aquis & locis circà principium videtur innuere, apud Græcos maximo vituperio dignos fuiſſe bibaces, pranſores, & otioſos. Quod verò dicunt Athenæus,& Pollux,verum eſt ſanè;ſed omnino intelligendum eſt, quòd veteres varios edendi modos, & varia tempora habuerunt, vt alij ientaculum caperent, alij pranderent,alij cœnarent. Quòd verò maior pars ipſorum toties in die ſaturarentur, neque hoc auctores dicere voluerunt, neque etiam facile eſt apud quemquam alium reperire, quemadmodum latius explicuimus in noſtris Variis lectionibus. Immò dato etiam,quòd veteres Græci toties cibum ſumerent,non video,qua neceſſitate debuerint etiam toties egerere;quandoquidem his temporibus maior pars hominum bis in die cibum ſumit, & tamen pauciſſimi omnino ſunt, quibus in die bis aluus purgetur. Dicerem igitur ego, Hippocratem voluiſſe nos docere, numerum egeſtionum debere eſſe in morbis, ſiue in conualeſcentia ſecundum conſuetudinem ſanitatis. Appoſuit verò bis,terve in die,& ſemel in nocte, vt demonſtraret, etiam in iis,qui à morbo conualeſcunt, non eſſe hunc numerum prauum,modò ſit ex conſuetudine. Nam potuiſſet medicus facilè perterreri videns tot egeſtiones: cuius tamen terror ceſſat, dum ſit conſuetudine: niſi malimus dicere, peculiarem fuiſſe Græcorum morem, vt toties egererent; quemadmodum mihi relatum eſt ab aliquibus Græcis, hodie quoque maiorem ipſorum partem ita diſponi.

De iudicijs quæ fiunt ex fæcibus alui.

CAPVT VIII.

Iam vſum in ſignificando aggrediamur. Craſſa igitur ſtercora indicant bonam ventriculi coctionem, meſaraicarum bonam attractionem; vnde in morbis ſalutem monſtrant, præſertim ſi ita fiant poſt ventris fluxum. Liquidæ, & aqueæ fæces, niſi à cibis vel medicamentis tales fiant, ſemper malæ ſunt; quoniam aut ventriculi, aut iecoris, aut meſaraicarum, aut capitis imbecillitatem declarant. Sunt tamen huiuſmodi egeſtiones peſſimæ in ſtatu,in declinatione morbi,in pueritia,& iuuentute:non ita prauæ in principio,& augmento,non ita in ſenio;quandoquidem iſtis temporibus vitiantur neceſſariò coctiones,& calor natiuus debilis eſt,vt iure optimo minus mali denotent. Quæ tamen omnia intelligenda ſunt,niſi liquiditas fiat ob Criſin: de quibus fæcibus loquens Hipp. 2. Prog. 14. ſcripſit: liquida ſtercora ſine ſtrepitu flatuoſo exeuntia, & cum ordine, bona eſſe. Cognoſcuntur verò critica ab aliis, vt adnotauit Galenus in commento; quoniam quæ fiunt ex debilitate, deiiciuntur frequenter cum vento ſonoro, cum laſſitudine,cum vigiliis. Quæ autem per criſin educuntur, exeunt ſine vento, laſſitudine, vigiliis, & paullatim. Mollia ſtercora probæ ventriculi coctionis excrementa adæquantis indicia ſunt, niſi ſint ex cibis emollientibus. Dura ſecundū Rhaſem decimo ad Almanſorem, caliditatis indurantis magnitudine mdemonſtrant; & ſi poſt fluxus appareant, bona ſunt. Propterea Hippocrates ſecund. Prognoſtic.

16. dicebat, appropinquante criſi optimum eſſe fæces durari, hoc eſt eas, quæ liquidiores prius erant, ſolideſcere. Æqualia, & lenia ſtercora,auct.Galeno 2.Prognoſt. 21. & Auicenn. loco citato, non ſemper bona ſunt; nam ſi talia fiant ex optima coctione adæquante, bona planè ſunt: ſi verò ex colliquatione, omnino mala.Intereſt tamen,an pinguedo recens,an verò antiqua colliquetur,colliquationes enim antiqui adipis ſunt omnibus deteriores.Inæqualia,& aſpera,inquit Rhaſes,indicant debilitatem coctionis,quæ cum æqualiter non fiat,ſequitur, vt aliquæ partes crudæ, & duræ remaneant,aliæ verò magis coctæ. Spumoſa ſtercora ſecundum Hippocratem, & Galenum 2. Prorrhet.15.& 18. niſi ſint ab extraneo calore, aut à flatulentis cibis, ſunt mala omnibus naturis, & præſertim alba, quippe quæ ebullitionem, & colliquationem oſtendant. dicebat tamen Galenus primo de Criſi. 11. huiuſmodi fæces commotionem quoque in corpore aliqua alia ratione effectam indicare, veluti quando in diarrhœa pituita ſpumea à capite in ventriculum, & à ventriculo in inteſtina præcipitatur; de quibus locutus eſt Hippocrates 7. Aphoriſm.30.ſcriptum reliquit idem Galen.6.Aphoriſm.6.ex ſententia Dioclis, deiectiones ſpumoſas inteſtinorum leuitatem ſequi. Quòd ſi cum ſpuma iuncta ſit viſciditas,quæ non fiat à cibis, vt ab anguillis, oſtreis, vel liquefactionem corporis monſtrat, vt in phthiſicis, vel pituitæ copiam in ventriculo, & inteſtinis genitam. Dignoſcitur haud difficulter vtraque: quoniam quæ eſt ex liquefactione, fœtorem iunctum gerit, lucida eſt inſtar olei: de quo ſtercoris genere loquebatur Galen.6.de Locis affectis, & Rabbi Moyſes 6.Aphoriſm.vbi dicebant, deiectiones pingues, & viſcidas adipis, & ſolidarum partium eliquationem indicare. Sanguis ſtercori permiſtus ſemper malum ſignum eſt, niſi ſit ex hæmorroidibus, quarum ſanguis, niſi nimis excedat, ſæpenumero prodeſſe ſolet. Propterea Hipp. 6. Epid. comm.3.tex.37.necnon libro de humoribus ſcriptum reliquit, eos,qui habent hæmorrhoidum ſanguinis fluxum, neque laterali morbo,neque peripneumonia,neq; phagedæna, neque furunculis, neque thermintis,neque fortaſſe lepra capi.Omnis verò alius ſanguis ſtercori miſtus prauum ſignum eſt;quoniam cauſſæ prauæ ſunt, videlicet vlcera inteſtinorum, roſiones ſanguificæ, iecoris facultatis imbecillitas. Pituita fæcibus miſta frigiditatem magnam, ventriculi præſertim demonſtrat. Bilis vel ardorem iecoris, vel veſicæ obſtructionem oſtendit, quorum vtrunque inſalubre ſignum habetur,niſi tamen ſit per criſin. Humor quoque melancholicus ſtercori miſtus prauum ſignum eſt, niſi in quartanis appareat, & in quibus à liene ſuccus huiuſmodi in inteſtina propellitur: de quibus Auicenna ſermonem habens 2. quarti dixit, exitum fæcum cum ſucco nigro ſæpè bonum ſignum haberi,præcipuè poſt coctionis ſigna. Ichores miſti indicia ſunt facultatis iecoris vitiatæ, quæ quum totum chylum in ſanguinē conuertere nequeat,ex magna eius parte ichores producit. Carunculæ, ramenta, muci nunquam bona ſigna eſſe poſſunt, proptereą quòd acres humores adeſſe indicatur, qui inteſtina abradunt;vnde ſolent prænuncij dyſenteriæ eſſe. Si virus, aut veluti quædam tela ſubtilis miſceatur, dicit Auicenna;lethale omnino ſignum eſt. Lapides permiſti argumenta ſunt magni inteſtinorum caloris, qui crudos humores valde aſſet; ſigna etiam ſunt ventriculi crudos, & viſcidos humores gignentis. Vermes ſi commiſceantur,teſte Hippoc. 2. prognoſt. 18. bonum ſignum eſt, præcipuè quando æger ad criſin properat.quo in loco Gal. ſcripſit, exitum lumbricorum abſque ſtercore prauum ſignum eſſe. Eſt hic aduertendum, vermes interdum viuos, interdum mortuos educi, qui omnes quid particulatim ſignificent, doceam neceſſe eſt. Nam in peſtiferis febribus qualeſcunque vermes exeant, mortui, vel viui, ſemper mortale ſignum habetur.

Nam

Nam ſi viui exeant, indicant maximam adeſſe prauitatem in corpore, quam fugiunt: ſin mortui, indicia ſunt eiuſdem prauitatis, à qua interimantur. Præterea vermes in principio morbi cuiuſuis exeuntes malum indicant, quoniam ſignum eſt, in principio tantum prauitatis adeſſe, vt illam ſuſtinere nequeant, & naturam ab eadem prauitate ſtimulatam ante tempus ad expellendum concitari. Ad hæc vermes viui in augmento morbi apparentes non admodum pernicioſi ſunt; quoniam facilè fit, vt in magna corporis perturbatione, quæ tunc efficitur, ipſi expellantur. Mortui verò ſunt pernicioſi, propterea quòd à magnitudine perturbationis, & à malitia humorum eos interimi indicatur. Tandem ſcire oportet, vermes omnes, cum ex putredine crudorum humorum ortum ducant, nunquam poſſe quidpiam boni per ſe indicare. Poſſunt tamen interdum per accidens bona ſigna eſſe, vel quia monſtrant, putredinem humorum crudorum ex ipſorum generatione, & nutrimento conſumi, vel quia cum mala ſint animalia, malum omne à corpore exire bonum eſt. Si fæcum multitudo cibis aſſumptis maior ſit, dicebat Rhaſes 10. ad Almanſorem, mala eſt; eo quòd corpus debilitari, & proinde macreſcere ferè ſemper nuntiat, vel ſaltem humores plus quàm par ſit, augeri. Paucitas ſimiliter mala eſt; quandoquidem ſignificat vel humores à nimio calore abſumi, vel diutius ſtercora, quàm couueniret, in inteſtinis morari, propterea quòd ex retentione diutina ſæpè in ventre innumeri fiunt mali affectus, & præcipuè caput ſemper malè afficitur. Dicit Cælius Aurelianus grauis auctor lib. 3. de Acutis paſſionibus cap. 3. quòd egeſtus venter facilia facit ſpiramenta non tantùm ægris, ſed etiam ſanis hominibus; manés enim, ait, excrementorum aliena fæx grauat, atque oppreſſione quadam acerrimas facit exhalationes corporis, quibus deinde caput repletur. quam ſententiam mutuatus eſt ab Hippocrate in libro de Locis in homine circa principium. eſt tamen diſcrimen quoad ætatem: quia adſtricta aluus in iuuene deterior, in ſene verò praua. Quod docens nos Hipp. 2. Aphoriſm. 53. & eloquentiſſimus eius interpres Cornel. Celſus lib. 1. cap. 3. dicebat, meliorem eſſe in iuuenibus fuſam aluum, in ſene verò adſtrictiorem. Qua item ratione idem Hippocrat. 2. Prorrhet. ſcripſit, in ſenibus prodagras non curari, ſi negligenter viuant, & adſtrictam aluum habeant; ſicuti ſæpè liberari, ſi à dyſenteriis & aliis eliquationibus tententur. Calidæ fæces niſi à cibis, vel aliis rebus efficiantur, arguunt viſcerum caliditatem; & ideo rarò euenire experientia compertum eſt, quin calidæ fæces prænuncient, vel interiorum viſcerum inflammationes, vel febres magnas. Frigida ſtercora peſſima ſunt, & lethalia, præſertim in febribus, iiſque magnis, in quibus ex frigiditate fæcum neceſſariò colligitur caloris extinctio. Vbi verò febres non ſunt, fæces frigidæ non ſunt adeò malæ, quòd ſolum pituitæ, & humorum frigidorum prouentum oſtendant. Humidæ fæces prauæ ſunt ſecundum Hippocratem: immò ſi tales diutius deiiciantur, rarum eſt, quin corpus malè ſeſe habeat; quandoquidem ex iteratis cruditatibus ſcimus varia affectionum præter naturam genera ſuboriri, quemadmodum teſtatum reliquit Rhaſes 10. ad Almãſorem. Siccæ fæces neque bonæ, neq; malæ ſunt, niſi tamen ita fiant ex mora. ratio eſt, quia sẽper comites ſunt caloris magni humiditates corporis abſumẽtis. Dicebat Rufus, egeſtiones ſiccas ferè ſemper corporis arefactionem preſagire: & propterea cuilibet facile eſt videre Azarabium illum Arabem 9. Theoricæ cap. 1. non parum fuiſſe allucinatum, qui crediderit fæces nimium ſiccas putrefactionem duntaxat demõſtrare. Graues fæces neque bonæ, neque malæ: ſimiliter & leues; quoniam illæ denſitatis ſolum, & multitudinis: hæ verò flatus argumenta ſunt. Acres nunquam bonę; quoniam bilis, aut pituitæ ſalſæ copiam in corpore, & in inteſtinis

congregari ſignificant. Lenia, & æqualia ſtercora, ᵃ Rhaſe vnctuoſa appellata, in morbis,& præſertim in febribus magnis,& longis deterrima ſunt: quòd colliquationem magnam, vel etiam aduſtionem in corpore fieri ſignificent, quemadmodum & Galen. 1. de Criſi, & Auicenna 2. quarti teſtantur. Albæ fæces, quæ non à cibis coloratæ ſunt, vt inquit Gale. 1. Prorrhet. 13. ſignificant obſtructionem, & bilis ad alias partes conuerſionem:vnde phrenitidis nuntij ſolent eſſe.Rationem facile eſt reddere; quia vbi flaua bilis ad inteſtina peruenire impeditur,ſæpius caput verſus fertur, quod offendens iure merito phrenitidem efficit. Nigræ fæces omnium ſemper ſunt peſſimæ: propter quod magnus auctor Hippo. 4. Aphoriſm. 21.hoc veluti oraculum nobis tradidit,quòd fæces nigræ ſponte venientes ſiue cũ, ſiue abſque febre ſint, ſemper peſſimæ ſunt habendæ. quam ſententiam ſecundo quoque Prognoſt. 22. confirmauit.Hoc autem eſt;quia vel maximum incendium, vel caloris extinctionem neceſſariò monſtrant. Non eſt tamen ignorandum hoc loco, quod nos monet Galen. 4.Aphor. 23. differentiam non paruam eſſe inter egeſtionem nigram, ſanguinis nigri deiectionem, & bilis nigræ egeſtionem. Nam nigra egeſtio craſſa,compacta,& coagulata eſt:ſanguis niger dum exit, fluidus eſt, non craſſus, non coagulatus. Bilis atra ſimiter fluida eſt, atque hoc plus habet, quòd ſi ſupra terram ſpargatur,eam erodit,ac fermentat. Omnes tamen eiuſmodi deiectiones id commune habent,quòd niſi per criſin à natura deponantur,peſſimę ſunt,& lethales:quas omnes breuibus verbis comprehendens Rhaſes 10.ad Almãſorem ſcripſit, ſtercus,quod eſt veluti fæx,nigrum,malum eſſe, atque lethale. Gal. lib.de Atra bile c.3. narrat, ſe neminem vidiſſe ſeruatum, qui atram bilem deiecerit. Rubra ſtercora, niſi tingantur ab hæmorrhoidum ſanguine, ſemper & ipſa praua ſunt;quippe quæ vel magnum iecoris vitium,vel vlcus, & vulnus inteſtinorum ſignificent. Flauæ deiectiones ſæpè fiunt à naturá poſt coctionem corpus expurgante: quo in caſu malæ non ſunt habendæ; ſin verò alio modo eueniant,malæ ſunt;quandoquidem bilis & vniuerſi corporis feruorem maximũ eſſe oſtẽditur; ideo prænuntiare ſolent inteſtinorum roſiones, dyſenterias: & quanto flauities maior eſt, tanto deteriores. Tres porrò ſunt modi, quibus dignoſcere poſſumus, atque diſcernere egeſtionem bilioſam per criſin eiectam ab ea, quæ ſecus emittitur. Primus eſt, quòd in expulſione critica, & poſt ipſam vires non deiiciuntur, in alia deiiciuntur. Secundus modus eſt, quòd bilis exiens per criſin ordine quodam, & paullatim exit, alia verò confusè, & confertim. Tertius eſt, quòd eiectionem criticam leuatio conſequitur, aliam verò ſequuntur potius inquietudines, anxietates & dolores. Poſſumus & quartum addere ex Galeno primo de criſi, capite vndecimo, quòd critica expulſio efficitur, vel in declinatione, vel in fine ſtatus: aliæ verò fiunt aut in principio, aut in augmento. Cinericius ſtercorum color putrefactionem,& incinerationem(vt ſic dixerim)perpetuò comitatur, vt iccirco color iſte numquam bonus ſit habendus.Vnde eum Hippocrat.ſecundo Prog. 22. inter peſſima ſtercora recenſet. De colore liuido verba faciens Rhaſes 10.Continentis ſcribit,quòd ſi liuidum ſtercus à cibis non tangatur, congelationẽ, & egeſtionis mortificationem ſignificat. Viridia ſtercora,niſi ab herbis fiant,mala ſunt.dico,ab herbis,quòd Gal.2.de Temp.c.6.ſcribat,fæces virides effici ab eſu herbarum actu calidarum.Significant verò viridia ſtercora ſecundũ Rhaſem,putrefactionem,& exuſtionem magnam in corpore:cumq́ue viridis color efficiãtur,vel ex flauo vlterius aduſto humore,vel ex permiſtione flaui & nigri,vtraque ſpecies omnino deterrima:vt non immeritò Thadæus Florentinus bonus auctor in Commẽtario in ſecundum Prog.22.dixerit,fæces virides nunquam eſſe criticas. Ex quo illud

lud facilè colligi poteſt,virides nigris aliquando eſſe peiores,quando viror naſcitur ex miſtione atri,& flaui;in quo caſu cum duo ſint humores praui,non difficile eſt intelligere,vno nimirum nigro ſolo eſſe deteriores. Diuerſi fæcum colores,ſiue ſint ſeparatim, ſiue iunctim, ex ſecundo Prognoſtic. vigeſimo tertio peſſimi ſunt; quoniam, vt inquit Galen.1. de Criſi.11.oſtendunt plures in corpore adeſſe ægritudines malas, pro quibus curandis opus eſt multo & labore, & tempore. In multo verò tempore maxima ſemper occurrunt pericula: quoniam, dicebat Galenus ſecundo Prognoſtic. 50. idem euenit in longis morbis, atque in magnis itineribus, in quibus raro fit, quin aliquod malum contingat, vel ex parte ægri, vel miniſtrorum, vel medici, vel aliquo alio caſu. Quinimò ſcriptum reliquit Hippocrat. quarto Aphoriſm. vigeſimo primo, quòd varij colores quanto magis diuerſi ſunt,tanto deteriores habentur: quod licet confirmare ex iis,quæ narrantur de multis ægris ab Hippocrat. tertio Epidem.vbi plurimos eorum, qui varias fæces egeſſerant, interiiſſe ſcriptum habetur: vt eſt de puerpera in Thaſo, de Apollonio Abderita, & de adoleſcente illo in Miliboea, qui omnes cum varias decoctiones habuiſſent, vi morbi iugulati ſunt. Duo tamen hic excipienda ſunt. Vnum eſt, quod ſi varia ſtercora à medicamentis deiiciantur, quanto magis diuerſa ſunt, tantò ſunt feliciora ſigna. Hinc eſt, quod dicebat Auerr. quarto coll. hæc ſalutem ſemper portendere in qualibet ægritudine. Alterum ſcitu dignum eſt, quòd non ſemper praui ſunt varij colores fæcum, ſi ſucceſſiuè fiant, atque ſemper in melius tendant, quod nos clariſſimè docuit Hippoc.2.Aphor.decimo quarto ſcribens, in ventris fluxionibus mutationes egeſtionum iuuare, niſi ad malum tranſmutentur. cuius rei afferens Galenus in commentario rationem ſcribit, huiuſmodi egeſtiones ſignificare multorum, & variorum humorum purgationem, & conſequenter per illas corpus mundificari, magnamque ſalutis ſpem ſupereſſe. Quæ ſine ſono exeunt fæces, vt plurimum prauæ ſunt, quoniam vel eliquationem, vel oleaginæ materiæ deiectionem ſignificant, vel ſaltem expultricis facultatis imbecillitatem. Quæ verò cum ſonitu & flatu exeunt, interdum bonæ; quando flatum emitti, & expulſiuam virtutem validam eſſe demonſtrant. Scriptum eſt ab Hippocrat. ſecundo Prognoſticor. vigeſimo quarto,flatum exire cum ſtrepitu, melius eſſe, quàm eundem in inteſtinis reuolui. Illud tamen eſt animaduertendum, quòd fæces exire cum ſono non eſt perpetuò malum;præſertim quando ægri prudentes ſunt, atque verecundi; alioquin indicium eſt ægros aut delirare,aut dolore affici: quoniam prudentes viri, & verecundi,timent offendere alios crepitu: & ideo ſi quando in morbo pedunt, coram aliis præſertim, ſignum eſt, vt dixi, vel eos delitare, vel præ dolore non poſſe flatum continere. Dixi, interdum eſſe bonas; quoniam ſæpè malæ ſunt huiuſmodi egeſtiones cum ſtrepitu, quòd vel magnam flatuum copiam, vel melancholiam, vel concoctricis facultatis imbecillitatem indicant. Scribit Xenophon libro primo παιδείας Cyri, apud Perſas eos vehementer fuiſſe damnatos, qui crepitum ventris, & eructationem emitterent: quòd ſignum eſſet, eos non concoquere, vel ob viuendi intemperantiam, vel ob nimium otium. Si ſtercora nihil foeteant, nunquam bonum ſignum eſt, niſi tamen id fiat ratione ciborum. nam diximus Auicennam ſcripſiſſe, vinum aromaticum foetorem fæcibus auferre. Cur autem foetor in fæcibus quando non adeſt, malum ſit, ea eſt ratio; quoniam vel cibos non alterari, vel ſtercora immodicè in inteſtinis ſiccari, ſignificatur.foetor magnus magnæ putrefactionis, maximus maximæ indicium habetur:propterea vbi excedit,ſemper malum ſignum,tum in ægris,tum in ſanis habetur. Scribit Gal.lib. de Diff.Symp.cap.3.putrefactionem

corruptelæ ciborum eſſe comitem: quem imitatus Rhaſes dixit, fœtorem egeſtio-num ſequi digeſtiuã debilem. Eſt tamen hoc loco notandũ, quod in morbis fœtida ſtercora non ſemper praua ſunt, quemadmodum innuere videtur Hipp. 2. Prog. text. 22. quoniam interdum à natura expelluntur humores morbifici, qui cum ſint maximè putrefacti, fœtorem reddunt, quos expelli bonum eſt. Iccirco ſententia Hipp. erit interpretanda, quòd fæces liuidæ, & fœtidæ ſemper ſint malę; quòd enim ſtercora fœtida ſolùm ſint lethalia, neque experientia, neque vlla ratione conſtat. Stercorum differentiæ à tempore deſumptæ non parum & ipſæ ad iudicia ferenda conferunt. Nam quæ celerius quàm par ſit deiiciuntur, niſi vel copia, vel quantitate ciborum id eueniat, ſignificant expulſiuam validam, humores acres, & pungitiuos, qui naturam ante tempus ad expulſionem excitent, & iccirco in ſanis, atque in ægris interdum bonum, interdum malum ſignificare ſolent. Porrò quæ tardius deiiciuntur, niſi & id vel qualitate, vel quantitate ciborum fiat, aut inteſtinorũ debilitatem, aut expultricis facultatis infirmitatem, vel coctionis, & digeſtionis tarditatem oſtendunt. Propterea in ſanitate fieri vix poteſt, quin paucæ fæces ſint malæ: quam affectionem Paullus Ægineta δυσκοιλίαν nuncupauit. fæces ſi aliunde, quàm ab aluo deiiciantur, ſemper mortales ſunt; nam quæ ex abdomine ob vulnerata inteſtina emittuntur, ſecundum Hippocratem lethales exiſtunt; quoniam dicebat 6. Aphoriſm. 18. veſicam & inteſtina vulnerata lethalia eſſe, quod Galenus in commẽto non tam ratione affectus eſſe ſcribit, quàm quòd internis partibus accommodata remedia non poſſunt adhiberi. Pariter ſi ab ore ſtercora exeant, lethale eſt, vnde Hippoc. 6. Aphor. 44. & 7. Aphoriſm. 10. necnon Galen. 6. de Loc. affec. in principio ſcripſerunt, in voluulo per os eiectiones ſtercoris eſſe mortales, atque ex iis neminem ferè ſeruari. Quos ſequutus Paullus dixit laborantes ileo miſera morte perire; quoniam ſtercus per os eiiciunt. A modo exitus conducunt quoque differentiæ: ſi quidem quæ cum labore, & preſſione egeruntur fæces, malum ſignificant in ſanitate: in ægritudine non ſemper malum; quia modò duritiẽ, modò groſſitiem, modò anguſtiam naturalem oſtendunt. præterea indicant vel naturam eſſe oblæſam, vel calorem maximum, qui eas indurat, vel virtutem expultricem debilem. & hinc eſt, quòd huiuſmodi fæces prænuntiant interdum hernias, aliquando hæmorrhoidum tumores. Neque mirandum eſt, quòd dixerim hæc ſigna, & alia multa in ſanis eſſe bona, in ægris mala, & econuerſo; quoniam, vt narrat Rabbi Moſes 6. Aphor. ex 7. Galeni in Timæum Platonis commentario, quædam ſunt, quæ cum appareant in ſanis, ægritudines, cum in ægrotantibus, ſanitatem indicant. Sunt & prauæ fæces, ſi cum dolore exeant, quando vel vulnus, aut vlcus in extremis inteſtinis, vel humores acres, vel flatus diſtendentes adeſſe ſignificant. Quæ paullatim, & inſtar σκυβάλων educuntur in ſanis nihil boni ſignificant (in morbis, & præſertim poſt fluxus interdum bonæ ſunt.) indicant enim fæces ſiccari nimium, & vim expulſiuam debilem exiſtere, quæ cum onus vniuerſum ſimul deponere nequeat, id paullatim efficit. Addam poſtremo loco, quod ſcriptum eſt à Galeno in eo fragmento, quod habetur, de dignotione ex inſomniis, eos ſcilicet, qui ſeſe in ſtercore volutari ſomniant, ſignificare, vel quòd in corpore gerant multos humores putrefactos, & graueolentes, vel quòd in inteſtinis ipſorum plurima ſtercora contineantur. Et hæc de vſu fæcum in dignotione dicta ſint.

De

De ſtercorum vſu, ac de iis, quæ in illorum inſpe-ctione ſunt obſeruanda.

CAPVT IX.

SVNT & alij fæcum vſus, de quibus pauca dicam. Vnus eſt, qui ad Agricolas potius, quàm ad Medicos pertinet, de quo ſcriptum eſt à Varrone libr. primo de Re ruſtica, cap. trigeſimo octauo, ex ſententia Caſſij, vbi inquit, ad ſtercorandos agros ſecundum locum obtinere humanum ſtercus. quod etiam confirmauit Columella libro ſecundo, cap. 15. vbi monet, ſtercora humana debere reliquis villæ purgamentis commiſceri; quoniam per ſe naturæ eſt feruentioris, & iccirco terram perurit. Sed, vt dixi, hæc parum ad nos. Eſt & alius vſus in medẽdis brutis animalibus, de quo cum apud Hippiatros propriæ medicinæ, & modi habeantur, non pertinet ad hunc locum quidquam dicere. Supereſt tertius vſus pro hominum medicinis, de quo etiam pauca dicemus; quoniam auctore Galeno 10. de Simplic. medicin. vbi alia medicamenta ſuppetunt, nunquam ſtercore vtendum eſt, & tanto minus humano, quod, vt ipſe ait, ob incredibilem fœtorem maximè abominandum eſt. Stercus omne ex ſententia Galeni 10. de Simplic. medicin. cap. de caprino, calefacit: differt tamen vnumquodque ſecundum magis & minus, prout vel hoc, vel illo cibo calidiore vtitur animal. Et propterea homines cùm variis cibis vtantur, interdum tepidioribus, interdum calidioribus, efficitur, vt ipſorum ſtercora aliàs magis, aliàs minus calefacere queant. Stercus humanum ſecundum Galen. 5. de Simplic. medic. c. 17. ob putrefactionem maxima attrahendi vi pollet: propter quam facultatem, & mirificam ſiccandi vim fæces huiuſmodi gutturis inflammationes, & tumores curare poſſe exiſtimo; quod ſe experientia comprobaſſe affirmat longa oratione Galenus libr. de Simplic. medicin. Plin. quoque lib. 8. capite 27. memorat, Pãtheram, vbi faucium angore vexatur, ſibi humano ſtercore mederi. Quare facile erit intelligere id, quod obſcuro ſermone dixit Auicen. lib. 4. fen. 5. tract. 1. in fine, quo loco ſcribit, ſe audiuiſſe, potum ſtercoris hominis theriacam eſſe aduerſus ſagittas Armenas. Sciendum eſt enim, vt hoc facilius percipiatur, varios populos conſueuiſſe ſagittas venenare. Nam Arabes Aſcitæ vocati apud Plinium, id ferè omnium primi inuenêre. Scythæ quoque, vt refert Ariſt. lib. de mirabilibus auſcultationibus; & Plin. lib. 11. c. 53. ſagittas quodam veneno inficiẽbãt, quod ex ſanie viperina, & ſanguine humano commiſtis componebant. Armeni pariter, quemadmodum idem Ariſt. libro de Mirabilibus auſcultationibus narrat, ſagittas Pardalij veneno inficiebant. Vnde Pantheræ ſiquando vel à ſagittis illis percuſſæ erant, vel aliquo alio pacto id venenum ſumpſerant, ſtercus humanum pro medicamento ſibi adhibebant; quod confirmat Ariſt. quoque li. 9. de Hiſt. anim. c. 6. Iccirco apud Auicenn. Armenas ſagittas clarum eſt fuiſſe venenatas hoc genere Pardalij veneni, pro quo frangẽdo ſicuti Pãtheræ ſtercus adhibebãt, ita fieri poteſt, vt homines pro eodẽ adhibuerint, idque ſit, quod ſe audiuiſſe memorat Auicenna. Et vt coronidem huic tractationi inponamus, quædam monſtrabimus, quæ circa fæcum inſpectionem ſunt obſeruanda. Primum eſt, vt iubeatur eas apponi in vaſe terreo, albo, & mundo, quod nõ ſit nimis altum; ſic etenim facilius inſpici poterit color, ſubſtantia, & tandem omnes differentiæ. Secundum, vt oſtendantur ſeparatim,

prout etiam ſeparatim deiiciuntur: fit namque interdum, vt diuerſis vicibus diuerſa ægri deiiciant ſtercora, quæ ſi ſimul commiſceantur, iudicium medici fallere poſſunt. Tertiũm eſt, vt neque vrina, neque aqua, nec quidquam aliud ipſis miſceatur, vel in vaſe ponatur. hoc moneo; quia reperiuntur multi, qui vt fœtorem fæcum minuant, ſolent prius in vaſa aquam infundere, quod certè iudicium ferendum de ipſis valdè impedit. Quartum eſt, vt in loco lucido, & omnis odoris experte curetur oſtendi fæces; alioquin facillimum erit falli tum in coloribus, tum in odoribus diſcernendis. Quintum, vt fæces, ſi fieri poteſt, ſtatim ac deiectæ ſunt, inſpiciantur, vel ſaltem obtectæ panno, vel aliis rebus detineantur, ne ab aëre poſſint multum alterari. Non enim euenit in fæcibus, vt in vrina, quòd tempore aliquo ſit opus ad iudicandam totam fæcum naturam; immò quantò citius inſpiciuntur, tanto melius naturam propriam oſtendunt.

Quòd ſi hoc fieri non poſſit, curetur ſaltem, vt dixi, vt obtectæ teneantur. Dicebat enim Ariſtotel. 13. Problemat. 5. & 8. graueolentiam facilius conſeruari calore, & locis occluſis, ſicuti in apertis magis deſtruitur. & propterea hyemali tempore, & locis frigidis ſtercora facilè fœtorem perdunt. Quapropter eo tẽpore, ne vllus contingat error, diligenter erunt interrogandi adſtãtes de odore ſtercoris.

Sextum, & vltimum eſt, vt curetur, à ſeruo fæces baculo agitari. Sic enim miſtæ & tota natura facilius cognoſcuntur: immò & odor malus ſic magis ad nares peruenire poterit; quoniam, vt etiam teſtatur Ariſtotel. 13. Problemat. 12. quanto malè olentia, vel olentia magis agitantur, magis quoque odorem produnt.

HIERONYMI MERCVRIALIS DE EXCREMENTIS LIBER III.

DE SVDORIBVS.

CAPVT PRIMVM.

HACTENVS de vrinis, & fæcibus egimus: nunc ad tertiam tractationis noſtræ partem tranſeundum eſt, in qua de reliquis corporis noſtri excrementis differemus: quæ quidem tractatio neque exigua erit, neque etiam inutilis. Cùm enim à natura corpori noſtro circumpoſita fuerit cutis, neceſſe fuit, vt eam multis in locis perforaret: quæ omnia foramina tum in aliis vſurpauit, tum præſertim in hoc vſu, vt per ea corporis ſuperflua excerneret. alia nanque fuere ſenſibus noſtris occulta foramina, per quæ & ſudores, & fuliginoſos vapores excernendos voluit; alia verò clara, & manifeſta fecit. aluum enim, & veſicam inſeruire naturæ ad excernenda ſolidiora quædam

excrementa, clarum eſt. perſpectum etiam eſt ab ore magnam partem emanare. nares, oculi, & aures ſunt etiam veluti quædam partes, per quas non pauca corpori noſtro inutilia excrementa educuntur. De iis, quæ per aluum, & per veſicam (vt dixi) abundè, ni fallor, à nobis eſt tractatum. Nunc de iis ſermonem faciemus, quæ per meatus, & foramina occulta educuntur, per os, per nares, oculos, & aures: ita quòd nullum erit excrementi corporis noſtri genus, quod clarum & apertum non fiat. Incipiam itaque à ſudore duabus de cauſſis: primò, quia materia ſudoris, vt oſtendemus, congenea eſt materiæ vrinæ, quam iam aliàs tractauimus: præterea hæc tractatio copioſior eſt, & magis ampla: vnde iure quodam primum locum ſibi vindicare videtur. Ordinem verò inſtitutum ſeruabo, vt primò vniuſcuiuſque excrementi nomen declarem: ſecundò generationem, & cauſſas: tertiò differentias: quartò vſum tum in iudicando de morbis, tum etiam in medendo, ſi quis erit. Qui ſudor apud Latinos vocatur à Græcis ἱδρὼς nuncupatus eſt, nomine non adm odum ab aqua diſſimili. eſt tamen non ignorandum à ſudore diuerſa eſſe illa, quæ ab Hippocr. 3. Aphoriſm 21. ἱδρῶα nuncupantur: quæ nil aliud ſunt, vt docet Theophraſtus in libro de Sudoribus, quàm puſtulæ quædam in cute ortæ ex ſudore bilioſo, qui cum exire nequeat, in molem quandam cutem ipſam attollit. Circa ſudoris generationem variæ fuerunt veterum ſententiæ. Empedocles, vt ſcribit Galenus lib. de Hiſtoria philoſophica (ſiue ſuus ſit, ſiue Plutarchi) fuit huius ſententiæ, quòd ſudor conſtat ex quatuor elementis, & fit ex ſanguine eliquato, extenuato, & diffuſo. Sed hæc opinio, quanquam antiqua ſit, tamen omnino refutanda videtur tribus rationibus. primò, quia ſi verum eſſet, ſudorem fieri ex ſanguine, ſequeretur quòd qui plurimum ſudat, plurimum etiam perpetuò emaciaretur, quandoquidem ſanguis eſt humor ille, ex quo corpora noſtra nutriuntur. præterea ſequeretur, ſudorem ipſum vel rubeum eſſe, vel rubeo proximum; quod quidem, vt ſuo loco demonſtrabitur, falſiſſimum eſt. tertiò, & vltimò ſequeretur, quòd qui plurimum ſudant, perpetuò animis conciderent; ratio eſt, quia plurimo diffuſo & extenuato ſanguine, neceſſariò plurimi ſpiritus conſumuntur: conſumptis pluribus ſpiritibus, conſequenter etiam & vires, & animi conſumuntur. fuerunt alij, vt ſcribit Theophraſtus in libro de Sudoribus, qui exiſtimarunt, ſudores fieri ex vaporibus eleuatis ab vniuerſo corpore, qui vbi per cutim egredientes aëris frigus ſentiunt, ſtatim congelantur, atque in aquam conuertuntur. quæ opinio, vt puto, fuit Heracliti. Sed hæc etiam explodenda videtur; quandoquidem ſi hoc eſſet, ſequeretur, inſenſibilem tranſpirationem apud medicos non dari. quia Galen. 1. de Tuen. valet. cap. 12. ſcribit, quòd humor ſeroſus interdum à natura ſponte per cutim educitur: interdum verò in vapores diſſoluitur, atque tum inſenſibilis tranſpiratio fit; vt ſi iſti vapores condenſarentur ex frigore aëris, atque ita fieret ſudor, neceſſarium eſſet, inſenſibilem tranſpirationem non eſſe. Accedit etiam, quòd per ſudorem nunquam vlla fieret effatu digna humoris exinanitio. ratio eſt, quia ex decima parte humorum fiunt decem partes aëris, & vaporum; vnde non poſſent vnquam tot vapores fieri, vt conſumerent humores, quemadmodum experientia patet. Poſtremò experimento comprobatur, quòd antequam ſudor à cute erumpat, carnes madent. Ex quo intelligitur, humorem ſub cute latitantem, non vapores eſſe, qui erumpens ſudorem efficit. Plato in Timæo fuit huius ſententiæ, quòd ſudor nil aliud ſit, niſi quoddam ſerum collectum, vbi pituita recens congelatur. quæ opinio tametſi alicuius ſpeciei ſudoris veritatem habere poſſit, non eſt tamen ea, quæ omnes ſudores explicare queat. ideo neque etiam hæc acceptanda eſt. Ariſtotel. in Problema. quandoque dixit, ſudorem eſſe humorem

incoctum ; tertio verò de partibus animalium, capite 5. dixit,ſudorem eſſe excrementum vaporis humidi. quód quoque cum ieiunè nimis dictum ſit, claréque conſtet, ſudorem etiam ex humoribus ipſis, non ex vaporibus emanare, non eſt, quòd nosmedici philoſophum ſummum ſequamur. Diocles, qui ab Athenienſibus iunior Hippocrates appellatus eſt,vt meminit Galenus 1.Aphoriſm. 15. aliam ſententiam ſequutus eſt,qui voluit ſudorem nihil aliud eſſe, niſi partem cibi incócocti excreti per meatus corporis contra naturam. dicebat enim,quòd vbi coctiones perfectæ à natura fiunt,nunquam ſudór emanat:& quando ſudor emanat,ex eo fieri, quia natura non bene concoquit, quemadmodum neceſſarium eſſet : atque ita colligebat omnino ſudorem eſſe præter naturam. quam ſententiam ſequutus eſt Actuarius lib. 1. Methodi medendi,cap. 23. & quanquam Galenus opinionem Dioclis damnare auſus non fuerit, nihilominus non eſt medico perfecto digna: quoniam etſi ſint aliqui ſudores,qui fiant præter naturam,non eſt tamen negandū, etiam multos eſſe, qui fiunt à natura ipſa ; eò magis quòd ſcimus cutem idcirco meatus illos occultos à natura ſortitam eſſe, vt per eos & vapores, & ſudores excluderentur. & quemadmodum videmus naturæ ipſius opera alia excrementorum genera expelli, pariter etiam rationi conſonum videtur, vt & ſudores plurimi naturæ ipſius opera à corpore pellantur.Cum itaque nondum habeamus ab vllo antiquorum,quid firmiter de ſudore credere poſſimus,periclitandum eſt nobis,vt veritatem hanc indagemus.quanquam qui viderunt tractationem noſtram de vrinis, poſſint intelligere,quid etiam ſit ſudor;quoniam ſudor, & vrina(vt explicabimus) ſunt eiuſdem generis : tamen etiam hoc in loco eadem recenſebo: quòd ſcilicet ſudor nihil aliud ſit, niſi portio materiæ potulentæ in iecore alterata, & ſanguini peruehendo per venas à natura tranſmiſſa,ac demum ex venis ipſis per meatus occultos expulſa. Quæ deſcriptio vt facilius intelligatur, ſcire oportet, ſub nomine materiæ potulentæ à me intelligi id totum humidū,quod & in cibis,& in potibus aſſumitur: quod humidū,vt ſcribit Hipp.in fine lib.de Alimento,iccirco animalib. neceſſarium eſt,vt ſit vehiculum ſolidioris cibi,qui alioquin anguſtiſſima vaſa permeare non poſſet, niſi hoc vehiculum haberet. Itaque hoc humidum cibo commiſtum, vbi in iecore fit ſanguis, alteratur, ita tamen,vt tota illius materia remanet; deinceps cum ſanguis ad venas tranſmittitur à iecore, humidum etiam hoc vnà cum ſanguine perducitur. Et quia non eſt neceſſaria magna copia, vbi ſanguis iam eſt productus,magna portio illius ad renes, & ad veſicam;aliqua verò in extremum corporis ambitum cum ſanguine mittitur,quę portio poſtquam perfuncta eſt munere ſuo producendi ſanguinem:cum iam ſuperſit,à natura interdum per vapores excluditur : interdum ſponte, operante vel natiuo, vel alio calore. Ex quo tria habemus concurrere ad generationé ſudoris, portionem humidi potuléti, caloris operationem,atq; etiá meatuū patentiam. Quòd verò hæc ſententia & veritati conſonet,atque etiá Galeni fuerit,licet (vt dixi) facilè perſpici poſſit ex iis, quæ de vrinis diſputauimus : attamen nonnulla etiam hoc in loco ediſſeram. Quod enim ſudor ſit materia potulenta, poſſumus hac coniectura conſequi, quòd quicunque multum potant, plurimum etiam ſudant;è conuerſo, qui parum bibūt, aut nihil,aut modicè ſudant. hoc verò ita eſſe,habemus ab Hippocrate & Galeno 4. Aphoriſm. 41. vbi ſcribunt;quòd ſudor multus noctu factus,indicat etiam corpus plurimo vſum eſſe cibo,atque potu. Altera ratio ad hoc probandum eſt ; quia medici vbicunque curare cupiunt ſudores ſuperfluos,ante cætera præcipiunt,vt ægri abſtineant à potu,& ab vſu omnis rei humidæ. quod quidem præceptum ſuperuacaneum omnino eſſet, niſi ſcirent medici ex potibus ſudores fieri. Accedit

dit tertiò, quòd qui plurimum ſudant, plurimum ſitiunt. quod argumentum eſt, ſudores cum exinaniuntur, ſimul etiam materiam potulentam, quæ ſitim pellit euacuari. Sed, vt dixi, hæ ſunt coniecturæ. At clariſſimas habemus huius rei Galeni auctoritates, ni fallor; primo enim de potentiis naturalibus circa finem ſcribit maximus medicus, quòd id totum, quod potatur, excernitur per vrinam præter exiguum quoddam, quod per ſudorem, & inſenſibilem tranſpirationem emittitur. Ex quibus verbis clariſſimum eſt ſudorem eſſe portionem potus. libro de Atra bile, cap.2. ſcribit, rationi conſentaneum eſſe, ex potu ipſo aliquid ferri cum ſanguine in iecore genito, quod poſtea non ſolùm per vrinas, ſed per ſudorem, & inſenſibilem tranſpirationem eiicitur. Primo de Sanit. Tuen. cap.12. ſcribit, ſudorem eſſe id humidum, quod pro cibi vehiculo in vaſis erat, quodq; iam officio ſuo functum cum ſuperſit, per meatus cutis excernitur. ſed illud humidum, quod pro cibi vehiculo eſt, vt diximus, nihil aliud exiſtit, niſi materia potulenta. quo fit, vt neceſſum ſit dicamus, ſudorem nil aliud eſſe, niſi potum ipſum. poſtremò 10. de Simplici Medicina ſcribit idem Galenus, ſudoris, & vrinæ eandem eſſe materiam, & generationis modum; ſiquidem vtrique generatio conſtat ex bibito humore excalfacto in iecore, atque in corpore, & bilioſæ ſubſtantiæ nonnihil adepto; quanquam, inquit Galenus, ſudor à calore natiuo fit magis elaboratus, quàm vrina. quã ſententiam, vt puto, Galenus accepit à Theophraſto in libro de Sudoribus, quo in loco ſcribit, vrinam, ſudorem, & lacrymas vnius, atque eiuſdem humoris ſobolem eſſe: niſi quod ſudor magis afficitur à calore, atque ſpiritibus ipſis. Hanc eandem ſententiam poteſt Auicenn. accepiſſe lib.2. cap. de Sudore, vbi dixit ſudorem nihil aliud eſſe, niſi ſanguinis aquoſitatem, cui pus cholericum ſit commiſtum. Quamobrem iam ſatis clarum eſſe puto, ſententiam noſtram de ſudore non eſſe nec nouam, nec figmentitiam; ſed & rationibus maximè innixam eſſe, & præſertim Galeni auctoritatibus. Sed oriuntur nonnullæ dubitationes, quas vbi diſſoluero, pariter & poterimus omnibus aliis reſpondere. Prima dubitatio eſt. Si ſudor eſt materia potulenta, quomodo Galen.1. de Tuen. valetu.cap.12. dixerit (vt quidem apertiſſimè ex eius verbis colligitur) ſudorem eſſe excrementum tertiæ coctionis? quam quidem ſententiam omnes ferè medici amplectuntur, dicentes, ſudorem nil aliud eſſe niſi hoc excrementum, ſed quomodo ſit, nullo modo explicantes. Secundum dubium eſt, cur, ſi ſudor eſt huiuſmodi materia, illi qui multum mingunt, multum etiam ſudant interdum? nam ſi maior portio materiæ potulentæ abſumitur in vrina, pauca verò mittitur in venas, quæ fit ſudor, cur, inquam, eodem tempore multa fit vrina, & multus ſudor? Tertium dubium eſt; ſi, vt fit copioſa vrina, redditur ſecundum proportionem potus, pariter etiam deberet quotidie reddi ſudor proportione illius portionis potulentæ. Quarta, & vltima dubitatio eſt, quia quemadmodum vrina interdum retinet qualitates aliquas materiæ potulentæ, ſimiliter & ſudor retinere deberet. Sed hoc non videtur; immò potius experimento conſtat, ſudores omnis qualitatis ciborum expertes eſſe. Ad primum dubium reſpondendum eſt, iccirco nuncupari excrementum; quoniam materia hæc, vbi in venis munere ſuo peruehendi cibi functa eſt, non amplius naturæ neceſſaria eſt, & ideo tanquam ſuperfluum quid, & excrementum reputatur à natura: ſic enim inuenitur Ariſtoteles appellaſſe ſemen excrementum; quoniam ea materia ſeminis non eſt neceſſaria nutritioni totius corporis. Ad ſecundum dubium dicimus, euenire ideo, vt multum meiatur, & multum ſudetur; quoniam ſæpè in corpore humores, & carnes colliquantur, quæ materiæ huic ſudori, & vrinæ commiſtæ tum ſudorem, tum vrinam copioſam reddunt. Tertio

dubio

dubio reſpondetur, non eſſe neceſſarium ſudorem emanare proportione potus; propterea quòd ſemper maior pars huius materiæ in vrinam conuertitur. quæ verò in ſudores tranſit, omnino exigua eſt; quoniam etiam non multum opus eſt ſanguini iam ſubtili reddito huiuſcemodi vehiculo. Vnde cum modica ſit copia huius humiditatis in venis, non videtur eſſe neceſſarium, vt ſeruetur potus proportio. Quartæ dubitationi reſpondemus, iccirco ſudores qualitatem vllam eius materiæ, quæ potatur, non retinere; quia materia hæc per tres corporis coctiones tranſit, & vt dicit Ariſt. & Gal. multum elaboratur in venis: ex qua quidem multa elaboratione efficitur, vt omnes ferè qualitates deperdat. Sed dicet aliquis, ſi ſudor naturalis is eſt, qui à nobis deſcriptus fuit, qui erunt ſudores alij? Dico alios ſudores nihil aliud eſſe, niſi aqueas quaſdam materias ex venis ipſis vi caloris extractas, nec non materiæ potulentæ commiſtas, atque vel ſolas, vel etiam ipſi materiæ coniunctas per venarum meatus eductas. Iam videamus ſigillatim ſudorum differentias, quod eſt ſecundum caput; ſi tamen prius duo monuerimus memoria tenenda: vnum, quod interdum materiam ſudoris appellabimus ſerum, interdum materiam potulentam, interdum alio modo: alterum, quod in differentiis aſſignandis ex iis ſolummodo extremas quaſdam denominabo; ex extremis autem comparatis poterit vnuſquiſque intelligere media illa eſſe ſudorum differentias naturales, & meliores. Deſumuntur itaque differentiæ à generibus ipſis generaliſſimis, tamquam à propriis quibuſdam locis, & terminis: & primo à ſubſtantia; quoniam ſudorum alij dicuntur eſſe ſubſtantia craſſi, alij verò dicuntur eſſe tenues. cognoſcitur autem hæc differentia tum tactu, tum etiam viſu. Tactu quidem; quoniam ſudores alij contrectati craſſiuſculi manibus apparent, alij verò tenuiores. Viſu verò; propterea quòd interdum aliqui vſque adeò copiosè ſudant, vt poſſint ſudores colligi in vaſe, atque illorum ſubſtantia intelligi. A quantitate ſumuntur quoque differentiæ, quòd ſcilicet ſudorum alij copioſi ſunt, vel vicibus, vel multitudine: alij verò ſunt pauciſſimi, ſiue interfecti. A qualitate ſumptæ differentiæ plurimæ quoque ſunt, & primò à tactili; ſiquidem alij dicuntur ſudores calidi apud medicos, & ſunt illi, qui veluti manus mordere videntur; alij dicuntur frigidi, & hi ſunt, qui veræ frigiditatis ſenſum manibus noſtris monſtrant. A qualitate guſtatili etiam differentiæ ſunt, quòd alij ſudores dicuntur amari, alij ſalſi, alij verò acres. Neque mirum cuiquam ſit, quod proponam ſudorum ſapores: propterea quod ſcribit Galen. libro de Differen. Sympt. cap. 5. ſudores interdum per ora fluere copiosè, atque etiam neceſſariò os ingredi, & ab ægrotantibus guſtari. Immò Galen. ipſe 4. de Tuen. valet. cap. 4. ſcribit, Medicos interdum ægris præcipere, vt proprios ſudores deguſtent. Ab odoribus ſiue qualitate odoratili ſumptæ quoque differentiæ ſunt multæ, quando alij ſudores dicuntur fœtidi, alij verò ſine fœtore, alij dicuntur fœtoris acuti, vt dicit Theophraſtus. Auicennas autem 2.4.tract.1.cap.70.appellauit quoque ſudores acidos, ſiue odoris acidi. A qualitate viſili differentiæ ſunt, quòd alij ſudores dicuntur flaui, alij ſanguinei & rubei, alij aquei coloris, aliqui etiam ab Auicenna loco citato nominantur virides. Quod autem reperiantur apud auctores ſudores rubri, & ſanguinei, clariſſimè teſtatur Ariſtoteles 3.de Partibus animal.cap.5.3. de Hiſtoria animal.cap.19.vbi ſcribit, aliquos interdum ſudaſſe huiuſmodi ſudorem. idem etiam ſcribit Theophraſtus in libro de Sudoribus ex ſententia Monæ medici. hoc idem ſcriptum inuenitur in eo libro Galeni, qui inſcriptus eſt de Vtilitate reſpirationis: ita quòd clarum eſt etiam reperiri hanc differentiam ſudoris ſanguinei. Coloris porrò ſudorum cognitionem Galenus 10. de Simplici Medic. cap. de Sudore, ſcribit ſuo tempore

facilem

facilem fuiſſe;propterea quòd in vſu erant quædam inſtrumenta, quæ appellabantur ſtrigiles,quibus ſudores detergebant,ac in vaſis colligebant,vt eorum color facilè inſpici poſſet. Tempeſtate verò noſtra duobus modis intelligi poſſunt colores ſudorum,vno ex pannis ipſis:quia ſæpè panni tinguntur à ſudoribus:altero ex collectione;quia aliqui ita copiosè ſudant, vt poſſint colligi ſudores in vaſis vitreis, atque inde poſtmodum eorum colores cognoſci. A loco ſumptæ differentiæ ſudoris ſunt, quòd alij fluunt à toto corpore, alij à capite, alij à collo, & dorſo, alij ab aliis aliquibus partibus. Similiter alij ſudores ſunt facti in ſole,alij verò in vmbra, vel etiam in balneis. A motu quoque capiuntur differentiæ ſudorum; eo quia alij ſunt facti in curſu, alij in deambulatione, alij in palæſtra & exercitatione,alij verò in quiete. A tempore quoque variantur differentiæ, quoniam alij ſudores dicuntur nocturni, alij diurni, alij hyemales,alij æſtiui, alij facti à cibo, alij facti in principiis morborum,alij in ſtatu,alij in declinatione. Diotimus Gymnaſtes, vt refert Theophraſtus, alias tres differentias ſudorum fecit: eos enim diuidebat in incipientes,in medios,& in deſinentes. Hic eſt catalogus omnium differentiarum ſudoris, quæ apud auctores Medicinæ poſſunt haberi. Nunc verò vniuſcuiuſque differentiæ reliquum eſt vt cauſſas videamus, quod erat nobis tertium propoſitum caput.Sed primò videndum eſt nobis,an natura vllos ſudores faciat,an potius omnes ſint præter naturam. Diocles medicus clariſſimus,vt refert Galen.1.Aphoriſm. 15.habuit hanc opinionem,quòd omnes ſudores ſint præter naturam. ad hoc exiſtimandum, & perſuadendum hac ratione vtebatur,quòd natura vbicunque calorem natiuum validum habet, & optimè conſtitutum, ſemper excrementa non per ſudores, ſed inſenſibilem tranſpirationem excernit, & quòd vbicunque ſudores fiunt, ſignum eſt quòd calor natiuus non poteſt hæc excrementa per inſenſibilem exinanire tranſpirationem. Hanc rationem Dioclis inquit Galen. lib.de Different. Sympt.cap.vlt. ſibi aliquando valdè probabilem viſam eſſe; reuera tamen eſſe duram,& contra rerũ euidentiam.Atque hac de re pollicitus eſt ſe aliquando ſcriptu-rum. Verumtamen, ſiue id fuerit iniuria temporum, ſiue alia quauis ratione amiſſum, nullum habemus,quod ego ſciam, hac de re Galeni ſcriptum. poſſumus tamen intelligere,Galenum in ea fuiſſe ſententia, quòd opinio Dioclis falſa ſit. Etenim licet calor naturalis optimè conſtitutus ſit, & actiones ſuas promptè obeat; attamen cum ſtatuerimus materiam potulentam, ſiue ſerum contineri in extremis venis: fieri poteſt, vt raritate ipſius cutis ſerum iſtud exeat,ita vt eſt, nec aliter in vapores conuertatur.non valet igitur hęc ratio,quòd ſemper calore proprias actiones obeunte,humor iſte debeat in vapores conuerti,& inſenſibiliter exinaniri : neque etiam valet ratio puerorum,quòd ſcilicet pueri, quibus calor natiuus validus eſt,non ſudant;quoniam,vt habemus ex Theophraſto, duabus aliis rationibus ipſi nihil ſudant,vel parum: vna eſt ob cutis denſitatem;habent enim ratione habitudinis carnium meatus cutis ita conniuentes & adſtrictos, vt nequeant per eos humores exire. alia ratio eſt, quia illis humiditates ad aluum, & ad veſicam conuertuntur. Vnde non eſt paucus ſudor in pueris;quia calor natiuus eorum conuertat ſudorem in inſenſibilem tranſpirationem. eſt ergo cauſſa ſudorum naturalium effectrix calor, ſed non omnis calor: non enim calor ſiccus, ſed potius humidus, ratio huius eſt;quia calori humido commixti ſunt plurimi ſpiritus, qui venas ingredientes agitant ſerum, & cum quærant locum in venis,ſerum ipſum expellunt: nam & in aliquibus etiam ſudoribus præter naturam cauſſa eſt ſpiritus impetus, qui, vt dixi, propellit materiam potulentam excrementitiam, cum ſibi locum quærat.dixi autem,in aliquibus,propterea quòd etiam fiunt ſudores in hominibus

ſine

ſine impetu ſpirituum,& ſine calore,ex imbecillitate virium, quemadmodum ſcribit Gal.de Sudoribus hecticorum, & de ſudoribus ſyncopticis : hos enim ait Gal. 3.de Sympt.cauſ. c.2. emanare ob debilitatem virtutis contentiuæ, quæ non poteſt ſerum intra venas continere. Craſſi itaque ſudores efficiuntur à pituita craſſa, & lento ſero commiſta, quemadmodum præclarè docet Actuar.lib.1. Methodi, c.23. vel etiam fit craſſities ex colliquatione carnium,atque etiam vltimi alimenti,quod interdum febribus ardentibus accidit. quæ deinde colliquationes commiſtæ ſero ſanguinis craſſum illud reddunt. fiunt verò tenues & aquoſi ſudores,tum ob calo-ris magnitudinem extenuantem humores : tum etiam ob venarum anguſtiam : ſicuti namque videmus aquas ſalſas per anguſtos terræ meatus tranſcolatas effici ſubtiliores,& tenuiores;pariter contingit, vt ſudores per anguſtiſſimos cutis meatus percolati tenuiores, & ſubtiliores euadant. Ex quo fit , vt Actuarium nulla ratione commendare poſſim, qui voluit ſudores milioformes,ſic ab Hippoc.in Prognoſticis appellatos,tales effici ob anguſtiam cutis meatuum;nam cum illi ſudores ſint craſſiuſculi , multum abeſt , vt craſſitiem adipiſcantur ab anguſtia meatuum. Scribit Theophraſtus ſudores tenues & aquoſos fieri ex humiditate ſuperficiali; craſſos verò ex humiditate profunda , tanquam ex colliquata in profundis corporis partibus carne. Copia ſudorum, vt docet Galen. 3.de Symp. cauſſ.cap.2.multis de cauſſis efficitur:vel ob cutis raritatem,quæ præbet facilem aditum corporis humiditati , vt excernatur. Vnde Ariſt.2. Probl.40. ſcribit, homines in æſtate copioſiùs ſudare,quàm in hyeme; eo quia tunc cutis rarior eſt. vel fit copia ſudorum ob excrementorum abundantiam , quando ſcilicet multæ excrementitiæ humiditates inſunt corpori,quæ per ſudoris viam exinaniuntur.vel efficitur hæc copia propter ipſiuſmet humoris tenuitatem. Auicenn. 2. quarti, tract. 1.capite 66. addit & aliam cauſſam, nimirum, vehementiam virtutis expulſiuæ , & debilitatem virtutis contentiuæ. Iam verò abundantia excrementorum duplex eſt, aut propinqua , aut remota,vt dicit Galen.4. Aphoriſm 41. & Auicenn. ibid.cap. 68.propinqua eſt humiditas facta ex repletione ciborum , remota verò eſt facta ex repletione aliorum humorum. Sed hoc in loco illuſtris contradictio eſt in verbis ipſius Galeni; nam, vt diximus, 3. de Sympt. cauſſis , capite 2. manifeſtiſſimè dicit inter cauſſas copiæ ſudoris eſſe cutis raritatem. Cæterùm 4.Aphoriſm.41.videtur omnino contrariam habuiſſe ſententiam. ſcribit Hippocrates eo in loco, quòd ſudor multus noctu factus, corpus vti pluri cibo ſignificat. quem Aphoriſmum exponens Galenus examinat particulam illam(multus;) & inquit, quod niſi illa addita fuiſſet, poſſet ſudor effici vel ex raritate cutis,vel ex debilitate virtutis ; quaſi manifeſtè dicat Gal. quòd ſudor multus nunquam fieri poteſt à cutis raritate , vel à virtutis imbecillitate. Eſt , vt dixi, magna contradictio, quæ à nemine cognita fuit. & certè negare non poſſum , quin mihi ambiguitatis plurimum attulerit. Puto tamen poſſe ſolui hac ratione , quòd ſcilicet ſudor eſt duplex,vel diurnus , vel nocturnus : ſudor nocturnus nunquam poteſt effici à raritate cutis , & à virtutis imbecillitate , de quo loquitur Galenus 4. Apho.41. Ratio, quòd non poſſit fieri, eſt ; quia quo tempore homines dormiunt , corpora ſunt valdè conſtipata & concluſa , vnde ſi tunc copioſe ſudant,non poteſt adſcribi raritati cutis.ſimiliter quo tempore homines dormiunt,vires naturę ſunt validiores:ita quòd ſi multum ſudant,non poteſt tribui ſudor debilitati virtutis. Diurnus ſudor fieri poteſt à raritate cutis , & virtutis imbecillitate, & de hoc locutus eſt Gal.3.de Sympt. cauſſis, c.2. Hæc eſt ratio, meo iudicio,ſoluendi hanc contradictioné,qua an melior inueniatur,alij cogitent.Inopia ſudoris efficitur ſecundum Gal.loco citato, vel propter humidi excrementitij,ſiue

humidi

humidi potulenti inopiam.& hac ratione puto ſenes,vt etiam dicit Theophraſtus, modicè ſudare : quoniam materia potulenta exſugitur in ipſis à membris arefactis & exſiccatis : aut fit propter craſſitiem humidi, quando ſcilicet humidum vſque adeo craſſum eſt & glutinoſum, vt per anguſtos cutis meatus exirè non poſſit ; & hac de cauſſa cachectici etſi plurimum humidi ſint, minimè ſudare poſſunt : vel propter magnam corporis caliditatem, quæ diſſipat & abſumit omnem humiditatem. ideo fit, vt in quibuſdam febribus ardentibus nunquam à medicis videantur ſudores. Vnde iure optimo dicebat Ariſt.quòd nos ſub Sole ardente minus ſudamus ; quia calor Solis exſugit omnem humiditatem tam extrinſecam, quàm intrinſecam. vel fit propter debilitatem expulſiuæ virtutis, & fortitudinem retentiuæ : vel propter meatuum occluſionem. meatus verò, dicit Galen. occluduntur, vel quia à viſcidis & lentis humoribus obſtruuntur, vel quia conniuent. Conniuent autem tribus de cauſſis, aut propter pinguedinem carnis,vel propter frigiditatem,quæ conſtipat ipſos & occludit,vel propter carnis mollitiem. Nam interdũ carnes ſunt ita molles, vt facilè meatuum labra (ſi ſic loqui licet) ſimul concidant, & occludantur. Calidorum ſudorum multæ à medicis referuntur cauſſæ. vna eſt motus vehementia : quando enim corpora vehementer mouentur, cum valdè incaleſcant, humores etiam calidos de ſe mittunt. altera eſt inteſtinus corporis ardor, quemadmodum in febribus ardentibus,& magnis conſpicitur. tertia cauſſa eſt humoris feruidi permiſtio : plerunque enim in ſudorib. magnis commiſcentur bilioſi & feruidi humores,qui ſudores calidos reddunt. Rhaſes fuit huius ſententiæ,quòd propriè calidus ſudor fiat, vbi humores conuertuntur in vapores, & deinde vapores condenſati faciunt ſudores. Ariſt.31.ſegm.Proble. 24. & Theophraſtus putarunt,ſudores calidos etiam ex proba humorum coctione perfici.Frigidi ſudores fiunt,& ipſi à pluribus cauſſis.Gal.4.Apho.42. hanc ſequutus eſt ſententiam, quòd frigidi ſudores fiant ex copia humorum crudorum, & frigidorum. quod etiam Ariſtoteles & Theophraſtus ſenſiſſe videntur.Eſt quoque frigidorum ſudorum alia adnumerata cauſſa, nimirum caloris extinctio earum partium à quibus ſudor emanat. quæ ſententia fuit Galeni 4.Aph.37.& Auicenn.2.4.tract. 1. c. 71. Sic enim in colica vehementi fiunt ſudores frigidi,quòd ſcilicet à doloris magnitudine calor veluti ſtrangulatus faciat huiuſcemodi ſudores frigidos,ſic etiam in ſyncope,& in doloribus omnibus ſyncopticis, ſicut etiam in peſtilentiali febre, & in inflammationibus internis frigidi videntur ſudores, vt habemus ab Auicenn. lib.3. fen. 11.tract.2. cap.7. Fuerunt inter recentiores nonnulli, qui exiſtimarunt, ſudores frigidos fieri, eo quia humores interni reſoluti ſunt in vapores, qui à frigiditate humorum magis in cute fixorum condenſantur. Sed hæc opinio à me nunquam probari potuit. quia in corpore noſtro viuo non poteſt ea vnquam frigiditas reperiri, quæ poſſit calidos, & feruidos vapores condenſare. Accedit etiam, quòd in rebus externis experientia quotidiana docet, quotiſcunque ex vaporibus calidis ope frigiditatis fit aqua, etiam aquam effectam remanere calidam. Circa ſapores ſudorum multæ quoque reddendæ ſunt à nobis cauſſæ, & primò differendum eſt de ſalſo ſapore, qui in pleriſque ſudorum reperitur, vt teſtatum habemus à Galen. 10. de Simplici medic. ab Ariſtotele, & Theophraſto. Ariſtot. 2. Meterolog. ſcribit veteres appellaſſe mare ſudorem terræ, hac ſcilicet impulſos ratione, quòd ſicut terra à ſole calefacta emittit aquam illam marinam ſalſam ; pariter corpora noſtra aliqua ratione calefacta emittunt ſudorem ſalſum. Cæterùm ipſemet Ariſt.2. probl. 3. & 4.problem. 13. & 5.problem.35. quem imitatus eſt Theophraſt.lib.de Sudoribus, viſus eſt aliam aſſignaſſe cauſſam ſalſedinis,

lacry

lacrymarum, vrinæ,& ſudoris, vbi ſcribit idcirco hos humores fieri in corporibus noſtris ſalſos; quoniam quod concoctum, & dulce alimentum corporibus ineſt, id totum tranſit in partium nutrimentum: pars verò terrea, & inconcocta conuertitur ad vrinam,lacrymas & ſudorem, quibus commiſta perinde ac cinis, ſeu calx reddit hos humores ſalſos.Porrò fit ſudor amarus,vel propter bilis, vel bilioſi ichoris permiſtionem.eapropter Gal. 4. de Tuen. valetu.cap.4.ſcribit, ictericorum ſudores eſſe πικροχόλους, hoc eſt,amarulentos. Fiunt ſimiliter acres ſudores,& acidi ob miſtionem humorum huiuſmodi, qui ſero commiſti,ſapores proprios ipſis impertiunt. Scribit Rabbi Moſes 6.Aphoriſ. ex ſententia Galeni in commentariis ſuper ſecundum Epidemiorum, quòd in ſanis ſapor ſudoris fit ſalſus, in ægris verò permutatur ſecundum qualitatem humoris dominantis. Circa odoratiles qualitates cauſſæ quoque multæ redduntur ab auctoribus.quòd ſudor ſine vllo odore fiat, videntur omnes medici acceptum referre optimæ coctioni, vel quia nihil putridi, & fœtidi ei commiſtum ſit. fiunt verò fœtidi ſudores ſecundũ & Theophraſtum, & Ariſtotelem, ex inconcoctione: etenim quæ ſunt inconcocta facilè putreſcunt, & deinceps ex putredine fœtorem contrahunt.fiunt etiam ex humorum fœtidorũ, & grauè olentium copia:ideo ſudores leproſorum, & eorum qui praua ſcabie infeſtátur, maximè fœtere ſolent. Hinc eſt, quòd ſcribunt Ariſtoteles & Theophraſtus, rutam, ac nonnulla alia pigmenta fœtidam vrinam reddere. quinimò Gal. lib. de attenuante victus ratione cap. 1. ſcribit, omnia acria edulia manducata ſudores fœtidos reddere: vt ſunt cæpæ,porra,& huiuſmodi: quia humores fœtidos, & putridos commiſcent ſero, & materiæ ſudorificæ. immò ſi etiam ipſorum ſubſtantiæ aliqua portio commiſceatur, poteſt hunc fœtorem parere. fiunt fœtidi ſudores quandoque ex ipſorummet putrefactione.Gal.8. Meth.cap.7. ſcriptum reliquit corpora humida, & calida maximè putrefactioni obnoxia eſſe, quod ex eo probat; quoniam huiuſmodi corpora dum ſanitate fruuntur, excrementa fœtida & corrupta reddunt, vt ſtercora, vrinas, & ſudores. Hac eadem ratione ſcriptum eſt à Theophraſto, quòd ſudores, qui ſub axillis fiunt,fœtent; quia locus ille eſt concauus,& minimè perſpiratus.atque inde fit, vt ſudores ibi,quia non perſpirantur, conſequenter putrefiant, & fœtorem contrahant. Dubitatio oritur, Cur fit, quòd pubeſcentes ſudores fœtidos reddunt, etſi tunc temporis magis coquant cibos? Reſpondet Theophraſtus, hoc iccirco eſſe,quia pubeſcentes in Venerem cōcitantur. Vnde efficitur in corporibus magna permutatio, ex qua conſequenter fiunt putredines. In ætate conſiſtentibus non fit hæc permutatio, proinde neque corruptio. In ſenibus autem non fiunt fœtentes humores, tum quia eorum corporis rarus eſt habitus,tum quia, cum frigidi ſint temperamento, putredini minus ſubiiciuntur. De ſudore acido Auicennæ non dicam quidquam aliud, niſi quòd putandum eſt Auicennam fuiſſe deceptum, vel eius interpretem, qui hanc vocem Theophraſti ὀξὺν interpretati ſunt acidam,cum acutam potius deberent interpretari.Iam verò ſudorum colores, vt docet Galen. 3. de Sympt. cauſſis, cap. 2. fiunt ex permiſtione variorum humorum. Quare ſcribit idem Galenus, ſudores referre colorem, & odorem excrementorum, quæ euacuantur.eſt enim ſudor, vt habemus à Gale.10.de Simpl.medic. vt plurimum coloris pallidi; quia ferè ſemper ſero aliquid bilis,vt iam oſtendimus,commiſcetur:bilis verò pauca copia ſero miſta pallidum colorem inducit. hoc experientia probatur in ictericis, quorum ſudores ſcribit Auicenn.lib.3.fen.15.tractat. 1. interdum eſſe ita pallidos, vt etiam induſia tinguant. Galenus 14. Methodi cap.1. ſcribit, bilem tenuem,& aquoſam euacuari per ſudores,& ſæpè contingere,vt illi ſint eius coloris,cuius eſt vrina ieiunãtium.

Sudores ſanguinei, ex Ariſtotelis ſententia 3. de Partibus animal. cap. 6. duabus de cauſis fiunt,vna eſt raritas atque laxitas cutis corporis:altera eſt tenuitas & aquoſitas ſanguinis: quando ſcilicet ob defectum caloris natiui, qui in corpore gignitur,ſanguis tenuis & aquoſus admodum euadit; cuius tenuitatis & raritatis cutis merito facilè è venis labitur,& ſanguineum ſudorem efficit.In eo libro, qui de vtilitate reſpirationis inſcriptus eſt,& Galeno attributus, alia redditur cauſſa ſudoris ſanguinei, cum ſcilicet ſpiritus in venis adeo vehementer mouentur, vt ora venarum valde aperiant, quibus apertis ſanguis cum ſudore ſponte fluat. Aquei colores ſudorum fiunt quando nil alienum materiæ ſudorificæ admiſcetur;vel quia non adeſt, vel quia ita craſſa eſt materia hæc aliena, vt commiſceri ſero nequeat. fiunt & tales colores,quando ſudor tranſcolatur per anguſtiſſimos meatus. Viridis color ſudoribus comparatur ob bilis porraceæ,vel atræ miſtionem. Fiunt ſudores à toto corpore ob redundantiam humorum, atque etiam ob cutis raritatem. fiunt verò ab aliqua parte propter redundantiam humoris in ea parte,& poros patentes,ſicut docet Auicenna 2.4.tract.1.cap.67.Vnde diuinus Hippocrates 4.Aphoriſm.38.prudenter dixit,quòd qua parte corporis ſudor eſt, ibi ſignificat morbum. Verum eſt quæſtione dignum, vnde ſit,quod in aliquibus partibus ſemper minus ſudamus,in aliquibus verò magis.Eſt reſponſio Ariſt. Problem.14.& Auicen. loco citato,quòd in anteriore corporis parte minus ſudamus, quàm in poſteriore; quia in parte priore multi ſunt canales, per quos effunditur humor ſudorificus: habemus enim ventriculum,veſicam,inteſtina. In poſteriore verò parte cum hi canales deſiderentur,fit,vt ſudor exire aliunde nequeat,niſi à cute.eſt & alia ratio:quia partes poſteriores magis conſeruant ſudores,cum minùs refrigerentur: priores econtrà minus reſeruant,quia magis frigeſiunt. Accedit his tertia quædam cauſſa, quòd in parte poſteriore adeſt medulla ſpinalis,quæ propria humiditate facit, vt partes illæ ſint quodammodo humidiores,& proinde ſudori ciendo magis expoſitæ. hæc ratio etiam eſt,cur magis ſudemus partibus illis, ſuper quas non iacemus,quàm illis, ſuper quas iacemus; nam eæ ſuper quas iacemus, habent veluti meatus obſtructos,& occluſos,vt ſudori viam non præbeant. facie autem ſudamus magis, licèt ſit minus carnoſa;quia in ea eſt cerebrum,quod eſt laxum,humidum, & humorib. multis ſcatens,quod apparet ex iugibus capitis diſtillationib. Præterea etiã cauitates plurimum ſudant;quia ibi plurimus eſt calor,qui aperiat cutem, & adeſt plurimum humidum.Sub ſole fiunt ſudores(niſi nimium calefaciat)quia ſuo calore meatus aperit,& ex penitioribus partibus aqueam materiam euocat. In Laconicis quoque magis ſudamus; quia ille calor vaporoſus, & humidus relaxat cutem, colliquat humores, eoſque colliquatos per cutem relaxatam educit. A motu fiunt ſudores,propterea quòd venæ ſpiritu implentur,qui ſpiritus huc & illuc permotus venarum ora reſerat,& per illa materiam ſudoris expellit.Nocturni ſudores,vt ſcriptum eſt ab Hipp.4.Aphoriſm.41.atque à Galen.in comment.fiunt ob ciborum repletionem,qui cibi vel ſunt nuperrimè ingeſti,vel antea.dormientes enim,ait Ariſtot. magis ſudamus, quoniam calor internus auctus humidum colliquat,& colliquatum per cutem expellit.Auicenn.2.4.tract.1.cap.68.attulit aliam cauſſam ſudorum ſomni, videlicet anhelitus magnitudinem, qui mouet materias ad exteriora. diurni ſudores fiunt ob cutis raritatem(tunc enim rarior eſt)& ob humorum abundantiam.Æſtate fiunt ſudores, etſi ſint corpora ſicciora,duabus de cauſis. vna eſt, quoniam corpora ſunt magis laxa & rara, propterea facilius quadam propria lubricitate fluunt humores.Præterea æſtate magis ſitimus,& magis potamus,ex quo fit, vt etiam ſudori efficiundo maior materiæ copia ſuppeditetur.Hyeme fiunt ſudores

in aliquibus;quia calor tunc magis viget,& ideo,vt ſcriptum eſt lib.1. Aphoriſ.15. de Vere,humores interni colliquantur,& magis extra pelluntur. A cibo fiunt ſudores,quia dum calor natiuus laborat circa cibum,ſpiritus in venis concitantur, qui aperiunt venas,& expellunt humiditates.Fiunt & potu ſtatim ſudores; non quod, vt vulgus credit,exeat ſtatim per cutem;quoniam id tam cito fieri nequit,ſed quoniam calor à frigore,& humiditate potus repellitur ad exteriora, & cum conetur prodire,ſecum per cutis meatus deducit humores aqueos. Sudores ſymptomatici, qui fiunt ferè in principiis morborum,vt docet Gal.3.Prorr.tex.6.fiunt vel propter humorum redundantiam:vel propter retentricis facultatis imbecillitatem.vnde(vt ſuo loco explicabitur)huiuſmodi ſudores ſemper aliquid mali portendunt. Auic.2. 4.tract.1.c.71.putauit ſudores in principiis morborum interdum etiam fieri ab humiditate aëris externa.Criticos verò ſudores atteſtatur Galenus, qui fiunt in ſtatu, & declinatione morborum, ſemper fieri à virtute valida expultrice venarum & arteriarum,quæ ſtimulata ab humoribus noxiis eos expellere nititur.Relinquitur vltimum caput à nobis propoſitum de ſudoribus, de vſu ſcilicet in cognoſcendis morbis & in iudicandis,qui vſus quantus ſit facile eſt intelligere ex iis,quæ à diuino Hippocrate in 4.Aphoriſmorum ſcripta ſunt.Rhaſes enim 17.Continentis c. 2. ſcribit,quòd ſicuti vrinæ ſtatum indicant venarum,& arteriarum:ita quoque ſudores,non ſolùm humores venarum,& arteriarum:verùm etiam muſculorum,qui velant oſſa,indicia ſunt.Sudor omnis(ait Gal.1.Prorrhet.33.)ſignificat vel humoris abundantiam in partibus ſudantibus,vel facultatis retentricis imbecillitatem.Craſſi ſudores, vt incipiamus ordine noſtro, craſſitiem, & lentorem humorum ſemper oſtendunt,& cõſequenter obſtructiones minãtur;ſiquidem dum ſudores huiuſmodi qualibet,vel leui occaſione retinentur, obſtructiones omnigenas faciunt. Inter craſſos ſudores numerantur & milij formes.quos Hippocrates primo Prognoſt.26. ſcribit ſemper malos eſſe.quanquã Galenus ea verba Hippocratis contextui inſerta ſuſpicatur.Tenues ſudores,ſecundũ Auicennã prima parte Cantic.tra.2. propoſitione 339. & Auerroëm, ſignificant humorum puritatem, & ſubtilitatem,copioſi verò humorum multitudinem. & ſicut idem Auicenna ſcribit 2. 4. tract. 1. cap.71. ſudor multus ſignificat morbi longitudinem, ob materiæ multitudinem, & interfectus malus eſt. Alibi verò inquit, quòd ſudor multus in febribus acutis, poſt quem nulla adueniat requies, ſignificat hecticam; & ſpaſmum; ait verò in Cantic. quòd ſudor ſuperfluus cum virtutis debilitate ex labore contingit, & mortem propinquam eſſe ſignificat. Hippocr. 4. Aphor. 42. ſcribit, quòd ſudor multus frigidus,vel calidus ſemper fluens, frigidus quidem grauiorẽ,calidus, verò minus grauem morbum ſignificat. De pauco ſudore ſcriptum eſt à Galen. libro 2. de Tuend. valetud. cap.12. quòd ſi minor fiat, quàm par ſit, indicium eſt, corpus nimium exſiccari,digeri,atque conſumi. Auicenna quoque 15.3.tractat.1.addit,ſudorem conſuetum retentum icteritiam prædicere, & in Cantic. ait, ſudorem paucum in morbis ſignificare multa,opilationem cutis,groſſitiẽ humoris; expultricis debilitatem, paruitatem digeſtionis, ventris mollitiem, & fluxum. quem locum exponens Auerroës dixit, hæc omnia indicia vera eſſe, quia tot de cauſſis ſudores retinentur.Frigidi humores, quemadmodum docet Galenus 2. de Tuen. valet. 12.capite,ſignificant corpus refrigerari. & Rhaſes loco citatò dicit, quòd ſudores frigidi caloris natiui debilitatem prædicunt; ſicut calidi caloris validitatem. Eſt Hippocratis ſententia 2. Aphoriſm. 37. quòd frigidi ſudores in acuta febre mortẽ:in mitiori verò morbi longitudinẽ ſignificant. Hippocratis ſententiã mutuatus Auicenn.2.4.tract.1. cap. 71. dixit, ſudores frigidos cum febris caliditate omnino malos

malos eſſe. calidi ſudores,vt dixi ex Rhaſe,caliditatis fortitudiné oſtédunt. Atque Ariſt.2. Problem. 35. ait, ſudores calidos frigidis eſſe ſalubriores, quoniam excrementi paucitatem ſignificant. Amari ſudores bilis per corporis ambitũ effuſionem indicant, ſicut frigidi multitudinem, vt docet Galen.4.de Tuen.vale.c.4. Salſi verò naturalem corporis ſtatum demonſtrant;quandoquidem, vt oſtendimus ex Ariſtotelis,Theophraſti,& Galeni ſententia,ſanorum ſudores ſalſi ſunt.idcirco Auerrois ſententiam probare non poſſum,qui prima Canticæ,tractat.2.text.338. ſcribit,ſudorem ſalſum pituitæ ſalſæ dominium indicare, ſicuti dulcem ſanguinis,acerbum & auſterum melancholiæ. Fœtidi ſudores non ſemper mali habendi ſunt; eo quòd interdum vſu venit, vt humores fœtidi per ſudorem expurgati, eum fœtorem faciant,qui quidem malus non eſt:attamen interdum quoque cótingit, vt mali ſint, quandō ſcilicet fiunt ex putrefactione humorum,ſiue quòd ipſi putreſcant detéti: & hinc eſt,quòd medici hoc in caſu ſolliciti eſſe conſueuerunt,vt fœtorem ſudoris inhibeant. Eſt hoc in loco dubitatio, numquid ſudores non fœtentes neceſſariò indicent,putrefactionem in venis non eſſe? Ex vna parte videtur,quòd neceſſariò indicent,propterea quòd excernũtur ex venis,& ſunt,vt ſuprà declarauimus,aquei humores commiſti ſanguini. vnde rationi conſentaneum videtur,vt ſi ſanguis putridus & fœtidus, pariter etiam ſudores debeant fœtere. Ex aduerſo eſt experientia:quotidie enim medici vident febres peſtiferas & prauas habere alia excrementa fœtentia, & tamen ſudores nequaquam fieri fœtidos. Pro huius dubitationis reſolutione dicendum eſt,putredinem ſanguinis, ſiue aliorum humorum venarũ, aut eſſe paucã,& in venis extimis: aut magnam,& in venis intimis, & cordi proximis. Si putredo ſit magna,& ſit in venis extimis,neceſſariò ſemper ſudores ſunt fœtentes, quemadmodum in leproſis conſpicitur, & etiam in illis febrientibus,in quibus putredo larga occupauit extimas partes. Si verò corruptio humorum ſit magna,eáque in intimis venis,vt putà in vaſis cordi proximis, quemadmodũ contingit in maiori peſtilentium febrium parte, non eſt neceſſe ſudores fœtidos eſſe. ratio eſt; quoniam ſudores iſti non excernuntur ab intimis his partibus, ſed potiùs ab extimis: quòd ſi putredo etiam ſit in extimis partibus;ſed ſit exigua,neque etiam neceſſum eſt ſudores effici fœtentes. Sanguinei ſudores omnes praui ſunt, quoniam, vt habemus à Galeno in lib. de Symptomatibus paſſim, fluxus quiuis ſanguineus, eſt toto genere præter naturam, excepto fluxu menſtruorum, & hæmorrhoidum in aliquibus. Auicenna in Cantica docet, quòd albus ſudor ſignificat ſemper pituitæ dominium, citrinus bilis,niger melancholiæ,rubeus ſanguinis; quo in loco notat Auerroës, ſemper ſuperfluitatis colorem deſignare humorem illum,cuius eſt ſuperfluitas. Sudores totius corporis vniuerſales bonos eſſe ſcriptũ reliquit Hippoc.1.Progn. particulares verò eſſe malos,atque partis,vnde manant, morbum indicare. Galenus etiam 3. Prorrh. 33. ſcribit, quòd ſudor omnis ſignificat vel abundantiam humorum in partibus, à quibus fluunt: vel virtutis expultricis fortitudinem, & retrenticis imbecillitatem. Auerroës in Cantica declarans, qua ratione ſudores vniuerſales boni ſint, & particulares mali, hanc ſententiam habet,quòd vniuerſales ſignificant dominium naturæ ſupra morbum,& materiam morbificam: particulares verò vim, & impetum naturæ ad expellendos noxios humores. Hippocr. 2. de Acutis 44. damnat eos, qui primò inedia ægros vexabant, deinde intempeſtiuè cibis obruebant, & inter cætera ſymptomata, quæ refert his euenire, dicit, quòd fiunt ſudores circa collum. cuius rei rationem explicans Gal. inquit, idcirco fieri ſudores in his circa collum, quoniam multæ cruditates circa eam partem congregantur:cruditates autem fiunt primum inedia

debilitato calore,deinde ciborum copia obruto.In Coacis prænotionibus ſcriptum eſt ab Hippocrate,ſudores ſine febre cum colore faciei bono ſtercora vetuſta, hoc eſt, multo tempore retenta, ſignificare, aut inordinatam viuendi rationem.Idem Hippocrates diuinus 2. Prognoſtic. 26. de ſudorum indiciis ita docet, optimos in omnibus acutis eſſe, qui fiunt die critica, qui integrè leuant febrem, qui ex toto corpore manant,& ægrum leuant: contrarios verò his malos eſſe, & præſertim qui circa caput, vultum & ceruicem fiunt, quos omnes ait Galenus in comment. ſyncopen minari.Sudores qui fiunt in balneis,vt ſcribit Galen.3.de ſym.cauſis cap. 2.ſunt ſimiles criticis.ſimiliter & facti à laboribus moderatis, qui etiam interdum materiæ tenuitatem,& pororum latitudinem præmonſtrant. Nocturni ſudores ſecundùm Hippocratem demonſtrant vel ciborum repletionem,vel humorem. Æſtiui ſudores quoque ſimiles ſunt criticis,vt ſcribit Galen.3. de Sympt.cauſſis cap. 2. hyemales verò indicant cauſſas iam dictas. Hippocrat. in libr. de Iudicationibus ſcribit,quòd ſudor multus in ſanis morbum ſignificat,æſtate minorem,hyeme verò maiorem. Qui fiunt à cibo ſudores, omnes monſtrant ventriculum in coquendo laborare. qui fiunt in principiis morborum,vt Galen.docet primo de Criſi,omnes abundantiam humorum oſtendunt, & conſequenter etiam morborum longitudinem. Hoc tamen velim obſeruari, rariſſimè contingere, quin, vbi ægri in principiis morborum multum ſudant, non periclitentur, aut ſaltem non capiantur longa ægritudine;hoc enim ego obſeruaui ſignum nunquam me fefelliſſe. Sudor malus eſt, ait Hippocrates 4. Aphoriſmor. 56. qui febricitanti ſuperuenit, nec morbum ſoluit.Similiter ſudores,qui cœperunt,& ſtatim deſierunt, peſſimi reputátur à Galeno comm. primo in primum Prorrhet.lib.text.primo,& etiam à Paulo. ſudor verò criticus ex Galeno naturã ſemper robuſtam,& humores peccantes expurgantem indicat. Secundo de Diæta quoque ab Hippocrate ſcriptum eſt, quod ſudores omnes abeuntes,hoc eſt,finientes,ſiccant,& attenuant, humore ex corpore deficiente.Atque hic eſt vſus apud Medicinæ auctores, qui comparatur ex ſudorum ipſorum obſeruatione.Operæpretium nunc erit docere,quomodo ſudores futuri ex placitis medicorum cognoſci poſſint. Huius rei multa ſigna traduntur à Galeno, & ab Auicenna libro 4. fen. 2. tract. 1. cap. 7. Galenus enim 3. de Criſi cap. 11. docet nos, quòd pulſus vndoſus futurum ſudorem monſtrat; ſimiliter ſi ad tactum carnis percipiatur rorida quædam humiditas; ſimiliter ſi percipiatur mollities quædam cutis cum rubedine, & tumefactione. Vrina quoque magis tincta, & ad groſſitiem tendens ſudorem futurum indicat; præſertim ſi vrina tingatur quarta morbi die, & deinceps ſeptima die craſſior euadat.Inquit enim Hippocrates in Coacis prænotionibus, quòd vrina valde tenuis, ſi denſa fiat, futurum; ſpumoſa verò & in ſeipſam confidens, factum iam ſudorem ſignificat. Si in ægritudinibus diuturnis fiat rigor vehemens, & poſt rigorem calor magnus ſuccedat, viréſque validæ ſint, atque alia accedant bona ſigna, ſudorem futurum indicant, præſertim ſi vrina, & aluus comprimantur. febres omnes magnæ niſi fluxu ſanguinis terminentur, ait Auicennas, quòd neceſſariò cum ſudore finiuntur. Si quis etiam ſomniet ſe lauari in flumine, vel in balneo, hoc quoque indicium ſudoris futuri habetur à medicis. & Galenus in libro de Digno. ex inſomniis narrat de quodam, cui in ægritudine dum erupturus erat ſudor, ſemper nocte antecedente ſomniabat ſe balneo lauari. Vſus ſudorum in medendo tempore noſtro nullus eſt, dico. tempore noſtro; quia penes veteres medicos etiam ſudores in vſum medicum trahebantur; nam vt in libris noſtris de re gymnaſtica docuimus, veteres quotidie ſe exercebant in palæſtra, & antequam

exerce

exercerentur, corpus oleo vngebant,& peluere conſpergebant:deinceps vel lucta, vel alio exercitationis genere ſeſe exercebant : quo tempore multum ſudabant;& quia ita ſudores ſæpè columnis,& parietibus palæſtrarum adhærebant,hinc factum eſt,vt medici illi duo genera ſudorum colligerent,vnum ex corporibus eorum,qui exercebantur;alterum verò ex parietibus ipſis, & ex columnis. Colligebant autem hos ſudores ſtrigilibus & in varios vſus morborum reſeruabant : alterum enim à Galeno,Dioſcoride,Aëtio,& etiam Plinio πάθος,& κονίγαλος vocatum inuenitur. alterum verò appellarunt ſorditiem. Porrò animaduertendum eſt, hanc rem Auicennam confudiſſe lib. 2. quoniam videtur facere differentiam inter ſudorem athletarum,ſudorem ſiccum,necnon etiam ſorditiem.Galenus verò 10. de Simpl. med.nihil aliud agnouiſſe videtur,niſi ſudorem athletarum,& ſorditiem.quanquam ſudor ſiccus ita ab ipſo appellatus potuit is fuiſſe,qui citra oleum , & puluerem colligebatur.quemadmodum ex Galeno colligitur 10. de Simpl. med. quémque ſubiungit Auicenn.oleo roſato commiſtum ad congelationem lactis in mamillis conferre.Si quis verò ſcire cupiat,quiſnam potiſſimus vſus eſſet horum ſudorum,ſcriptum inueniet apud Galenum , Auicennam , ac Theodorum Priſcianum ; fuiſſe ad concoquendas duritiés cutis , vt ad panos vocatos , verrucas , & huiuſmodi : ſiquidem oleum,puluerem,& ſudorem ſimul comiſta vim quandam coquendi , & diſſipandi habuiſſe,experti ſunt veteres.

De Lacrymis.

CAPVT II.

CVm lacrymæ ſint ſudoribus congeneæ,vel potius,vt ſcribit Ariſtot.ſint ſudor quidam:conſequens eſt,vt poſt ſudorum tractationem,de ipſis ſermonem habeamus.In quibus tractandis eundem,quem & in ſudoribus ſeruabo ordinem:illud tamen præfatus,ſub nomine lacrymarum à me intelligi omnem aqueum humorem diſſolutum,ab oculis emanantem,quemadmodum notat Pollux. lacryma à Græcis δάκρυον vocata eſt,quo nomine etiam in plantis eſſe vſos & philoſophos , & medicos videre eſt.immò Phytagorici,atque etiam Plato,qui exiſtimarunt plantas quædam animalia eſſe,eas etiam flere,& lacrymari dicebant.ſiquidem ex nonnullis ſolent quidam humores defluere,qui congelati,lacrymæ à medicis, & ab aliis nuncupãtur.Empedocles,vt habemus ex lib.Galeni de Hiſtoria philoſophicâ,habuit hãc ſentẽtiã,quòd lacrymæ fiant ex attenuato & eliquato ſanguine. Sed quia hæc ſententia in tractatione de Sudore ſatis à nobis refutata eſt:nõ eſt quod hoc loco quidquã aliud de ipſa dicamus. Plato etiam in Timæo putauit lacrymã eſſe veluti ſerũ quoddam,quod phlegmate coagulato ſeparatur. Ariſtot.5. Problem.& Theophraſtus in libro de Sudoribus nil aliud de lacrymis memoriæ prodiderunt , niſi quòd lacryma,ſudor,& vrina ſint eiuſdem naturæ,& materiæ. Cæterum Gregorius Nyſſenus in libro de Hominis opificio, cap.12. Meletius quoque in libro de Hominis ſtructura,quos auctores multi recentiores ſequuti ſunt,habuerunt hanc ſententiam de lacrymis,quòd ſcilicet vbicunque viſcera aliqua ratione occupantur, & perturbantur,vapores plurimi in cerebrum mittuntur,qui in eius cauitatibus detenti , in aquam tandem ratione frigoris illius condenſantur;poſtquam autem aqua facta eſt, vi cerebri mittitur ad oculos;atque ita extra oculos fluens lacryma efficitur. Vnde Diuus Baſilius ſolebat dicere, in lacrymis etiam quandam voluptatem ineſſe: propterea quòd dum lacrymantur homines , videtur cerebrum ipſum quodam pacto onere humiditatis leuari.Sed hæc ſententia , quamuis ſit grauiſſimorum virorum;

& à plurimis recentioribus fuerit recepta; tamen à me multis rationibus probari nunquam potuit. prima eſt, quia non video quomodo ita citò poſſint vapores eleuari, condenſari in aquam, & ad oculos fluere, quemadmodum videtur in mœroribus. nam ſunt multi, qui ſimul ac mœrent ſtatim lacrymantur: in quibus non poſſumus dicere, quòd viſcera occupata mittant vapores, fiat aqua, & fluat ad oculos. Vnde rationabiliter ſcribebat Plinius, mirari ſe prouentum lacrymarum, & vbi alio tempore tanta humoris copia latitaret. Secunda ratio eſt; quia cum lacrymæ omnes ſint ſalſæ, vel ſaltem plurimæ: ſi hæc eſt earum cauſſa, huius ſalſedinis vera ratio aſſignari non poſſet. Tertia ratio eſt: quoniam non eſſet in poteſtate hominum lacrymari vbicunque luberet: & tamen videmus plurimos, qui quotieſcunque volunt, lacrymas ſine vlla occaſione promouent. Sed nonne memoriæ proditum eſt, veteres conſueuiſſe in luctibus conducere mulieres (præficæ vocabantur) quæ flerent citra mœrorem, aut aliam occaſionem? Quarta ratio eſt: quia homines dum timent, non lacrymantur, cum tamen tunc viſcera, & præcipuè cor, occupentur. Quinta & vltima eſt; quia non poſſemus, ſi vera eſſet hæc ratio, generationis lacrymarum aſſignare cauſſam, cur in riſu, & gaudio fiant lacrymæ, tamen eo tempore viſcera non occupentur. Itaque dicendum eſt id, quod à nobis dictum fuit de ſudoribus, videlicet, lacrymas nil aliud eſſe, niſi humoris potulenti portionem, quæ in cerebro, venis oculorum, & præſertim venis angulorum oculi continetur, quæ aut per compreſſionem, aut per dilatationem illarum venarum foras erumpit. Sed dubitabit aliquis, ſi hæc eſt eſſentia, & natura lacrymarum, cur fit, quòd ſolus homo lacrymetur: nam etiam animalia bruta habent in cerebro & in oculis huiuſmodi humiditatem potulentam, vt videatur & ipſis lacrymandi munus negatum eſſe non debere. Sunt qui dicant, idcirco hominem ſolum lacrymas fundere; quia ſolus palpitationem cordis habet, quemadmodum Ariſt. monſtrat 3. de Partib. anim. c. 6. Sed hæc reſponſio mihi non placet; quia ſemper dum homines lacrymarentur, neceſſariò etiam iis cor palpitaret; quod tamen tum abſurdum, tum etiam experientiæ aduerſum eſt. Eapropter mihi dicendum videtur, primò non verum eſſe, quòd ſolus homo lacrymetur. Nam cerui, apri, crocodili & apud Medicos, & apud Philoſophos lacrymari dicuntur. Sed dato etiam quòd ſolus homo lacrymetur, & quòd aliorũ non ſint veræ lacrymæ, quemadmodum exiſtimo, puto hanc rationem eſſe, quia ſolus homo poteſt venas angulorum oculi dilatare, aut compreſſione vehementi, aut dilatatione vehementi. ratio verò cur ſolus homo poſſit facere hanc vehementem compreſſionem, aut dilatationem, eſt quia ſolus vehementer gaudet, ſolus magnopere mœret, & tandem ſolus vehementer aliquid vult. Iam verò compreſſio & dilatatio huiuſmodi nulla alia ratione efficitur, niſi vel voluntate hominis intenſa, vel gaudio multo, aut mœrore. Cauſſæ igitur omnes lacrymarum tam naturales, quàm præternaturales reduci debent, vel ad compreſſionem, vel ad dilatationem huiuſmodi. Voco autem cauſſas naturales, quando lacrymæ fiunt ſecundum naturæ curſum, non autem quòd à natura fiant: quandoquidem homo nullus cum ſtatu ſanitatis fruitur, tam corpore, quàm animo, poteſt lacrymari: dico, poteſt, intelligendo de iis lacrymis, quæ à voluntate mera non proficiſcuntur. Eſt hoc in loco contradictio à nemine viſa (quod ego ſciam) inter Hippocratem, & Ariſtotelem. nam ille in lib. de Septimeſtri partu ſcribit pueros ſtatim in lucem editos ſpontè ridere, atque flere tam vigilantes, quàm dormientes, titillatos autem, atque irritatos non ridere, niſi poſt quadrageſimam natiuitatis diem. Ariſtoteles verò 7. de Hiſtor. animal. cap. 10, ſcribit, pueros ſtatim in lucem editos in ſomnis quidem ridere, aut flere, vigilantes autem nunquam ridere, niſi poſt quadrageſimam natiuitatis diem. Quamobrem

obrem videtur Hippocrates pueris nuperrimè editis non negare fletum, aut riſum dum vigilant, Ariſtoteles autē negat. Hanc contradictionem nulla alia ratione ſolui poſſe puto, niſi dicamus, Ariſtotelem reſpexiſſe id, quod fit vt plurimum, Hippocratem verò id, quod ſimpliciter. accidit enim vt plurimum, vt pueri in lucem editi dum vigilant, non rideant, nec defleant, niſi tranſacto quadrageſimo, vel quinquageſimo die: interdum tamen contingit, vt etiam ſtatim editi defleant & rideant. Vel dicere poſſumus, illud ab Hippocrate obſeruatum fuiſſe in regione ſua, hoc verò ab Ariſtotele in ſua. Ad differentias lacrymarum accedo, quarum aliæ dicuntur frigidæ: quia dum fluunt, frigiditatem quandam oſtendunt: aliæ dicuntur calidæ; nam & Homerus inuenitur vocaſſe lacrymas calidas: aliæ dicūtur aridæ: ſunt verò hæ, vt notat Galenus 6. Epid. comm. 1. text. 23. illæ quæ exiguæ defluunt, & ſtatim ac defluxerunt, exſiccantur. Rurſum aliæ dicuntur craſſæ lacrymæ, aliæ tenues: craſſæ enim ſunt, quæ dum tanguntur, corpulentiam quandam indicant, faciléque adhærent genis; tenues autem, & aquoſæ ſunt illæ, & quæ tactui aquam referunt, & ſtatim à vultu delabuntur. aliæ dicuntur copioſæ, aliæ verò paucæ, aliæ ſalſæ, aliæ amaræ, aliæ verò dulces. nam, vt meminit Plutarchus in lib. de Cauſſis naturalib. c. 20. apri lacrymas dulces habent. aliæ dicuntur lacrymæ factæ ſine ægritudine, aliæ verò cum aliqua ægritudine. Earum, quæ ſunt cum ægritudine, vt docet Auicen. lib. 3. fen. 3. tract. 2. c. 26. aliæ dicuntur natiuæ, aliæ accidentariæ. Accidentalium iterum aliæ ſunt, quæ ſeparantur ad ſeparationem ægritudinis: aliæ, quæ prorſus inſeparabiles exiſtunt. Similiter aliæ dicuntur lacrymæ ſpontaneæ, aliæ autem non ſpontaneæ, ſed potius inuitæ. Sunt autem lacrymæ ſpontaneæ, vt optimè docet Thadæus Florentinus primo Prognoſticorum 13. non ſolùm illæ, quas homo voluntate propria effundit, quod tamen non poteſt vnuſquiſque facere: verùm etiam quæ contingunt ob iram, triſtitiam, mœrorem, gaudium, riſum, & huiuſmodi alias animi perturbationes. Tot ſunt lacrymarum differentiæ, quæ apud auctores ſcriptis mandatæ inueniuntur. Nunc videamus vniuſcuiuſque differentiæ cauſſas. Primò lacrymæ calidæ, vt docet Ariſtoteles 5. Problem. 35. fiunt à calore ipſius capitis: ſol etenim cum caput calefacit, & pituitam eliquat, ipſam etiam calidam, & propterea calidas etiam lacrymas fluētes reddit. fiunt quoque calidæ ex mœrore, vt idem Ariſt. teſtatur. Immò Hippocrates ſecundo Prorrhetic. ſcribit, lacrymas quandoque adeo calidas fieri, vt etiam pupillam & palpebras exulcerent. fiunt frigidæ lacrymæ ſecundum Ariſtot. 41. Problemat. 23. à pauco calore non concoquente, quales ſunt eorum, qui laborant oculis. fiunt & à riſu: nam qui rident, vniuerſum calorem extrà multum videntur emittere. Vnde humores oculorum quaſi calore orbati frigidi euadunt. fiunt ſiccæ lacrymæ, vt docet Galenus 6. Epidemid. comment. 1. text. 23. à caliditate morboſa exſiccante atque perurente; etenim Hippocrat. 3. Aphoriſmor. 12. ſcribit, quòd vbi ver aquilonium, & ſiccum fuerit, aridæ fiunt lippitudines. Hanc Hippocratis ſententiam puto malè mutaſſe Ariſtotelem primo Problemat. 12. (niſi in codice ſit error) quia quod Hippocrates tribuit veri, ipſe videtur tribuere æſtati ſiccæ & aquloniæ. Craſſæ lacrymæ fiunt à calore concoquente, & humorem illum incraſſante: quandoquidem ſcribit Ariſtoteles 4. Meteorologicor. cap. 2. tubercula dici cocta, vbi factum iam pus eſt: lacrymas ſimiliter dici coctas, vbi factæ ſint λῆμαι, quæ ſunt lacrymæ craſſiores. atque hinc patere poteſt Thadæi Florentini viri alioquin doctiſſimi error, qui in commentariis ſuper primum Prognoſticor. text. 13. putauit groſſitiem lacrymarum eſſe deteriorem tenuitate: quia indicat refrigerationem caloris natiui. Tenuitas efficitur duabus de cauſſis; tum ex cruditate, tum etiam ex anguſtia meatuum: nam videmus illos,

qui continuò flent, in extremo lacrymas tenuiores reddere; quoniam humiditas iſla,cum pauco tempore in oculis permaneat,concoqui non poteſt.Multitudo lacrymarum,vt diximus,ſecundum Auicennam lib.3.fen.3.tract.2.c.26.vel natiua eſt,vel accidentaria.Natiua,hoc eſt,quæ à primordiis vitæ incipit,efficitur potiſſimùm ex priuatione carunculæ lacrymalis: nam quemadmodum in ipſa Anatome vnuſquiſque videre poteſt, Natura prouida in angulis oculorum collocauit quaſdam carunculas, quæ id munus ſortitæ ſunt, vt contineant oſcula venarum eò pertingentium clauſa, ne humiditates illæ lacrymales defluant. Vbi itaque à natiuitate aliqui aut omnino non habuere has carunculas,aut valdè exiguas,his multa lacrymarum copia defluere ſolet,atque hæc affectio,vt monuerunt Meſues,& Auicenna, vel prorſus incurabilis, vel multo labore, & arte curatur. Porrò accidentaria lacrymarum copia,quinque cauſas ſecundum Auicennam habet. prima eſt debilitas facultatis concoctricis:ſecunda imbecillitas virtutis retentricis:tertia diminutio carunculæ lacrymalis:quoniam quemadmodum à natiuitate poſſunt homines carere hac caruncula,ita ea vel aliquo caſu, vel aliquo morbo priuari poſſunt.quarta cauſſa eſt adminiſtratio medicinæ alicuius acutæ; ſunt enim nonnulli tam imprudentes medici, qui vt quoſpiam oculorum morbos curent, medicinas ita acutas & acres adminiſtrant,vt faciant perpetuas quaſi lacrymas.quinta cauſſa eſt inciſio vngulæ(πτερύγιον Græcis appellatur)quam ſecant interdum medici, ſed adeo infeliciter,vt vaſa oculorum aliquando perpetuò hient, ſicque lacrymas faciant. Tres autem ſunt viæ,per quas lacrymarum copia excurrere ſolet; vna eſt venæ extra craneum:altera eiuſdem intra craneum;tertia eſt muſculi oculorũ; nam per hos muſculos oculorum debilitatos interdum húmiditas excolatur, quæ ad oculos fluens facit lacrymas. Paucitas lacrymarum duas cauſſas habet;altera eſt cerebri humiditatum inopia:altera verò eſt caruncula ipſa lacrymalis, quæ nonnunquam in eam magnitudinem excreſcit,vt maximè meatus lacrymales occludat, neque permittat, vt humiditates lacrymoſæ defluant. atque hinc reddi cauſſa poteſt, cur nonnulli ſint,qui nulla vi, nullóve pacto lacrymari queunt, hi inquam ſunt, quorum caro lacrymalis obducit venas,vt dixi.Ex aduerſo ſunt alij,qui qualibet vel minima occaſione lacrymantur, cuiuſmodi ſunt mulieres omnes, non ob aliud ſanè, niſi ob largam cerebri humiditatem, nec non ob carunculæ illius meatuúmque angulorum oculi laxitatem.Alexander primo Problema. 31. ſcribit, mœrentes omnes lacrymari ob compreſſionem meatuum oculorum, gaudentes ex aduerſo ob dilatationem eorundem,aliquos verò eſſe, qui ob anguſtiam meatuum oculorum neque in lætitia,neque triſtitia lacrymari poſſunt.Salſæ lacrymæ fiunt,vt diximus, de ſudore;quia pars dulcis,& concocta in nutrimentum trahitur cerebri, pars verò cruda,& terrea humiditati lacrymali commiſcetur.Fiunt amaræ ob admiſtionem bilis, vel vaporum bilioſorum,cuiuſmodi ſunt lacrymæ eorum, qui morbo regio laborant. In ægrotantibus fiunt lacrymæ ob tres cauſſas, vt docet Galenus 6. Epidem. comm. 5. text. 3. prima eſt morbus ipſorum oculorum, vt putà cum vel ophthalmia,aut palpebrarum aſpredine,aut altero aliquo morbo vrgentur.ſecunda eſt ipſa natura,quæ excitata vel multitudine, vel qualitate humiditatum, eas per oculorum angulos expellere nititur:tertia cauſſa eſt ipſamet natura, quando ſcilicet, deficientem in angulis oculorum humiditatem reficere conatur. Hæc verò poſtrema cauſſa,vt rectè intelligatur,vtque quid voluerit Galenus, perfectè explicetur, non erit abs re admonere,Naturam,vt oculos, quantum fieri poterat,iniuriis externis propulſandis idoneos faceret, poſtremam tunicam, corneam ſcilicet,duram conſtruxiſſe; & quia durities ea poterat maximè incommoda eſſe,niſi ſubſtantia eius

cornea

cornea fuiſſet aliquo humore continenter humectata & lenita, idcirco fecit colatoria quædam in ipſis oculis, in quibus aſſiduè humiditatem quandam ceu ſaliuam continet, quæ quadam vi corneam iſtam tunicam ne prorſus rigeſceret, ſemper humectaret: itaque prouida eſt natura, vt quotieſcumque humiditates iſtæ aliqua ratione educuntur, ſtatim loco ipſarum alias ſuggerat. Quare mirari deſiuiſſet fortaſſe Plinius, ſi hoc cognouiſſet, quando dicebat, ſe ferè neſcire, vbi tantus humor lateret, quantus videtur in plorantibus continuis. Hoc itaque dicit Galenus loco citato, quòd fiunt copioſæ lacrymæ in ægrotantibus, quando natura deficientem hanc humiditatem reparare conatur. Atque hæc ratio eſt obſeruanda; quoniam non video, quomodo aliter poſſit interpretari locus ille: Lacrymæ factæ cum febribus, ſeu morbis acutis, vt febribus putridis, & ſanguineis, omnes ſecundum Auicennam naſcuntur ab apoſtemate cerebri, ſiue aliquo alio eius nocumento, idque ob tres cauſſas contingit. Primò, quia cerebrum malè affectum repletur vaporibus, qui condenſati in aquam lacrymas continuas ſuggerunt. Secunda cauſſa eſt; quia vapores illi pituitam cerebri colliquant, eáque colliquata lacrymas ſuppeditat. Tertia eſt; quia cum vapores illi cerebrum inflamment, conſequenter efficiunt, vt humiditates aliunde ad ipſum trahantur. Sed percunctabitur aliquis hoc in loco, cur Auic. lib. 3. Fen. 3. tract. 2. c. 26. dicat, in febribus diariis vigilatiuis effici lacrymarum curſum. Dico febres vigilatiuas diarias àb Auicenna eo in loco eas intelligi, quæ ex immoderatis vigiliis naſcuntur. vt enim vnuſquiſque nouit, vigiliæ ſuperfluæ vitiant coctiones tum omnes, tum præcipuè cerebri, quibus vitiatis fiunt crudi humores, & tenues, ex quibus deinde fiunt lacrymæ. Sine ægritudine quæ fiunt lacrymæ, ſi natiuæ ſint, naſcuntur ex priuatione carunculæ illius lacrymalis: ſi verò ſint accidentariæ, fiunt ex cauſſis, quas iam enarrauimus. lacrymæ voluntariæ cauſſam habent, vel compreſſionem voluntariè factam, vel dilatationem. Vnde mœrentes, irati, lætantes lacrymas fundimus, ſimiliter etiam ridentes. inuitæ lacrymæ fiunt variis de cauſſis, primò à frigore comprimente, & condenſante: quod docet Gal. 4. de Simp. med. c. 2. fiunt quoque ob contentiuæ facultatis debilitatem; necnon ob res acres ſtimulantes oculos. atque hinc eſt, quòd cæpæ manducatæ, fumus, & multa alia lacrymas mouent. hac quoque ratione dicebat Ariſtoteles Segm. 5. Problem. 13. quòd equi currentes, quanto velocius currunt, tanto copióſius lacrymas mittunt; quia aër maximè percellit oculos, & lacrymas excutit. Galenus 1. Prognoſt. 10. videtur hanc habere ſententiam, quòd lacrymæ inuoluntariæ fiant aut propter lippitudinem oculi, vel propter fluxionem aliquam capitis, vel ob virtutis contentiuæ debilitatem. Iunior verò quidam eo in loco non erubuit damnare Galenum, quòd cauſſam vnam lacrymarum dimiſerit, nimirum cerebri caliditatem pituitam eliquantem. Sed certè vir iſte ad pauca reſpiciens facilè omnia ſolet enunciare; propterea mirum non eſt, ſi decipiatur ſæpè, quemadmodum hoc in loco; nam cum Galenus inter cauſſas lacrymarum recenſeat varias capitis defluxiones, clarum vnicuique eſſe poteſt, ipſum ſub his defluxionibus eam quoque, quando à caliditate cerebri pituita eliquata ad lacrymas conuertitur, comprehendiſſe. nemo eſt enim, qui neſciat cerebro calefacto vel à ſole, vel ab igne, fieri varias diſtillationes, atque grauedines. hactenus de cauſſis lacrymarum. Supereſt vltima pars de iudiciis, de qua loquens Galenus primo de Criſi, capite 7. dixit, Medicum debere contemplari lacrymas ipſas, nunquid boni quidpiam, an mali portendant: etenim frigidæ lacrymæ, niſi fiant à riſu, ſemper malæ ſunt; quia immenſam cerebri frigiditatem, & quaſi extinctionem quandam caloris præmonſtrant. calidæ quoque

& falſæ malæ ſunt,non modò quia nimiam cerebri caliditatem ſignificant; verùm etiam quia,vt ſcriptum reliquit Hippocr.2.Prorrhet.exulcerationes ocu orum mi-nantur.Sed quæret aliquis, cur ſit, quòd idem Hippocrates in libro de Vſu humidorum dicat, aquam calidam affuſam oculis maximè prodeſſe lacrymis calidis & mordacibus.Reſpondeo,hoc prudentiſſimè dictum eſſe;quia ſicuti videmus liquores acres & mordaces extrinſecus miteſcere ob admiſtionem aquæ dulcis,ſimiliter & humiditates lacrymales perfuſæ aqua calida dulci miteſcunt,& remittuntur. Si quis verò adhuc à me ſciſcitetur,cur id non fiat potius frigida:quandoquidem frigida aqua dulcis habeat dulcedinem, & frigiditatem, merito quarum poteſt acrimoniam,& caliditatem lacrymarum remittere.Reſpondeo illi,aquam frigidam hoc facere non poſſe,vel ſaltem non æquè bene. quoniam hæc affuſa oculis repellit introrsò calorem,qui repulſus augetur,auctus adauget lacrymarum calorem,ex aduerſo calida affuſa aperit meatus,quibus apertis calor perſpiratur, ad hæc calorem etiam ipſum euocat; vnde fit vt lacrymæ frigidiores reddantur.Neminem enim eſſe exiſtimo tam rerum ignarum,qui neſciat, quod quicunque pepones calentes refrigerare volunt, ſub radiis ſolaribus ponunt, quoniam ſcilicet calor radiorum euocat calorem peponibus inexiſtentem,ſicque refrigerat. Craſſæ lacrymæ ſi tenuibus ſuccedant bonæ ſunt;quia coctionem & humorum paucitatem ſignificant:cùm, vt dicebat Ariſt.paucus humor faciliter coquatur,multus verò difficiliter. Tenues verò omnes penè naſcuntur ex cruditate, & ideo ſolent portendere morborum oculorum longitudinem.dixi verò,penè,eò quia etiam tenues lacrymæ fiunt interdum ob anguſtiam meatuum oculorum. Copioſæ indicant largam humiditatem, ideóque ſolent ſæpiſſimè eſſe comites doloris capitis: nam Caſſius in Problematibus medicin.Probl.75. ſcribit, tribus de cauſſis lacrymas copioſas comitari dolores capitis. prima eſt;quia oculi ob frequentem motum,& nictationem trahunt ad ſeſe humiditates in capite redundantes. altera eſt; quia humiditates oculorum tenues cùm ſint,ob frequentem motum facilè elabuntur è meatibus. tertia eſt copia ipſius materiæ onerantis eas oculorum partes.Malæ quoque ſunt copioſæ lacrymæ ob aliam cauſſam; quia imminuunt ipſos oculos.Immò vidi non modò imminutos oculos, ſed etiam occæcatas mulieres ex continuis ploratibus.Scribit Caſſius Problem.27. lacrymas manare etiam ex humore aqueo ipſius oculi, qui humor aqueus vbi deperditur,aut minuitur,clarum eſt etiam oculi ipſius facultates,& actiones lædi.Natiuæ lacrymæ omnes prauæ ſunt:quia,vt ait Auicenna,incurabiles exiſtunt. Accidentariæ,ſi ſint ſine vlla ægritudine,ſunt minus prauæ;facilius enim curantur. Verùm lacrymæ alicui ægritudini copulatæ, vel ſunt voluntariæ, vel inuoluntariæ. Scribit Hipp.6.Epid.comm.1.text. 21. quod in acutis malè habentibus voluntariæ lacrymæ bonæ ſunt:inuoluntariæ verò malæ.Cur autem voluntariæ ſint bonæ, tres aſſignari poſſunt cauſſæ.vna eſt, quia huiuſmodi lacrymæ ſigna ſunt in ægroto reperiri metum,& cognitionem,ac proinde mentem ipſam non eſſe omnino læſam, aut proſtratam.altera,quia per lacrymas voluntarias cerebrum expurgatur.tertia eſt, quia huiuſmodi lacrymæ indicia ſunt,cerebrum non multùm humidum eſſe,quando ſola voluntate fluunt.Idem Hipp.1.Epidem.comm.2.text.80. ſcribit, quòd quibus in febribus acutis; & ardentibus ſpontaneæ effluunt lacrymæ, ſi reliqua non ſint exitialia, his eruptio ſanguinis è naribus exſpectanda eſt. quòd ſi malè ſe habeant ægrotantes,nō ſanguinis eruptionem eſſe exſpectandam, ſed potiùs mortem. quarto etiam Epidem.circa finem,& quarto Aph.52.docet Hippocr. quòd quicunque in febribus, vel aliis morbis ex voluntate lacrymant, nihil abſurdi habent, ſi verò contra voluntatem,abſurdum magis. quem locum exponens Galenus, ait,

XXX lacrymas,

lacrymas, niſi ſint ex aliquo oculorum morbo, ſemper malas eſſe; eo quia oſtendunt virtutis contentiuæ imbecillitatem. Atque hinc eſt, quod elegantiſſimus medic. Cornel. Celſus libro 2.cap.24. ſcribit, lacrymas inuoluntarias mali morbi eſſe teſtimonia. Galenus lib. 1. de Criſi, cap. 8. dicit, lacrymas inconcoctas & crudas, peſſimarum indiſpoſitionum ſigna eſſe, primo verò Prognoſt.10. ſcribit, lacrymas inuoluntarias ob contentiuæ imbecillitatem lethales eſſe. qua in re quidam 4. Aphoriſm. 52. improbat Galenum, quaſi lacrymæ inuoluntariæ non poſſint fieri ob contentiuæ imbecillitatem, ait enim: quod ſi fierent, ſequeretur lacrymas ibi adeſſe. Sed miror ſanè hunc virum, qui non viderit ſemper (vt ſupra expoſui) in angulis illis oculorum humiditatem lacrymalem exiſtere. Quare non poteſt, neque debet mirari, quòd fiant fluxus lacrymarum ob contentiuæ facultatis imbecillitatem. Galenus enim, vt iam explicauimus 6. Epidem.comm.5. text.3. teſtatur inter alias cauſſas copiæ lacrymarum, eſſe eam, quando natura conatur reficere humiditatem illam angulorum, qui ſunt in oculis: vt ſanè videatur natura nunquam pati velle, vt ille locus abſque huiuſmodi humiditate remaneat. De vſu lacrymarum in medicina facienda, non eſt quod quidquam dicam: propterea quòd apud neminem adhuc inueni, quod lacrymæ humanæ magnum vſum in ea habeant. lacrymæ quidem plantarum ſunt frequentiſſimæ in medicamentis noſtris, ſed de iis non eſt locus ſermonem habendi: id tantùm pro fine huius tractationis addam, quod Scribonius Largus libro ſuo de medic. cap. 163. in oculis ceruorum prope angulos concreſcere quaſdam lacrymas viroſi odoris, quæ ſeneſcentibus in formam lapidis durantur; has verò ait Siciliæ venatores diligenter colligere, eaſque in cincto aduerſus ſerpentum ictus, & morſus gerere. Putóque ſæpius euenturum, vt oſtendantur eiuſmodi lacrymæ, tanquam beſeartica quædam medicamenta aduerſus venena.

De Sputis.

CAPVT III.

SPutum inter corporis noſtri excrementa minimum locum non habere, multis in locis docuit Galenus, & præſertim eo in libro qui Introductorius inſcribitur, c.13. Eſt tamen hoc ſputi nomen apud Medicos ita varium, vt non paucam pariat ambiguitatem: iccirco maximè vtile fuerit nomina ſecundum medicorum placita diſtinguere. Tria namque apud Græcos ſunt nomina πτύελος, πτύσμα, & πτυελισμός. Latini dicũt, ſputum, ſputamen, & ſpuitionem, quæ voces, vt diuerſæ ſunt, ſic quoque diuerſa ſignificare inueniũtur. ſi Galenum videamus primo de Criſi.c.5. videtur nos docere, quòd πτύελος, ſiue ſputum ſignificet id, quod tuſſe eiicitur coctum, atque immiſtum; πτύσμα verò, ſiue ſputamen id, quod tuſſi reiicitur: ſed variis, & diuerſis rebus commiſtum. primo autem Comment. in primum Prorrhet. 12. vbi ſcribit πτυελισμὸν, ſiue ſpuitionem fieri propter cerebrum humiditatibus refertum, vel propter oris ventriculi ex humiditate imbecillitatem, docere videtur πτυελισμὸν, ſiue ſpuitionem eſſe propriè excretionem materiæ per os citra tuſſim. Cæterùm quod ab Hippocrate libro de Carnibus, & 3. de Morbis, necnon à Galeno 10. de Simplic.medic. σιάλες, ſiue σίαλος dicitur, ſaliua propriè Latinis eſt; quanquam idem etiam ſæpè ſignificet, quod πτύσμα, frequentius tamen de ſaliua ſanorum, & ægrorum dicitur, quæ ſcilicet ſine vlla tuſſi reiicitur, ob quod Hippocrates ſecundo de Morbis vulg.comment.ſecundo, & alibi, σιαλόχους vocat, qui fundunt ore ſaliuam: quanquam Erotianus ita quoque appellatos velit illos, qui congregant ſputum

amarum.

amarum. quod verò σιελισμὸς, & πτυελισμὸς ſit idem, clarè docet Galen.8.de Compoſ. medic. cap. 4. & Paulus Ægineta lib. 3. cap. 37. Itaque vt clara hæc tractatio euadat, nos totam hanc materiam in duo nomina partiemur, ſaliuam ſcilicet, & ſputum. ſaliuam appellabimus quæ ab ore reiicitur ſine tuſſi: ſputum verò, quod cum tuſſi exſcreatur. Iam verò huius ſaliuæ, & ſputi variæ ſunt differentiæ: eſt enim ſaliua, vt docet Galen. 3. de Locis affectis, cap. 7. ex pituitæ genere, quæ per os citra tuſſim educitur: atque hæc primò differentias habet ſecundum ſubſtantiam; quia altera dicitur craſſa, & viſcida: altera tenuis: altera ſpumoſa. habet etiam & ſecundum quantitatem ſuas differentias; quando inuenitur apud medicos ſaliua modò copioſa, modo pauca. Similiter etiam & differentiæ huius ſunt à ſapore; quandoquidem dicimus aliam ſaliuam inſipidam, aliam ſalſam, aliam dulcem, aut amaram, aut acidam. A colore etiam ſunt variæ ſaliuarum differentiæ, cùm aliæ ſint albæ, aliæ nigræ, aliæ pallidæ. A tempore pariter excretionis, cùm aliæ à cibo, aliæ ante cibum fiant. denique à modo excretionis, propterea quòd alia ſaliua educitur loquendo & clamando, alia tacendo, alia dormiendo, alia ſcreando. hæ ſunt ſaliuæ differentiæ. Sputa verò, quæ per tuſſim reiiciuntur, habent & ſuas. & primò ſecundum ſubſtantiam: nam alia ſpura dicuntur craſſa & viſcida, alia ſpumoſa, alia tenuia & liquida. Similiter ſputorum quędam dicuntur ſimplicia, hoc eſt, purè pituitoſa, & nulli alteri rei commiſta, alia verò dicuntur permiſta: permiſcentur autem variis & diuerſis rebus, modò melancholiæ, bili, ſanguini, modò puri, modò carunculis. Refert Auicennas annulos quandoque commiſceri ſputis. & Galen. 4. de Locis affect. cap. 8. ſcribit, ſe vidiſſe ſputa, quibus corpuſcula grandini ſimilia erant commiſta. Anthonius quoque Beniuenius in libro de Abditis morbis, narrat Alemanum quendam lapidem ſputo reieciſſe: ita vt variæ & diuerſæ ſint res, quæ ſputis commiſceri poſſunt. Similiter ſputa alia dicuntur eſſe copioſa, alia verò diminuta. A qualitatibus quoque capiuntur variæ ſputorum differentiæ. Inueniuntur enim apud medicos nonnulla à figura denominari, cum Hippocrates mentionem faciat rotundorum ſputorum. aliqua vocantur ſputa dulcia, nonnulla ſalſa, amara, acida, aut acerba. dicuntur quoque alia fœtida, alia fœtoris expertia. Alia item alba, nigra, rubra, pallida, viridia. A modo quo educuntur ſputa, fiunt diuerſæ differentiæ, vbi alia dicuntur facilè educi, alia verò difficulter. Poſtremò ſunt differentiæ ſputorum à temporibus, quibus reiiciuntur, cùm alia ſint in principiis morborum, alia verò in aliis temporibus. Hæ omnes ſunt quæ poſſunt inueniri apud medicinæ auctores, ſputorum differentiæ. Nunc videamus cauſſas ſingularum. Et vt à ſaliua initium capiamus; ante alia ſcire oportet, ſaliuam, quę naturalis eſt, & in homine verè ſano reperitur, eas habere conditiones, vt nec quantitate excedat, neque vllum ſaporem habeat: quemadmodum docet Galen. 3. de Loc. affect. cap. 7. gignitur autem huiuſmodi ſaliua à glandulis, quæ à natura collocatæ ſunt in faucibus, vt ſcilicet ea ipſæ fauces irrigentur, quo minus ab interno calore exſiccari poſſint. Vſum harum glandularum extollit mirificè Galen. 14. Method. 11. & 2. lib. de Semine, cap. 6. Ait quoque 5. Aphoriſm. 59. Galen. huiuſmodi ſaliua linguam ipſam nutriri. Hæc itaque quando à natura ſua recedit, & craſſa fit, ob duas cauſſas accidit, vel quia diu retinetur in ore, qua retentione caloris agens in ipſas partes ſubtiliores diſſoluit, craſſiores & terreſtriores remanent: vel quia pituita craſſa à cerebro diffluens ipſis commiſcetur. Fit tenuis ſaliua, quando vel nihil retinetur in ore, & crudiuſcula eſt, vel pituita tenuis defluens à capite ipſi commiſcetur. Cæterùm quod ſaliua ſpumoſa euadat, nulla alia ratione fit,

niſi

niſi quia multi ſpiritus, & multus aër ipſi permiſcentur. cauſſa autem commiſtionis aëris, & ſpirituum eſt, vel magna & longa locutio, vel motus. etenim his de cauſſis incaleſcunt pulmones, qui calidi multum aërem, & multos ſpiritus ad os mittunt,qui commiſti ſaliuæ faciunt ſpumam,vt videre eſt in illis,qui multum loquuntur,& in equis vehementer agitatis.fit copioſa ſaliua ſecundùm Galenum ſecundo de Temper.cap.6.& primo in primum Prorrh.vel ex frigiditate, & humiditate cerebri,vel ob oris ventriculi ex humiditate imbecillitatem. Scribit Auicenna libro 3.fen.6.cap.25. copiam huiuſmodi ſputi ſaliuoſi multoties accidere ex multa caliditate,& humiditate,quæ fit propriè in ore ſtomachi; quandoque verò propter magnitudinem ſolius caliditatis, ſicut accidit in ieiunantibus; interdum quoque propter cibi aut grauitatem, aut corruptionem, & quandoque ex frigiditate, & phlegmate. Fit ſaliua diminuta ex faucium calore immenſo, qui exſiccat,vel ex ipſarum glandularum intemperie calida &ſicca.Sed quis ſciſcitabitur fortè,nunquid in corpore ſano debeat ſaliua diminuta eſſe, hoc eſt, an qui ſani ſunt, debeant vnquam ſaliuam expuere? videtur etenim quòd non; quia excrementa emanantia ab ore,quanto pauciora ſunt,tanto videntur maiorem ſanitatem indicare. Dico etiam eos qui inculpata valetudine fruuntur, debere interdum ab ore ducere ſaliuam, quia cum continuò gignatur,& irriget fauces,neceſſum eſt interdum,immo dicam in ore congregari, quæ niſi per os educatur,ad ventriculum vergit; & ſanè magis confert eam educere per os,quàm dimittere vt in ventriculum præcipitetur, quanquam non deſint,qui putant,ſaliuam in ventriculum præcipitatam nihil obeſſe,ſed coctionem adiuuare,& ventrem ſoluere. Fiunt ſapores varij in ſputis ex varietate vaporum,qui ipſi ſaliuæ commiſcentur:atque id præcipuè obſeruatur in ieiunantibus,quorum ſtomachi cum repleantur prauis humoribus, ab illis vapores mittuntur in os,qui commiſti ſaliuæ, eam variis ſaporibus inficiunt, niſi dicamus & calorem ieiunantium huiuſmodi ſapores efficere; quando Galenus id innuiſſe videtur 4.de Simpl.med.cap.16.vbi ſcribit ieiunantibus fieri ſaliuam ſalſam,& ſi plus ieiunarint.fieri amaram. poſſunt quoque varij ſapores ſaliuæ fieri à vaporibus extrinſecis ipſi commiſtis,quemadmodum videre eſt in aliquibus guloſis (vt de Philoxeno refertur) in quibus ſcilicet fumi ciborum attracti per nares & os, necnon ſaliuæ commiſti, ciborum ſapores ipſi immittunt; & ſunt, qui ſolis huiuſmodi ſaporibus referant ſeſe dapes guſtare. Colores quoque fiunt varij ex varietate humorum, qui prout vnius, vel alterius coloris exiſtunt in ventriculo, ſic vapores mittentes iiſdem coloribus inficiunt ſaliuam: id quod etiam à vaporibus externis effici experientia obſeruatur: nam qui ad lucernam aduigilant, à qua fumi craſſi emanant, eorum ſputum nigreſcit,non alia ratione, niſi quia fumus ille per nares attractus, & ſaliuæ commiſtus eam intingit. fit copioſa ſaliua à cibo, vel propter humiditatem ipſius cibi,vel propter oris ventriculi laxitatem. Quæ fluit in ſomno ſaliua nonnullis, nulla alia de cauſſa efficitur, niſi ob multam humorum tenuium cerebri repletionem. Quæ verò non faciliter educitur, ſed opus eſt ſcreatu vt reiiciatur,talis eſt ob lentorem & viſciditatem,quam habet.Quæ loquendo fit, & clamando, naſcitur ex motu humiditates ex cerebro in palatum trahente. Videamus modò cauſſas differentiarum ſputorum, quæ reiiciuntur cum tuſſi: ſi tamen ante monuerimus,optima ea ſputa eſſe,vt docet Galen.1.Aphoriſm. 12. & à calore materiam coquente proficiſci,quæ alba ſunt,non aſpera,ſed lenia,æqualia,& quorum cohærentia nec humida ſupra modum, & fluida, neque etiam nimium craſſa eſt. Auicenn.lib.3.fen.10.tract.4.cap.8.addit,quòd ſint facilia,velocia.id quod ab Hippocrate accepit 4. de Acut. 72. fiunt & ſputa craſſa aut ob admiſtionem craſſæ &

viſcidæ

viſcidæ pituitæ, vel alicuius alterius humoris craſſi: vel fiunt à calore denſante, qui quidem materiam ſputorum incraſſat duabus rationibus: aut quia multus eſt, aut quia diu agit in ipſam materiam. atque hinc eſt, quòd Hippocrates libro primo de Morbis, necnon 7. Aphoriſmor. 38. ſcribit, quòd quibus à capite in thoracem deſtillationes fluunt, vigeſima die ſupputantur, id eſt, illæ deſtillationes craſſæ ita euadunt, vt referant pus; quod etiam dicit Auicenna euenire nonnullis ætate prouectis, in quibus pituita præcipitata in thoracem craſſeſcit maximè, & ita, vt interdum hydropis periculum minitetur. fit tenue, & liquidum ſputum, ex ſententiâ Galen. 6. Epid. comm. 2. text. 17. & 1. Aphoriſmor. 12. à calore debili, qui cùm coquere non poſſit, neque etiam incraſſat. huiuſmodi verò ſputa tenuia, & liquida ſemper apud medicos cruda nominantur. Fiunt ſpumoſa ſputa, quemadmodum idem Galenus docet 6. Epid. comm. 3. text. 43. & 6. Aphoriſ. 33. necnon 5. de Locis affectis c. 5. à pituita, cui plurimi flatus ſint permiſti, qui flatus interdum ipſi inſunt, dum à capite deſcendit, interdum verò ipſi ingenerantur in partibus pectoris à calore in ipſa ſputa, ſiue in eam materiam agente. Auicennas decima tertij, tract. 4. cap. 8. aſſerit, ſpumoſa fieri hæc ſputa ex vehementi commiſtione multi aëris in humore ſubtili. quo in loco eſt adnotandum ab Auicenna per humorem ſubtilem id intelligi humoris genus, quod non ſit admodum craſſum, neque etiam admodum liquidum & tenue: nam ſicut in craſſo multùm non poſſunt faciliter flatus immiſceri; ſic in admodum tenui & liquido non poſſunt retineri. Simplex & impermiſtum ſputum fit ex pituita, quæ vt in thoracem deſcendit, ſic ſtatim reiicitur. Permiſta verò fiunt ab humoribus, qui ipſi commiſcentur in thorace, vel arteria, vel pulmonibus, vel ab aliis rebus; nam ſputa grandinoſa (vt ſic loquar) fiunt ab vlceribus; ſicut etiam ſcribit Auicenna lib. 1. fen. 2. doct. 3. cap. 1. quod quotieſcunque annuli quidam commiſcētur ſputis, id fit ex heſtiomeno vlcere in canali ipſius pulmonis. De lapide verò excreto ab eo Alemano nullam aliam cauſſam poſſumus aſſignare, niſi quòd ſputum fuerit diu in thorace detentum, & à calore illarum partium, inſtar laterum excoctum & induratum. Multitudo ſputi, inquit Auicenna librò 3. fen. 6. fit ex copia caliditatis, & humiditatis, quæ ſint propriè in ſtomacho, aut ob cibi grauitatem, vel corruptionem: quandoque ob magnitudinem ſolius caliditatis, vt in ieiunantibus; aliquando ex frigiditate & pituita. Rotunda ſputa, vt docet Galenus 6. Epidem. comm. 3. text. 36. fiunt à craſſitie & viſciditate humorum in fibris pulmonis collectorum, tanquam cauſſa materiali, à loci verò calore tanquam effectrice cauſſa. Porrò ſputorum ſapores duabus potiſſimum de cauſſis generantur: vna eſt diuerſorum humorum permiſtio: altera actio diuerſa caloris in ipſis. Verbi gratia, fit ſalſedo in ſputis ex actione caloris putrefacientis pituitam. fit amarus ſapor in eadem pituita, ſi magis, atque magis calor in ipſam agat. At quæret hoc loco aliquis, quî fieri poſſit, vt pituita ita aduratur, vt amarorem contrahat. eſſet enim perinde ac ſi diceremus, aquam poſſe vi caloris ita aduri, vt amareſcat, quod tamen contra experientiam eſt. Dico pituitæ idem propemodum euenire, quod pomis conting it, quæ primum acida ſunt, demum per quandam veluti putrefactionem fiunt mitia: poſtea ſi corrumpantur, fiunt amara, non alia ratione, niſi quia calor in humidum agens primò illud ad quandam vel ſemicoctionem, vel putrefactionem deducit: poſtmodum idem calor auctus, magiſque in ipſa agens, & ſubtiliores partes diuaporans, terreſtriores relinquit, ſicque amarorem inducit. Fiunt colores quoque varij in ſputis, vt docet Galenus ſecundo de Locis affectis capite nono, & libro 5. capite 3. ex miſtione diuerſorum humorum; alba ſiquidem à pituita, nigra à melancholia, rubra & ſubrubra à ſanguine, pallida

pallida verò à bile flaua fiunt, ſicut viridia à bile æruginea; eiuſmodi ſputa frequentiſſimè videntur in pleuritide; nam etſi in hoc morbo interdum quoque nigra ſputa appareant, frequentiſſimè tamen vel ſubrubra ſunt, rubráve, vel pallida. Aſſignat cauſſam Galenus in libro de conſtitutione artis medicæ cap.15. quoniam ſcilicet is morbus vt plurimum generationem ducit vel à ſanguine, vel à bile, qui quidem ſanguis, prout varias aduſtiones nanciſcitur, ſic modò colorem rubicundiorem, modò viridem, modò atrum inducit. Quærit Galenus 3. Epidem. comm. 1. text. 4. an ſputa rubra, & ſubrubra poſſint fieri ab alio morbo, quàm à pleuritidie, & peripneumonia. Reſpondet poſſe id fieri; quando ſcilicet humores vitioſi vnà cum ſanguine in pectore colliguntur; qui tamen non ſunt tanti, & tot, vt poſſint inflammationem parere. refértque ſe vidiſſe duos, qui ſputa bilioſa, & pallida ſine febre reiiciebant, quorum alterum ait paulò pòſt phthiſi contabuiſſe: alterum verò incolumem euaſiſſe. fœtor ſputorum eſt vel ex interna corruptione, & putredine, vel ex vlcere, aut pulmonis, aut alterius partis ſpiritualis. Quòd autem ſputa difficiliter educantur, duas Galenus aſſignat rationes 4. de Locis affectis cap. 8. Vna eſt craſſities & lentor, merito cuius cum ſputa valdè adhæreant, vi impetus ſpirituum non poſſunt ita abſtergi & impelli, vt exeant. altera eſt tenuitas & ſubtilitas eiuſdem materiæ; ob quam tenuitatem, cum ſputa à ſpiritu ſurſum tollantur, facilè ab illo excidunt; & retrò reſiliunt. vnde eſt,quod non niſi iteratis, & ſæpiùs repetitis ſpirituum impulſibus educantur. facilitas ex aduerſo ſputorum naſcitur ex ſubſtantia, quæ nec admodum tenuis, liquidave, neque admodum craſſa ſit. hæ ſunt cauſſæ eorum ſputorum,quę tuſſi reiiciuntur. Nunc & ſaliuæ, & ſputorum vſum videamus. Saliua nulla ferè ratione vnquam à medicis mala habetur, & ſi quid ſignificat, nil aliud indicare poteſt quàm eas cauſſas, quas iam retuli. traduntur tamen particulares quædam ſignificationes; nam dicit Auicenna 21. 3. doct. cap. 7. quod viſcida ſaliua argumentum eſt redundantis pituitæ. Scribit Hippocrates primo Prorrheticorum 12. copioſam ſaliuæ exſpuitionem in phreneticis eſſe valdè malam. Refert Xenophon in primo Pædiæ Cyri, maximum ignominiæ argumentum fuiſſe apud Perſas, quòd homines frequenter exſpuerent, quaſi indicaretur, eos aut plus cibi, quàm par eſſet ſumere, aut nullis corporis exercitationibus vti. In aphthis puerorum ſaliuæ copia maiorem morbum eſſe demonſtrat, vt docet Galenus 6. de Compoſ. med. ſecundum locos c.4. Hippocrates quoque in Coacis prænotionibus ſcribit, quòd quibus ſaliuæ multum, cibi faſtidia, oris ventriculi morſus inſunt, illis vomitus futurus eſt. Poſt cibum ſi copioſa ſaliua excernatur, indicat ventriculum laborare, vel ob propriam illius imbecillitatem, vel ob ciborum qualitatem, quantitatémve: indicat etiam cibum corrumpi, quod contingit vel ob humiditatem, vel, vt dixi, ob aliquam aliam qualitatem. & animaduertendum eſt, hanc exſpuitionem ſaliuæ poſt cibum, à Galeno 4.de Locis affectis cap.10.ex Dioclis ſententia haberi inter potiſſima melancholicæ hypochondriacæ ſigna. Saliua ſpumoſa flatuum copiam & caloris natiui laborem monſtrat. Inſipiditas ſtatum eius naturalem indicat; ſapores verò, vt Galen. ait 3. de Locis affect. cap. 7. varios humores ſtomacho ineſſe declarant, niſi tamen ab extrinſecis vaporibus fiant. Eſt vſus etiam ſaliuæ aliquis in medicina facienda, quandoquidem, vt inquit Auicenna libro primo fen. 1. doct. 4. cap. 2. ſaliua multum adiumentum præſtat ad perficiendam coctionem; id quod probat exemplo tritici maſticati, quod quidem tubercula concoquere poteſt, non ob aliud, niſi quia in maſticatione huiuſmodi ſaliua vi concoquendi prædita tritico permiſcetur.

Ob

Ob quod & Gal. 5. dé Componendis medicamentis ſecundum loca capite 1. ſcribit, fabæ lomentum commanſum, ſummè diſcuſſorium euadere ob facultatem à ſaliua ſibi immiſſam. Habet præterea ſaliua omnis, præſertim verò ieiunantium, vt tradit Galenus 10. de Simplici medicina, & libro de inæquali intemperie, vim maximam enecandi ſcorpiones, & viperas, quinimò inquit ipſe, ſaliuam facultate quadam mirifica præditam eſſe aduerſus omnia bruta venenata. Hac quoque puerorum lichenas ſanari ſcribit ob exſiccandi, quam poſſideat, facultatem. Vtitur quoque Galenus in quarto de Compoſ. medicam. ſecundum loca. 5. de Compoſit. medic. per genera, ſaliua matutina tum ad glutinanda, & coniungenda ſicca remedia pro cicatricibus inducendis, tum etiam ad pilos inutiles palpebrarum expungendos. quos omnes ſaliuæ effectus & cognouit, & vberrimè declarauit Auicenna libro 2. Sequitur, vt ſputorum, quæ per tuſſim reiiciuntur, vſum explicemus, qui quidem magnus & maximè vtilis eſt, præſertim in affectibus partium ſpiritualium, veluti in pleuritide, in peripneumonia: in quibus ſcribit Galenus 1. de Criſi, quòd ſputa æquipollent ſubſidentiis vrinarum: imò ſemper vult in his affectibus ſputa inſpicienda eſſe, priùs quàm inſpiciantur vrinæ, non alia ratione, niſi quia, vt idem docet 4. Aphoriſmorum 71. & 6. Aphoriſmorum 33. ſputa maximè poſſunt ad declarandas morborum cauſſas, aliqua etiam ad demonſtrandas eorundem morborum indicationes. ſputa namque moderatè craſſa, niſi quid aliud ipſis deterius coniungatur, ſemper coctionem indicare conſueuerunt, ſicuti tenuia & liquida cruditatem: & præſertim cùm in principiis morborum apparent, in quibus, vt alibi dixit Hippocrates, omnia ſemper cruda ſunt. ait Auicenna parte prima Contin. tractat. 2. tenuitatem ſputorum ſignificare leuem, & ſubtilem eſſe humorem, qui facit morbum, ob idque indicare morbum eſſe velocis, & citæ digeſtionis. De craſſis ſputis tradit Auerroës eum locum exponens, quòd ſolent indicare morbum eſſe & tardè, & difficilè diſſolubilem. Neque enim repugnat, morbum indicari à ſputo craſſo rebellem, & ſputum craſſum indicare coctionem; quandoquidem ſæpè contingit, vt etiam apparente coctione, morbi tamen ob materiæ peruicaciam magis protrahantur. Viſcidum, & tenax ſputum in pleuritide ſignum eſt moroſi morbi & longi: ſicut ſpumoſum in eadem pleuritide demonſtrat occaſionem morbi fuiſſe pituitam putreſcentem, vt habemus apud Galenum primo de Ratione victus acutorum. Sputum purum & impermiſtum ex ſe quidem bonum eſſe ſolet; in pleuritide tamen & peripneumonia ſignificat medicis morbum eſſe crudum. Galenus ſecundo Acutorum 44. ſcribit, ſputa tenuia, falſa, exigua, & ſinceris coloribus infecta ſemper cruditatem conſequi. addit Auicenna, ſignificare quoque morbi longitudinem. ſi autem ſputa permiſta ſint vel puri, vel carunculis, vel annulis, vel lapidibus, omnia praua ſunt, quippe quæ ſignificant, aut vlcus eſſe in ſpiritualibus partibus, aut adeo magnum incendium, vt materiam adurat, & in lapidis duritiem conuertat. Sputa multa in affectibus pectoris, ſi in principio, & ſtatim appareant, bona ſunt duabus de cauſſis; tum quia robur magnum virtutis demonſtrant, tum quia indicant materiam eſſe benigniorem, & ad motum naturæ ſequacem. pauca verò ſputa in iiſdem affectibus ſemper mala ſunt. In phthiſicis ſi ſputa retineantur, ſemper mortale ſignum eſt, quemadmodum ſcribit Hippocrates 7. Aphoriſmorum 6. Rotunda ſputa, vt idem docet 6. Epidem. comm. text. 36. delirium ſignificant futurum, vt in Pleni exemplo factum eſſe dicit: quem locum dum interpretaretur Gal. duo dicit. Vnum eſt, quòd viderit duos exſpuentes ſputa rotunda, qui à principio ſani vide-

bantur,

bantur,& tamen paulò pòſt phthiſi contabuerunt: quaſi innuat ſummus medicus huiuſmodi ſputamina ſemper praua eſſe, quamuis à principio prauitatem non oſtendant: alterum eſt,ſputa rotunda haberi pro ſignis delirij futuri, ſi alia ſigna delirium portendentia ipſi coniungantur. Sed (pace Galeni) hæc ſententia non mihi videtur Hippocrate digna. quid enim magis ridiculum quàm dicere, quòd ſputa rotunda indicant delirium futurum,ſi ſint cum aliis ſignis delirij? & idcirco puto Hippocratem omnino voluiſſe, quòd ſputa ſola rotunda interdum delirium ſignificare poſſint.an verò vlla adſit huius ratio, non eſt quod diſſeramus; ſat eſt potuiſſe Hippocratem hoc dixiſſe ex propria obſeruatione, quòd ſcilicet ita ipſe aliquando obſeruarit:etenim comm. 1. primi Prorrhet. ſcribit Galenus in vrinis, ſputis, ſudoribus, & vomitibus nulla ſigna phrenitidis eſſe ſecundum rationem, tamen potuiſſe ab Hippocrate obſeruari, quòd huiuſmodi excrementa ſint quandoque ſigna phrenetica. Nam & Auerroës 2. primæ Canticæ exponens ea verba Auicennæ, vbi ſcribit, rotunda ſputa cum febre ſigna eſſe inflammationis ſepti tranſuerſi duo dicit. Vnum eſt, quòd ſputum rotundum, & globatum apud medicos ſignificat ſemper phthiſim,qua hoc velit ipſe confirmare: ſubiungit tamen, ſe nunquam confirmaturum eſſe, quòd huiuſmodi ſputa ſignificent inflammationem futuram ſepti tranſuerſi. Auicenn. 10.tertij tractat. 4. videtur præferre ſputum rotundum non rotundo; quod quidem eſſet contra Hippocratis ſententiam. Sed aduertere oportet, fuiſſe grauiſſimorum interpretum ſententiam, locum illum corruptum eſſe, & præpoſtero ordine legi debere,quòd ſcilicet ſputa non rotunda ſint rotundis præferenda. Inſipidum ſputum ex ſe bonum eſt, ſalſum verò & tenue, ſemper crudum: & ſi ſalſum coniunctum ſit cum vlcere pulmonis, ſcribit Galenus 5. Methodi decimoquarto vlcus illud eſſe prorſus inſanabile. Vnde vbicunque habet Medicus ægros ſalſa ſputa habentes, ſemper debet ipſis timere, & ſatagere,vt ſalſedinem tollat: alioquin rariſſimè vſu venit,vt qui expuunt ſalſa, non incurrant vel vlcera pulmonis, vel aliquos alios deterrimos affectus. Dulce ſputum in pleuritide bonum eſt; quia indicat ſanguinis dominium, acidum verò malum eſt, vtpotè quod melancholiæ ſequax ſit. Amarum, aut vehementer fœtidum, ait Galenus in libello de Temporibus totius morbi,capite ſexto,in pleuritide mortale eſſe; fœtidum quoque ſemper malum; quia inteſtinam putredinem ſignificat; tale enim videtur in tabidis;& quando videtur,ex ſententia Hippocrat. quinto Aphoriſm. 11. ſemper lethale eſt: nam fœtidum ſputum dicit Auicenna ſemper indicare, pulmonem vacare vlcere: alba ſputa quoque bona ſemper ſunt. Sed hoc intelligendum eſt de albis ſimpliciter,quandoquidem, teſte Hipp. 2. Prognoſtic.& Auicenna;ſputum album,viſcidum,& rotundum malum eſt.Rubra ſputa in pleuritide quanto citius apparent,tanto ſemper meliora ſunt;tum quia indicant morbum fieri à ſanguine,qui eſt omnium mitiſſimus, vt docet Gal.6.Epidem. com.3.text.vlt.tum quia argumento ſunt, virtutem validam eſſe, quæ à principio materiam etiam nondum concoctam expellat. quòd ſi rubrum ſputum appareat ſine pleuritide,id malum cenſendum eſt, cum Hippocrates ſcribat 4.Aphoriſm.25. quòd ſi ſanguis qualiſcunque fuerit, exeat, malum eſt: & 7. Aphoriſm.15. ac 16. quòd à ſputo ſanguinis pus,à pure phthiſis,à phthiſi mors.Auicenna quoque 10.3. tract.4.cap.8.vbi conditionem optimi ſputi explicuiſſet, ſubiungit ad bonitatem illorum proximè accedere ſputum rubrum in principio apparens, & deinde ſputum citrinum,tum ſpumoſum.Sputum pallidum, & flauum in pleuritide frequentiſſimè omnium apparere, docuit nos Galenus 2. de Loc. affect. cap. 9. quia frequentiſſimè(vt antea dixi)pleuritis vel à bile,vel à ſanguine ortum ducit. Hippocr.

tamen 2. Prognoſt. dixit, ſputum flauum meracum periculoſum eſſe, quæ verò ſputa ſunt, aut ſubrubra, aut ſubflaua, aut ſubpallida, omnia, inquit Galenus 1. de Criſi 5. cruditatem ſolum indicant: in reliquo nihil mali inſignis in ſe habent. at ſputa ſincera, & impermiſta reputantur praua, & præſertim nigra: dicebat enim Galenus in lib. 1. de iis, quæ in medicaſtrina fiunt, text. 1. quòd ſputum nigrum in principio apparens, ſemper prauum eſt, imò, quod non modò morbi cruditatem demonſtrat, verùm etiam futuram mortem. ratio eſt, quia vel caloris interni magnitudinem inſuperabilem, vel eiuſdem extinctionem ferè ſemper oſtendit. Eſt dubitatio, an ſputum nigrum neceſſariò ſemper mortem ſignificet, an verò reperiantur interdum ſputa nigra, quæ non ſint praua. ratio dubitationis eſt: quia vrina, & egeſtiones nigræ ex Auicennæ ſententia interdum bonæ ſunt; quandoquidem videntur morbi per excretiones nigras aliquando diiudicari, vt etiam demonſtratum eſt à nobis cùm tractauimus de vrinis & fæcibus. ex aduerſo eſt auctoritas Hippocratis & Galeni, qui ſputa nigra, & deterrima, & lethalia ſemper eſſe dicunt. Pro huius dubitationis reſolutione fuerunt, qui dixerunt, ſputa nigra in principiis poſſe interdum non ſignificare mortem, ſed ſolum ſignificare, quòd morbus fiat à melancholia, qui quandoque etiam ſalutaris morbus eſt. probant verò aliquando eſſe ſalutarem; quia ab Auicenna, & à Rhaſe traditur curatio. fuerunt alij, qui dixerunt, poſſe ſputum nigrum quandoque non eſſe lethale, quando ſcilicet per viam criſis excernitur. Sed veritas eſt, in pleuritide præſertim, & in morbis pectoris ſputa nigra eſſe deterrima; quia vel fiunt ob congelationem, vel ob maximam aduſtionem; quorum vtrumque ſemper malum eſt. Ad Auicennam de vrina, & de egeſtione dicendum eſt, ea quidem excrementa nigra interdum bona eſſe, quia per ea fit à natura critica expulſio: cæterum de ſputis id dicere non poſſumus, quandoquidem numquam videmus naturam facere criſim per ſputa. cuius rei ratio eſt, quia, vt expulſiones poſſint eſſe criticæ, debent habere has duas conditiones, vt poſſint fieri ſubitò, & magno impetu, & magna quantitate. ſed ſputa carent his conditionibus; neque enim motus ſputorum fit ſubitò, ſed paulatim; nec magno impetu & quantitate, quemadmodum vrina & fæces. atque ita liquidò conſtat nigrum ſputum ſemper malum eſſe. Nigris proxima eſſe viridia habemus apud Hippoc. 2. Progno. quæ Auicenna in Cantica dixit bilis porraceæ dominium indicare. Decima verò 3. tract. 4. cap. 8. dixit ſignificare congelationem, aut nimiam humorum aſſationem. Sputum, quod facilè educitur, quantum ſit ex ſe, ſemper bonum reputatur, tum quia naturæ vim conſequitur; tum quia materiæ obedientiam demonſtrat, quod difficiliter expuitur contrarium huius eſt. dicit Hippocrates in Coacis prænotionib. ſputum, quod facilè educitur tum in pleuritide, tum in omnibus pectoris affectibus ſemper bonum eſſe. & vt omnia paucis verbis colligamus, ea ſunt ſputa optima omnium apud Hippocratem, quæ dolorem ſedeant, quæ verò non ſedant, praua omnino ſunt, & inter hæc peſſima, quæ nigra. Scriptum reliquit Galenus primo de Criſi, cap. quinto, ſputum concoctum ſi in principio appareat, ſalutem proximam eſſe indicare: ſi crudum, morbum longum futurum. ſi ſit valde exitiale ſputum in principio, citam mortem ſignificat: ſi exitiale quidem, ſed non multum, mortem ſanè prædicit, ſed non ita velocem.

De

De Mucis.

CAPVT IV.

SEquitur modò, vt de Mucis agamus. vt enim excrementorum tractatio à nobis abſoluatur, duo adhuc ſuperſunt,muci ſcilicet, & ſordes aurium: quæ tametſi tanti momenti non videantur, vt ſuperiora,non ſunt tamen à nobis ſilentio prætereunda, cum à Galeno in Introductorio,cap.decimortertio inter alia corporis excrementa medico conſideranda reponantur.Eſt verò mucus, quicquid pituitæ, vel alterius humoris,excepto ſanguine, à naribus emanat, & dicitur ab Hippocrate βλέννα, quemadmodum docet Galenus ſecundo de Semine, capite ſexto. dicitur etiam μύξας, & κόρυζα à nonnullis, vt idem Galenus teſtatum reliquit octauo de Vſu partium, capite ſexto. Cornelius Celſus, Columella, & Vegetius in libro de re Veterinaria appellarunt modò pituitam ſimpliciter, modò pituitam naſi. Eſt tamen illud non ignorandum & βλένναν, & μύξαν etiam apud medicos de aliis humoribus dici, & non ſolum in hominibus, verùm etiam in brutis. ſic videre eſt apud Galenum carnes agninas βλεννώδεις, hoc eſt, mucoſas vocari. ſic etiam ſuccus cochlearum dicitur mucus. dicitur quoque μύξας ſuccus ille, qui in acetabulis articulorum reperitur. Prodicus in libro de Natura hominis, vt teſtatur Galenus ſecundo de Potentiis naturalibus, cap. nono, vocauit φλέγμα βλένναν. eſt verò mucus ex ſententia Galeni ſecundo de Potentiis naturalibus, cap. vltimo, excrementum cerebri, quod cerebrum, cum multa pituita refertum ſit, quidquid ſuperfluum & inutile habet, partim per nares expurgat, partim per alia organa. quòd verò per nares cerebrum potiſſimum expurgetur, docet vbique Galenus, & præſertim ſeptimo, & vndecimo Methodi, in libro Artis medicæ, & in libro de Conſtitutione Artis. Quinimò Albertus Magnus duodecimo libro de Animalibus, capite ſecundo, inter cæteros vſus narium, hunc vnum ferè potiſſimum eſſe dicit, vt phlegma cerebri ab oculis per eas partes auertatur, & expellatur. Habet & mucus plures differentias, quandoquidem alius dicitur craſſus, & viſcidus, alius tenuis:ſimiliter alius multus,alius paucus. Eſt quoque differentia mucorum accepta à qualitatibus,& primò à tactilibus, quando alter calidus, alter frigidus vocatur: à guſtatilibus, alter ſalſus,dulcis, inſipidus, amarus appellatur: ab odoratilibus,vt cum dicimus mucum fœtidum, & non fœtidum: à viſibilibus, quando dicitur mucus albus, ſubruber,& flauus.dicitur quoque mucus alter ſponte defluens, alter per emunctionem. harum differentiarum mucorum ſunt & peculiares cauſſæ; ſiquidem tenuis fit à frigore nimis cerebrum & oculos comprimente; ob quod ſcriptum eſt à Galeno ex ſententia Hippocratis tertio Aphoriſmorum 14. Aquilonios ventos facere κόρυζαν. Neque velim mirum cuiquam videri illud, quod dixi, per nares ſcilicet oculorum quoque excrementa purgari: ſiquidem id apertiſſimè teſtatus eſt Hippocrates libro de Locis in homine, & Galenus primo de Tuenda valetudine. Sed nihil eſt, quòd hoc auctoritatibus confirmem; quoniam ex anatome ipſa manifeſtum eſt, venas quaſdam à lacrymalibus oculorum angulis protendi ad foramen illud commune naribus & palato: ob quarum venarum communionem efficitur interdum, vt collyria amara oculis ſuperpoſita ita penetrent vſque ad palatum, vt in illo amaritudo eorum collyriorum percipiatur. Fit etiam tenuis mucus à calore colliquante pi-

 tuitam,

tuitam, ſiue calor ſit ſolaris, ſiue igneus. craſſus, & viſcidus efficitur ex retentione phlegmatis in ſummo narium, vel ex calore multum in ipſam materiam agente. copioſus verò, quemadmodum habemus à Galeno quarto de Simplici medicina, cap. ſecundo, à frigore condenſante, & à calore eliquante pituitam; quod tamen intelligendum eſt, vbi multum pituitæ congelatæ ſit in cerebro: ſic etenim ait Galenus tertio Aphoriſmorum vltimo, ſenibus nares continuò humidas eſſe, non ob aliud, niſi quia cerebrum ipſorum multis excrementis ſemper ſcatet. Fit paucus mucus ex cerebro ſicco, quod Galenus docet in arte medicinali, vel quia pituita aliò defertur, nimirum ad palatum, ad aures, aut ad aliam partem. Atque Galeni ſententia eſt ſexto Aphoriſmorum ſecundo, quòd ſiccioribus natura temperaturis nullum omnino excrementum per nares emanat manifeſtum aut ſenſibile, neque etiam ſudores. Fiunt acres muci ex tenuitate & caliditate. vnde eſt, quòd in principiis grauedinum, vel grauetudinum, vt vocat Celſus, & Vitruuius, apparent huiuſmodi muci acres, qui cum irritent vim cerebri expulſiuam, ſternutationes frequentes, & interdum irritas ſternutandi voluntates inducunt. efficitur blandus mucus ex craſſitie materiæ, ex coctione, & ex æqualitate. Calidi verò fiunt tum ob capitis calorem, tum quia ipſis commiſcentur ſucci, & humores calidi: ſicut frigidi fiunt contrariis de cauſſis. Salſedo porrò mucis inducitur ex putrefactione, dulcedo ex moderata caliditate, amaritudo ex ſumma caliditate, inſipiditas ab ipſa pituita aquea nullo modo nec vlla ratione alterata. color albus ſimiliter inducitur à pituita alba ſincera. ſubruber fit ex permiſtione ſanguinis cum mucoſa materia. pallidus verò tum ex bile permiſta, tum quia pituita cogitur, & quaſi aſſatur, videmus enim declinantibus deſtillationibus, & grauedinibus huiuſmodi mucos pallidos educi, quòd ſcilicet excocti, & quaſi maturati ſint à calore. fœtida pituita efficitur vel ab vlcere narium, vel à putrefactione quæ gignitur in loco propè os colatorium narium. Spontè verò defluens mucus efficitur ex multa copia, quæ non poteſt ſupra nares contineri, vel ex tenuitate, quæ anguſtos alioquin meatus perlabitur, vel ex contentiuæ facultatis cerebri imbecillitate. & hinc eſt, quòd pueris, ſenibus, & ambulantibus per loca frigida videntur muci ſæpè à naribus ſponte pendere. Per emunctionem verò qui educuntur, id habent ex craſſitie, & viſciditate materiæ, quæ adhærens partibus narium non niſi magna vi expelli poteſt. Horum mucorum ſignificationes quoque variæ ſunt apud Medicos, de quibus verba faciēs Galenus primo Prorrheticorum, textu ſecundo, inquit, quòd ea quæ per palatum, & per nares excernuntur, indicant, quomodo cerebrum, & membranæ cerebri affectæ ſint. Primo etiam Epidemiorum, commento ſecundo, textu quadrageſimoquarto, & libro de Conſtitut. artis, capite 18. ſcribit, quòd ſicuti excreta per tuſſim eorum, quæ ſunt in pulmone, indicia ſunt, ſic per nares excreta indicant ea, quæ ſunt in cerebro. Igitur tenuis mucus eliquationem, & grauedinis principium oſtendere ſolet; craſſus materiam maturari, vel iam maturam eſſe, & propterea vel ſtatum, vel declinationem grauedinis adeſſe. Fœtida mucorum genera omnia mala habentur, quòd ſcilicet indicent putrefactionem in partibus narium eſſe, & vlcus vel iam adeſſe, vel futurum. Sæpiſſiméque contingit, vt qui huiuſmodi mucos fœtidos faciunt, capiantur vlcuſculis illis narium, quæ ὀζαίναι appellantur. Auicenna ex ſententia Indi medici inter ſigna doloris capitis à vermibus recenſuit etiam fœtorem narium. Eſt tamen hoc in loco aduertendum, quòd ſi caput doleat, aut circundoleat, & pus fœtidum per nares exeat, tunc bonum eſt, quoniam ſignum eſt, materiam dolorificam ferè à natura victam extra cerebrum pelli, quemadmodum docuit nos

Hippo

Hippocrates in libro de Iudicationibus,& ſexto Aphoriſmorum decimo,qui etiam Hippocrates in fine libri de Salubri diæta dicebat, quod mucus torporem capitis leuare ſolet. Copioſi muci plura ſignificare reperiūntur; pr̃imo quidem humiditatem excrementitiam ipſius cerebri natam ex praua victus ratione, de qua ſermonem habens Hippocrates 3.libro de Diæta,dicebat mucum &ſaliuam repletionis ſigna eſſe; vt non immerito etiam apud Perſas res ignominioſa fuerit ſæpè nares emungere.ſignificant quoque copioſi muci humiditatem cerebri natiuam, quæ mala eſt: de qua Hippocrates 6. Aphoriſmorum 2. & 6. Epidem. comm. 6. text. 18. dicebat, quòd quibus nares ſunt humidæ, & genitura humida eſt,ij non multum proſpera valetudine fruuntur: ſicut ex aduerſo illi ſalubrius degunt, quorum nares ſunt ſiccæ, & genitura ſicca.ſignificat & aliud mucorum multitudo,nimirum ſtupiditatem ingenij, & memoriæ debilitatem, quæ ſcilicet ortum ducunt ex nimia cerebri mollitie & humiditate, quemadmodum docet diuinus Plato in Theæteto, & Galenus in Arte medicinali. quod forſan etiam intelligens Plautus in Bacchidibus,homines ſtupidos, & bardos vocat blennos, quaſi dicas mucoſos. ſiccitas narium bona eſt; quia ſiccam cerebri intemperiem, & vitæ temperantiam indicat. Quapropter Catullus inter alia paupertatis commoda rectè hoc recenſet, quòd cum pauperes cogantur temperatè viuere, non habent malam naſi pituitam. Inquit enim ſuauiſſimus Poëta,

A te ſudor abeſt, abeſt ſaliua,
Mucuſque, & mala pituita naſi.

Acres muci caliditatem cerebri teſtantur; blandi verò temperatum cerebri ſtatum. ſalſi mali ſunt: quandoquidem Galenus ſcribit tertio Aphoriſmorum ſecundo,ſæpè huiuſmodi mucos in inferiores partes præcipitari, atque ibi varios & prauos affectus generare. inſipidus mucus, & dulcis nunquam malus eſt, albus ſimiliter bonus, ſicut & pallidus, præſertim quando palliditas accedit poſt tenuitatem,& acrimoniam: quo tempore iam materiam concoctam eſſe, & malum inclinare declarat. Mucus rubeus,& ſubrubeus, nunquam bonus; quia ſignificat ſanguinem aliquo ex loco erumpere;&quanquam Galenus quarto Aphoriſm. 25 .videatur dicere, ſanguinis è naribus fluxum minimè prauum eſſe: id tamen intelligendum eſt, quòd non ſemper malus,ſed aliquando bonus pêr accidens: quando ſcilicet morbus per eam excretionem finitur; etenim clarum eſt, quod nunquam natura dimittit ſanguinem, niſi vel vitio,vel quantitate eius cogatur. Sponte defluentes muci mali ſunt, ſicut eos per emunctionem expelli non eſt malum.

De ſordibus aurium.

CAPVT V.

CVm aurium ſordes inter corporis noſtri excrementa à Galeno in Introductorio cap. 13. & in libro de Artis medicæ conſtitut. cap.82. numerentur, inſtituto noſtro maximè conſentaneum eſt, vt de iis etiam agamus: quas in locum poſtremum ſeruauimus, quoniam, vt idem Galenus teſtatur 10. de Simplici medicina,minima pars eſt harum ſordium inter excrementa corporis. Dicitur hoc excrementi genus apud Græcos κυψελίς. & inde κυψελόβυςα nuncupantur, quæ ſordium altitudine adobruta latitant. Hippocrates, & Galenus frequentiſſimè dicunt ὤτων ῥυπὸν, ſiue aurium ſordes. Fuerunt aliqui, qui puta-

runt apud Plinium vocari aurium marmorata,ſed certè adhuc mihi hoc nomen inuenire non licuit.Iuniores aliqui appellant cerumina. Sunt verò ſordes aurium, vt ſcribit Ariſtotel. Segm.32. Problem. quarto, veluti ſudores quidam, qui à cerebro manantes in aurium cauo, quod κυψέλη à Græcis vocatur, à Latinis alueus, ſiue alueare, colliguntur, ibique calore computreſcente condenſantur, & amari euadunt. Addo amarorem, quandoquidem Galenus ſexto Epidemiorum, commento quinto,text.19.ſcribit,ſordes aurium natura amaras eſſe; quanquam etiam poſſumus aſſerere,amaritudinem ipſis ſordibus innaſci ea ratione, quam dicit Rhaſes in Introductorio Medicinæ,quòd ſcilicet vapores bilioſi ob leuitatem ſuam in cerebrum feruntur,vbi cum natura eos ſuſtinere nequeat,ad aures præcipitat,ſicque illi commiſti ſordibus amarorem inducunt.Differentiæ horum excrementorum plurimæ ſunt,quando aliæ craſſæ & viſcidæ ſordes,aliæ tenues,aliæ ſimplices,aliæ puri,ſanguini,aut alij humori commiſtæ dicuntur, aliæ copioſæ, aliæ paucæ, aliquæ etiam dicuntur amaræ,dulces,ſalſæ,& inſipidæ.neque mirum ſit,quòd differentias ſordium à qualitatibus guſtatilibus enumerem, eo quia Galen.in libr. de Symptomatum differentiis,cap.5. narrat, non defuiſſe medicos, qui in ægritudinibus guſtandas aurium ſordes putarunt, quaſi ex ipſis non pauca de morbis coniectari liceat.dicuntur quoque aliæ ſordes fœtidæ,aliæ verò ſine fœtore,aliæ albæ,flauæ,virides,aut alterius coloris.Ad cauſſas differentiarum reliquum eſt vt accedam. Sed ante proponenda eſt dubitatio, nunquid huiuſmodi excrementa dicantur naturalia,an præter naturã. Ex vna parte eſt clariſſima Galeni auctoritas ſexto Epidemiorum, commento quinto,textu tertio, quo in loco cum dicat Hippocrates, lacrymæ, narium humor, ſternutamenta, aurium ſordes, oris ſaliuæ reiectio, & quæ ſequuntur: Galenus inquit, interpretes nonnullos putaſſe ea verba ab Hippocrate dicta eſſe de excrementis non naturalibus,quorum ſententiam refellit,atque inter cætera inquit, ſordes aurium à natura fieri expurgante cerebrum. Ex aduerſo eſt auctoritas eiuſdem Galeni tertio Aphoriſm. 24. quo in loco quærens cur Hippocrates inter morbos puerorum recenſeat aurium humiditates, non autem excrementa, quæ per nares, & palatum feruntur, inquit Hippocrat. iure hoc feciſſe,quando excrementa,quæ per aures educuntur, non ſunt ſecundum naturam, ſed potius præter naturam: ſubiungit, infantibus per aures quoque purgari cerebrum, quod in ipſis longè humidum eſt, atque iccirco iure humiditates aurium ab Hippocr. inter morbos pueriles eſſe enumeratas. eſt pulchra contradictio, & à nemine (quod ego ſciam viſa.) Pro cuius diſſolutione ſciendum eſt, aliud eſſe, aliquid à natura fieri, aliud ſecundum naturam.dicuntur aliqua à natura fieri,quæ ab ipſa, ſiue ſponte, ſiue inuita efficiuntur. dicuntur verò ſecundum naturam ea fieri, quæ fiunt à natura ex propria intentione, & ſecundum proprium ſibi ſtatutum ordinem. exemplum affero, vt res perſpicua magis euadat: expulſio vrinæ dicitur eſſe ſecundum naturam; quia cum animalia neceſſariò potent, neceſſariò etiam colliguntur hæc excrementa, quæ natura continuò excernere cupit, & ideo excretio huius vrinæ dicitur eſſe ſecundum naturam; quia ſcilicet & à natura,& ex propria naturæ intentione fit,excretio verò ſanguinis hæmorrhoidialis dicitur quidem fieri à natura; quia natura eſt quæ illum expellit, ſed non dicitur fieri ſecundum naturam, propterea quòd natura non ex propria ſui intentione, ſed coacta vel quantitate,vel qualitate eam excretionem molitur. Itaque quando Galenus ſexto Epidemiorum dixit,ſordes aurium expelli à natura, voluit ſignificare, quòd hæc expulſio ſit facta à natura, non ſecundum ſuam intentionem, ſed à natura coacta à cerebri humiditate. quando verò tertio Aphoriſm. dixit, excre-

tionem

tionem harum ſordium non eſſe ſecundum naturam, intellexit, quòd non ſit ſecundum naturæ intentionem, quamuis ab ipſa fiat. Sed inſtabit adhuc aliquis, hanc reſponſionem veram non eſſe; quandoquidem Hippocrates in libro de Glandulis ſcribit, excretiones per oculos, per nares, per aures eſſe κτ̀ φύσιν, hoc eſt, ſecundum naturam. Dico librum illum non eſſe Hippocratis genuinum: & quanquam conceſſerimus eſſe Hippocraticum; tamen voce illa κτ̀ φύσιν, ideſt, ſecundum naturam, abuſus eſt auctor ille ἀντὶ τοῦ, ἀπὸ τῆς φύσεως, hoc eſt, pro à natura. Craſſities ſordium efficitur à calore capitis concoquente, atque incraſſante. tenuitas verò à frigiditate: & præſertim fit ex cruditatibus cerebri. Miſtæ ſordes puri, vel ſanguini fiunt omnes aut ab vlcere aurium, aut ab aliquo interno apoſtemate: id quod ſæpè vſu venit in pueris, in quibus humiditates cerebri facilè retinentur, & retentæ in tumores conuertuntur, atque ſuppuratæ per aures exinaniuntur. Copioſæ ſordes gignuntur ex frigida & humida cerebri intemperie, quod vberrimè monſtrauit Galenus in libro Artis medicinalis, vbi ſigna frigidi & humidi cerebri edocet. paucæ ex aduerſo fiunt ex frigida & ſicca, ſiue ex calida & ſicca cerebri temperatura. albæ ſordes efficiuntur à pituita pura, & aquea: flauæ autem, vel virides gignuntur vel ex aſſatione aliqua, vel ex permiſtione vaporum bilis pallidæ, aut bilis porraceæ; quemadmodum docuimus ex Rhaſe, ſicut & rubræ fiunt ex ſanguinis permiſtione. Fiunt ſalſæ ex putrefactione pituitæ cerebri: fuit enim Galeni ſententia, ſalſedinem pituitæ gigni ex putrefactione. Fiunt amaræ ex ſuperaſſatione ſiue admiſtione bilis amaræ. Cur autem fiant dulces, ſatis ieiunè Galenus cauſſam explicuit ſexto Epidemiorum, comm. quinto, text. 19. quo in loco ait, ſordes aurium naturaliter amaras eſſe; quòd ſi fiant dulces, argumentum eſſe, cerebrum ægrotare. addit, famã eſſe, quòd fiant dulces συντηκομένου τοῦ ἐγκεφάλου, id eſt, colliqueſcente cerebro. ſed, vt dixi, nimis ieiunus fuit Galenus in reddenda vera cauſſa dulcedinis ſordium aurium. Apollonius in libro de Mirabilibus hiſtoriis refert, Ariſtotelem in phyſicis quæſtionibus cauſſam explicuiſſe, cur morituris fiant dulces aurium ſordes. Sed quoniam liber ille Ariſtotelis temporibus noſtris deſideratur, tentandum eſt nobis, vt veram cauſſam dulcedinis ſordium aurium explicemus: quæ nulla alia mihi videtur, niſi quia calor natiuus extinguitur, quo penè extincto humiditates cerebri fiunt veluti aqueæ & fluidæ, & poſtmodum commiſtæ ſordibus aurium, eas dulceſcere faciunt: perinde ac videmus lupinos aqua maceratos dulceſcere. Quòd ſi hæc cauſſa non placeat, poſſumus & aliam afferre, nempe morituris, & malè ſe habentibus fieri aurium ſordes dulces; propterea quòd illi vapores bilioſi, qui commiſti amaritiem inducebant, amplius non eleuantur ad caput, & propterea neque ad aures mittuntur. Fœtor ſordium ex nulla alia cauſſa proficiſcitur, niſi ex corruptione & putrefactione. Significandi vis horum excrementorum non exigua certe eſt, nec contemnenda; nam Galenus in Arte medica cap. 82. & libro de conſt. artis cap. 18. inter alia excrementa, ex quorum mutationibus fiunt de morbis iudicia, connumerat quoque aurium ſordes, quaſi & ipſæ vim habeant ſignificandi maximam. Hippocrates porrò quarto Epidemiorum refert hiſtoriam cuiuſdam iuuenis febre continua laborãtis, cui ſexta die cum ſordes aurium viſcidæ, & craſſæ emanaſſent, iudicatus eſt: craſſæ etenim ſordes non malæ ſunt; quia fortitudinem caloris natiui indicant. tenues verò non bonæ, quia & cruditatem, & caloris debilitatem ſignificant: ſimplices bonæ ſunt. De miſtis verò eſt Aphoriſmus ille toties à nobis repetitus, quòd ſcilicet caput dolenti, & circumdolenti pus ab auribus emanans liberat. Copioſæ ſordes prauæ ſunt, quia cerebri malam conſtitutionem, multamque hu-

morum copiam indicant. & eſt Hippocratis oraculum ſexto Ep idemiorum, commento primo, text. tertio, quòd quibus ſordes ex auribus prodeunt, iis palatum cōcauum eſt, & dentes malè poſiti. quem locum declarans Galen us dicit, quòd vbi palatum concauum eſt, & dentes ſibi ipſis inuicem non correſpondent, ita vt neque canini caninis, neque inciſorij inciſoriis, neque molares molaribus, illi crebrò capitis dolore vexantur, atque etiam aures deſtillationibus ſæpe laborant, interdum ſanie tenui & liquida, nonnunquam purulento humore, & fœtido emanante: ait enim, imbecilla membra multum, prauumque excrementum ſemper colligere conſueuiſſe. paucæ aurium ſordes, vt in arte medica docet Galenus, argumenta ſunt ſiccitatis cerebri: & proinde ſemper hæc paucitas optimum ſalutis argumentum eſt. Colores ſordium, excepto albo, omnes non boni ſunt: eo quod miſtionem vt plurimum aliorum humorum ſignificant: miſceri verò alios humores excrementis in loco adeò nobili non eſt vnquam tutum. Amaror ſemper bonum indicium eſt, quandoquidem ſtatum naturalem conſequitur. ſalſæ ſordes malæ, quia putrefactionis comites ſunt, dulces verò, vt ſcribit Hippocrates ſexto Epidemiorum, commento quinto, text. 19. omnino prauæ & lethales exiſtūnt; rationē affert, vt dixi, Galenus: quia fiunt colliquato cerebro. Sed Galenus loquitur vel de ſubſtantia cerebri, vel de humoribus; non de ſubſtantia, quia colliqueſcente ſubſtantia cerebri, impoſſibile eſt, hominem ſuperſtitem eſſe: non etiam de humoribus; quia liquari humores cerebri non eſt efficax ratio, qua dulces ſordes debeant lethales eſſe. Vnde melius eſt, vt dicamus, quemadmodum iam diximus, eſſe lethales, quia fiunt dulces penè extincto calore ipſius cerebri natiuo. Ita namque Caſſius medicus Problem. 31. ſcribit, aurium inuerſas fibras mortem in acutis portendere: eo quia emortuo ſanguine, & calore exſiccantur, ſicque inuertūtur, perinde atque cordæ. Fœtidæ ſordes ſemper malæ ſunt; quoniam vel vlcus, vel putrefactionem humorum conſequuntur. Hippocrates in libro de internis affectionibus, quem & Galenus, & Erotianus, vt Hippocratis genuinum agnoſcunt, memorat quendam grauem lienis morbum, in quo ſordes aurium malè olent. De vſu in medicina agenda huius excrementi pauca reperiuntur apud medicos prodita. huius affert rationem Galenus decimo de Simplici medicina; quoniam hæc excrementa ſunt difficilia paratu; quia exigua omnino colligi poſſunt. Aiunt tamen has ſordes conferre ad παρωνυχίας: quem morbum appellant Latini reduuiem, ſiue rediuiam. Barbari medici vocant panaritium. Non præteribo, quod has eaſdem ſordes, ſtatim ictibus, vel morſibus ſerpentum, aut ſcorpionum impoſitas mederi Plinius lib. 28. cap. 4. memoriæ prodidit.

* * *

INDEX

INDEX
RERVM MAGIS MEMORABILIVM.

A

ABſinthium. 51
Acerba vrina vnde. 96
Achor quid ſit. 36
Achorum, & fauorum cauſa materialis. 37
Achores quomodo differant à fauis. 36
Achores, & faui quomodo generentur. 37
Achorum, & fauorum ſigna. 37.38
Achorum, & fauorum cauſæ mediatæ. 37
Achorum & fauorum curatio. 38
Achores nominatos ab Alexand. eſſe tineam. 45
Acidus ſapor vrinæ vnde. 96
Acidum ſputum quid indicet. 161
Acidus ſudor. 144
Acres muci quid ſignificent. 165
Acris muci cauſa. 164
Acres fæces quid indicent. 131
Acris vrina vnde. 96
Acrimonia fæcum vnde. 123
Acris ſudoris cauſa. 144
Actuarius fallitur. 87.90.99.142
Actuarij opinio de ſudoris natura exploſa. 138
Actuarij ineptia. 110
Ægyptij cur finxerint Æſculapium caluum. 18
Æqualia ſtercora quid ſignificent. 130
Æſculapius cur caluus fingatur. 18
Æſtate quales vrinæ fiant. 101
Æſtate cur fiant ſudores. 145
Æſtiuæ fæces. 127
Æſtiui ſudores quid ſignificent. 148
Æthiopes cur tardè fiant calui. 17
Aëtij error. 90
Albara nigra Arabum eſt ſpecies impetiginis excoriatiuæ. 54
Albara nigra Auicenæ eſt lepra Græcorũ. ib.
Alba vrina vnde fiat. 96
Alba ſedimenta vnde. 98
Albæ vrinæ quid ſignificent. 105
Albedo fæcum vnde. 123
Albæ fæces quid indicent. 132
Albi ſputi cauſa. 159
Alba ſputa bona ſunt. 161
Albi muci cauſa. 164
Albus mucus quid indicet. 165
Albæ ſordes aurium vnde fiant. 167
Alemanus quidam lapidem ſputo reiecit. 156
Alexander cur fingat caluos multos ſequi Bacchum. 18
Alexandri Trall. locus explicatus. 75
Allia vrinas fœtere faciunt. 95
Aloë. 50
Alopecia vnde dicta. 9
Alopecia quid. ibid.
Alopecia, & ophiaſis in quibus conueniant. ibid.
Alopeciæ, & ophiaſis differentiæ quomodo dignoſcantur. 10
Alopeciæ, & ophiaſis eadem eſt materia. 9
Alopeciæ differentiæ. 10
Alopeciæ, & ophiaſis cauſæ. 9.10
Alopeciæ, & ophiaſis prognoſtica ſigna. 10
Alopecia curatu eſt difficilior quã ophiaſis. 11
Alopeciæ, & ophiaſis cura. ibid.
Alphus. 53
Alphi nigri vnde fiant. 54
Alphi vnde dicantur. ibid.
Alphi quomodo differant à leuce. 53.54
Alphorum ſigna. 55
Alphus niger quomodo fiat. 57
Alphorum nigrorum cura. 58
Alui elogium. 113
Amara vrina vnde. 96
Amari ſudoris cauſa. 144
Amari ſudores quid ſignificent. 147
Amaræ lacrymæ vnde. 152
Amari ſputi cauſa. 158

Amarum ſputum quid ſignificet. 161
Amari muci cauſa. 164
Amaræ cur fiant ſordes aurium. 167
Amaror ſordium aurium quid ſignificet. 168
Ambulantes inter arbores rore plenas cur lepra capiantur. 76
Aniſi vrinas fœtidas reddunt. 95
Anuli cur miſceantur ſputis. 158
Apri lacrymas dulces habent. 151
Apuleius fallitur. 56
Aquæ quædam faciunt vitiliginem. 55
Aquæ quædam ſunt, quæ potæ pilos aliæ rubros, aliæ nigros, aliæ albos animalibus inducunt. 58
Aquæ dulces magis mundant corpora. 65
Aquæ quædam faciant ſcabiem. 70
Arabum commentum. 101
Araneæ in vrinis vnde. 100
Argento viuo quo pacto ſit vtendum. 30
Argento viuo in extremis caſibus ſolum eſt vtendum in capitis affectibus. 47
Argentum viuum an conueniat in ſcabie. 73
Ariſtotelis ſententia de cauſa caluitij. 17
Ariſtotelis ſententia reiecta. ibid.
Ariſtotelis ſententia de canitiei cauſa. 21
Ariſtotelis ſententia de pediculorum generatione reiecta. 26
Ariſtotelis locus explicatus. 28
Ariſtoteles parum calluit praxin medicinæ. 112
Ariſtotelis ſententia de vſu inteſtinorum à Galeno refutata. 115.116
Ariſtoteles Auicennæ conciliatus. 122
Ariſtoteles de ſudoris natura nimis ieiunè locutus eſt. 138
Ariſtoteles Hippocrati conciliatus. 151
Ariſtoteles errat. 75
Aſclepiadis opinio de vrinæ generatione. 81
Aſperæ fæces vnde naſcantur. 120
Athenæus malè impoſuit Ariſtoteli canitiem fieri à ſiccitate. 20
Athenæus fallitur. 65
Athenæi locus explicatus. 129
Auctoris libri de Plantis erratum. 123.124
Auenzoar, & Serapionis conciliatio de ophiaſis, & alopeciæ curatione. 10.11
Auerroës fallitur. 123
Auerroës inconſtans. 124
Auicenna fallitur. 21
Auicennæ locus explicatus. 22
Auicennæ ſententia explicata. 28
Auicennæ error. 123
Auicennæ locus dilucidatus. 135
Auicenna fallitur. 144
Auicennæ locus correctus. 161
Aurium marmorata. 166
Autumno quæ vrinæ. 101
Autumno quæ fæces redduntur. 127
Azarabius fallitur. 131

B

Bacchum cur multi calui ſequantur. 18
Barbari, & Iudæi maximè leuce exercentur. 55
Barbari, & Iudæi cur abſtinerent à carne ſuilla. 59
D. Baſilius dicebat voluptatem ineſſe lacrymis. 149
Betæ cur prandia fabrorum. 127
Bilioſorum vrinæ quales. 100
Bilioſorum fæces. 126
Bilis ſtercori micta quid indicet. 130
Βλέννα. 163
Boëthi dictum in Athenodorum. 125
Βόμβος. ibid.
Βορβορυγμός. ibid.
Braſſica. 51
Britanni tingebant faciem Glaſto, vt hoſtes terrerent. 87
Bulbi. 49
Bullæ vrinarum quid ſignificent. 107

C

Calida corpora pruritui ſubijciuntur. 64
Calidarum fæcum cauſa. 122
Calidæ fæces quid ſignificent. 130
Calidorum ſudorum cauſæ. 143
Calidi ſudores quid indicent. 147
Calidi muci cauſa. 164
Calidæ lacrymæ vnde fiant. 151
Calidæ lacrymæ quid ſignificent. 153.154
Caluitium cur reponatur inter affectus

præter naturam. 14
Caluitium quid. ibid.
Caluitÿ cauſæ procatarctica. 15
Caluitÿ cauſa. ibid.
Caluitium eſt incurabile. ibid.
Caluitÿ ſigna. ibid.
Caluitÿ prognoſtica. ibid.
Caluitio cur ſolus homo tentetur. 15.16
Caluitium cur non poſſit vlla ope medica reparari. 16
Caluitium cur fiat magis anteriore capitis parte. 17.18
Caluitium an fiat hæreditate. 18
Caluitium quomodo obſit valetudini. ibid.
Caluitÿ præſeruatio. ibid.
Canibus ſtercus humanum bene olere. 118
Canities morboſa. 20
Canities eſt duplex. ibid.
Canities quid ſit. ibid.
Canities morboſa dicta ab Ariſtotele, ab Auicenna vocatur iuuentutis. ibid.
Canitiem non fieri à ſiccitate probat Ariſt. ibid.
Canities fit à ſiccitate per accidens, quomodo. ibid.
Canitiei ſecundum ætatem euenientis cauſæ. ibid.
Canities cur incipiat à temporibus. 21
Canitiei morboſæ duæ ſunt ſpecies. 22
Canities quæ fit ex ætate, quomodo dignoſcatur ab ea, quæ fit ex morbo. ibid.
Canitiei factæ ex vitiligine ſigna. ibid.
Canitiei factæ ex aliis morbis ſigna. ibid.
Canitiei prognoſtica. ibid.
Canities ex ætate eſt incurabilis. 23
Canitiei cura. ibid.
Canitiem retardantia. ibid.
Canitiem occultantia. 24
Cantharidibus quomodo ſit vtendum. 14. 76
Capillorum vitia quæ ſint. 1
Capilli non ſunt partes corporis. ibid.
Capillis quot modis caput nudetur. 9
Capilli ob quem finem facti ſunt à natura. 1
Capilli in defluuio auferendi, antequam apponantur medicamenta. 7
Capilli quot modis auferri poſſint. 13.14
Capilli quomodo auferantur in tinea. 46
Caput tectum gerentes cur citiùs caneſcant. 22
Caricæ generant pediculos. 28
Carunculæ cur miſceantur fæcibus. 121
Carunculæ miſtæ ſtercori quid ſignificent. 130
Caſſij ſententia reprobata. 17
Celſus benigna medicamenta ſemper amplectebatur. 50
Chalcanthum ſemper vitandum in medicamentis, quæ intrò aſſumuntur. 23
Chondrus attemperat, & corrigit acrimoniam humorum. 66
Charta antiquorum. 42.43
Charta noſtra an chartæ antiquorum loco ſufficiat. 43
Chylus an ſolo ventriculo in inteſtina pellatur, an verò etiam ab ipſis inteſtinis trahatur. 155
Cibi ſcabiem gignentes. 69.70
Cibi vnde fiat vt ſeruent odorem in vrinis, cum ſint alterati. 95
Cibi humidi, & ſuper quos multum bibitur, quomodo fæcum multitudinem cauſent. 122
Cima vrinæ vnde. 98
Cinami ſtercus bene olens. 118
Cinericia ſedimēta quid ſignificent. 108.109
Cinericÿ coloris fæcum cauſa. 125
Cinericius ſtercorum color quid ſignificet. 132
Citrina vrina. 97
Clara vrina vnde fiat. 93
Claræ vrinæ quid ſignificent. 103
Coctiones ſunt radices omnium medicinarum. 23
Colocynthis ducit pituitam. 50
Colores oſtendunt humores dominantes. 9
Color naturalis cutis. 53
Colorum in vrinis diuiſio. 87
Colores extremi vrinarum. ibid.
Colores medÿ vrinarum. 87.88
Colores ſordium aurium qui boni. 168
Commodus Imp. commiſcebat ſtercora cibis. 117
Comptoria ars quo tempore Romam adducta. 24

Conten

Contentorum vrinæ natura. 88
Contenta an neceſſariò debeant apparere in vrinis ſanorum. 89
Contenta vrinarum ſanorum, & febricitantium diuerſa eſſe. ibid.
Contradictio inter Celſum, & Paulum ſublata. 31
Copia ſudorum vnde fiat. 142
Copioſi ſudores quid ſignificent. 146
Copioſæ lacrymæ quid ſignificent. 154
Copioſæ ſaliuæ cauſa. 157
Copioſa ſaliua quid indicet. 159
Copioſi muci cauſa. 164
Copioſi muci quid ſignificent. 165
Copioſarum ſordium aurium cauſa. 167
Copioſæ ſordes aurium quid indicent. 168
Cornarius fallitur. 36
Cornelij Celſi, & Græcorum conciliatio de differentiis alopeciæ, & ophiaſis. 10
Cor. Celſi locus emendatus. 36.37
Cornelij Celſi locus correctus. 108
Coronæ ſedimentorum vnde. 99
Corona cur diutius permaneat in vrina, quàm ſpumæ. ibid.
Corpus craſſum quid ſit. 86
Crapulantium vrinæ. 102
Craſſa vrina vnde fiat. 92
Craſſum, & lucidum poſſe ſimul conſiſtere. 93
Craſſum ſedimentum vnde. 98
Craſſa vrina quid ſignificet. 102.103
Craſſæ faces quæ dicantur. 117
Craſſæ fæces vnde fiant. 119
Craſſa ſtercora quid indicent. 129
Craſſi ſudores vnde. 142
Craſſi ſudores quid ſignificent. 146
Craſſæ lacrymæ vnde. 151
Craſſæ lacrymæ quid ſignificent. 154
Craſſæ ſaliuæ cauſa. 156
Craſſa ſputa vnde fiant. 158
Craſſa ſputa quid ſignificent. 160
Craſſi muci cauſa. 163
Craſſus mucus quid ſignificet. 164
Craſſitiei ſordium aurium cauſa. 167
Craſſæ ſordes aurium quid ſignificent. 167
Criſpos capillos habentes citiùs calueſcunt. 17
Critici ſudores vnde fiant. 146
Criticus ſudor. 148
Cucurbitularum importuna appoſitio quid cauſet. 55
Cur in ophiaſi appareat illa tortuoſitas. 9
Cur aliqui citò, aliqui tardè calueſcant. 17
Cur animalia longiora crura habentia ſint aluo humidiori. 127
Cur multum meiatur ſimul, & multum ſudetur. 139
Cur ſub ſole ardente minus ſudetur. 143
Cur in aliquibus partibus ſemper minus ſudamus, in aliquibus magis. 145
Cur ſolus homo lacrymetur. 150
Cutanei affectus quomodo dicantur morbi. 1.2
Cutis ſolum excrementorum eſt receptaculum. 1
Cutim Plato naſſulæ piſcatoriæ aſſimilauit. ibid.
Cutis morbi in colore qui. 2
Cutis morbi in magnitudine qui. ibid.
Cutis morbi in læuitate, & aſperitate qui. ibid.
Cutis quorſum à natura facta ſit. 1
Cutis morbus in colore an detur. 2
Cutis capitis vitia. 25
Cutis color naturalis quis ſit. 52.53
Cutis foraminum vſus. 136

D

DAmarum ſtercora bene olent. 118
Defluuium capillorum quid. 5
Defluuij cauſæ. ibid.
Defluuium quomodo oriatur, & à denſitate, & à raritate cutis. ibid.
Defluuium quot ſignificet. 4.5
Defluuij prognoſtica ſigna. 6
Defluuij cauſarum ſigna. 5.6
Defluuij curatio. 7
Defunctis, & tabidis quomodò pili, & vngues creſcant. 6
Deliorum morbus ab Æſchine deſcriptus non erat vitiligo. 56
Diarhodon abbatis corroborat egregiè iecur. 60
Diminutæ ſaliuæ cauſæ. 157
Dioclis de ſudoris generatione ſententia confuta

confutata. 138
Dioclis opinio exploſa, quod omnes ſudores ſint præter naturam. 141
Diuerſi fæcum colores quid ſignificent. 133
Diurni ſudoris cauſa. 145
Dolor pruriginoſus, & vlceroſus quomodo differant. 62
Doſis pilularum ex aloë Galeni. 51
Dropaciſmus quomodo differat à pſilothro. 48
Dulcis vrina vnde. 96
Duræ fæces vnde fiant. 119.120
Dulce ſputum quid ſignificet. 161
Dulcis muci cauſa. 164
Dulces cur fiant aurium ſordes. 167
Dulces ſordes aurium quid ſignificent. 168
Dura ſtercora quid ſignificent. 129.130
Dyſſeridis famula lapidem è vulua emiſit. 117

E

Elephantiaſis quomodo mutetur in lepram. 76
Empedoclis de ſudoris generatione opinio refutata. 137
Empedoclis de lacrymarum generatione ſententia exploſa. 149
Equi an caneſcant. 21
Ἐρυγή. 124
Eunuchi cur non fiant calui. 17
Eunuchis cur fiant alui liquidæ. 119
Exanthemata quid. 48
Exanthematum cauſa, & cura. 49. & ſeqq.
Exercitatorum ſtercora. 127

F

Facie cur magis ſudemus. 145
Faui quid ſint. 36
Faui quomodo differant ab achoribus. ibid.
Fauorum, & achorum cauſa materialis. 37
Faui, & achores quomodo generentur. ibid.
Fauorum, & achorum cauſa mediata. ibid.
Fauorum & achorum ſigna. 37.38
Fauorum, & achorum curatio. 38. 39. & ſeqq.
Fæcum contemplatio antiqua, & vtilis. 113
Fæcum cognitio nobilior notitia vrinarum. ibid.
Fæcum alui definitio. 114
Fæces cur à cibis, & potibus odoratis odorem bonum non ſuſcipiant, cum id fiat in vrinis. 118
Fæces an poſſint à frigore durari. 120
Fæcibus cur miſceantur flatus. ibid.
Fæcibus cur miſceatur ſanguis. 120.121
Fæcum fœtor cur ab odoratis augeatur. 118
Fæcum exitus partim naturalis eſt, partim voluntarius. 116
Fæcum differentiæ. 117
Fæcibus cur miſceatur humor melancholicus. 121
Fæces poſſunt per vrinam excerni. 94
Fæces quomodo generentur. 114.115
Fæcum grauitatis & leuitatis cauſa. 123
Fæcum nigredo an fiat à frigore. ibid.
Fæces cur excernantur ſine ſono. 124
Fæcum exitus celeritatis, & tarditatis cauſæ. 125
Fæcum exitus cum dolore cauſæ. 126
Fæcum bonarum notæ. 128
Fæcum multitudo maior cibis aſſumptis quid indicet. 131
Fæces cum ſono, & ſine ſono exeuntes quid ſignificent. 133
Fæces nimis fœtentes quid indicent. 133.134
Fæces nil fœtentes quid indicent. 133
Fæces aliunde, quàm ab ano exeuntes lethales. 134
Fæces, quæ celerius deijciuntur, & quæ tardius quàm par ſit, quid indicent. ibid.
Fæces quæ cum labore exeunt, quid ſignificent. ibid.
Fæces paullatim exeuntes quid indicent. ibid.
Fæcum vſus in medendo. 135
circa Fæcum inſpectionem obſeruanda. 135. 136
Fici quid. 50
Ficuum curatio. ibid.
Filamenta quid indicent in ſuſpenſionibus. 107
Flatus in fæcibus cauſa. 124

Flatuum

Flatuum differentia. 124.125
Flauus color. 87
Flaua vrina. 97
Flauitiei fæcum cauſa. 123
Flaua ſtercora quid ſignificent. 132
Flauæ ſordes aurium vnde fiant. 167
Fœtoris fæcum cauſa. 125
Fœtidi ſudores vnde. 144
Fœtidi ſudores quid ſignificent. 147
Fœtoris ſputorum cauſa. 159
Fœtidum ſputum quid indicet. 161
Fœtidi muci cauſa. 164
Fœtidi muci quid ſignificent. ibid.
Fœtoris ſordium aurium cauſa. 167
Fœtidæ aurium ſordes quid indicent. 168
Foliatum vnguentum quid. 8
Frigidarum fæcum cauſa. 122
Frigida ſtercora quid indicent. 123
Frigidi ſudores quid ſignificent. 146
Frigidarum lacrymarum cauſa. 151
Frigidæ lacrymæ, niſi fiant à riſu, malæ. 153
Fuluus color qui. 87
Fuluæ vrinæ. 97
Furfures in vrinis vnde. 100

G

Galena aquæ miſta cur faciat ſpumam. 99
Galenus fallitur. 161
Galeni locus animaduerſus. 10.27
Galenus aſſertus. 10.153.155
Galeni contradictio ſublata. 39. 116. 142. 166
Galeni locus correctus. 40.78.99
Galenus Arabibus conciliatus. 71
Galenus ignorauit Argenti viui miram vim. 46.47
Galenus refutatus de nigredine vrinæ à ſummo frigore facta. 97
Galenus nimis ieiunus in reddenda cauſa dulcedinis ſordium aurium. 167
Galeni ſententia refutata. ibid.
Galeni ſententia de cauſſa canitiei. 21
Galenus aliquando vrinas deguſtaſſe dicitur. 86
Gazellæ ſtercus. 118
Gentilis errat. 109
Græci in medicamentis ſemper fuerunt audaces. 50
Græci cur non fecerint duas leuces ſpecies. 54
Græcorum mos in egeſtionibus. 129
Grandinoſi ſputi cauſa. 158
Grauidarum vrinæ diuerſæ ſunt ab vrinis non prægnantium. 101
Graues fæces quid ſignificent. 131
Gregorij Nyſſeni ſententia de natura lacrymæ. 149

H

Haliabbatis error. 75
Helcydria quid. 48.49
Helcydriorum cauſa, & cura. 49. & ſeq.
Heracliti opinio de vrinæ generatione. 80
Heracliti opinio de ſudoris generatione. 137
Herodoti ineptia, qui putauit ſemen Æthiopum eſſe nigrum. 101
Hibernæ fæces. 127
Hiemales ſudores quid indicent. 148
Hieme cur in aliquib. fiant ſudores. 145.146
Hippocratis ſententia de cauſa caluitij. 15
Hippocratis ſententia de canitiei cauſa. 20. 21
Hippocrates à Galeno damnatus. 128
Homo cur ſolus caluеſcat. 16
Homo cur maximè omnium caneſcat. 21
Humanum ſtercus optimum ad ſtercorandos agros. 135
Humidæ fæces quomodo differant à liquidis. 122
Humidarum fæcum cauſa. ibid.

I

Iberi lauabant dentes vrina in cloacis inueterata. 110
Ichores cur miſceantur fæcibus. 121
Ichores miſti fæcibus quid ſignificent. 130
Iecur attemperantia. 67
Iecoris ſubſtantia an poſſit cum vrina excerni. 108
Ieiunantium ſaliua. 157
Igne quomodo ſit vtendum in cura vitiliginis.

ginis. 60
Imperatores faciebant vectigalia ex vrinis. 110
Impetigo Celſi lepra eſt Græcorum. 75
In India quidam partus ſtatim ac editi ſunt in lucem, caneſcunt. 20
Inodoratarum fæcum cauſa. 125
Inopia ſudoris vnde fiat. 142.143
Inſipiditas ſaliuæ quid ſignificet. 159
Inſipidum ſputum quid ſignificet. 161
Inſipidus mucus quid ſignificet. 165
Inteſtina cur plures venas habuerint. 115
Inteſtina vi attractrice fuiſſe donata, ſed debili. ibid.
Inteſtinorum vſus præcipuus pro quo à natura ſunt facta. 115.116
Inuitæ lacrymæ vnde. 153
Ira maximè auget porriginem. 33
Iudæi cur abſtinerent à carne ſuilla. 59
Iumenta cur vrinas craſſiores reddant. 93. 101
Iunioris cuiuſdam error. 128.129
Iuuenum vrinæ. 100

L

Laborantium vrinæ. 102
Lin Laconicis cur magis ſudemus. 145
Lacrymæ quid ſint. 150
Lacrymarum differentiæ. 151
Lacrymæ à riſu cur fiant. ibid.
Lacrymarum in ægris cauſæ. 152.153
Lacrymarum factarum cum febribus cauſæ. 153
Lactea ſedimenta quid indicent. 108
Laminæ in vrinis vnde. 99
Laminæ in ſedimento quid ſignificent. 108
Lapides cur fæcibus miſceantur. 121.130
Lapis cum ſputo excretus vnde fiat. 158
Lenia ſtercora quid ſignificent. 132
Lenones, & mangones cur dum mulieres grauidas vendebant, nunquam ſanas præſtarent. 101
Lepra quid ſit. 74
Lepra quomodo differat à vitiligine. ibid.
Lepra quomodo differat à ſcabie. ibid.
Lepra vnde deducatur. ibid.
Lepræ materia quæ. ibid.
Lepræ cauſa materialis. 75
Lepræ cauſa efficiens. ibid.
Lepræ cauſæ primitiuæ. ibid.
Lepra an fiat contagio. ibid.
Lepra difficillimus curatu eſt morbus. ibid.
Lepra Auicennæ, & Auenzoar eſt elephantiaſis Græcorum. ibid.
Lepra Græcorum albara nigra eſt Auicennæ. 54.74.75
Lepra Græcorum eſt impetigo Celſi. 75
Lepræ ſigna. 76
Lepræ prognoſtica. ibid.
Lepra quomodo mutetur in elephantiaſin. ibid.
Lepræ curatio. ibid.
Leuce quid, & vnde dicta. 53
Leuce cur magis fiat in manibus, quàm in pedibus. 53
Leuces cauſa materialis. ibid.
Leuces cauſa effectrix. ibid.
Leucophlegmatia differt à leuce. 54
Leuces ſigna. 55
Leuce quomodo dicatur periculoſa. 56
Lichenes quid ſint. 77
Lichenum duo genera. ibid.
Lichenes feri qui ſint. ibid.
Lichenum materia. ibid.
Lichenum menti an ſit mentagra Plinij. 77. 78
Lichenis cauſæ primitiuæ. 78
Lichenis ſigna. ibid.
Lichenis prognoſtica. ibid.
Lichenis curatio. ibid.
Lien quomodo dicatur concurrere ad generationem humoris melancholici. 72
Liquidæ fæces quæ ſint. 117
Liquidæ fæces vnde fiant. 119
Liquidæ fæces quid indicent. 329
Liquidum ſputum vnde. 158
Liuidus ſtercorum color quid indicet. 132
Lotio capitis in defluuio ex cute rarefacta, & altera in adſtricta. 78
Lucidum, & craſſum poſſe ſimul conſiſtere. 93
Lumbrici aliquando præ fame inteſtina perfoderunt. 118
Lumbrici cur miſceantur fæcibus. 121

M

Macrorum fæces. 126
Manus cur magis tententur vitiligine, quàm

ne, quàm pedes. 53
Mare cur ſudor terræ vocetur. 143
Materia quæ facit pruritum, an ſit tenuior ea; quæ facit ſcabiem. 63
Materia potulenta quid. 138
Medicamentum ad arcendos pediculos in extremis caſibus. 30
Medicamenta cutim roborantia, an conueniant in porrigine. 34
Medicamentum ex charta combuſta quam ſit celebratum. 42.43
Medicamenta fortiter abſtergentia, nec multum diſſoluentia. 59
Medicamenta ſanguinem ad cutem attrahentia. 59.60
Medicamenta veſicatoria. 60
Medicamenta detergentia. 72
Medicamenta meatus expurgantia. ibid.
Medicamenta incidentia. ibid.
Medicamentum pſoricum. 73
Medici grauia vident, & inſuauia tangunt. 113
Melancholia ſtercori miſta quid ſignificet. 130
Melancholicorum vrinæ. 100
Melancholicorum fæces. 126
Meletij de lacrymæ generatione opinio. 149
Mentagra Plinij an ſit lichen menti. 77.78
Milioformes ſudores. 142
Molles fæces vnde fiant. 119
Mollia ſtercora quid indicent. 129
Montanus fallitur. 92.109
Morbi cutis ſunt trium generum. 2
Morbum in pulchritudine non dari. ibid.
Morphæa alba & nigra vnde. 55
Mucus quid ſit. 163
Muci differentiæ. ibid.
Mucorum vtilitas. 164
Mucus ruber quid ſignificet. 165
Mulieres cur non calueſcant. 17
Mulieres cur citius, & magis caneſcant. 21
Mulieres cur minus patiantur leucen. 55
Mulieres cur craſſas vrinas reddant. 93
Mulierum vrinæ. 100.101
Mulierum fæces. 127
Multa vrina quid indicet. 104
Multa ſputa quid ſignificent. 144
Multitudinis lacrymarum cauſa. 154
Multæ vrinæ vnde. 94
Multitudo ſputi vnde. 158
μύξας. 163

N

Nardicum vnguentum quid. 8
Narium vſus. 163
Natura cur non dederit homini capillos duros, qui non deciderent. 16
Naturæ prouidentia circa oculos. 152.153
Natiuæ lacrymæ prauæ. 154
Natura cur nunquam per ſputa moliatur Criſes. 162
Nebula in vrinis. 90
Nicandri & eius ſcholiaſtis locus emendatus. 74
Nicolaus Florentinus fallitur. 44.56.96
Nigra ſedimenta. 98
Nigra vrina vnde. 96.97
Nigra vrina an fiat à frigore. 97
Nigræ vrinæ peſſimæ. 105.106
Nigrum ſedimentum quid ſignificet. 106
Nigredo ſtercorum vnde. 123
Nigredo fæcum an fiat à frigore. ibid.
Nigra nebula quid ſignificet. 107
Nigræ fæces quid indicent. 132
Nigri ſputi cauſa. 159
Nigrum ſputum quid indicet. 162
Nigra ſputa an ſemper mortem ſignificent. ibid.
Nocturni ſudores vnde. 145
Nocturni ſudores quid indicent. 148
de Numero egeſtionum naturalium diſputatio. 128.129

O

Oculorum excrementa per nares quoque expurgantur. 163
Odores vrinarum quid ſignificent. 105
Odores vrinæ. 94.95
Oleum antiquum nucum vim magnam habet in alopecia, & ophiaſi. 13
Oleaginea corrumpunt cibi digeſtionem. 66
Ophiaſis, & alopecia quid. 9
Ophiaſis, & alopeciæ eadem eſt materia. ibid.
Ophiaſis, & alopecia quomodo inter ſe differant. 9.10

Ophiaſis

Ophiaſis unde dicta. 9

Ophiaſis,& alopeciæ cauſæ. ibid.

in Ophiaſi cur appareat tortuoſitas. ibid.

Ophiaſis differentiæ. 9.10

Ophiaſis faciliùs curatur,quàm alopecia. 11

Ophiaſis,& alopeciæ curatio. 11.& ſeqq.

Otium facit ſcabiem. 69

Otioſorum fæces 127.*Otioſorum urinæ.* 102

P

Paleas quidam emiſit in urinis. 90

Pallidus color. 87

Pallidæ urinæ. 97

Pallidæ urinæ quid ſignificent. 106

Pallidi ſudoris cauſa. 144

Pallidi ſputi cauſa. 159

Pallidum ſputum quid ſignificet. 161

Pallidi muci cauſa. 164

Panni quidam faciunt pediculos. 29

Panthera icta ſtercus humanum quærit. 118

*Papyri ex quibus fiunt ſtoreæ poſſunt uſurpari loco illarum,quæ prope Nilum naſcuntur.*43

Paracelſiſtæ unde fingant ſuum tartarum. 114

πάθος. 149

Paucæ urinæ unde. 93.94

Pauca urina quid ſignificet. 104

Paucus ſudor quid indicet. 146

Paucitatis lacrymarum cauſæ. 152

Pauca ſputa quid indicent. 144

Pauci muci cauſa. 164

Paucitatis fæcum cauſa. 121.122

Pauli loca notata 37.*Pauli locus emẽdatus.*68

Pediculatio quid ſit. 25

Pediculorum generationis locus 27. *pediculorũ cauſa materialis* 26. *pediculorum cauſa efſectrix* 26.27. *pediculorum cauſa finalis.*27

Pediculationis cauſæ primitiuæ. 27.28

Pediculi cor morituros deſerant. 28

Pediculorum differentiæ. ibid.

Pediculationis prognoſtica. 28

Pediculationis cura. 29.& ſeqq.

Perſarum verecundia,& modeſtia. 133.165

φθειρίασις unde dicatur. 25

Pili,& ungues quomodo defunctis, & tabidis creſcant. 6

Pilorum vitia generatim unde fiant. 3.4

*Pili,& prudentia inimicitiã inter ſe gerunt.*16

Pili unde fiant. 3

Pilos aliquando vidit Galenus in contentis urinarum. 90

Pili in urinis unde. 100

Pilulæ maximè trahunt à capite 12. *pilulæ ex aloë Galeni diligenter examinatæ.* 50

Pingues urinæ quid ſignificent. 109

Pinguium corporum fæces. 126

Pinguedinibus quomodo ſit utendum. 39

Pinguedinibus cur non fuerint uſi medici in curandis achoribus,& fauis. 43

Pinguedo contentorum unde. 99

Pituita cur fæcibus miſceatur. 121

Pituita ſtercori miſta quid ſignificet. 130

Pituitoſorum urinæ 100.*pituitoſorum fæces.*126

Plactulæ. 28

Plantarum lacrymæ uſurpantur in medicamentis. 155

Plato adſimilauit cutim naſſulæ piſcatoriæ. 1

Platonis de ſudoris generatione opinio diminuta 137. *Platonis ſententia de uſu inteſtinorum à Galeno refutata.* 115

Plato , & Pythagorici dicebant plantas lacrymari. 149

*Platonis de lacrymarũ generatione opinio.*ibid.

Pollucis locus declaratus. 129

Πορδή. 125

Porrigo quo modo fiat. 31

Porriginis cauſæ immediatæ. 32

Porriginis cauſæ mediatæ. ibid.

Porrigo an fiat interdum ex intemperie capitis tantum. ibid.

Porriginis ſigna 32.33. *curatio* 33. & ſeqq.

Potus quomodo ſeruent odorem proprium in urinis. 95

*Prudẽtia,& pili inimicitiam inter ſe gerunt.*16

Pruritus duplex 62. *pruritus quid ſit.* ibid.

Pruritus ad quos morbos reducatur. ibid.

in Pruritu cur non ulceretur cutis. ibid.

Pruritus cauſæ immediatæ. 63

Pruritus quomodo inducat dolorem , & quomodo dicatur inducere voluptatem. 62.63

Poſt pruritum cur ſequi ſoleat ſcabies. 63

Pruritus in ſenibus cur excitetur ibid.pruritus cauſæ mediatæ 64. *pruritus ſigna ibid.pruritus in ſenib. aliquando curatur contra Pauli,& Auicenn.ſententiam.* 64.65

Pruritus curatio. 65.& ſeqq.

Pruritui an conueniant balnea aquæ dulcis, an ſalſæ. 65

MMMMMm *Pſilo*

Pſilothra. 47
Pſilothrum quomodo differat à dropaciſmo. 48
Pſydracia quid. 48
Pſydraciorum cauſa, & cura. 49
Πτυελισμός. 155
Πτύελος. ibid.
Πτύσμα. ibid.
Pubeſcentes cur habeant ſudores fœtidos, cum tamen rectè concoquant. 144
Puella quæ anum occluſum habens per partos naturales deiiciebat. 118
Pueri, & mulieres reliquis magis capiuntur periculis. 28
Pueri maximè obnoxij ſunt achoribus. 37
Pueri cur minus patiantur leucen. 55
Pueri ſubiiciuntur maximè ſcabiei. 69
Puerorum vrinæ 100. puerorum fæces. 127
Pueri cur nil, vel parum ſudant. 141
Pulſuum cognitio incerta. 80
Pultes, polentæ, & huiuſmodi in vrinis quid indicent. 108
Puluerulentus color vrinæ. 98
Purpureus color vrinæ vnde. 88

R

Ramenta in vrinis vnde. 100
Roſeus color. 88
Rotundi ſputi cauſa. 158
Rotunda ſputa quid ſignificent. 160.161
Rubeus color vrinæ vnde. 97.98
Rubeæ vrinæ quid ſignificent. 106
Rubedo fæcum vnde. 123
Rubra ſedimenta vnde. 98
Rubra ſtercora quid indicent. 132
Rubri ſputi cauſa. 159
Rubra ſputa, & pallida cur frequentiſſimè appareant in pleuritide. ibid.
Rubra ſputa quid ſignificent. 161
Rubræ aurium ſordes vnde. 167
Rufi Epheſij de vrinæ natura ſententia. 81
Rufus color qui. 88
Rufa vrina. 91.97.98

S

Sabuloſa ſedimenta quid indicent. 108.109
Salamandræ contactus facit defluuium capillorum. 5
Saliua quid. 156
Saliua vnde gignatur, & ad quem finem. ibid.
Saliuæ differentiæ ibid. ſaliuæ naturalis nota ibid. ſaliuæ, quæ fluit in ſomno, cauſa. 157
Saliua numquam mala habetur. 159
Saliuæ vſus in medicina facienda. 159.160
Salſæ vrinæ vnde. 95.96
Salſi ſudoris cauſa. 143.144
Salſi ſudores quid ſignificent. 147
Salſæ lacrymæ vnde. 152
Salſæ lacrymæ quid indicent. 154
Salſedinis in ſputis cauſa. 158
Salſum ſputum quid indicet. 161
Salſi muci cauſa. 164
Salſi muci quid ſignificent. 165
Salſæ ſordes aurium vnde. 167
Salſæ aurium ſordes quid ſignificent. 168
Sanguineorum vrinæ quales. 100
Sanguineorum fæces quales. 126
Sanguis miſtus ſtercori quid portendat. 130
Sanguinei ſudores ex quibus cauſis fiant. 145
Sanguinei ſudores qui indicent. 147
Sani an deberent vmquam ſaliuã expuere. 157
Sapores vrinæ quid ſibi velint. 105. ſapores ſaliuæ ex quibus cauſis fiant. 157. ſapores ſputorum vnde fiant. 158. ſapores ſaliuæ quid ſignificent. 159
Scabies capitis quid apud Auenzoar. 49
in Scabie cur fiat maior pruritus, ſed minus permanens. 64
Scabies quid ſit. 68
Scabiei cauſa materialis ibid. ſcabiei duo genera 68. 69. ſcabiei cauſæ primitiuæ. 69
Scabies contagio comparatur, & cur 70. ſcabies morbus, & motus criticus quomodo diſcernantur ibid. ſcabies & pruritus quomodo differant. ibid.
Scabiei ſigna ibid. ſcabiei prognoſtica. 71
Scabies ſæpe liberat homines à morbis imminentibus ibid. ſcabies facit homines deformes, præcipuè medicos ibid. ſcabies facilè mutatur in lepram, niſi curetur. ibid.
Scabiei curatio. 71. & ſeqq.
Scabies Cor. Celſi eſt lichen Græcorum. 77
Sedimentum in vrina. 90
Sedimenti optimi notæ. 107
Sellulariorum fæces. 127
Senecæ locus emendatus. 55
Senectus non eſt malum. 22
Senũ vrinæ 100. ſenes cur modicè ſudent. 143
Sereni ſententia de cauſa finali pediculorum exploſa.

exploſa. 27
Serui, qui laborabant alopecia, vilius vendebantur. 11
Serum lactis quomodo alteretur in pruritu. 67
Siccarum fecum cauſa. 123
Siccæ faces quid indicent. 131
Siccæ lacrymæ unde. 151
Siccitas narium quid indicet. 165
σίελα, id eſt, ſaliua. 155
Simplicis ſputi cauſa. 158
Simplex ſputum quid ſignificet. 160
Smegmata. 43
Sub ſole cur magis ſudetur. 145
Sonus urinarum unde. 94
Soni urinæ quid indicent. 105
Soranus medicus locauit ſe ducentis viris in Aquitania pro curanda impetigine. 78
Sordes aurium quid ſint. 166
Sordes aurium cur amaræ ſint. ibid.
Sordium aurium differentiæ. ibid.
Sordes aurium an ſint naturales, an præter naturam. ibid.
Sordium aurium uſus. 168
Sordes aurium medentur ictib. ſerpentũ. ibid.
Spadonibus, & eunuchis cur fiant alui liquidæ. 119
Spicatum unguentum quid. 8
Spicea urina. 97
Spuma urinæ unde. 99
Spuma urinæ an fiat in corporibus noſtris, an dum urina defluit in matulam. 107. 108
Spumoſa ſtercora quid ſignificent. 130
Spumoſæ ſaliuæ cauſa. 156. 157
Spumoſi ſputi cauſa. 158
Spumoſa ſaliua quid ſignificet. 159
Spumoſum ſputum quid ſignificet. 160
Sputi nominum diſtinctio. 155
Sputorum differentiæ. 156
Sputa aliqua cur difficilè educantur 159. ſputa maximi ſunt uſus in affectib. partium ſpiritualium 160. ſputa quib. ſunt miſti annuli, carunculæ, & huiuſmodi, praua ſunt. 160
Sputa optima. 157. 162
Stercoris generatio quomodo fiat. 114. 115
Stercoris natura. 135
Studioſorum urinæ. 101. 102
Studioſorum faces. 127
Subruber mucus unde. 164
Sues odore fecum noſtrarum delectantur. 118
Sudor quid ſit. 137. 138
Sudorem eſſe materiam potulentam. 138
Sudoris, & urinæ eadem eſt materia. 82
Sudorem non fieri ex vaporibus eleuatis à corpore, & in ſumma cute congelatis. 137
Sudor, & urina eiuſdem ſunt naturæ. 138
Ad ſudoris generationē quot concurrant. ibid.
Sudor cur à Galeno vocetur excrementum tertiæ coctionis. 139
Sudorem emanare proportione potus non eſt neceſſarium. 140
Sudores cur nullam qualitatem materiæ, quæ potatur, retineant. ibid.
Sudorum differentiæ. ibid.
Sudores aliquando ab ægris guſtantur. ibid.
Sudores ſanguineos inueniri. ibid.
Sudorum colores quomodo poſſint intelligi. 141
Sudores omnes an ſint præter naturam. ibid.
Sudores, qui fiunt ſub axillis, cur fœteant. 144
Sudores à cibo unde 145. ſudores non fœtentes an neceſſariò indicent putrefactionem in venis non eſſe 147. ſudores uniuerſales quid ſignificent ibid. ſudores qui ſint boni in omnibus acutis 148. ſudores facti à cibo quid indicent ibid. ſudores futuri quomodo cognoſcendi. 158
Sudorum uſus in medendo. ibid.
Suſpenſio in urinis 90. ſuſpenſio urinæ quid indicet. 106
Suſpenſiones quæ bonæ. 107
Sycoſis quid. 50
Symptomaticorum ſudorum cauſa. 146

T

TAbidis, & defunctis quomodo pili creſcant. 6
Tagautij negligentia. 75
Tagautius fallitur 77. tenuis urina unde fiat, 92
Tenue ſedimentum unde. 98
Tenuis urina quid ſignificet. 102
Tenues ſudores 142. tenues ſudores quid indicent. 146
Tenuitatis lacrymarum cauſa. 151. 152
Tenuitas ſputi quid ſignificet. 160
Tenue ſputum quid ſignificet. ibid.
Tenuis muci cauſa. 163
Tenuis mucus quid ſignificet. 164

Tenuitatis ſordium aurium cauſa. 167
Tenues lacrymæ quid indicent. 154
Tenues ſordes aurium quid indicent. 168
Thadæi Florentini error. 151
Thapſia optimum remedium in alopecia, & ophiaſi 13. *thapſia quomodo debeat caſtigari in alopecia ibid. thapſia quomodo eligenda.* 14
Theophraſti ſententia de pediculorum ortu. 26
Timidorum fæces. 127
Tinea quid. 44
Tineæ cauſæ immediatæ. ibid.
Tineæ cauſæ mediatæ. ibid.
Tinea an à Græcis fuerit tractata. 44.45
Tineæ ſigna prognoſtica, curatio. ibid.
Τειτμός. 125
Turbidæ vrinæ. 93
Turbatæ vrinæ quid ſignificent 103. *turbatæ vrinæ quomodo dolorẽ capitis indicent.* 104

V

VEnenum epotum cauſa defluuij capillorum. 5
Verè quæ vrinæ fiant. 103
Vermes miſti ſtercori quid indicent. 130.131
Vernæ fæces. 127
Veſpaſiani iocus. 110
Vetulæ cur magis patiantur leucen. 55
Victus ratione tantùm aliquando curatur defluuiũ 7. *victus ratio quàm neceſſaria ſit.* 29
Vigilantium fæces. 127
Viperina caro præſeruat à canitie. 24
Virorum vrinæ. 100
Virides vrinæ 97. *virides vrinæ quid indicent.* 106
Viriditatis fæcum cauſa. 123.124
Virides fæces nunquam ſunt criticæ. 132
Viridis ſudoris cauſa 145. *viridis ſputi cauſa.* 159
Viridia ſputa quid ſignificent. 162
Virides ſordes aurium vnde. 167
Viſcida ſaliua quid ſignificet. 159
Viſcidum ſputum quid indicet. 160
Vitiligo vnde dicatur. 54.55
Vitiliginis cauſæ antecedentes. ibid.
Vitiligo non comparatur per contagium. 55
Vitiligo fœda eſt, non odioſa 56. *vitiligo an fieri poſſit à bile, & à ſanguine* 56.57. *vitiligo an ſit morbus, vel ſymptoma.* ibid.
Vitiliginis cura. 58. & ſeqq.
Vnctiones in defluuio adhibendæ. 8
Vnguenta capiti illita cur accelerent canitiem. 22
Vngues quomodo mortuis creſcant. 6
Vrinarum cognitionis vtilitas. 79
Vrinarum cognitionis dignitas. ibid.
Vrinæ cognitio certiſſima. 80
Vrina verè quid ſit. 81
Vrina quomodo ſit materia potulenta. ibid.
Vrinæ, & ſudoris eadem eſt materia. 82
Vrinam, quæ reperitur in veſica, eandem eſſe cum ea, quæ eſt in venis. ibid.
Vrinam eſſe id totum quod potatur. 83
Vrinæ generatio. ibid.
Vrina quomodo aliquando ſerum, aliquando excrementum appelletur. 82
Vrinarum differentiæ. 86
Vrina craſſa quæ ibid. vrina tenuis quæ. ibid.
Vrina clara quæ ibid. vrina aſpera, & lenis quæ ſint. 87
Vrinarum differentiæ ex contentis. 89.90
Vrinæ bonæ conditiones. 91
Vrina quænam ſit inſpicienda. ibid.
Vrina ciborum ſal. 96
Vrinarum cauſæ non naturales. 100
ex Vrinis ſolis ſciri non poſſe, an mulier vtero gerat. 101
Vrinæ in regionibus variis quales fiant. ibid.
Vrinæ in febribus peſtiferis cur ſimiles ſint vrinis ſanorum. 109
Vrinarum vſus in medendo. 110
Vrinæ potus confert ad venenatos ictus. ibid.
Vrina calida eſt valde, & abſtergit. ibid.
Vrina pota confert orthopnoicis cachecticis. ib.
in Vrinarum inſpectione obſeruanda. 111
Vrinæ à cibis, & potibus odoratis cur odorem interdum bonum ſuſcipiant, fæces verò nunquam. 118
Vrina & ſudor eiuſdem ſunt naturæ. 138
Vulua retentiua facultate maximè pollet. 115

X

XEnocrates ſtercora voranda dabat ægris. 117

FINIS.

sulphur cum aceto in petia linea ligatum ad herenes – p 50

ex libr petri Bous de mi gmont